GALENI OPERVM QVARTVS TOMVS EA QVAE AB IPSO DE MORBORVM AGNITIONE PRAENOTIONEQVE TRADITA

ſunt, & Quartæ Claſsi aſſcripta, complectens: quorum catalogum uerſa pagina reperies.



FRO BEN



BASILEAE M. D. XLIX.

QVARTA CLASSIS

HAEC CONTINET.

Omnia per Ianum Cornarium Medicum recognita, & innumeris locis emendata.


De locis affectis.

Caput I. Vtilitas notitiæ locorum affectorũ, & quòd ad eam acquirendã anatomes peritia necessaria sit, propter interiores præcipue locos. Docet enim Anatome cum alia permulta, tum cuiuslibet partis essentiæ proprietatem, unde facile locus affectus noscitur. 1. Exemplum, Pulmonis magnum ulcus cognoscetur si bronchium aliquod exiguum, id est pars cartilaginea rejcia tur. neq; enim arteriæ, cuius maiora bronchia sunt, tanta ulceratio uiuo animali fieri potest. 2. Ex magnitudine etiam exeuntium locus affecti noscitur, ut in dysenteria crassior tunica excreta, in crassis intestinis ulcerationem arguit. 3. A rebus in particulis quibusdam contentis, locus affectus creberrime depreheditur, ut cum ex uulnere urina, stercus, uel cibus reddit, &c. 4. Ex rebus adhærentibus, quæ essentiæ proprietatem obtinent: ut fracto craneo fungi, si meninx afficiatur. Huius generis etiam ephelcides id est ramenta partium sunt, quæ diuersis è locis excernuntur. 5. Ex rebus quæ in alieno spacio præter naturã continentur, ut lapis in renibus aut uesica, pus in thorace: sanguinis grumus alicubi uel alius molestus humor. Exemplum prolixum inquirendi loci affecti & causæ morbi in ischuria: ab actione læso, ab accidentibus præcedentibus uel præsentibus, &c. cum historia curationis ischuriæ. Dialecticas & inutiles ad curã quæstiones, quales duas affert, omittendas esse. Contra Asclepiadẽ, & contra Archigenem de sede principatus animæ. Cap. II. Nullam actionem lædi, nisi pars quæ ipsam producit afficiatur: (Exemplum à suffusione ab ore uentriculi procedente) Affectum uero nonnunq; adeo esse exiguum ut deprehendi nõ possit, neq; in parte affecta derelinquat dispositionem aliquam. (Simile à guttis aquam cauantibus) Et quòd non specie differat maximus et minimus affectus, sed sola magnitudine. (Similaria ubi primum cœperũt gigni, esse dicuntur, neq; substantia, sed sola magnitudine differunt: secus autem dissimilaria.) Et magni qui- A dem affectus, quos natura uincere non potest, externo egent auxilio: minores uero, separatis causis facientibus, illico finiuntur, natura ipsos sanante. III. Enumerat diuersas morborum species, quæ ut ad Soriten in præcedente capite intelligendum plurimum cõducunt, sic medico ad cognoscendum affectam particulam: Quarum prima hæc est: Affectuum quidam in partium ipsarũ essentia consistunt, quidam uero ipsis ueluti instrumentis accidunt. Secũda, Alij affectus iam sunt facti & pertinaciter inhærent, alij etiamnũ fiunt. Tertia, Causarum quædam in affecta parte continentur, nonnullæ uero ea tanq; uia duntaxat utuntur. Quarta, Morborum quidam sunt proprij, quidam accidunt per cõsensum: Vel sic, Affectus alius primigenius est, protopathiã dicunt: alius secũdarius aut posterior. IIII. Multa in hoc capite docet de ructibus tum fumosis tum acidis, & quomodo uiscerum (ut iecinoris & splenis) intestinorumq; affectus per excrementa dignoscantur. B Colicorum sanatorũ historiæ. De sanguinis excretione per intestina, & q sanguis eo minus misceatur excrementis quò inferiora fuerint exulcerata intestina, & contrà, eo magis quò superiora. V. Quòd & locus & affectio sæpe uno ex indicio cognoscãtur, aut locus simul affectus & causa. Loci quidem affecti noscuntur, ab actione læsa, excrementis, positu, uel loci natura, doloris proprietate & proprijs accidentibus: affectiones uero ex ijsdem, excepta tantum actione læsa. VI. De morbo per consensum (siue sympathia) quẽ multi non tenuerunt qualis esset: alij prorsus esse negauerunt. Historiæ diuersæ, prima delapsi ab alto in metaphreni initium, cui & uox deficiebat, & crura resoluebantur, curati, &c. Historia eius qui sentiendi in digitis facultate priuatus est, & eorum qui ob aquam frigidam uesica & sede lædebantur, & aliæ plures. C VII. De discrimine instrumentorum animalium & naturalium.

CL. GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA

LIBER PRIMVS.

Guilielmo Copo Basiliensi interprete.



Non solum recentiores medici, sed ueterũ quoque non pauci, corporis particulas, locos nominare cõsueuerunt, ac quàm diligẽtissime, affectus ipsis euenire solitos, dignoscere studuerũt, propterea q pro locorum differentia, curationem quoq; uariari contingit. Sed quàm utilis ad curationem sit huiusmodi notitia, in eo libro, quem de curandi uia & ratione conscripsimus, uidere est. Nunc uero quomodo affectæ particulæ possint discerni, explicare dũtaxat proposuimus. Igitur partes in superficie constitutæ, unà cum affectuum suorum specie, facile sensibus deprehenduntur. Quæ uero in imo corpore latent, exercitatæ cogitationis uirum desiderant, cum in partium & actionibus & utilitatibus, tum uel maxime in ea quæ hæc præcedit corporum dissectione, anatomen Græci dicũt. Quippe hæc nos docuit, cum alia permulta, tum cuiuslibet partis essentiæ proprietatem. Nam quæ in pulmonibus sunt asperæ arteriæ, corpore quodam constant cartilagineo (Græci bronchion appellãt) cuius proprietatem hi duntaxat qui ipsum uiderunt cognoscere possunt. D Id si aliquando tussiendo expuatur, maximũ ulcus uel ab erosione uel putredine in pulmone esse existimamus. Quanq; ẽm inter fauces & pulmonem eiusmodi naturæ corpus per totũ collum pertinet, tam grandis tamẽ ulceratio, in ipso haud quaq; fieri potest, quin prius mors animal præoccupet. In pulmone uero talis fieri potest, utpote qui ob humiditatẽ, & facile putrescere, & à uitiosis humoribus prompte erodi consueuit: huc adde quod bronchia in ipso exigua admodum sint. Quocirca pars ipsorũ putrescere non potest, quin potius totum bronchium rejci necesse est, membranosis uinculis, quæ ipsum cum alijs cõiungũt, à sua continuitate exolutis, quæ ipsis bronchijs multo celerius afficiuntur. hæc enim & cartilagi-

nea, & dura, & crassa sunt: membranæ uero quę ipsa coniungunt, tenues & infirmæ. Quinetiam frustum quoddam uasis, haud ita paruum, tussiendo reijci uidimus, quod ex pulmone fuisse deductũ, plane intelligebant dissectorię artis haud imperiti professores. Quotquot enim ad asperã arteriam in collo perueniunt uasa, omnia capillorũ fere speciem referunt. Proinde non solũ essentiæ proprietas, sed magnitudo quoq; sæpenumero affectũ locum haud obscure indicare potest. Sic enim cum intestini tunicã per dysenteriã deiectã conspexeris, sitq; & latitudine & crassitudine ijs quę tenuia constituunt multo maior, non ab re cõijcies ulcerationẽ in crassis intestinis consistere. Ita cum adolescentulum tussiendo tunicã uiscosam crassamq; reijcere uideremus, coniecimus eam ex interna summa gutturis parte, quæ etiã ligulam (Græci epiglottida uocant) constituit fuisse resolutã, ac sanatus est adolescẽtulus, quamuis id nõ admodum speraremus, mansit tamẽ uox uitiata. Preterea per essentiæ proprietatẽ, à uesicæ ulceribus, ea quæ in renibus cõsistunt, distingui possunt. Scripsit enim in Aphorismis Hippocrates: Si ea quę cum urinis excernuntur, lamarum speciem referunt, in uesica ulcus esse, scire licet: si uero carunculis simulentur, id erit in renibus. Neq; nõ à rebus in particulis quibusdã contentis, creberrime sedes affecta deprehenditur. Nam Mitylenis adolescens quidam secundũ sedem uulneratus gladio, uulnere satis profundo, tribus primis diebus, neq; cibum neq; potum ingessit: quarta uero die adhibitis prius remedijs, cibũ sumpsit, ac bibit quoq;: deinde occidente sole, iterũ adhibita curatione, urinæ quatuor fere heminas per uulnus excreuit, cũ antea ex quo uulneratus erat, nihil urinæ reddidisset. tum uero ab onere, quo circa pubẽ grauabatur, se perfecte liberatũ esse dixit. Itaq; proculdubio constabat uesicam fuisse uulneratã. Quemadmodũ ubi stercus per uulnus excernitur, intestinorum alicui uulnus esse illatũ haud dubiũ est. Sic etiã cum cibus egreditur, in uentriculo uulnus esse manifestũ est. Iam ortum supra inguina panũ ac suppuratũ cum medicus incideret, stercus subsecutũ, in colo abscessum esse declarauit. Atq; in hoc genere continetur, spiritus efflatus, uulnerato thorace, & sanguis ab arteria profluens. Nam cũ interdũ uulneratũ corpus sensu deprehendi non potest, exactam ab his consequimur notitiã. Igitur ut ex thorace efflatus inter respirandũ spiritus, membranam costas succingentem, uulneratã esse significat, ita sanguis saliẽdo eiectus, arteriã: sed & hic protinus eo qui ex uenis erumpit, & calidior, & magis tenuis, & flauior esse dinoscitur. At ueluti horum non incertæ sunt notæ, sic eodẽ modo si aliquando omentum, aut intestinorum aliquod excidere per uulnus uideatur, peritonæũ membranã aluũ ac intestina omnia amplectentẽ discissam esse nemo ambigere debet. Si uero pulmonis aliquis apex, extremam sui partẽ à uulnere excernere uideatur, thoracem cõfossum esse ostendit. Atqui nihil refert siue succingentem membranam uulneratam, siue thora-

A cem confossum esse dixeris. Iam uero ex his etiam quæ adnascuntur rebus affectæ sedis notæ petuntur. quippe res adnascentes essentię proprietatem obtinẽt. quemadmodũ fungi, si fracto capite meninx (id est membrana cerebrũ custodiens) fuerit affecta. Atq; rursus alia proprietas cõspicitur, osse particulæ cuiuspiã uitiato. Huius præterea generis est crustula quædam (ephelcis græce uocatur) quæ eius particulæ, à qua excerni uidetur, ulcerationẽ portendit, ut urinæ meatuũ, si cum urina: spiritualiũ instrumentorũ, si tussiendo: gulæ, ac uentriculi, si uomitione excernatur. quemadmodum si cũ alui excrementis deijcit, intestinorũ aliquod ulceratũ esse significat. Est preterea ex indicijs quibusdã alius notitiæ modus, cum uidelicet in alie-

B no loco aliquid præter naturã continetur: ut in renibus aut uesica lapis: aut pus in thorace, aut sanguinis grumus (græce thrombos) ubicunq; cõtineatur, aut alius quidam humor molestus in animalis corpore genitus aut extrinsecus ei adueniens. Vnde iuniorũ medicorũ cõplures quæstionẽ ad medicæ artis opera nihil conferentẽ, sed dialecticam potius habentẽ contemplationẽ, mouere solent. Vtrũ huiusmodi res in nobis præter naturã genitæ, ex affectis sint sedibus, aut loco nequaq; affecto, animal à causa præter naturã male afficiatur. Sed ꝙ inutilis (ut dixi) sit huiusmodi quæstio, cognitu facile est, si quis sit in hac arte notarum usus cognoueris. Subijciamus ergo aliquẽ tribus diebus nihil urinę reddidisse: Nonne protinus in qua

C corporis parte sit huiusmodi accidentis causa inuestigabimus, an in renibus, aut ureteribus, aut uesica, aut urinæ fistula. Neq; enim in hepate, pulmone, liene, uentriculo, corde, aut alia quauis particula ipsam quæremus, ꝙ nulla ipsarum sit urinæ instrumentũ. Vnde nisi nouerimus primã urinæ secretionẽ in renibus fieri, deinde eam per ureteras ad uesicã peruenire, ac demũ inde excerni (quemadmodũ iam antea in libris naturaliũ actionũ ostẽdimus) nihil huiusmodi inuenire poterimus. Verũ hucusq; processisse haud satis esse uidetur, quin potius perpendere oportet, quænam sit causa propter quam urina supprimitur. Est autẽ uia cõtemplationis hæc: Intueri oportet omnia, tum præterita tum præsentia accidentia. Præsentia quidẽ ipse-

D met medicus inspicere debet: præterita uero non solum à laborante, sed etiã ab ipsius familiaribus interrogando perdiscere. Sit igitur (exempli gratia) tumor aliquis in pube, satis euidenter in circũscriptione uesicã impletã esse ostẽdens, nihilq; excernatur. Nunquid plane constat aut excretoriam urinæ actionẽ necessario resolutã, aut urinæ fistulam esse constipatam? In primis igitur considerandum est, num fieri potuerit, ut resolutæ facultatis nomine id acciderit, si prius meminerimus, quomodo per bonã ualetudinẽ uolentibus nobis urina excernatur. Musculus enim ceruicẽ uesicæ circumdans, ab actione quiescit, fungente tum uesica suo munere, musculi autẽ actio, uoluntatis nostræ imperium imitatur. at uesica naturaliter agẽs, uoluntati haudquaq; obedit. Namq; in cõmenta-

ijs De naturalib. facultatibus iam declaratum est, in omnibus ferè corporis particulis esse uim qua excrementa secernantur. Hęc quamuis semper ipsis asit, non tamen utuntur ea, nisi cum urgentur excrementis. Quæ si aliquando fuerit affecta, fieri potest ut urina supprimatur. Verum si hominē ita figuraueris, ut decliuis sit ceruicis uesicæ positus, ac manibus tumorem præter naturam compresseris, expelletur urina. Quòd si ita nihil profeceris, à causa qua resoluta uis esse putabatur desistere, atque urinæ fistulam constipatā esse suspicari oportet, quippe musculus ei circundatus, si resoluatur, ipse non cohibitæ, sed præter uoluntatem emissæ urinæ causa est. Itaq; quot modis contingat urinæ meatum (quem urethram, id est urinæ fistulam uocant) stipari deinceps considerandū est. Equidem B tres in uniuersum esse censeo. Aut enim corpus ipsius in tantum tumorem præter naturam attollit, ut meatus inde occupetur. Aut aliquid ei præter naturā, ut uel caruncula, uel callus innascitur. Aut à re quapiam obstruitur meatus. Corpus ipsius ad insignem tumorem attollitur, si uel inflammatione, uel scirro, uel abscessu, uel alio quouis tumore fuerit affectū. In meatu caro quidem oritur, si præcesserit ulcus; alia uero res longo temporis spacio ex crasso lentoq; humore paulatim nasci potest. Obstruitur meatus, uel à lapide, uel grumo, uel pure, uel crasso lentoq; humore. Igitur hæc omnia distinguere oportet, non solum ex præsentibus accidentibus, sed etiam ex ijs quæ præterierunt. Age igitur subijciamus ut puer laboret: apparuerint uero antea lapidis indicia, urina quidem aquę similis, in qua subsident sabulosa quædam, ipse insuper assidue pudendum scalpat, idq; uel laxum, uel intentum præter modum, postea urina de repente supprimatur, nunquid optima ratione conieceris, huic lapidem in uesicę ceruicem incidisse? Itaq; supino figurato puero, ut crura reliquo corpore sint sublimiora, multifariam ipsum cōcuties, sic em̄ feceris, ut lapis ex meatu recedat. Quibus peractis, iube ut puer urinam reddere tentet: id si bene successerit, profluatq; urina, præter exactam causæ notitiam, curationis quoq; modū inuenisse te haud dubia erit coniectura: Quòd si nihilominus urina supprimit, rursus concute, sed uehementius. atq; si sic quoq; permanserit, tum demissa ænea fistula (Græci catheterem uocant) simul & lapidem à uesicæ ceruice repelles, & urinā euocabis. At nulla lapidis nota retentam urinam præcedente, si sanguis effluxerit, par est, ut grumus urinæ fistulam obturet. At fieri potest, ubi ulcerata est uesica, ut paulatim in ipsa grumus concrescat, uel non præcedente sanguinis fluore. Accidit autem ut sanguis ex renibus per ureteras in uesicam defluens, grumum efficiat. Atq; in huiuscemodi coniecturis magnus est æneæ fistulæ usus, haud secus ac cum uel pus uel crassum lentumq; humorē meatum obstruxisse suspicamur. In huiusmodi uero coniecturam ex præcedentium notitia inducimur. et em̄ siue uesica, siue renes, antea affectu aliquo laborauerint, per quē tale tantūq; pus colligi

A potuerit, ut par sit ab ipso meatū fuisse obstructū, probabiliter conijcies, hanc ob causam urinā supprimi, etiā si in parte aliqua renibus superiore fuerit abscessus, quo erupto, haud absurde pus in renes transsumptū esse putaueris. Quòd si nihil huiusmodi præcesserit, uictus rationem inquirere oportet, an in ocio educatus, multis cibis crassos uiscososq; humores generare potētibus fuerit usus. Sic etiā ubi ob carunculam aliquam ab ulcere innatā uesicæ ceruicē obstructā esse putamus, & ex prægressis ulceribus notis, & ex eo q̧ demissa ænea fistula, urina uacuatur, intelligere possumus: nam & hunc affectum aliquādo uidimus. quippe demissa fistula dolorem mouebat, in ea uidelicet meatus parte, ubi antea ulcus esse conijciebamus, fractaq; sub fistula carne, sequebantur cum urinæ excretione, & cruor & carnis fragmēta. Atq; hæc ad institutum opus proprie pertinent. Constat autem, ut paulo ante citata à nobis quæstio, dialectica duntaxat sit, quodq; nihil ad artis opera conducat. Id enim utile fuerit, ut cognoscamus meatum esse obstructum à grumo, si ita contigerit, aut lapide. At quęrere, utrum affectū esse meatum, an causam suppressæ urinæ in meatu contineri, dicēdum sit, nihil ad artem utilitatis conferre potest. Itaque Archigenem satis mirari non possum, qui non solum in huiusmodi quęstionibus multus sit, uerum etiam de ijsdem adeo obscure scribat, ut intelligatur à nemine. Igitur rursus propositum sermonem resumendo, consequentia tractemus: quomodo C scilicet tum ex præcedētibus, tum pręsentibus accidētibus, causa, cur urina reddi non posit, deprehendatur. Percussus ergo quidam in ea parte, quæ fœmen appellatur (Græci perinæon dicunt) inflammatione suborta in uulnere, urinam reddere non potuit. ac uesica ipsa, utpote plena, manifeste secundum circumscriptionem intenta uidebatur. Huic, ne irritaretur inflammatio, æneam fistulam adhibere noluimus, sed oleo infuso calida aqua souere satius esse putauimus, cumq; tribus horis sic eum tractassemus, tumorē non parum relaxato, ac dolore, ut ipsemet fatebatur, nō ita grauiter infestante, iussimus, ut urinam reddere tentaret, interim cum nos uesicæ tumorem, ad inferiores partes impellendo, sensim premeremus, iuuenis uri- D nam reddidit. Atq; in his qui sic afficiuntur, causa suppressæ urinæ, facile deprehenditur. At in alijs quibusdā non adeo manifeste dignoscitur. In quibus artificiosa coniectura ab omnibus uocata, nobis perquam utilis est, utpote quæ inter exactam notitiam, & omnifariam ignorantiā, media quodammodo putatur. Proinde fieri non potest, ut in omnibus morbis colligantur concurrentes notæ, quibus, ut empirici, id est experimenta iactantes, sentiunt, euidenter quisq; affectus discerni posit. Sed uerissimum est id quod Erasistratus dicere solebat: Oportet (inquit) hominem exercitatissimæ considerationis esse, qui uoluerit non solum affectus ipsius qualitatem, sed affectum quoq; locum probe dinoscere. Verum ut ad huiusmodi exercitationem decenter perueniamus, haudquaquam

quærendum est, an dicere oporteat, uesicæ ceruicem, si uel à lapide, uel grumo obstruatur, affectã esse, aut ipsa non affecta, actionem ipsius lædi. Igitur in huiusmodi quæstionibus ad artem omnino superuacaneis Archigenes uersari consueuit. Alij uero ultra hæc procedentes, ne lædi quidem actionem dicunt. Vt quæ fiat, musculo qui uesicæ ceruicẽ ambit, laxato, ipsa uero uesica circa contentam in se urinam contracta, concurrente comprimentum musculorum suminis auxilio. Cum itaq; & uesica citra noxam munere suo fungitur, & musculi uoluntatis imperio sic obediunt, ut superiores intendantur, is uero qui ceruicẽ circumdat, laxetur, quomodo (inquiunt) recte poterit aliquis suspicari, noxam esse actioni illatam? Quapropter supprimi urinam dicere coguntur, non læsa, sed impedita meiendi actione: tanquã arti medicinæ opem ferant, si uocabulum lædi transmutantes, impediri dixerint. Sed huiusmodi quæstiones (ut diximus) ad dialecticam pertinent, ac ad mentis exercitationem magis, quàm uel ad affectus ipsius dinotionem, uel sedis affectæ inuentionem, accommodantur. Verum ea, quam nuper proposuimus, ad institutũ opus proprie pertinet. Intelligitur autem ex ipsa, quòd in primis per artem secandi corpora accurate cognoscere oporteat, qualis sit cuiuslibet partis essentia, deinde uero & actionem, & societatem quam cum proximis habet, quæ etiam in positionis uocabulo cõprehenditur, intelligere. Quinetiam ipse quoq; partium usus ad affectorum locorum inuentionem magnifice conducit. Actio enim motus est partium, factiuus, Vsus uero omnibus insunt, uel nihil agentibus. Ergo, quod ad urinæ redditionem pertinet, excretionis actio fit uesica contracta, cõcurrente interdũ musculorũ abdominis auxilio, cum uidelicet admodum exiguam continet urinam, aut uesica ipsa infirma est, reliquæ uero partes omnes utiles sunt ad actionem: nisi enim uesica ipsa cum toto spatio sic figurata fuisset, ac ceruix ipsius tota fuisset perforata, descẽdissentq; oblique in ipsam ureteres, frustra habuisset cõprimendi motũ. Ex horũ itaq; notitia, et affectarum partium, et affectuum ipsorum notitia, deprehendi potest, non ex ea quæstione, qua inuestigatur, utrum dicere oporteat, obstructum instrumentum esse affectum, an omnino noxa carere. Haud absimilis huic est alia quæstio, & quidem de affectis iam partibus, sed quibus nondum inest propria affectio. Vocant aũt propriam affectionem, quæ separata causa, quæ ipsam fecit, adhuc permanet. Hac igitur cõsideratione rursus dicunt nonnulli, nequaquam affici caput, per eos capitis dolores, qui à bilioso humore in uentriculo contento proueniunt. eo quòd per uomitum eiecta bile, protinus capitis dolor quiescat: quemadmodum si post uomitum nihilominus permanserint, tum affici caput. Idq; multo magis, cũ similia suffusioni accidentia, oculos infestant, cumulatis in ore uentriculi excrementis. hæc enim ueluti umbras quasdam esse affectuum. In omnibus his quæstionibus plurimum occupati prẹcessores nostri, perquam pauca De affectorum locorum notitia scripserunt. Nos uero diuersa incedentes uia, exercebimus, aut (ut dixerit quispiã) instruemus studiosos, ut sedes affectas dinoscere possint. Igitur quemadmodum paulo ante propositum est, quòd intenta uesica homo urinam reddere non posset, ita impræsentiarum subijciatur, citra uesicæ tumorem urinam supprimi: ergo necesse est, cum sic retenta est urina, uel ureteras, uel renes esse obstructos. Quapropter rursus hic intueri oportet, num anteaquam supprimeretur urina, aut lapidis, aut inflammationis, aut alterius cuiuspiam mali præcesserint accidentia, neq; negligenda est uniuersi corporis dispositio, ut possimus, quoad artificiosa coniectura permiserit, distinguere, utrũ in ipsis renibus à lapide, uel crassis humoribus, fuerit obstructio, an in uocatis ureteribus (id est meatibus) qui à renibus ad uesicam protendunt. Atq; sunt quædam quẹ ad exquisitam perducunt notitiam, ueluti paulo ante dicebamus, de his quẹ affectæ essentiæ proprietatem declarant. Alia ad artificiosam cõiecturam pertinent. Vnde prolixiorẽ esse disputationem accidit, etiamsi sophistas ualere sinas, quemadmodum hoc loco Asclepiadem neglеximus, qui de urinẹ in uesica collectione (ut alibi deteximus) absurda scripserit. Porrò ea quæ de principe animæ ui scripta sunt ab ijs qui eam in corde cõsistere existimãt, omnes dissectores iam damnarunt: cum tamẽ Archigenes ab hac opinione haudquaquã dimoueri potuerit, quamuis detegeretur, cum per alia multa, tum maxime per ea, quæ in phreniticorum lethargicorumq; curatione uidentur: uerum tum sursum, tum deorsum sermones suos conuertit, ut modo hoc dicat, modo illud, nihil omnino declarans. Atq; huius generis est tertius Archigenis liber, quẽ De locis affectis conscripsit. Nos uero principem animæ uim, in libris de Hippocratis, Platonisq; placitis magna ex parte absoluimus. Proinde hac ueluti demonstrata, affectarum partium cõtemplationem perficiemus, quodq; omnibus affectis partibus, & locis cõmune est, non dialectica quæstione, sed ad artem necessaria persequar.

II Singularũ animalis corporis actionũ unam esse per quam fiant propriam particulam, medicis est in confesso. Quare actionẽ lædi necesse est, instrumẽto ipsam efficiente quomodolibet affecto. Atq; interdum facile affectus soluitur, adeo ut simul atq; opifex causa fuerit separata, ipse quiescat: interdum tanta est soluendi difficultas, ut diutius permaneat. Accidit autem nonnunquam ut efficiens causa pertransiens, non firmum in particula faciat affectum, quem Archigenes umbram affectus uocare consueuit. Veluti cum suffusioni similia quædã oculi imaginantur, collecto in ore uentriculi tenui excremẽto, unde uaporibus quibusdam in oculos subleuatis, in eos uisifica facultas incidens ijsdem imaginibus, quibus per suffusiones afficitur. Idq; maxime euenire solet ijs, quibus oculorum humor exquisite purus est, aut uisifica facultas quàm facillime sentit. Eandem ob

causam

causam, ubi sanguinis fluor, aut uomitus per morbos expectatur, huiusmodi accidentia interdum apparent. de quibus Hippocrates in Presagijs hūc in modum scripsit: Si cuipiam (inquit) in non letali febre, caput dolet, aut ante oculos obscura quædam obuersantur, si cordis dolor accidit, is bilem euomet. Ac paulopost: Quibus uero in huiuscemodi febre, caput dolet, oculi uero obscuras illas imagines non uident, sed caligatione hebetantur, aut splendentia quædam ipsis obijciuntur, ac pro cordis dolore, in alterutra parte precordia tenduntur, neque dolore, neque inflammatione infestante, ijs pro uomitu sanguis è naribus effluet. Hec est uerborum Hippocratis series, quibus docuit sæpenumero contingere, ut ab humoribus in uentriculo collectis, imagines quædā oculis obijciantur. At uero si ab humoribus in oculos nihil omnino ascendat, nullum huiusmodi accidētium euenire solet. Quemadmodum neque si uel ad aurium, uel narium meatus, uel etiam ad linguæ corpus, id quod ascendit transfertur. Vnde manifestum est, quòd oportet oculos participes fieri eius affectionis, quæ uentriculum infestat, si uidendo debeat animal errare. Cum itaq; rursus dicat Hippocrates, Quibus deiectiones biliosæ exeunt, surditate superueniente finiuntur: & quibus surditas præcesserit, desinit, si deiectiones sequuntur biliosæ: quis est adeo demens interpres, ut omittat in huius sermonis enarratione auriū affectum? Aut tum dicat nasci surditatem, cum bilis, quæ antea per aluum uacuari consueuerat, ad oculos efferatur? Igitur semper incipere oportet à læsæ actionis instrumento, deinde quærere quis sit noxæ modus, utrum uidelicet affectio permanens, an adhuc fiens, ita ut perseuerare nondum nata sit. Quòd si nunc quoque fiat, utrum causa quæ affectum efficit, in ipsa parte contineatur, an per ipsam transeat, inuestigandum est. Etenim arefacto immodice humore, quem crystalloidem uocant, perseuerans erit noxa, & essentiæ ipsius proprius affectus. si uero crassus humor in pupilla constiterit, essentia quidem nondum læditur, uerum accidentis causa in oculo ipso continetur. Sed tum per ipsum transire dicitur, cum euaporans humor consistit in uentriculo. Qui uero partem quampiam tunc solum arbitratur esse affectam, cum in essentia ipsius permanens fuerit affectio, legislatoris munere, qui patrijs nominibus propria significata instituit, fungi uidetur. Nam ubi uehemens dolor intestinum infestat, firmato in una quapiam parte dolore, ut quasi perforari uideatur, quo pacto uel nequaquam affici intestinū, aut affectum in ipso non esse quis dixerit? quamuis interdum huiusmodi dolores excreto uitreo quodam humore, uel unico temporis momēto finiantur. Neque alia ab hac doloris causa tūc credi potest, idq; ob naturale quoddam axioma, id est enūciatum, quod ex seipso ad huiusmodi dinotionem, fidem habere uidetur. Id enim quo tangente afficimur, & q̄ separato quiescit affectus, causam esse, apud omnes homines, in cōfesso est. Sic enim & ignem

A ustulationis, & gladium sectionis causam esse credimus, atque de singulis alijs similiter dicendum est. Ergo uacuatum humorem, infestantis mali causam fuisse, quo tempore in particula continebatur, putandum est. Sed an ob id quod uehementer infrigidat, aut calfacit, aut in totum per intemperaturam locum afficit, aut quia per continuas partes transit, eas ad excretionem ui quadam excitans, aut ob flatuosum spiritum ab eo exortum, qui continentem partem extendere potest, aut quia uiolenter impactus est, aut quia erodit, & mordet, nondum ex euacuationis ope manifestum est. quippe id solum constat, quod cum continebatur, molestiam inferebat. Igitur non solum putare oportet, huiusmodi humorem esse causam B doloris, uerum partem quoq; in qua continetur, tantisper esse affectam, quoad ob humoris præsentiam dolore cruciatur. Sic etiam affici aliquem dicimus, cum aliquid extrinsecus incidit, uel calfaciens, ut ignis: uel refrigerans, ut nix: uel contundens, ut lapis: quo separato protinus finitus fuerit affectus, nemine propter hoc dicente, partem non fuisse affectam, quòd in ipsa nulla sit derelicta affectio. Igitur hoc uno supposito, quod & nomine affectus & uerbo affici ad hunc modum utamur, ita dicendis animum adhibe, quò utilitatem, tum in præsagio, tum in curationis ratione consequaris. Quippe nonnunquam à causa quapiam oritur affectus, sed ita oritur, ut separata causa, haud quaquam permanentem habeat affectionem. in- C terdum autem partim iam factus est, partim etiam dum fit. Sæpenumero, quanquam fieri desinit, ablata causa, perseuerans tamē manet affectio. Veluti in dysenteria, mordax humor causa est affectus, utpote qui ab initio & absterget, & abradit, dein temporis tractu ulcerat intestinū. Quòd si anteaquam ulcus induxerit, in intestina influere desinat, affectus ipse nondum dysenteria dicetur. Si uero ulcere præoccupet intestinum, quamuis humor finiatur, non tamē simul finitur affectus. Neque est quod in præsentia sermone ex minuratim coaceruatis contexto, quem soriten, id est acerualem uocant, moueamur. quippe multa ad uitam haud inutilia, communem ex ipso sortiuntur dubitationē, de quibus priores, tum medici, tum D philosophi, locuti sunt. proinde superuacaneum esset ea nunc percurrere: mihi præsertim, qui proposui hanc ipsam artis particulam ostendere dubiam. Quòd enim tempore ad affectuum generationem sit opus, inter omnes conuenit. An uero quemadmodum cum domus fit, non dum est domus, sed in summa, domus fiens: Ita quilibet morbus in quo tempore fit, fiens est, nondum uero existens, haud ab re quæritur. neq; enim omnium quæ fiunt, eadem ratio est. quippe res similares, nullam naturalē figuram habētes, protinus ab initio eadem constant essentia: dissimilares uero, & quibus uaria est forma, essentiam generatione posteriorē habere possunt. Neq; enim cū domus construitur, simul fiunt fundamēta, parietes, fastigium, tegulæ, ianuæ, fenestre, ex quibus omnibus

quodammodo compositis, atq; in unam formam redactis, domus ipsius essentia cõposita est. Morbus uero & calidus & frigidus & humidus & siccus, protinus ab initio, cum primum corpus temperaturæ, quæ bonæ ualetudini debetur, limites excesserit, eandem sibiịpsi naturam habet. Quamuis enim interdum adeo sit exiguus, ut neq; à nobis cognosci, neq; laborantium sensu percipi possit, nihilominus tamen propriam habere speciem censetur. Haud aliter inflammatio quoq; in quacunq; animalis parte constiterit, siue maxima, siue minima fuerit, unus atq; idem erit affectus, nõ specie quidem, sed magnitudine uarius. Cæterum q posśint aliquæ affectiones in corpore consistere, adeo exiguę ut non appareant, argumẽto est gutta longo temporis tractu saxum excauans. de qua recte carmen hoc proditum est:

Mollior assiduis saxum cauat ictibus unda.

Neq; enim uel unus, uel duo, uel tres, uel quatuor aquæ ictus, saxum ferientes, ac ne centesimus quidem, sensibiliter uidetur saxum excauare. Neque etiam fieri potest, ut primo nihil efficiẽte, alter aliquid faciat. quippe qui habet eandem, quam primus habuit, ad saxum rationem. Ergo si secundus ictus in saxum quippiam effecerit, ipsum à primo ita mutatũ fuisse necesse est, ut non omnino idem, quale ab initio fuerat, permãserit. Etenim si ipsum undiquaq; idem permaneat, atq; agens quoq; in ipsum causa, nempe aquæ stilla, necesse est, quemadmodum à primo ictu non affectum est, ita neq; à secũdo. quod si fateare, neq; tertius quoq; ipsum afficiet. quippe de omnibus eadem ratio est. haud secus de quarto, & quinto, & reliquis deinceps omnibus, dicendum est. Etenim quoad eodem modo se habente saxo, eadem quoq; causa accesserit, nihil amplius efficietur. Quòd si à millesimo ictu, sensibilis uideatur in saxo concauitas, ad singulos ictus, affectus in saxo nunc primum sensibiliter apparẽtis, millesima pars referenda est. Cum itaq; causæ agunt in corpus, species affectus ab initio est eadem, tamen ob exiguitatem non apparet. At uero huiusmodi affectus qui adeo sunt exigui, separatis causis facientibus, illico finiuntur, natura uidelicet ipsos sanante. Quippe illi duntaxat externo egent auxilio, quos ob magnitudinem natura uincere non potest. Igitur eadem quoque ratione, cum primũ mordax humor, aliquod intestinorum eroserit, quamuis id quod factum est, nondum uideatur, nihilominus affectio ipsa sub dysenteriæ specie comprehenditur. Sed ut natura, parua quædam ulcera, quæ nonnunquam eueniunt, ita & intestinorum abrasiones, nullo adhibito medicamento, sanare potest. Hac ergo ratione, falsum omnino est quod à quibusdam dicitur, Nullũ per huiusmodi symptomata, in corpore relinqui affectum. Quod si uerum esset, tamen intestina tum fuisse affecta haudquaquam negandum est, cum ab acredine excremẽtorum ipsa rodentium dolor notatu dignus euenire percipiebatur. Hoc igitur ad omnia quæ posthac dicturi sumus, ueluti elementum quoddam, obseruare debetis. Sitq; hoc initium uiæ, qua inueniri debent sedes affectæ: Nullam actionem lædi, nisi pars, quæ ipsam facit, afficiatur. Si enim cum uel dolor uel tumor aliquis eam infestat, omnino affici dicitur, multo magis eam affici, læsa actione fatendum est. Atque iam supradictum est, quod ab excrementorum natura, affectæ sedis coniecturam facere possumus. id uero bifariam fieri cõstat, uel ab excretæ essentiæ proprietate, uel ab his quæ in ipsa parte continentur. Similiter diximus, ab innatis interdum rebus, de locis affectis coniecturam sumi posse. Sunt autem & hæc ex accidentium quoq; genere, quæ quidem non mediocrem habent inter se differentiam, sed de his postea explicabimus.

III Nunc uero rursus ad principium sermone reducto, in singulis partibus tentemus inuenire notas, affectus earum indicantes, tum eos qui in ipsarum essentia consistunt, tum illos qui ipsis ueluti instrumentis accidunt. Rursusq; in utrisque separemus & discernamus à factis iam affectibus, eos qui etiamdum fiunt, & qui nondum pertinaciter inhærent. Item causas quæ in affecta parte continentur, ab ijs quæ ea tanquam uia duntaxat utuntur. Quod uero ex ijs alij componantur modi, satis constat. Præterea distinguere oportet eos qui per consensum accidunt, à proprijs: nam magis proprium fuerit idiopathiam, id est proprium affectum, quàm (ut medici solent) protopathiam, id est primarium affectum, nominare, ueluti ex aduerso diuiso affectu per consensum à proprio. Ergo qui proprie uocabulis uti uoluerit, primogenio quidem affectui secundarium aut posteriorem opponet: ei uero qui per consensum infestat, proprium. Quanquam sæpenumero contingere potest, ut aliquis simul & per consensum, & propria affectione laboret, cum in affecta particula permanens fit affectio. Neq; enim primario, sed secundario & proprie, ipsam tum affici dicemus. Id uero haud obscure in partibus externis uideri potest, quemadmodum in corpore pleno, oborto ingenti glandularum tumore ab ulcere, cum inductum fuerit ulcus cicatrice, permanet etiamdum glandularum tumor, uel in suppuratam inflammationem transiẽs, uel durum tumorem, quem chœrada, id est strumam appellãt. At nemo primarios dixerit huiusmodi morbos, qui ob aliũ præcedentem euenerunt, quippe per consensum facti ad huiusmodi permutantur idiopathian, perinde ac si protinus ab initio protopathia, id est primaria affectio, ipsis accidisset. Cæterum in præsentia non inutile fuerit, meminisse eorum quæ in libro de medicis nominib. diximus, ubi de significatis est sermo, quæ pessime à recentioribus tũ medicis, tum philosophis confunduntur. Maxime enim proprius usus uocis affectus, est actionis uoci oppositus. Quippe id agere dicitur, quod ex seipso motũ obtinet. Affici uero, quod motũ habet ab alio. Cũ itaq; duo sint motus genera, alteratiõis, & latiõis, ubi ad permanentem affectionem alteratio peruenerit, sitq; affectio scilicet præter naturã, morbus appella

appellatur; quamuis per abusionem interdũ eandem morbi affectionem nonnulli affectum nominent. qui si more Græcorum patrio nomine uterentur, partes ipsas potius affici dicerent, cũ motũ sustinent præter naturã, cum uero affectiones habẽt præter naturã, si proprie quis loquatur, ægrotare eas potius, quàm affici dicet: quòd si ab usu recesserit, non solum ægrotare, sed affici quoq; dicere poterit. Equidem quod semper dicere consueui, nunc quoq; dicam; quòd in ea doctrina, qua de arte quapiam agitur, satis est si quis uocabulũ atq; significatum eius, pro doctoris uoluntate proferens, procedat deinceps ad rerum enarrationem. Admonui autem nunc significatorum, eo quod nonnulli non solum patriorum uocabulorum significata peruertunt, uerumetiam eos qui recte ipsis uti tentant, calumnia prosequuntur. de quorum numero sunt hi quoq;, qui dicunt, interdum læsa actione, partem ipsam non lædi, eo quod non dum permanentem habet affectionem: ueluti ubi propter humores in uentriculo contentos caput dolet. Quòd si commutata ratione, de nominibus certare desieris, magis proprie interpretando dices, affici quidem caput quando uentriculo consentit: ægrotare uero, cũ proprio affectu laborat. Similiter uentriculum affici quidem cum à uitiosis molestatur humoribus: ægrotare uero, aut per propriam intemperiem, aut cum inflãmationem, uel ulcus, uel abscessũ habet præter naturã. Quòd si omnino accuratiori scrutinio uolueris huiusmodi quæstiones enodare, interdum simul atque alimenta fuerint corrupta, coctionis quoq; actionẽ lædi dices: interdum hanc quidem non lædi, illa uero esse uitiata. Quippe corruptionis ciborum tres primæ, ac ueluti generalissimæ sunt differentiæ. Vna quidem fit per proprios uentriculi morbos. Altera à uitiosis humoribus in ipsis accumulatis. Tertia ab alimentorum qualitate inducitur. Hæc igitur cum suapte natura, uel nidorosa, uel acida, aut fœtori, aut putredini, aut omnino corruptioni fuerit obnoxia, aut ex præparationis modo ad huiusmodi dispositionẽ aliquam deducta, certum est ea in uentriculo corrumpi, atq; hoc modo cruditatem fortasse fieri dixeris. Sed oritur protinus discordia, nunquid afficiatur tum hæc concoquendi facultas. Quippe nonnulli per huiusmodi cruditates eam haudquaquam affici contendunt. Alij uero è contrario. Atque inuenitur tertia quoque secta, eorum qui huiusmodi alimenta incocta manere negant, quamuis ea solum non concocta esse fateantur. tanquam non sit idem, per negationem aliquid enunciare, aut per priuatoriam uocatam à dialecticis dictionem. Idem intellexisse Erasistratum puto, cum uinacea & sesama, & reliqua omnia quæ omnino incorrupta & non immutata deijciuntur, nullam dixit indicare in animalibus factam esse cruditatem, sed hoc ipsum duntaxat, quod non essent concocta.

IIII Quare in his nos diligentiores esse conuenit, menteq; adhibita, diiudicare quæ quæstiones tanquam logicę, prætermittendæ sint: contra, quę

A ad affectę sedis notitiam conferant, atq; idcirco accuratius tractari debeant. Hinc enim & id quod futurum est, præsagire, & affectum iam factum decenter curare poterimus. Itaq; sine cõtentiosis nominibus, ex rebus ipsis utilitatem consequi licet hoc modo: Esto ut quispiam mane exurgẽs dicat, nidorosum se ructum emittere, aut aliquid huiusmodi, ut ab ouis frictis, aut alia quapiam re fœtente, & putri. Ille itaq; qui nidorosum ructum percepit, fateatur se à cœna placentam nidore plenam comedisse, quales sunt quæ ex oleo & itrijs & alijs huiusmodi præparantur. Alter uero confiteatur fricta oua ingessisse, atque nunc illorum nidorem eructare. deinde alius complures radiculas comederit, ut fœtens putrisq; exeat ab eo ructus. Igitur

B cibos in ijs non bene fuisse concoctos nemo negat, quamuis ex hac re uẽtriculus haudquaquam fuerit affectus, neq; etiã, quod ad ipsius rationem pertinet, circa actionem errauerit. haud aliter q̃ ubi quis integros uinaceos per aluum deiecerit. Si enim humani uentriculi officium esset uinaceos transmutare; accusaremus ob hoc uentriculi corpus ipsumq; uitiatũ esse putaremus. Cum uero id sui muneris non sit, sed uinaceorum essentiæ accidat, ut cõcoqui nequeãt, haud ab re dicemus, hos quidem non esse concoctos, uentriculi uero corpus naturaliter sese habere. Quippe hoc & nosse, & definire ad medicum haud inutiliter pertinet. Sed quærere, an dicendum sit actionem ipsius per huiuscemodi excrementa fuisse læsam, an contra,

C ad medicæ artis opera superuacaneum est. Age rursus, ut quispiam nidorosum ructũ emittat, qui tamẽ nihil nidorosi cibi comederit, nimirum huic igneum quendam calorem in uentriculo esse dicemus. Ac deinde rursus distinguendo inuestigabimus, utrum ab intemperie corporis ipsius uentriculi hoc eueniat, aut à flaua bile, eaq; uel in ipsius spatio contenta, aut in tunicas, ita ut uix abstergi possit, imbibita. Ac ne hic quidem consistemus. Nam quærere oportet, an iecinore male suo officio fungente huiusmodi humor accumuletur, an is ex uniuerso defluat corpore, an etiã in ipsomet gignatur uentriculo. Hæc sunt cognitu perquam necessaria, sed quæ uiro indigent exercitatæ considerationis, qui res ipsas potius quàm nomina qui

D bus explicãtur scire studuerit. Vt enim corruptionis species causam efficientem aperte indicat, ita ipsius causæ generationem præfinita indicatione inuenire est difficile. Igitur si in uentriculo cibi nõ suapte natura in nidorem transmutãtur, efficientẽ causam calidam: si uero saporem acidum referũt, eam frigidã esse necesse est. Sed non protinus constat, utrum intemperies aliqua, an uitiosus quispiã humor, uentriculi corpus infestet. Proinde distinguendum est, dareq; oportet cibos qui suapte natura modo corruptionis quàm maxime aduersentur, ut panem aut alicam (si contigerit) illis qui in nidorem transmutare cibum consueuerunt: mel autem, his in quibus acescit. Deinde considerare excrementa, tum ea quæ uomuntur, tum quæ per aluum deijciuntur, num humor aliquis,

cum illis quidem bilioſus & calidus, cum his uero
pituitoſus ac frigidus ſimul excernatur. an nullo
uacuato humore, ipſa exiguam quādam mutatio-
nem habeant, Quippe ubi igneo calore uentricu-
lus infeſtatur, panem aut alicam ſine humore deij
ci uidebis, perquam exigua in ipſis facta tranſmu
tatione. Quod ſi humor quoq; deijciatur, qui ci-
bum corrumpere poſsit, uidentur cibi huiuſmodi
humore imbuti, & ab ipſius actione manifeſtius
alterati. Id quod uomitione clarius diſcernitur,
ſi laborans ſuapte natura facile uomere poſsit. Nā
cogere eum qui uomere non poteſt, incōmodum
eſt. Atq; hæc ita deprehenduntur, ſi in ſpatio uen-
triculi noxius humor contineatur. Si uero in tuni-
cas ipſius imbibitur, ut ad calidum nauſea, & ſitis
uehemens conſequitur, ita à frigido ciborum cu-
piditas excitari ſolet. Verum conſiderare opor-
tet, utrum illæſum ſit hepar, an affectu quopiam la
boret, & qualis ſit ipſius affectus, utrum calidus,
an frigidus. Haud ſecus de ſplene quoq;. quippe
ex horum omnium cōſideratione, ſimul cum quo
tidiana ciborum potionumq; experientia, exqui-
ſite poterit quis inuenire non ſolum locum affe-
ctum, ſed etiam ipſius affectionem. Hęc autem no
titia eſt utilior, quo facilius curationis ſpecies per
ipſam figuratur. Etenim calida affectio, ubicunq;
fuerit, ſemper refrigeranda eſt. Sed quo uſq;, aut
quomodo, aut qua materia refrigerare cōueniat,
locus affectus coindicat. Igit̃ ſi idipſum quod mo
leſtat, nihil aliud fuerit quàm intemperatura, cali-
dam refrigerando, & frigidam calefaciendo, illico
iuueris hominem. Neq; nudam duntaxat opinio-
nem, uerumetiam ſcientiam & quidem haud ob-
ſcuram, ſuſceptæ habebis coniecturæ, idq; multo
magis, ſi utrinq; ipſam examinaueris, refrigeranti
bus tum medicamentis, tum uictus ratione, uiden
do hominē ſanari, à calorificis uero lædi. Quod
ſi humor quiſpiam in ipſis uentriculi tunicis conti
neatur, nauſea quidem uexabit, ſed inanis, & ſine
uomitu, & quæ irritat dūtaxat, nullum humorem
euacuās, quemadmodum fieri ſolet, ubi ſecūdum
internam ſpatij latitudinem, in uentriculo humor
continetur. Cæterum ructus ab alijs acidi, ab alijs
nidoroſi emittuntur. Auxiliatur autē illis quidem
medicamentum ex tribus piperis generibus inſti-
tutum, aut aliud, quod huiuſmodi habeat faculta-
tem, ex aqua uel uino epotum. His uero, tum ab-
ſinthium, tum hiera ex aloe facta, quam nonnulli
picram quoq; appellant. Igitur ſi per primam pro
tinus experientiam, à familiaribus medicamentis,
in utroq; humore, manifeſtū uideatur auxilium,
ſimul habebis & notitiam artificioſam, & modum
curationis. ſi enim ipſis uti perſeueraueris, homo
ſanitati reſtituetur. Quod ſi à ſolitis auxiliari medi
camentis, utranq; affectionem noxa cōſequatur,
deceptum te circa notionē inuenies. Quippe cer-
tiſsima omnium huiuſmodi affectionum notitia,
ab his deprehenditur, qui intelligunt, quibus quę
libet præſidijs, ad bonam ualetudinem duci poſ-
ſit. Sic equidem quoſdam colicos uocatos ſanaui,
dato in potu medicamento ex aloe, quippe conij-
A ciens, mordacem humorem in affecti inteſtini tu-
nicas imbibitum eſſe. Dedi autē hoc medicamen-
tum, eo quod ſcirem omnino ab ipſo huiuſmodi
affectionem fore quietiorem, quod ubi contigit,
intelligens recta me ductū coniectura, rurſus plus
ipſius exhibui. Sed quid me ad hanc coniecturam
promouerit, operæpretium fuerit enarrare. Vidi
hominem à calidis, tum cibis tum medicamentis,
atq; ab omni calorifica uictus ratione irritari, rur-
ſus iuuari ab alimentis boni ſucci & temperamen
tum inducentibus nominatis. Inſuper inediam ei
noxam referre: doloris uero ſpeciem percontanti
mihi, mordacem eſſe, reſpondit. qua de re multo
magis ſperans ad ueram me perueniſſe notitiam,
auſus ſum amarum ei medicamentū exhibere. Po
B ſtremo conſpiciens hominem mirifice adiutum,
quæ eſſet affectio, efficaciter me deprehēdiſſe pu-
taui. Fuit alter quem cibi concoctu faciles irrita
bant. hic de præcedentibus interrogatus reſpon-
dit, ſe in hanc deductum affectionem, ſumpto pur
gante medicamento. Rurſus interrogans, quid ip
ſum ad ſumendum medicamentum promouiſſet,
intellexi mordaces, edaceſq; dolores, multo tem-
pore uentriculum infeſtantes, fuiſſe in cauſa. con-
iectans itaq; uitiatum fuiſſe à purgante medica-
mento inteſtinum, ac diſpoſitum ad fluxiones, ut
facile reciperet ex hepate redundantes humores,
qui deinde corrumperentur, cibum exhibui haud
ita facile corruptibilem, & aſtringentem, unde &
mordaces dolores mitigati ſunt, & nihil poſtea ex
C creuit, cum antea protinus, ut mordacitatem ſen-
tiebat, corrupta quædam, & liquida, & fœtentia
excernere cogeretur. Cumq; multo poſt mordica
tionem tempore ea deijceret, ad ſuperiora inteſti-
na affectionem ipſam pertinere conieci. Ita in alio
quoq;, ubi celeriter à mordicatione ſequebatur ex
cretio, affectionem ad inferiora retuli inteſtina.
Hunc igitur iniecto per clyſterem medicamento,
illum uero dictis iam cibis exhibitis, ſanaui. quip-
pe certo ſciebam quod proximę uētriculo partes,
exhibitis ſuperne, tum cibis, tum potibus: quæ ue
ro nō ita multum à ſede diſtāt, inferne iniectis me
dicamentis, promptius adiuuarētur. Cæterum nō
ſolum an uētriculus aut inteſtinorum aliquod affi
ciatur, uerum etiam quis affectus urgeat, conſide-
D randum, atq; diſtinguendum quænam notæ affe-
ctibus propriæ ſint, quænam partibus affectis. ut
concoctio ſublata, uentriculi eſt accidens. at cibo
rum ad nidoroſum uel acidum ructum cōuerſio,
ad cauſas & affectus ipſos referēda eſt. Sic autem
de inteſtinis & tempus exitus, & excremētorum
ſpecies, atq; accidentium differentia, cum ijs quæ
præceſſerunt, & nunc adſunt, ſimul & affectū ip-
ſum, & partem in qua conſiſtit, oſtendere poſſunt.
Ergo age ut per uentrem deijciantur, aliquando
quidem cruſtæ, aut ueluti membranarum raſura,
aut cruentum aliquid, ac aliquando ſimul omnia,
inteſtinum ulcere affectum nemo dubitauerit. At
uero utrum in exilibus inteſtinis, an craſsis ulcus
conſiſtat, nondum manifeſtum eſt. Sed, ut nuper
dicebamus, & ex raſura, & exitus tempore, &(ut

tertium

tertium addatur) ex mistione cum stercore, ut modo magis, modo minus, interdum nequaquam misceatur, distinguere oportet. Quippe infimarum partium ulcera, nullas omnino ulcerum habent notas, alui excrementis admistas. earum uero partium, quæ paulo altius collocatæ sunt, mistas quidem cum stercore habēt notas, sed id leuiter duntaxat, Quemadmodum si multo sint altiores, uehementior erit mistura, præcipue uero in supremis intestinis, ulceris notæ uehementer stercori uidentur admistæ.

V Porrò accidit sæpenumero, ut ex uno indicio, simul & locus, & affectio deprehendantur. aut locus, unà cum causa. Veluti locorum notæ, & ab actione læsa, & excrementis, & positu, & doloris proprietate, & proprijs accidentibus sumuntur. Affectuum uero, & ab excrementorum specie, & loci natura, & doloris proprietate, & proprijs accidentibus. Sanè actio læsa, affectam partem indicare potest, & quidem hoc modo. si enim accidens aliquod circa cernendi officium euenerit, oculum affici constat, uerum an proprio affectu, an per consensum, aut utroq; modo laboret, alia consideratione inquirendum est. Excrementorum species, affectā partem indicat, ueluti iam antea dictum est, & per partium ipsius essentiam, & per cōtenta in ipsa. Ac positus quoq;, affectam partem nimirum commonstrare sufficienter potest, quippe durus in dextra præcordiorum parte tumor, non lienis, sed iecinoris affecti, nota est. quemadmodum si fuerit in sinistra, non hepatis, sed splenis affectum portendit. Ac positus interdum, ubi similiter se habent excremēta, affectam partem coindicat. Si enim membranosæ tunicæ frustulum excernatur, id ulcus esse alicubi ostendit, uerum in qua sit particula, ex positu discere poteris. Nam si uomēdo fuerit reiectum, aut gulæ, aut uentriculi: si tussiendo summi gutturis, aut asperæ arteriæ: si screando, faucium: si cum urina, eius fistulæ: si à sede, alicuius intestinorum: si per mulieris pudēda, uteri affectum portendit. At uero constat, quòd singuli dolores, pro positus uarietate, affectum locum ostendere possunt. Hoc etiam pacto, ea quę supra proposuimus distinguere oportet. Quippe apparentibus per uomitū ulceris notis, animaduertendum est, utrum anteriores partes circa præcordia, aut posteriores circa dorsum, dolor aliquis infestet. Etenim qui in anterioribus percipitur, uentriculum, qui uero in posterioribus, gulam occupare censetur. Haud aliter os uentriculi, à spatio ipsius distinguendū est, si deuoratis quibusdā acribus, hoc quidem in ore uentriculi, aut in parte inferiore mordicationem excitet, illud uero in transitu per thoracem. Omnia enim hęc positu definiuntur, quemadmodum alia ex doloris specie. Verum de doloribus latius in secundo libro dicemus. Sed nunc exemplum aliquod afferre, operæprecium uidetur quomodo scilicet locus, ex proprijs affectus accidentibus innotescat. Nam suprà diximus, singula quæ ulceribus adnascuntur, propriam ostensionem habere, id uero in præsentia subijciēdum est.

A Ore quidem uentriculi affecto, fastidium infestat. per hepatis uero imbecillitatem, excrementa per aluū deiecta, aquæ in qua carnes nuper mactatæ, ablutæ fuerunt, similantur, item maxillæ rubræ apparent in peripneumonicis. Quinetiam propriæ affectuū ipsorum notæ, in excrementis deprehenduntur. ut crusta, ulceris. si in urina sabulosum resi det, lapidis. cucurbitæ uero seminibus similia excremēta, latorum uermium indicia sunt. Atq; à locis ipsis, morborū indicia sumuntur, eo q; quibusdam solis morbus hic accidat, quibusdam uero solis nunq; eueniat. Quippe soli oculi suffusione laborant. Lapis in renibus, & uesica duntaxat nascitur, atq; (ut nonnullis placet) etiam in colo. Lum-

B brici in intestinis gignuntur. Rursus impossibile est ut abscessum cor sustineat, quemadmodum neque pulmo, neq; ligamenta, dolorem. Ab accidentium quoq; proprietate, affectuum indicia oriuntur. Nam quibusdā per tabificos morbos ungues adunci euadunt. Intempestiuus rigor cum febre, inflammationis ad suppurationem transeuntis, indicium est. Lingua nigricans, ardentē febrim portendit. Sic etiam coloris in uniuerso corpore proprietas, alia quidem per hepatis, alia uero per splenis affectus apparet, ita ut doctum medicū haudquaq; possit fallere, sicut ne color quidem quem hæmorrhoides induxerunt. Cæterum paucæ admodum sunt ipsorum affectuum notæ, quæ non simul locum affectum ostendant. Etenim ut actio

C num noxæ, affectam duntaxat particulam, ita earum differentiæ, ipsius affectum declarant. Hæc ergo sola sunt affectuum propria signa, quæ per accidens ipsos sequūtur, id uero clarius in uniuerso huius operis discursu patebit. Necnon uidebuntur communes quoq; notæ, quæ simul & affectum, et sedem affectam, aut duos affectus, aut duas particulas indicare possint.

VI Huic itaque libro in præsentia finem imponere statui, si de proprijs affectibus, & ijs qui per consensum eueniunt, aliquid addidero, admonens in primis quòd affectus, qui à reliquis medicis primarij uocantur, equidem commodius proprios affectus appellauerim, quanquam nihil refert, si eos primarios nominare uolueris. Quip-

D pe satius est rerum differentias intelligere, quàm contendere de nominibus. Sanè cum uel uapores uitiosi, uel ipsi quoque humores à uentriculo ad caput ascendunt, & mens læditur, primogenio quidem affectu tum cerebrum laborare, dicet nemo: quanquā omni affectu carere ipsum, haudquaquam defendi potest. Verum quod per uerbum consentire de illis ipsis est in confesso, id omnino uerissimum est, quippe ex hoc uocabulo (per consensum affici) partem non penitus ab affectu esse liberam, sed ipsam cum alia affici, declaratur. Atqui melius, clariusq; enarraueris, si eam partem quæ per consensum afficitur, ab altera affici dixeris. Igitur quod multi medicorum ueluti somniantes obscure intellexerunt, atq; ipsum utpote non intelligentes haudquaquam clarè enun

claue

ciauerunt, id equidem ueluti instituto operi perquam necessarium, docere aggredior, inde sumpto initio. Sunt nõnullæ actiones, quæ idonea indigentes materia, ipsam ab alijs partibus præparatam accipiũt. qua de re interdum optima ratione fit, ut nulla existente in actionis cuiuspiã proprijs instrumentis noxa, actionem ipsam perire contingat, defectu scilicet materiæ, ex qua fieri consueuit, ueluti in uoce res sese habet. Nã in libro quem de ipsa cõscripsimus, ostensum iam est, quòd efflatus, materia quidem uocis est, & efficiũt eum contracto thorace, intercostales musculi. Igitur his nihil agentibus, animal uocem amittit, & quidem nullo interdum in proprijs uocis particulis, apparente affectu. Sunt uero huiusmodi partes, summatim quidem loquẽdo, totum summum guttur. Si uero particulatim explicare uolueris, sunt tres cartilagines, à tribus motæ musculis, quibus accedunt nerui à cerebro demissi. Est præterea in gutture summo ligula, Græci glottida uocãt: hæc maxime proprium uocis instrumentum est. Etenim cum moderate & aperitur & cõmittitur, uocem efficit, quanquã uocem reddi impossibile est, nisi uehementer spiritus egrediatur, id uero intercostales musculi perficiũt. Cecidit quidã ab alto, ita ut dorsi initium terræ illideret, is tertio die exiguam admodum uocem emisit, quarto deinde die omnino obmutuit, resolutaq; simul fuerũt crura, manibus omnino illæsis, sed neq; spiratione amittebat, neq; difficulter spirabat. Cum enim tota sub ceruice spina esset resoluta, accidit thoraci, ut & per septũ transuersum, & musculos supernos, numero quidem sex, moueretur, quippe nerui ex spinali medulla, quæ in ceruice est, ipsis adueniunt. At inter costalium musculorum nerui, per quos efflatum fieri diximus, omnes affecti erant. Cum itaq; frustra medici negocium subirent, circa crura quidem, utpote resoluta: circa summum guttur uero, propter uocis affectum, equidem id interdixi, atq; affecto duntaxat loco curationẽ adhibui. Proinde finita tandem spinæ inflammatione, à septimo die uox restituta est iuueni, & crura motionis facultatem recuperauerunt. Huiusmodi ergo noxæ speciem, magis proprie per consensum euenire dixeris, quàm ubi ab humoribus in uentriculo contentis, caput dolore tentatur, quippe per huiusmodi affectiões, eleuatur ad ipsum aliquid, sed in dictis nuper affectionibus, nihil noxium ad crura defertur. Nam contrà, priuantur ea facultate, quam antea spinalis medulla ipsis suppeditabat. Guttur uero summũ, cum uox ablata est, non omnino priuatur spiritu, quippe spirare animal per ipsum, etiamdum uidemus. At uero efflatum amittit, qui quidem fieri solet, cum affatim plurimus spiritus per summum guttur animalis foras effertur. Sed de nominibus contendere cæteris permittamus. nobis eñ res, quas illi penitus ignorant, pertractare satis fuerit. Quippe aliter dolet caput ubi contenti in uentriculo humores eleuantur, qui simul & calfacere, & distẽdere caput possunt, atq; aliter suffusorum apparent uisa quędam,

A neq; calfactis, neq; intentis oculis, sed solo uapore per ipsos transeunte. Præterea aliter affici uidetur is, cui meatus à cerebro descendẽs obstructus est. Aliter ille (quamuis huic quodammodo sit similis) cui propter spinalis medullæ inflammationem resoluta sunt crura, atq; aliter is, cui uox aut perijt, aut uitiata est. Etenim ad crura facultas quędam, sed citra essentiam, descẽdere prohibita est: ad oculos uero cum essentia: uerum ad summum guttur, quamuis materia perueniat, sufficiens tamen ipsius quantitas haudquaquam accedit. Qui uero ob intercostalium musculorum perforationem obmutuit, is totam uocis materiam amisit. Porrò quemadmodum crura per dictas spinalis medullę affectiones resoluuntur, ita etiam guttur

B summum, uocalibus neruis uel incisis, uel laqueo interceptis (Vocare autem uocales neruos consueui eos, quos ipse inueni. Nam pręceptores mei eos duntaxat qui ad arterias pertinent, cognoscebant) Cæterum ob horum quoq; uitia, uox perire solet. quoniã proprij gutturis summi nerui, quos equidem recurrentes nominare sum solitus, ipsorum essentiæ pars esse censentur. Sed cum in multas alias partes distribuuntur, magis propriam q̃ neruorum uocalium appellationem non retinẽt, quæ propria est instrumentorum uocem concinnantium. Atq; idem est modus, quo summi gutturis musculi lædunt, siue recurrentes nerui, siue hi qui iuxta arterias sunt, uitientur. utrinq; enim animalis facultas desideratur, sine qua à cõsilio, & uo

C luntatis imperio moueri non possunt. Et quidem incisis musculis, qui ligulam (id est glottida) mouent, animal penitus mutum euadit, sed neq; simili omnino modo, neq; etiã in totum diuerso, si nerui læsi fuerint. Nam utriusq; noxa hoc cum altera habet commune, quòd ligula continuitate, quam admouens principium habet, priuatur. id uero fieri solet siue neruus, siue musculus incidatur, aut laqueo intercipiatur, aut contundatur, aut quomodolibet aliter uitietur. Equidem uocem uitiatam fuisse memini, adeo ut penè perderetur, infrigidatis uehementer neruis recurrentibus, in chirurgia quadam circa collum per hyemem, quod cum intelligerem, calorificis remedijs naturalem temperaturam neruis restituens, uocem reuocaui. Cæte

D rum ut ob materiæ priuationem, perforato thorace, ita etiam aspera arteria tota incisa, uox perit, q̃ nullus supersit spiritus, qui ad proprium uocis instrumentũ transmittatur. Idem efficit, sed alio modo, laqueus collo circundatus. uerum hic non solum mutũ reddit animal, sed etiã suffocat, tollẽdo scilicet spirationẽ. Arteria autẽ dissecta, uoci quidem nocet, sed animal respiratione nõ priuat. Angina uero uocata, cum sit internarũ summi gutturis partium inflãmatio, strangulationi proportione respondẽs, respirationem tollere potest, ipsius meatum obstruendo. Idcirco uocalis instrumẽti, maxime proprius affectus est, ac deinceps externorum ipsius musculorum noxa est. Cæteras partes omnes quarum meminimus, non proprie, sed per cõsensum potius afficit. Cum itaq; ex ceruice

quidam chœradas (id est strumas) in profundo incumbentes excideret, & præ formidine ne uas aliquod dissecaret, pelliculas scalpello nõ incideret, sed unguibus euelleret, imprudens ob ignorantiã simul recurrentes neruos distraxit, atq; hoc pacto puerum liberauit à strumis, sed mutum reliquit. Quidam alius, in alio puero sectionem faciẽs, ipsum similiter semimutum reddidit, læso uidelicet altero duntaxat neruo. Mirabantur uero omnes, quo pacto neq; aspera arteria, neq; summo gutture affecto, uocem lædi contingeret, qui cum uocales neruos (me ostendente) conspicerent, admirari desierunt. Quibus igitur partibus, uel materiæ, uel facultatis copia non transmittitur, actionem lędi probabiliter dixeris, parte ipsam faciente nequaquam læsa. At uero si uel à uaporibus, uel humoribus aliunde ad ipsam uenientibus, lædatur, eam non recte dixeris illæsam. Neq; minus etiam probabile est, partem uel materia, uel facultate priuatam, lædi, utiq; si officium suum, cum hæc reciperet, secundum naturam exercere posset. Proinde ex huiusmodi in utramq; partem aggresione, dialecticorum problematum consideratio, neq; ad affectuum notitiam, neq; ad curationem, neq; etiam ad futurorum euentuũ præsagia, quicquam utilitatis afferre posse uidetur. Animaduertas ergo uelim, quomodo equidem curationem ex affecti loci notitia inuentam, quam ne attigi quidem, narrare aggredior. Occurrit mihi quidam, medicamentum tribus digitis adhibitum ostendens, dixitq; triginta iam diebus, sensificam ipsorum facultatem se amisisse, illæsa seruata motione, sed nihil præsidij ab impositis medicamentis percipere. Ego uero id quod in huiusmodi casibus facere consueui, ne tunc quidẽ obliuioni tradidi, quippe uocato medico qui digitorum curationem susceperat, interrogaui cuiusmodi remedia adhibuisset, quæ cum intelligerem ad hãc rem esse idonea, causam inuestigare cœpi, cur nullũ ab ipsis homo præsidium consecutus fuisset. inquirens itaq; quæ pręcesserant accidentia, inueni ipso dicente, neq; inflãmationem, neq; refrigerationẽ, neq; ictum præcessisse, sed ipsum paulatim sensum perdidisse. Captus itaq; admiratione, rursus interrogaui, num superiorum partium aliqua icta fuisset: ille respondit, digitos quidem non fuisse ictos, sed dorsi initium fuisse afflictum. Deinde quomodo, & quando id accidisset cum interrogarẽ respõdit, se cum Romam proficisceretur, à uehiculo decidisse, ac non multo post digitorum incepisse affectũ, quocirca cõiecturam feci, neruorum qui primi à septima uertebra procedunt, partẽ quampiã ob ictum fuisse inflammatam, ac nunc duram habere affectionem. Id uero intellexi, doctus ex arte secandi corpora, quod nerui per propriam circunscriptionem, ueluti uenæ exoriri uidentur, adeo ut unumquenq; exquisite unum esse putares, quemadmodum & uenam. Verum protinus ab origine multi sunt simul concreti, & cõmunibus uinculis quæ à cerebri membranis exoriuntur cõtenti. Ergo neruorum, qui à ceruice prodeunt ultimi exigua pars

A ad minores peruenit digitos, per cutem ipsos continentem, ac præterea per medij digiti dimidiam partem dispersa. Quòd uero cæteros medicos in maximam duxit admiratione, quod dimidia duntaxat pars afficeretur, id mihi persuasit potissimũ, eam tantum nerui partem quæ in cubito ab ipso egrediẽs in iam propositis digitis finitur, esse affectam. Igitur adhibitum ei medicamentum abijcere iubẽs, illi præcipue spinæ parti, quæ affectæ particulæ principium obtinebat, ipsum adaptaui. Secutaq; est res, ut aspicientibus uidebatur, & admirabilis, & inopinata, quòd digiti manus adhibitis spinæ medicamẽtis essent curati. Verũ affectu planè summoto orta est inter medicos quæstio, quænam sit eiusmodi neruorum affectio, ut per ipsam

B seruato eorum motu, sensus pereat. Equidem id ipsum dicebã, quod priores medici dicere solebant, quòd scilicet sensus patiendo, motus uero faciendo aliquid, fit. quapropter ut quis moueatur, opus est robore: sed ut sentiat, uel minima facultas sufficit. Cumq; recte me hunc dixisse sermonem putarent, quid igitur, inquam, num uidistis aliquando contra euenire, ut seruato sensu motus periret? Tum cęteris omnibus se nunquam conspexisse dicentibus, unus id confiteri audebat, ac nomine laborantis citato, testes quoq; adhibiturum esse pollicebatur. Ac cum hoc cum proposita oratione de partibus motis illis quidem, sed non sentientibus pugnare uideretur: (etenim quod ad illam rationem pertinet, fieri haudquaquam potest, ut perdito sensu, motus ab uoluntatis imperio prodiens

C seruetur) rursus orabant, ut causam explicarem, quamobrem utraq; appareant. Ea uero (ut planè intelligunt ij, qui neruorum dissectionem didicerunt) talis est. Omnis ab impetu prodiens motus, ad musculorum officium pertinet, quippe nullus neruorũ per se, sine musculo, ullam huiusmodi in animantis particulis actionem efficere potest, sed per musculos, omnes à consilio & uoluntate prodeuntes motus perficiunt. ad partes uero mouendas, musculi ipsi aliquando quidem manifeste perueniunt, aliquando uero per medios tendones, quos aponeuroses (quasi eneruationes latine dicas) aliqui cognominant. Atq; ex hoc genere sunt tendones, quibus digiti mouentur, haud absimiles his, qui toni ab Hippocrate nominãtur, rotun-

D di scilicet. Si itaq; musculorum neruos affici contingat, motus digitorum perit. si uero eos qui ad cutem perueniunt, tangendi sensus corrumpitur. Sed ubi tota resoluuntur membra, cum uidelicet commune principium affectum est, simul & sensus & motus pereũt, atq; tum locum primario affectum, ex læsorum neruorum multitudine duntaxat, inuenire poteris, idq; si exquisite cognoueris communia ipsorum principia, quæ in neruorum dissectione percurrimus, cum nullus ante me huiusmodi dissectionem accurate tractasset, ut pote nemine nõ plus minus errante. Igitur solus ille, qui in ipsis fuerit exercitatus, exquisite considerare poterit, in qua uertebra, spinæ medulla sit affecta, siue tota, siue altera eius pars afficiatur. Nam

A accidit, ut dextera pars duntaxat afficiatur, altera
omnino illæsa, aut è contrario, ut illa manente in-
tegra, sola sinistra affectum sustineat. Atq; hac ra-
tiõe, interdum tota pars sinistra resoluitur, dextra
parte manẽte illæsa, interdum contra dextra pars
duntaxat & afficitur, & resoluitur. Vbi uero non
affecta spinę medulla tantũ unus nerui processus
læsus est, eas duntaxat partes resolutio consequi-
tur, in quas neruus ille distributus est. Accidit em̃
interdum, ut duo, aut tres duntaxat neruorũ pro-
cessus afficiantur, cum interim spinæ medullã nul
la noxa infestet. Sic affectus erat is, qui per reli-
quas quidem manus partes omnes ita fuit resolu-
tus, ut neq; sentiret, neq; moueretur, sed in solis di
gitis sensum habebat integrum. Porrò cuidam al-
B teri, non solum ipse sensus mãsit illæsus, sed etiam
eorũ musculorũ, in quos neruorum propago sub
septima uertebra exorta distribuitur, motiões ser-
uatæ sunt. Atq; alius, ob casum ab alto, solos eos
musculos resolutos habuit, qui huius nerui partes
suscipiunt. Idem etiam in ijs duntaxat cutis parti-
bus sensum amisit, ad quas prædicti nerui ramuscu
li demittuntur. Igitur si scire desideras in qua uer-
tebra sit affectus, utrum in sola nerui cuiuspiã pro
pagine, an in spinali quoq; medulla, in neruorum
dissectione te exercitatum esse oportet, commu-
nemq; habere methodum, qua resolutos muscu-
los unà cum cute quæ sensum amiserit obserues.
nam spinali medulla in aliqua uertebrarũ affecta,
oẽs partes inferiores resoluũtur. Quòd si in altera
C parte lędat̃, altera manente illęsa, partes duntaxat
quæ illi directo respondẽt, resolutio infestabit. Si
uerò nerui radix afficit̃, reliquę partes oẽs affecto
loco inferiores, nihil afficient̃, sed solæ illæ partes
resoluuntur, in quas singuli nerui distribuuntur.
Hæc si accurate didiceris, circa resoluta membra,
relicta spinæ medulla minime occupaberis, huic
enim adhibitis remedijs, partẽ affectam curabis.
Sic etiam si non circa spinam, sed in regione illam
sequente, neruus afficitur, partim ex musculis, par
tim ex cute, quærendæ sunt notæ. Cutem quidem
facile est cognoscere, nam oculis subijcitur, Mu-
sculi uero ex actione quæ perijt deprehenduntur.
Proinde necesse est, circa musculorum sectionem
te exercites, ut cognoscas, cuius actionis quilibet
D sit instrumentũ. Sic enim duntaxat discernere po-
teris partes, quarum quidẽ actio perit, nullo mor-
bo corporalem ipsarum essentiã infestante, in qui
bus uero pręcedit morbus, uel fiẽs, uel factus. Ve
rum morborum genera & differentias omnes ex
eo didicisti libro, qui de morborum differentijs in
scriptus est, atq; similiter ex alio accidentium diffe
rentias. at de causis utrorũq; etiam separatim scri-
ptum est. In uno quidem de morborum, in tribus
uero de accidentiũ causis, in quibus exercitari o-
portet eum, qui facile uoluerit inuenire, discerne-
req; & causam, & affectum, & sedem affectã. Ete-
nim fieri non potest, ut omnia per concursum do-
ceantur, quamuis eorum, qui ab experientia empi
rici uocantur, huiusmodi fuerit opinio. Qui uero
accurate & prægressa, & præsentia cognouerit ac

cidentia, atq; sic ad curandorum morborum expe
rientiam uia & ratione peruenerit, inueniet, & lo-
cum affectũ, & simul ipsam affectionẽ. Atq; hoc
magna ex parte continget in partibus, quæ in inti
mo corpore cõstituuntur, ueluti paulo ante de his
qui sensum & motum perdiderunt, ostendimus.
Atq; nõ ab re fortasse fuerit narrare quædam quæ
iam facta fuerunt, cuiusmodi hæc sunt. Puer anno
rum ferè sex, inuitus, per aluum excrementa deij-
cere incepit, resoluto derepente circa sedem mu-
sculo. Quinetiam seni quondam huiusmodi eue-
nit accidens, atq; rursus alius puer, ætatis ferè an-
norum quatuordecim excrementa inuitus per al-
uum deiecit, infestante simul uesicam dolore: atq;
alteri urina quoq; fuit suppressa. Contrà, alius uri-
nam inuitus excreuit, atq; alius nõ solum urinam,
sed alui quoque excrementa inuitus deiecit. In ijs
omnibus, ea quæ præcesserunt, scrutari oportet.
Nam in totum aut refrigeratam, aut ictam, ipso-
rum spinam arbitrandum est. Sed frigus quidem,
uni duntaxat affecto musculo nocet, ictus uero,
magna ex parte pluribus noxam infert. Nam per-
rarum est, ut icta spina unus afficiatur musculus,
quoniã nerui ex spinali medulla orti in plures mu
sculos diuidũtur. Sed & ubi ob ictum affectus est
musculus, si superueniens inflammatio, ob negli-
gentiam induretur, resolui ipsum contingit, quan
quam id raro accidere uideatur. At uero frigus sæ
penumero unum lædit musculum, maxime eum
qui in superficie sedis est, siue sederit quis super la
pidem frigidũ, siue in aqua frigida supra modum
fuerit uersatus. Igitur puer cuius & uesica, & sedes
lædebatur, cum in fluuio pisces uenaretur, sic fuit
affectus. Nonnullis etiam in aqua frigida natanti-
bus, itidem accidit. Hos itaq; sic affectos, curare
oportet, calorifica auxilia locis affectis adhiben-
do. Quibus uero neruorum à spinæ medulla orto-
rum quispiam fuerit affectus, ipsi spinæ adhiben-
da sunt remedia. Sæpenumero etiam ubi ab alto
loco quis cecidit, aut uehementẽ fortemq; ictum
spina subijt, inflammatio ad plures partes exten-
sa, non solum musculis, sed uesicæ quoq; noxam
intulit, quibus ob uesicæ ipsius affectũ, urina sup-
primitur. Sunt quibus non solum urina, sed alui
quoq; excrementa penitus retinentur, affectis sci-
licet intestinis. Nam ut musculi affecti, actiones à
consilio & uoluntate pendẽtes, ita & uesica & in-
testina, naturales actiões lædere possunt, eo quod
ipsis obuolutis excernuntur ea quæ continent.

VII Atq; in hac re plurimum differunt natura
lia ab animalibus instrumentis. siquidem naturali
bus cognatam actionis uim esse: animalibus uero
instrumẽtis, à principio (ueluti lumẽ à sole) ipsam
defluere, iam ostensum est. Ergo ut magneti lapidi
uis inest, qua ferrum attrahere potest, ita naturalia
quoq; instrumenta omnia, facultatem habẽt, qua
actionem suam perficiunt. Proinde si permanens
fuisset ipsorum essentia, neq; arterijs, neq; uenis,
indiguissent. uerum quia nutrimento egent, serua
req; oportet innati caloris temperiem, hanc ob
causam, & uenis indigebant, & arterijs. Sic etiam

musculi, ut essentiam suam seruare possint, non secus quam naturalia instrumenta, & uenis & arterijs indigent. At quia cognatum sensus & motus principium non habent, idcirco neruis, per quos hoc ipsis influat, semper indigent, qui illis ea suppeditare possint, quemadmodum sol omnibus rebus quas illuminat, splendorem affert. Quamobrem solis partibus, quæ & sentiendi, & mouendi uim habent: accidit, ut ipsis interdum haudquaquam affectis, nihilominus earum actio pereat. id quod naturalibus instrumentis accidere non solet. prius enim ea affici necesse est, quàm actio lædatur. Quin & animalibus instrumētis omnibus,

A naturalis est distributio: quippe & arteriarum, & uenarum adminiculo indigent, ad essentiam ipsorum seruandam. Ideo accuratissime intueri, ac discernere oportet, quæ accidētia eis, ea ratione qua aut naturalia, aut animata sunt, soleant euenire. ueluti alterari (ut ita dicam) à uicinis, ipsis, ut naturalibus: alterationem uero sentire, ut animatis, euenit. Sic oculis quoq; sæpenumero contingit: Nam uapores à uentriculo elati, ipsos omnino alterant: uerum tam exigua alteratio non ab omnibus sentitur, nisi syncerissimam habeant sensificam facultatem. uoco autem syncerissimam, quæ minimas quasq; res cernere potest.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI II.

Cap. I. alias Procemium: tres modi exercendi ingenij circa notitiam locorum affectorum: Circa locos & singulas corporis partes: Circa causas & affectiōes: Circa symptomatum differentias. II. De his quæ ab Archigene scripta sunt, putāte ex doloris specie sedem affectam posse discerni. Et primū de dolore stupido: Quod stupidus dolor nō appellandus sit, sed doloris aliquando stuporisq; concursus fiat. Stupide pulsare quid, & dolor pulsatorius. De pleuritide, & quomodo dolor in ea diaphragmati cōmunicetur. Dolorum aliæ species, ut distendens, & qui ab inæquali intemperie fit. Doloris genera duo, unum ab alterata temperie, alterum à soluta continuitate. De inflammatorio dolore, in quo simul & intemperies est partium & tensio. Dolor perforans, qualem ipse sensit in uentre, cum paulo post mieto oleo rutaceo humorem uitreum excreuit. Colici dolores, & quomodo distinguantur à renum affectibus. Mordicantes dolores. Dysenteria. Dolor punctorius, ut in pleuritide. Hæmodia. III. Quod ea quæ ab Archigene dicta sūt, aliqua uere & absolute & clare, alia omnino obscure, imperfecte & falso dicta sunt. Et primum Archigenis uerba multa ex libro eius de locis affectis proponuntur: deinde obscura quædam ex eis interpretatur, ut quid sit sphacelos, circumscribere, dolor pulsatorius. Quid dolor turgidus, Græce diaisson uel diatton. Neruorum dolores. Contra Archigenē, cuius etiam reliqua in proposito sermone exponit: Stupidus dolor quid: Distendens, profundus, neruorum dolores. Infixus dolor colo proprius est non neruis. Dolor neruorum angustiæ plenus, minime fusus. Membranarum dolores in latitudinem perueniunt, non tamen aliquid hæmodiæ simile habent, neq; proprie inæ-

B quales dicuntur. De pleuriticorum dolore circa iugulum: & q; etiam hepatis ingens inflammatio, sæpe iuguli in dextra parte dolorem faciat. Hæmodiæ similem dolorem in membrana solum cuti subiecta, non itidem in alijs fieri. Ostocopos, ostalgia. Venarum dolores. Carnis dolores. Dolor ulcerosus, dulcis, prurigino sus (ulcerosus iterum) fodicās, infixus, stimulans, lacerans. Alia Archigenis uerba de dolorum differentijs. Dolor holcimos, inhærens, hepatis. Contra eundem, austeros & astringentes dolores nō esse dicendos, & uocabulis usitatis utendum. Stomachi strictio. IIII. De uia & ratione, qua simul & sedes affecta, & ipsius dispositio possit cognosci. Exempla, in pulmonis inflammatione, in morbo laterali. Viæ excrementorum thoracis, uentriculi, renum, uesicæ. Exercitatio particularis circa generales notas locorum affectorum, quæ sunt, An actio sit læsa, Modus læsionis, An tumore quopiam aut dolore infestetur particula: Excrementa, eorum meatus, Num aliquid essentiæ ab ipsa af-

C fecta parte secernatur: Cocta sint excrementa, nec ne. Si dolor fuerit circa nothas costas. Hepatici. Grauitas, alia suspensa à superioribus, alia incumbens uicinis aut subiectis partibus. Affectus partis illius, quæ principem in se animæ facultatem continet, quodq; ea in cerebro sit. Quomodo protopathia à sympathia distinguatur. Soporifera. Historia pueri, qui cum in siti uinum uetus copiose bibisset, reliquo tempore uigil omnino permansit, donec febri correptus unà cum uigilijs oborto delirio perijt. Frigidioris naturæ animalia per hyemem dormiunt. Affectus per essentiā quomodo dignoscatur.

GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA. LIBER II

PROOEMIVM.

SCOPVS est, iubente semper Erasistrato, exercere mētem cū in alijs artis operibus, tum uero in ea, quam nunc proposuimus, affectorum locorum notitia. Circa quam tres sunt exercitationis modi: Vnus circa singulas corporis partes, quas locos nominant: Alter circa causas & affectiones: Tertius est de accidentium differentia. Igitur à locis sumptus modus, huiusmodi est: affecto cerebro, huiusmodi separatim eueniunt accidentia: uentriculo affecto, hæc sunt propria: colo

D affecto, hæc: atq; in reliquis similiter. Ab affectionibus, & causis, talis est: inflammationis seorsum, huiusmodi sunt accidentia: scirrhi, huiusmodi: refrigerationis, hæc: plenitudinis, hæc: corruptionis hæc. Ab accidentibus, ut hoc doloris genus, hasce affectiones portendit, aut hosce locos: tussis uero has: ita & uomitus, sanguinis eruptio, fluor alui, conuulsio, rigor, horror, delirium. Quippe his inter se ita distinctis, quid recte secus'ue dicatur, facilius percipi poterit: quodq; ita se res habeat, ex singulorum cōtemplatione plane disces.

II Acne longe diutius te omnino suspensum teneā, Cum in hoc genere multus sit Archigenes,

qui ex dolorum differentijs locos affectos ſignificari exiſtimauit, accuratius de ijs nobis differendum eſt. Nam ſtupidum quidem dolorem, neruis euenire dicit, ſed plane peccat. quippe ſtupor à frigida affectione oritur, non neruorum duntaxat, ſed etiam uenarum, arteriarum, carnis, membranarum, tunicarum, & cutis. Quòd ſi ob id, quòd hæc omnia per neruos ſenſum habent, ad neruos affectionem refert: cur non reliquas omnes dolorum differentias, proprie ad neruos pertinere dicit? Quippe ut dolor, triſtis ſenſus eſt: ita uoluptas, blãdus eſt ſenſus. Ergo non ſolum ſtupidus dolor in neruis eſt, uerumetiam reliquorum dolorum omniũ, quos ipſe quocꝫ Archigenes deſcripſit, unuſquiſcꝫ. Quòd ſi rem accuratius inſpexeris, haudquaquam doloris ſpecies dicendus eſt ſtupor: ueluti necꝫ ulceris ſpecies, ulcus inflammatum. ſed duarum potius rerum, in his quidem ulceris & inflammationis, in illis uero doloris & ſtuporis concurſus eſt. Etenim ſtupor perfrigeratio inſignis eſt: idcirco corporibus ita affectis, & ſenſus & motus difficultatem inducit. Quemadmodum completa perfrigeratio, & ſenſum & motum omnino tollit. Sed quod ſtupor affectionis ſit nomen, non ſenſus aut doloris, ſic dicente Hippocrate, declaratur: Stupor enim mediocris, dolorem ſoluere poteſt. Nam ſtupor, ob perfrigerationem fit, ut plane uidere eſt in ijs, qui in hyeme per frigora proficiſcunt̃, atcꝫ in perfrigerãtibus quocꝫ medicamentis. nam ſi extrinſecus immodice adhibeantur, particula ipſa ſtupida euadit: quæ ſenſum quocꝫ omnino amittit, ſi uehemẽtiſſime perfrigeretur, idcꝫ non ſolum à medicamento, ſed etiam à circunfuſo nobis aere. Equidem noui quoſdam adeò perfrigeratis pedibus, ut in primis quidem ſenſus periret, ſequentibus uero deinde diebus, emortui pedes, putreſcerent. Ergo ut perfecta perfrigeratio, & ſenſum penitus aufert, & motũ: ſic moderatior, & ſenſus & motus difficultatem inducit. nominaturcꝫ (ut dixi) huiuſmodi perfrigeratio, ſtupor. Itaque ſtupidum dolorem affectio efficit frigida ſimul & dolorifica, indicante id nomine, non doloris (ut dixi) differentiam, ſed dolorem ſimul, & frigidam affectionem, aut ab ipſa inductam particulæ, & ſenſus & motus difficultatem. Conſtat autem quod conſtrictas uehementer particulas, atque eos quocꝫ qui torpedinẽ animal, dum adhuc uiuit, tetigerint, ſtupor infeſtare ſolet. Et quibus membrum aliquod ſtupidum fuerit, ij & tangentes ipſos, obſcuro & hebeti ſenſu percipiunt, necꝫ moueri poſſunt: ſi uero moueri cogantur, dolent. At citra hoc quòd moueri tentẽt, affectum ipſum ſtuporis haud obſcure ſentiũt, ſed tum nequaquã dolent. Proinde male Archigenes enunciauit, ſtupidum dolorem ad neruos proprie pertinere. Stupor enim affectionis, nõ loci affecti indicium eſt. Atqui paulo poſt rurſus Archigenes proprie ipſum ad muſculos pertinere ait. habet autem dictio utracꝫ ad hunc modum. prior quidem: Nerui autem contorti, diſtenduntur, & indurantur, atcꝫ hi ſtupidos inducũt dolores, atcꝫ dure intendentes.

A Deinde paulo poſt, in hunc ſermonem prorumpit: Muſculi carnis & nerui, imò etiam arteriæ proprietatum miſturam, in doloribus referunt, frementes ut ita dicam, & latè ſe diſtendentes, ac ſtupidè pulſantes. In horum ſermonum priore neruos ait ſtupidos inferre dolores: in altero uero muſculos ſtupide pulſare, ſtupidum non ad affectus, ſed ad partes referens. Sed ut dicebam, ſtupor non particulæ cuiuſpiam proprius affectus eſt, ſed affectio: quæ quidem in omnibus corporibus fieri poteſt, ſed non in omnibus ſenſibiliter apparere: quippe in his duntaxat apparet, quæ ſuos affectus ſentire, & pro uoluntatis imperio moueri nata ſunt. Cæterum ijs quæ manifeſte in muſculis apparent ſermo ipſius repugnat. quinetiam

B indiſtincte prolatus eſt, ac fortaſſe non intelligit, nuſquam in corpore carnem ipſam per ſe inueniri. Nam muſculorum id, quod neruoſum eſt, in plurimis uel capitibus uel extremis partibus eſt, ubi etiam tendones inueniuntur. Id uero quod in medio continetur, omnes homines carnem nominant, nemine intelligente qui non exquiſite ſectione uſus eſt, carnem ſolam haudquaquam manere, ſed cum tenuiſſimis quibuſdã, ueluti fibris, in quas neruoſum genus reſolutum eſt. Voco autem neruoſum genus, in unicam appellationem cogens, tum ligamenta, tum tonos. quippe ex ijs per carnem diſperſis, muſculorum oſtendimus eſſentiam cõſiſtere: quæ ut permanere poſſet, uenis indigebat & arterijs.

C III Itaque citra dolorem pulſare, ad ſolas arterias pertinet, animali etiamdum bene ualente. Vbi uero ingens oborta eſt inflammatio, uel eryſipelas, uel abſceſſus: arteriarum pulſum cum dolore ſentimus: cum antea per bonam ualetudinem, neque cum dolore, neque ſine dolore ipſum ſentiremus. Etenim res ad hunc modum ſeſe habet, Duabus præcipue occaſionibus, uehemens dolor inflammatis partibus infertur: cum mouentur, aut cum à re quapiam comprimuntur. Inflammato igitur omnino muſculo, duplici modo dilatatis arterijs, dolorem ſentimus. Nam & mouentur, & ab adiacente carne comprimũtur, & ipſam comprimunt. Atque hac ratione partes inflammatæ pulſant. quem ueterrimi quippe ſolum uocant

D pulſum: Poſteriores uero omnem arteriarum motum, quem ſenſus percipere poſſet, ſimiliter nominauerunt. Sed non protinus ſtupide pulſare, inſeparabiliter, aut omnino proprie, ad muſculos pertinet: cum ne pulſare quidem. ſiquidem pulſus (ut prius dictum eſt) dolorem quendam inſinuat. Nam in ſcirrhis, & in his tumoribus, qui proprie œdemata appellantur, atque in intemperantijs, quæ ſine tumore cõſiſtunt, motus arteriarum dolorem haudquaquam excitat. Ac ne per inflammatos affectus quidem; niſi cum maiores effecti ſunt, dolor infeſtat. Quinetiam ſine muſculo, arteria inflammatorium ſuſtinens affectum, ipſa per ſe cum dolore pulſat. Dico autem inflãmatorium affectum, ut ſimul cum inflammatione & eryſipelas, & abſceſſus intelligatur. Huiuſmodi igitur affectuum

A fectuum, cum maiores fuerint, pulsus accidens esse censetur. Quod si aliquando in ijs pulsus, ipsi scilicet laboranti, stupidus esse uideatur (hic enim stuporis affectum sentire potest) tum scire licet, affectionem in musculi neruis consistere, sed ita cõsistere, ut ad paralysin (id est resolutionem) tendant, Quippe stuporis affectio, inter resolutionem, & integram ualetudinem media est. At pulsus cum dolore factus, sequitur inflammatorios affectus notatu dignos, idq; semper in ipsis arterijs, atque in continentibus ipsas partibus, quas & ob angustiam premunt, & cum attolluntur, modo pars affecta sentire nata sit, ueluti percutiunt. Ergo neque in peripneumonia, neque laterali morbo, dolor pulsatorius euenire potest, idq; ob partium naturam. Namq; pulmo sensum non
B habet. morbus uero lateralis membranæ costas succingentis, morbus est: quæ ubi costis quidem uicina est, necessario comprimitur: at inter media ipsius pars comprimi non potest: sed inflammationis duntaxat ratione dolet. atque in hoc spatio arteriæ sunt, quæ per intercostalia uocata spatia, & per crassas, laxasq; laterum partes extenduntur, ac in profundo magis delitescunt, & succingentem costas tunicam haudquaquam attingunt. harum igitur arteriarum motus in morbo laterali ab ægrotante sensu non percipitur, tantum abest ut ei dolorem inferat. nihilominus inflammatis interdum intercostalibus musculis, arteriarum dilatationem, dolorem inferre necesse est, proinde la-
C borans ipsum facile percipiet, atque pro inflammationis magnitudine, sentiet in parte inflammata pulsationem. Ob hanc quoque causam, ubi uehemens fuerit pulsatio, suppuratur inflammata particula, consequente suppuratione ingentes duntaxat inflammationes. Constat igitur ex his quæ iam diximus, quod pulsatorius siue pulsatiuus à medicis uocatus dolor, per inflammatorios affectus fiat, atque in corporibus sensibilibus: idq; uel per se uel proprie uel primario affectu in arterijs: nominet enim quilibet ut uoluerit: in reliquis uero partibus sensibilibus omnibus, per consensum, eo quod à uicinorum contactu premantur. Igitur neq; in hepate, neq; in renibus unquam huiusmodi pulsatio apparet: quoniam nullus per
D totum corpus ipsorum neruus dispersus est, neq; etiam per pulmonem.

IIII Quocirca grauitas in ipsis sentitur, cum tumoris præter naturam genus aliquod ea infestauerit. Nam in horum uiscerum quolibet, circumsita membrana per quam neruus dispergitur, sensu potitur. Quia uero à tumore qui est in uiscere, ipsa extenditur, doloris speciem appellatione donauit. Proinde Hippocrates primus omnium scripsit, in renem dolor grauis. Post hũc uero optimorum medicorum non pauci, non acuti doloris, sed grauitatis sensum in prædictorum uiscerũ inflammationibus fieri dixerũt. Enimuero membranas, ut quibus nullæ sunt arteriæ, non pulsare rationi consentaneum est, quemadmodum neq; cutem, etiam si uehemens assit inflammatio. Atque eadem ratione, neque glandulas, quibus nullæ sunt arteriæ. Etenim huiusmodi partes, cum inflammatæ sunt, unico duntaxat doloris modo uexantur, extensionis. Quippe huiusmodi doloris species, à nullo sentientium corporum in huiusmodi affectionibus separari potest.

V Reliquæ uero doloris species, quibusdam partibus accidere possunt, quibusdã non possunt. Igitur meminisse eorũ semper oportet, ac cognoscere singulorum locorum naturam. quinetiam intueri, quis unicuiq; parti modus doloris peculiariter conueniat, quis uero contra. Proinde resumentes rursus ipsos dicamus. Quippe unus doloris modus est, qui per inæqualem intemperiem in affecta parte consistit, uel nulla re ipsam extrinsecus attingente. Alius qui ob tensionem fit, non soli affectæ parti proprius, ut qui uicinas partes interdum afficiat. Est item dolor qui à tangẽtibus duntaxat, in affecta particula generatur: cum uidelicet compressa, uel contusa, uel à re quapiam superueniente uulnerata dolet. Atq; is doloris modus qui ex motu ortum habet, quemadmodum paulo ante de arteria dictum est, à re quadam media dolorem efficiente pendet. etenim quæ per se mouetur pars, tenditur: & ad uicinas accedens, comprimitur interim, & contunditur, & uulneratur. Si uero nulli inciderit, eam sola tensione, dolere necesse est. Quare partes omnes ab alijs motæ, si nihil extrinsecus ipsas tangat, nullo, præter eum qui necessarius est, dolore afficiuntur. Cæterum alibi me frequenter dixisse memini, primas doloris species duas esse: cum affatim temperies alteratur, atque cum soluitur continuitas. Quæ cum iã dictis haudquaquam pugnare uidentur. Namq; pars intenta, aut compressa, aut cõtusa, aut uulnerata, dolet ob continuitatis solutionem. Neque enim cum acu quispiam uulneratur, alio affectu laborat, quàm si ab acri humore facta fuisset erosio, utpote per utrunq; affectum corrupta continuitate. Igitur non eandem doloris speciem excitat, mordax humor, & plurimus. Nam ille rodendo dolorem excitat, hic uero tendendo, flatuosi spiritus exemplo, ac ueluti urina uesicam intendit, cum non redditur. Verum in erysipelate, & inflammatione, atque in totum in affectibus inflãmatorijs, non solum quia intentæ sunt partes laborant, uerumetiam quia intemperantia affectæ sunt, ac ne hac quidem, exiguam ad dolorem inducendum uim habente. Id quod declarant hi, qui per uehementem hyemem profecti, manus ad ignem affatim calefacere tentant. intolerabilem nimirum sentiunt dolorem, & quidem maxime in unguium radice. Porrò memini, mihi ipsi accidisse dolorem uehementissimum, ut uidere mihi uiderer in intimo uentre terebro perforari, in eo potissimum spatio, per quod à renibus ad uesicam ureteras scimus extendi. Iniecto deinde rutaceo oleo, cum id paulo post excernere tentarem, excreui simul grauissimo cum dolore, humorem uitreum à Praxagora appellatum. quippe uitro fuso, tũ colore, tum substantia, haud absimilis erat. atq; id alijs quoq; accidere cõspexi.

Quòd uero hic humor sit frigidissimus, iam à Praxagora dictum est, qui ob hoc uitrei nomẽ ipsi imposuit. Id enim haud obscure percipitur sensu tactus, tum ipsorum qui illum excernunt, tum aliorum, siquis confestim ipsum tangere uoluerit. Sed dignum utiq; admiratione est: quomodo frigidus excidere possit, neq; ab excretionis uiolẽtia cum excidit, calidus euadat. Equidem putabã lapidem in altero uretere impactum, adeò erat, ut mihi uidebatur, doloris ipsius species perforanti similis. Atqui uacuato humore doloreq; sedato manifeste constabat neq; lapidem fuisse causam, neq; in ureteribus, aut renibus locum fuisse affectum, sed in intestinis potius, præcipue uero crassioribus. Neq; enim ut à tenui corpore, breui temporis spatio exire poterat, sed à profundo quodam & quidem crassiori corpore, quàm sit tenuium intestinorũ tunica, ferebatur. Huiusmodi dolores, omnes ferè medici colicos nominare uidentur, quanquã ab ea parte qua dolor sentitur, nullum indicium sumi potest qui magis colon quàm tenue intestinũ dolor afficiat. Nam huiusmodi dolores, perinde ac si terebro partes perforentur, molestare solent, narrãtibus ita infirmis. Sunt alij dolores per quos palus uidetur infixus, qui & ipsi corpus affectum crassum esse significant. differunt autẽ inter se, aut multitudine, aut motu, aut crassitudine, aut rei dolorem facientis potentia, siue ea humor fuerit, siue spiritus flatuosus. quippe paucus plurimo, & tenuis crasso, & permanens moto, minorem dolorem excitare solet. Atque qui ad uehementem refrigerandi uim haudquaquam accedit, uehementissime refrigerante minus cruciat. Verum hoc doloris genus, ad crassum intestinum referendum est, siue palum ibi infixum, siue terebro perforari locum quis putauerit. Atqui huiusmodi dolores, ab eo quo lapis impactus est, discerni nõ possunt, nisi quis accidentia quæ postea consequuntur expectauerit. Quamuis ob huiusmodi ignorantiam, quod ad doloris mitigationem attinet, nullam laboranti noxam inducamus. siquidem utriusq; doloris præsidia, omnia communia sunt, & quidem calorifica in primis, siue ea extrinsecus adhibeantur, siue iniiciantur. Deinde nisi mitigatus dolor fuerit, eorum medicamentorum, quę dolorem obtundere possunt, aliquod adhibendum est, cuiusmodi est id quod à Philone compositum est. Verum si lapis dolorem excitauerit, ipse interdum solus, interdum unà cum cruore excernitur. etenim radit ea corpora per quæ transit, maxime si uel asper uel acutus fuerit lapis, ac si postea urinas inspexeris, sabulosa quædam subsidere inuenies. Quòd si in colo affectus constiterit, neq; lapis, neque cruor, neque arena, sed humor aliquis, qualis iam dictus est, subsidere uidetur. Atq; alia, quæ ad affectum intestinum pertinent, apparent accidentia. Protinus enim inflatio quædam, & extensio, & flatus complures, sed magis posterius, & tormina, & excrementa flatibus plena uidebuntur. Ea autem discernere licet, si super aquam natent, ac bubulo stercori similentur. quinetiam cibi tum cu-

A piditas tum cõcoctio, deterior euadit, & præsens & prægressa & quæ sequitur. Ventriculum enim male affici accidit, ut qui parti primario affectę cõtinenter adhæreat. Insuper colicos nominatos affectus, magna ex parte pręcedit, & cruditas, & spiritus flatuosus, & uomitus, & nausea, quæ multo tempore inanis permanet, & in pręcordijs mordacitas, & inquietudo, ac angustia plurima. Igitur ex huiusmodi quidem doloribus, ij qui uehementissimi sunt, haud ab re in crassis intestinis consistere putantur. qui uero mitiores sunt, ex duobus alterum necessarium est, aut quòd in his ipsis sunt, sed à leuiori causa, aut quod in tenuibus consistant intestinis. Sed qui mordaces sunt, à mordaci humore intestinum erodente, fieri solent. Vnde dysenteriam semper huiusmodi dolores præcedunt, eam

B uidelicet per quã intestina exulcerẽtur, quam uel solam, tum recentiores medici, dysenteriam nominant, tum antiquorũ non pauci. Ex his enim nonnulli, non solum hanc, sed aliam quoq; quæ cruenta, ob excretorum speciem, nominatur, dysenteriam appellant. Nam interdũ syncerus, plurimusq; sanguis, interdum ueluti limus & feces ipsius non paruæ quantitatis excernitur. Verum hæc affecti iecinoris accidẽs esse censetur. Ea uero per quam syncerus multusq; sanguis excernitur, uniuersum corpus plerũq; euacuat, haud secus quàm hæmorrhoides, aut muliebre profluuium. Verum de ijs posthac rursus nobis agere licebit, nunc ad dolorum species nostra redeat oratio: eas enim in hoc

C libro persequi potissimũ proposuimus. Igitur iterum incipiamus ab eo dolore quem punctorium uocant. qui circa membranas potissimum cõsistit, ipsius affectus ueluti radice eo loco fixa, ubi membrana pungitur, dolore uero circumcirca latius se fundente. Atq; hoc modo in laterali morbo dolorem punctorium esse, ut in inflammatione pulsatiuum, apud omnes ferè medicos in confesso est.

VI Porrò membranosorum corporum dolorem hæmodię, id est stuporis dentium quid simile habere, ut Archigenes censuit, non est existimandum. nam ori duntaxat, neq; ei toti, sed solis dentibus & gingiuis hunc affectum accidere solitũ obseruauimus, qui omnibus hæmodia dicitur. Cæterum hunc oratione explicare est impossibile, sed

D cum quispiam & austeros, & acidos cibos ingesserit, ita ut affectus aliquis sequatur in dentibus, & gingiuis, eum in omnibus eundem esse credimus. siquidem uidemus nos magna ex parte similes esse in affectibus tolerandis, ita ut ab ijsdem causis, eadem sustineamus. Hunc quidem affectum in ore duntaxat fieri scimus. Sunt alia dolorum genera ab Archigene perscripta, quæ neq; dum fiunt cognosci, neq; dum proferuntur intelligi possunt, ueluti holcimos (id est tractorius) austerus, dulcis, leuiter acutus, salsus, uiscosus, atrox, adstringens. Aq; huiusmodi nomina in libro de pulsibus scripta posteritati reliquit, quæ auditores nihilo doctiores reddere possunt, eo quod doctrina quę que propria desiderat nomina. Si enim de saporibus, aut omnino de proprijs sensibilibus quæ lin

gua

gua iudicantur differamus, dicemus utiq; austerum, & acerbum, & stringentem, & mordacem, & salsum, & dulcem, & amarū. Si uero de his quæ tactu iudicantur, humidum corpus, & aridum, & calidum, & frigidum, & asperum, & leue, & molle, & durum, & acutum, & obtusum. Haud secus de his quæ uisu discernuntur, rubrum, flauum, nigrum, album, fuscū, aut aliud quidpiam huiusmodi. Quòd si appellationes ipsorum permutaueris, quid dicas auditorum intelliget nemo, ueluti de astringente, aut austero dolore. quippe fieri non potest, ut quid sit dulcis dolor, intelligatur. Nam dolor semper molestare laborantem solet: atqui dulcia quæq; iucunda sunt. Igitur quàm uerissimum est, Archigenem circa medicæ artis opera fuisse studiosum, quo pacto tamen in huiusmodi B nomina inciderit, cum sæpenumero inuestigauerim, inuenire non potui.

VII Videamus ergo quid manifeste ex ipsis colligere possimus, ueluti paulo ante de stupido dolore iam fecisse uidemur. Nam iustum est ut obscura nomina in dubio derelicta, inutilia reputentur, perinde ac si nunquā scripta fuissent. Quæ uero clara sunt iudicentur non ratione duntaxat, sed multo etiā præcedente experimento, quanquam huiusmodi iudicium perdifficile est. nam plerunque aliis nos credere oportet, qui suos affectus ob animi molliciem, neq; consequi planè, neq; si consequantur, eos enarrare possunt, aut quia oratione quid patiant̃ declarare omnino nequeūt (quippe non paruæ facultatis ea res existimat̃) aut quia C affectus ipse ineffabilis est. Ergo relinquit̃, quod nemo singulorum dolorū species conscribere potest nisi ipsemet passus fuerit, sitq; medicus, qui interpretandi aliis facultatem habeat, et qui prudenter, & sine mollitie, comprehendere possit suos affectus, dū laborat. Atqui nemo inuentus est qui per totum ætatis suæ decursum, omnes affectus sustinuerit, etiā si perquam morbosus fuerit. Proinde non possum non mirari, cum eorum proprietates ab Archigene scriptas lego, ita scilicet ipso narrante, tanquam omnes passus fuisset, quanquam non admodum morbosus erat Archigenes. Si enim unam aliquam partem, & infirmam, & morbidam habuit, non protinus omnibus laborauit, ueluti nec reliquorum mortalium ullus. D Neque enim inuenire est hominem eundem qui simul & caput habeat infirmum, & thoracem, & pulmonem, & hepar, & lienem, & uentriculum, & intestinum ieiunum, & colum, & uesicam, atq; reliquas id genus partes. Videtur itaq; Archigenes propriis quibusdam consiliis, & quidem dialecticis, potius quàm locorum affectorum experientia fulcitus, pro uiribus dolorum species explicare uoluisse. Verum ut studiosi maiori à nobis copia dotati recedant, proposita eius oratione, eos qui in arte exercitantur, moneo & hortor, ut quæ planè uera sunt, ea duntaxat eligant, ipsisq; credant: quæ uero ab iis abhorrere uidebuntur, ea præteriri oportet. Igitur Archigenes cum reprehendisset Asclepiadem dicentem in ar-

A ticulari morbo neruum affectum, dolore haudquaquam cruciari, quod nihil omnino sentiat: carnem autem, quanquam non affectam, dolere tamen, utpote à parte uicina compressam. Postea ad uerbum ita scribit: Porrò uasa uehementer compressa, capitis dolores sine inflammatione obortos arcent, ueluti prohibita in ipsa incursione, id quod barbaricum uinculum tum maxime perficere potest: Sphacelodes uero hemicranias, dissectio eorū, sed maxime arteriæ circumscribit. Quæ primo affecta, pulsatorium persultantemq; dolorem inducit, ac rotunda euadit, horrorē planè excitans. quemadmodum uenæ quidem uaricosæ fiunt: nerui uero intorti distenduntur, ac indurantur, atq; hi torpentes inferunt dolores, dura distentione cruciantes, & profundos, & infixos, & angustiæ plenos, & minime fusos: Membranæ autē in latum discurrentes, & inæquales dolores excitant, atq; crebro ita laborant, ut hæmodiæ (id est dentium stupori) simile quidpiam habeant, transmissionis uidelicet asperitatē. Ita superficies quoque, & membranæ in media carne contentæ, plerunq; afficiuntur, quæ dilaniantes quoq; dolores inferunt: Dolores uero à membranis ossa circumdantibus dependentes, perinde affligere comperiuntur, ac si in ossibus ipsis consisterent. A uenis graues, & detrahentes, & æqualiter infarcti dolores suscitantur. A carne autem & fusi & laxiores: quapropter non adeo extendi uidentur, sed arbitratur laborans sensu asperis quibusdam rebus impleri. Musculi carnis & nerui, imò etiam arteriæ proprietatum misturam in doloribus referunt, frementes ut ita dicam, & late se distendentes, ac stupide pulsantes. Ex reliquis uero ulcerosus quidem dolor, & in ulceribus leuiter acutus, & maxime dulcior, & qui pruriginem inducere potest, ad superficiem pertinere uidetur. Punctorius autem profundas partes infestat. Infixus autem, cum sinus accesserit. Stimulans autem, partim eorum quæ in loco sunt, aliquid affectum esse declarat, partim contra, utpote qui haudquaquam profundas partes occupat. Lacerans autem est qui in sinu consistit. Hic est primus Archigenis sermo ex libro primo De locis affectis, quo docere conatur quomodo ex dolorum differentiis partes affectæ possint inueniri. Igitur rursus ab initio ipsum diligentius examinemus. Sphacelodes, inquit, hemicranias uasorum dissectio circumscribit. Igitur quos dolores nominet sphacelodes, inuentu difficile est: non enim inter omnes conuenit, quid hæc uox sphacelos significet. Sunt enim qui dicunt ipsam uehementem dolorem declarare. Alii tantum inflammationis excessum, ut partem ad corruptionis periculum inducat, quæ affectio à nonnullis gangræna appellatur, Alii partis affectæ corruptionem ipsam, sphacelon dici uolunt, Alii conuulsionem, Alii non simpliciter conuulsionem, sed neruosorum corporum quæ inflammatione laborant. Nonnulli non eam quæ fit conuulsionem, sed eam quæ ex inflammationis magnitudine expectatur. Alii simpliciter fortem ten-

tionem. Alij putredinem. Ergo uocabulum sphacelodes, in iam ꝓposita Archigenis oratione scriptum, ad tantam peruenit obscuritatem, ut nihil per ipsum explicari posse uideatur, ipso nusquam in alijs libris medicorũ nominum enarrationem conscribente. Per uerbum autem circumscribit, fortasse intelliget quispiam ab eo, ueluti celeriter & ex toto sanari. ac subijciamus ut ita dicatur. Cur enim se quisquam torqueat, intelligere cupiens ea, quæ ne is quidem qui scripsit intelligi uoluit. Deinde pulsatorium, & persultantem dolorẽ, arterias inferre dicit, cum ipsæ uidelicet per sphacelodes hemicranias primogenia affectione laborant. In primis itaq; qualis sit pulsatorius dolor prius explicauimus, quamuis ante nostrã enarrationem, omnibus medicis notus sit, siquidem ingentium inflammationum accidens ipsum esse perhibent. Persultans autẽ dolor est qui à parte primario affecta, ueluti à radice incipiẽs, celeriter in partes adiacentes transfertur. Id uero non solũ in hemicrania, ut Archigeni placuit, sed in cephalea quoq; uocata, euenire solet. Etenim in hac nonnunquã arteriæ primario affectæ huiusmodi (qualem dixit Archigenes) dolore uexantur. Ita ut fateantur nonnulli, uasorum ipsorum se dolorẽ sentire, id interpretari tentans, arteriam subhorrentẽ, fieri rotundam dixit. Igitur inquirendum est, utrũ, ueluti per sphacelodes hemicranias, arterias ita affici dicit, ad eundem modum de uenis eum sensisse existimandum sit, quòd per hunc solum morbum, uaricum exemplo obtortæ sint: an hoc commune sit accidens uenarum, uel quomodolibet affectarum, uel duntaxat inflammatarum. Ex eo enim quòd sermoni de arterijs, iungit sermonẽ de uenis, par est, ut conijciamus, de eodem affectu ipsum fuisse locutum. Ex eo autem quòd mox in uniuersum de neruis, atq; de alijs huiusmodi partibus scribit, non adaptans uni morbo sermonem, ea ratione putandũ est, itidem de uenis quoque fuisse dictum. Itaq; in hac ambiguitate satius fuerit, ut existimemus in eo sermone quem de hemicrania conscripsit, simul cum arterijs, ipsum uenarum quoq; mentionem fecisse, simpliciter uero reliquorum instrumentorũ sine ullo distincto affectu, neq; in neruis, neque in ijs partibus, quæ illos deinceps cõsequuntur, in quibus dixit uenas graues, ac detrahentes, atq; æqualiter infarctos dolores inferre. Verũ hæc nonnihil ambiguitatis continent. Quod uero deinceps sequit̃, ubi dicit, Nerui uero contorti distenduntur, & indurantur: manifeste recedit ab hemicrania affectione, definiẽs id in uniuersum ad neruos quomodolibet affectos pertinere, quod planè mendacium est. Neq; enim quilibet neruorum affectus, ipsorum essentiam indurat, atq; intorquet. Sunt enim nonnulli, per quos laxiores euadũt nerui, quemadmodum palàm est ubi alimẽtum non sentiunt. Quinetiam sæpenumero ubi nullam sensu perceptibilem habent differentiam, ita ut exquisite sani uideantur, nihilominus neq; sensum neq; motum præstant subiectis corporibus. Itaq; in solis fortasse inflam-

A mationibus, aut inflammatorijs morbis, aut præter naturam tumoribus, dixit neruos, & indurari, & intorqueri. Atq; in ijs quidem manifeste apparet neruos intendi. Nam & laborantibus ipsis, & nobis aspicientibus, intenti nerui apparent: quapropter nisi curentur, & conuulsiones, & distentiones ad ipsos sequuntur. Atq; omniũ quæ in tumorem attolluntur, cõmune accidẽs esse uidetur ut intendantur. Nam & arterias & uenas inflãmatione affectas intẽdi uidimus: uenas quidem, ubi per summa membra orta inflammatione glandularum tumor exurgit. Plerũq; enim totum uas intentũ uidetur, ac rubere magis, & calere, atq; maiori dolore (si tangatur) affectum, ita ut satis constet totum inflammari, incipiẽdo ab ea parte quæ

B primario affecta, usq; ad alas, & inguina. Proinde recte dixerunt omnes fermè medici, inflammatis partibus accidit ut rubescant, tendantur, renitantur, intumescant, & doleant. Verum (ut diximus) non omnibus. sed his duntaxat accidit pulsus, quę arterias habent notatu dignas, & partẽ sensu præditam, ubi ad notabilem magnitudinẽ inflammatio attollitur, tunc enim pulsatorium dolorem sentiunt laborantes, uel nullo existente sensibili uase in affecto corpore. Sed interrogabis me fortasse, quæ sint singulorum instrumentorũ propria accidentia. Id uero iam antea neq; semel duntaxat explicatum est, quod uidelicet propriæ actionis noxa, qualicunq; sit specie, cuiuslibet partis propriũ est accidens: neq; enim aliud ei accidens neq; etiã

C noxarum differentias inesse necesse est. Nam differentię quidẽ uariantur, pro affectus, tum specie, tum magnitudine. Accidentis uero quod in uitiata actione est, siue genus, siue species, aut utcunq; nominare uolueris, semper permanet. Cæterum satius fuisset Archigenem, qui omnia, uia & ratione se explicaturũ professus erat, abundantius hæc persequi, præsertim cum ab alijs negligentius essent tradita, quorum non pauca, in plurimis alijs libris conscripsimus, quemadmodum & posthac deinceps dicentur, sed breuiori quidem compendio, ea quæ exacte alibi fuerunt exarata. Longiori uero disputatione hic tractabuntur ea quæ alibi breuiori stylo percurrimus. Nũc uero reliquas dolorum differẽtias, quarum in præscripto sermone

D Archigenes mentionẽ fecit, persequamur. Quòd enim peccauerit, dicens stupidos dolores neruis euenire, quodq; stupor non unius cuiuspiam partis sit affectus, sed causæ potius ac affectionis rationem habeat, iam antea dictum est. Quòd uero dolores dure distendentes in ipsis fieri, dicit, recte dictum est. quanquam melius erat, si simpliciter dixisset, distendentes, non addendo dure. Nam neruorum dolores utrinque uehementer distendere possunt, quia ad utraq; extrema tenduntur, tum id à quo incipiunt, tum illud in quod finiuntur. Non secus quàm chordæ in cithara, quæ sæpenumero, ubi nimis intenduntur, disrumpi solent. Quapropter citharistæ, cum instrumenta sua post usum reponere uoluerint, chordas relaxant. Nam planè constat eas à contrarijs, tum causis,

tum

tum affectionibus intẽdi, siue humidus fuerit ambiens aer, ut rigare ipsas & implere posit, siue uehementer aridus. Ab utraq; enim ambientis aeris temperie, ad ultimam tensionem perueniunt. ac merito rumpuntur. Proinde recte dixit Hippocrates, neruorum cõuulsiones & à plenitudine & ab inanitione euenire, utpote per quas nerui immodice scilicet tenduntur. Sed quòd profundos dixit esse dolores, id ab accidentibus, quæ plurimis ex neruis eueniunt, sumptum est. Etenim cum uenæ quidem semper priores in superficie sint, dein de post eas arteriæ, quibus postea nerui subduntur, idcirco laborãtes tensionem in imo sentiunt: quanquam multi tendones, qui ob id quòd neruosa sunt corpora, à nonnullis planè nerui nominantur, non profundos sed in superficie dolores habent, si quando ipsos quoq; sic intendi contigerit. ut sunt illi qui digitos extendunt. sunt autẽ & qui illos incuruant, in superficie quidem, sed non similiter ut extendentes. Porrò Archigenes neruorum dolores infixos esse dicit, cum huiusmodi doloris species, ut antea diximus, ad colon magis pertineat. Atq; accidit etiam auri, cum quadam pulsatione, atq; dentibus molaribus, quinetiam oculis, sed infixus dolor neruis minime euenire potest. etenim magna ex parte utroq; extenduntur, & ad supernas, & inferiores animantis partes. Quod uero deinceps ab Archigene dictum est, neruos angustiæ plenos habere dolores, inepte quidem dictum est. Nam nihil amplius declarat, quàm cum dicit, & minime fusos. reuera enim minime fusos idem est, quod in latitudine porrectos dolores nerui non habent, sed magis circumscriptos, utpote perueniente ipsorum tensione, & ad supernas, & ad inferiores partes, magis uero sursum usq; ad caput. Ac tum primum ipsos uniuersi corporis, & conuulsiones, & distentiones comitantur, nulla nerui tensione huiusmodi accidentium aliquod inducere potente, antea quam caput ipsum attingat. Post hæc consequenter scripsit Archigenes de membranis, quòd in latitudinẽ perueniant ipsis dolores, cum afficiuntur, quod quidem uerum esse fatemur. Quòd uero aliquid hæmodiæ (id est dentium stupori) simile habeant, non est uerum, ut antea dictum est. Neq; etiam in totum uerum est, quòd membranarum dolores sint inæquales. siquidem contrarium magis ueritati cõsonat: quippe ex propria ratione, uidentur æquales inducere dolores, eò quòd uniuersum ipsarum corpus æquale est. Nam quòd ob communicationem cum uicinis, inęqualitatem quandam afferunt, id interdum per accidens euenire solet. Cum enim ad affectam ipsarum partem, circumiacentes & ducuntur & tenduntur, disimilem fieri dolorem necesse est. ubi enim intenta particula acutiori sensu est, ibi dolore uehementiore cruciantur. Vbi uero sensum habet hebetiorẽ, ibi minus dolent. Atq; ex eo quoq; quod quæ tẽditur membrana os ipsum uel attingit uel non attingit, non ab re dolorum differentia deprehẽditur. Atq; hac ratione nonnulli pleuriticorum, iugulum dolent,

A porrecta in hunc locum membrana costas succingente. Aliquando tamen non ad iugulum, sed ad præcordia dolor transit, percepto ipsius sensu in septo transuerso, utpote quod necessario mouetur, cum pleuritici respirant, idq; omnibus thoracis partibus magis. Cum enim ueluti radix doloris in latere consistit, tum laborantes, musculis qui illic sunt respirare cunctantur: quare tum soli septo transuerso, natura respirationis officium committit, quemadmodum in bene ualentibus, qui libera & non uiolenta utuntur respiratione, contingere solet. Igitur cum in partibus laterum infernis oritur inflammatio, septum transuersum intentum, magis dolet. cum uero in partibus supernis, tum iugulum potius dolor infestat. Cæterum

B septum transuersum, quia mouetur, iugulum autem quia durũ est, doloris causa est. Vbi uero ingens in hepate oritur inflammatio, aut ubi ipsum induratum est, dolor qui tum iugulum in dextra parte infestat, concauæ uenæ magis, quàm membranarum tentionem sequitur. Cum autem dixit, hoc modo sæpenumero superficiem quoq; dolere, quod non aliud est quàm membranarum affectarum speciem referre, planè declarat unde adductus ipsarum dolores aliquid hæmodiæ habere simile existimauerit. Quia enim simul cum hæmodiæ proprietate, stuporis etiam sensus percipitur, ut ab eadẽ causa utroq; affectu dependente, membrana autem quæ in superficie cuti substrata est, sępenumero stupenti dolore afficitur, utpote quę

C ab externis causis, & quidem frigidis, celerius noxam subit: Idcirco deceptus Archigenes affectionis communitate, cæteras membranas hæmodiæ simile quidpiam habere dixit, ac sæpenumero superficiem quoque, non secundum affectæ particulæ essentiam facto dolore, sed ob membranarum ipsarum essentiam, quę exanguis est, & frigida, unde facile à frigidis affectibus infestatur. Eos quia huiusmodi dolores comitantur, idcirco sæpenumero dixit fieri huiusmodi dolores, nõ ueluti per affectæ particulæ essentiam, sic enim inseparabiles essent, sed per accidens superuenientes. Substrata igitur cuti membrana, quæ cum ipsa simul excoriat, dolores facit tensiuos, & torpidos: membranæ uero quæ in media sunt carne ueluti diuel-

D lentes dolores excitant: sunt enim plurimæ, & inæquabiliter insitæ, atq; eam circumdantes. Cumq; aliquando è diuerso, cõtra naturam, tendi carnem cõtigerit, huiusmodi dolores euenire necesse est. Sanè à multis exercitationibus aut tensiui, aut ulcerosi proueniunt dolores, qui totos musculos occupare consueuerunt, inter quorum partes, carnes quoq; numerantur. Verum de huiusmodi doloribus, satis in salubribus præceptis iam dictum est. Sed quòd membranarum quæ osibus adiacẽt dolores, & profundi sunt (id est in intimo corpore sensum excitantes) & osium ipsorum, ueluti dolentium, inducũt imaginem, haudquaquam mirandum est. Nam ij à quampluribus ostocopi (id est osium dolores) nominantur, & magna ex parte ab exercitationibus euenire solẽt. quamuis

interdum uel à frigore, uel plenitudine, fieri possint. Insuper uenas dixit graues, & detrahentes, & æquabiliter infarctos inferre dolores. Verum ab initio, ubi hemicraniæ mentionem fecit, uenas ueluti uarices incuruari ait. Ergo in hoc solo fortasse accipere oportet, ipsum hoc dicere. Atqui scire licet proprium arteriæ uenæq; dolorem, extensum secundum longitudinem corporis, ueluti chordæ cuiusdam speciem referre, nulla utiq; grauitate simul apparente. Aequabiliter autem infigi siue infarctos esse uenarum dolores, admodum obscurum est: quippe infigi, ad nihil quod ipsis accidere solet, referri potest. Deinde de carnibus dicit, q̃ & fusos, & laxiores inducant dolores. Atqui in totum nullus dolor laxus est, nisi eos fortasse, qui minus intenduntur, laxiores uocitet. quoniam & uasorum, & membranarum dolores, magis intendi uideantur. Quod uel ex eo cõfirmari potest, quòd eos non adeo extentos conspici dicat, propterea quòd carneę musculorum partes breuibus lineamentis cõtinentur. Sed id quod deinceps scribit, uideri tactum, ueluti asperitatibus quibusdam plenum, an proprie ad dolores, qui in carnibus consistunt, pertineat, inquirendum est. Nam quòd interdum aliquid huiusmodi per ipsarum dolores eueniat, à ueritate haudquaquã abhorret. At quia non semper euenit, sed facta in ipsis, ut plurimum certa quadam affectione, non proprie ad substantiam earum referendum est. neq; simpliciter intelligendum est eam affectionem esse affectum inflammatorium, sed qui cum humore fit, exasperare suapte natura potente. Porrò deinceps de musculis scribens Archigenes, eos carnis & neruorum proprietatum mistionem proprie referre dicit, tanquam peculiari ipsorum essentia ex his consistente. Addit uero arterias, quoniam in ipsis inueniuntur. Atqui hoc pacto, uenas quoq; dicere debuit, atq; membranas. Vocabulum autẽ frementes, patrio sermone de his dicitur, qui boni habitus modo pleni sunt. atq; idcirco de iunioribus duntaxat dici consueuit, de senibus uero minime, quod non posit ipsorũ corpus boni habitus plenitudinẽ suscipere. At uero in quam rem hoc uocabulum Archigenes referre uelit, inuenire non est facile, maxime quia confundere & corrumpere solet patriorum nominum significata. Quòd si frementes, de ijs dici intellexeris partibus, quæ à plenitudine intenduntur, non proprie ad musculos, sed cõmuniter ad omnia repleta corpora pertinebit. Cum uero eos capaci cum spatio extendi dixit, puto ipsum hanc, à neruorum plenitudine uoluisse seiungere. Stupide autem pulsare, haudquaquam fuisse recte dictum, iam antea declaratum est. Reliquorum uero dolorum, ulcerosus, inquit, leuiter acutus est. Est autem hæc quoq; oratio obscura, neq; per se quicquam docere potest, haud aliter quàm cæteræ ipsius obscuræ orationes, quas ne enarrare quidẽ possibile est: nisi quis rem ipsam per se intelligens, eam orationi adaptare conetur. Cum itaq; sciueris, tum medicos, tum exercitationis principes, eos dolores uocare ulce-

A rosos, per quos inter mouendũ, uel tangendum, in laborante parte sensus excitatur, qualis in ulceratis partibus percipi solet, facile intelliges per dolorem leuiter acutum, huiusmodi quampiam speciem significari, qualis ab acutę acus punctura fieri consueuit. Ergo constat ipsum, neque continuum esse, neq; æqualiter per omnes partes porrectum. Hunc itaq; dulciorem esse dicit, cum dicere deberet imbecilliorẽ, aut obtusiorem, aut non uehementem, aut minus molestum, aut id genus aliud quidpiam. Nihil enim quod molestum est, proprie dulcius appellari potest. Id autem quod dicit, & pruriginem inducere potest, inarticulate dictum est. quippe haud obscura est inter pruriginis sensum & ulcerosam affectionem differentia.

B Verum quia crebro pruriginosa affectio ulcerosam antecedit, atq; soluta quiescenteq; ulcerosa in pruriginosam transmutatio fieri solet, inde est q̃d de ipsis confuse indefiniteq; Archigenes scripsit. quemadmodum neq; causas harum affectionum alicubi exacte tractauit. Verum nos eas in libris salubrium præceptorũ perfecte exarauimus. Igitur ulcerosus dolor, non solum ad cutem, sed ad imas quoq; partes, usq; ad ossa extenditur. Pruriginosus autẽ reuera ad solam superficiem pertinet, non tamen primario, pro ratione ipsius propria, sed per accidens. Ipsa enim omnes sibi subiacentes partes, spissitudine superat. Horum ergo dolorum uterq;, propriæ affectionis est accidens: fiunt autem ob acres quosdam humores, atq; tantum

C ipsi, quantum affectiones ipsæ inter sese differunt. Sed ut dixi, satis de ipsis in libro salubrium pręceptorum definitum est. Punctorius uero (inquit) dolor, in profundo est. sed nõ recte, nam ad membranas, non ad imas partes proprie pertinet. Infixus autem (ut inquit) cum sinus accesserit. Qui sermo omnino absurdus esse uidetur. Quippe sinus, concauitas quædam est, cum partium antea coniunctarum, altera distat ab altera. Cum itaque fluxione impletur, ita ut adiacentes partes distendantur, tum tensiuum dolorem sentiunt laborantes, non quidem in longitudinem porrectum, sed pro prijs limitibus circumscriptum. At excreto quomodolibet è sinu humore, protinus dolor cõquiescit, nisi ambientia sinum corpora, adeo distẽdan-

D tur, ut inflãmatoria affectione torqueantur. Hæc sunt quæ proprie ad sinus pertinent. Quòd uero ab Archigene dictum est, aliud ab his est, uerum quid intellexerit, cum ita scriberet, haud facile inueniri potest. At quod deinceps scriptum est, non minorem habet dubitationem. Nam stimulans (inquit) dolor non in imo subsistit. Hic enim sermo, cum eo quem in initio huius sermonis præmisit, pugnare uidetur, quo in hunc modum scripsit. Stimulans autem, partim eorum quæ in loco sunt, quidpiam affectum esse declarat, partim contra. Id enim fieri potest, & in parte ossibus maxime uicina, & in cute, atq; omnino in medio, huiusmodi dolore facto ab humore mordaci, sensibilium partium aliquam erodente. Deinde quod in fine eiusdem orationis sic scriptum est: Lacerans

autem est, qui in sinu consistit. Si lacerans quidem idem significat, quod diuellens, mendacium est. Nam illi qui in sinu est, id minime contingere solet. Quòd si non hoc, sed aliud quidpiã dicere uoluerit, quomodo id poterit inueniri? Atq; huiusce modi sunt quæ in præscripto sermone Archigenes posteris memoriæ prodidit.

VIII Igitur transeamus ad alium, qui & ipse ex dolorũ differentia, affectas partes cognoscere docet. Est ipsius series huiusmodi. Hepatis uero dolor, holcimos (id est tractorius) & inherẽs, & torpidus est, atq; atrocius molestans. Splenis autem acutus non est, sed & grauitatem simul, & extensionem habet, atq; similis uidetur ei, qui ad elisionem quidem atq; expreßionẽ, sed extrinsecus incumbentem renititur. Renes & austeros dolores inducunt et cum permanente astrictione pungentes. Vesica uehementer adstringentibus utitur doloribus, atq; intensionibus punctorijs. Vterus autem acutis, persultantibus, pungentibus, distẽdentibus, torminatim incidẽtibus. quippe qui huiusmodi mistione, dolere natus est: quamobrem proprietatis quoq; ambiguitatem inducit. In hoc sermone, iterum Archigenes protinus ab initio, hepatis dolorem holcimon (id est tractorium) esse dicit. Verũ hoc uocabulum holcimos, apud Græcos in usu non est: proinde quid significet, haud facile inuenire est. Nam uocabulorum significationes, ex longo usu deprehenduntur. Atqui uideo, eos, qui illo utuntur, uiscidum per ipsum uelle significare, quale uiscũ esse uidetur, ut cuius una parte tracta, potest per ipsam reliqua illi continua simul attrahi. Sic massa farinæ quoq; ex frumento, holcima dicitur, maxime, si accuratißime subacta fuerit, sed ex hordeis, aut milio pasta, holcima nõ dicetur. Atqui sub hac significatione hepatis dolor haudquaquã holcimos euadet, proinde aliam significationẽ quærere oportet. Itaq; unus ex his qui Archigenis sectam reliquis preponere conantur, holcimon hepatis dolorẽ dici asserit, cum hepar, uel induratum, uel inflammatũ, detrahere iugulum uidetur. Alius, cum diuturno morbo laborat. Alius, cũ mediocri dolore afficitur. Sunt qui tardum ipsum significare uelint, utpote qui acuto aduersetur. Atq; urgentem & adeo uehementem, ut nullam admittat requiem, acutũ uocare ipsum dicunt: contrariũ uero, nempe tardum, holcimon. Nonnulli uero eum dolorem holcimon uel grauem dicũt, qui grauitatis speciem refert, usu enim receptum putant ut de grauitate holce id est tractus dicatur. Multa insuper alia uarie explicant, admirandi illi quidem enarratores, sed quæ intelligantur à nemine. Constat igitur hoc uocabulum holcimos, quod in propositæ orationis initio inuenitur, nihil nos posse docere. At uero deinceps consideremus, quid utiq; sit dolor inhærens. Nam hunc quoq; hepatis proprium esse dixit. Mihi quidem facile persuasum est, persultanti dolori inhærentem per contrarietatem opponi, ipsum dicere uoluisse. Quid enim aliud conijcere quis posset? At uero hepatis dolor, si quispiã alius, uicina cor-

A pora ad consensum inducit. Nam & ad iugulum usq; porrigitur, & spirandi difficultatem creberrime affert. atq; interdum tußim quoq;, ac dysenteriam, neq; raro nothas costas infestat. Igitur quonam pacto uere dicitur eodem in loco permanere? At fortasse satius fuerit putare quòd inhærentem dolorem dixerit, ueluti infixum. Atqui hepatis dolor, ut nuper ostendimus, haudquaquam huiusmodi est. Similiter antea iam declaratum est, ne torpidum quidem dolorem particulæ cuiusquam proprium esse. Nam ad affectionẽ potius referendus est. Si uero etiam alicuius particulæ esset, nequaquam hepatis. Verũ si sanè ita res se haberet, neruosorum corpusculorũ esset. Porrò atrociter molestãs, cum torpido pugnat, utpote qui uiolen-

B tus est, atq; cõtinuus. Sed nec huiusmodi quidem hepatis dolor est, sed potius grauis. At ne grauis quidẽ, exacte proprius hepati est, sed spleni quoque, ac renibus inflammatis cõmunis. Equidem nõ satis mirari possum quo pacto Archigenes ad lienẽ duntaxat, hanc doloris speciem referre tentauerit. Nam uel Hippocratem audire debuit dicentem: Et in renem dolor grauis. Verũ hoc peccatum exiguum forte censebitur. At longe maximum est illud, quod cõmittere solet, nomina scribens cæteris sensibus peculiaria, quemadmodum nunc de renibus quidem, austeros scribit dolores, de uesica uero astringentes. Hæc enim saporum sunt nomina, qui lingua ut instrumento & gustandi sensu dinoscuntur. Igitur res quædam declarat,

C generatim quidẽ per hoc uocabulum adstringẽs, sed magis particulatim per austerum, & acerbum. quippe ambo astringunt, sed magis acerbum, qualis est omphacitis uocata galla. Porrò austera sunt multa, ut mali punici genera, atq; cotonea mala, ac reliqua cõplura mensis apta. Sanè acerba, haudquaquam sunt iucunda, non solum ea quæ medicamentorum speciem referunt, ueluti hypocystis, & balaustium, & galla, & rhus, sed etiam illa quæ cum sint huiusmodi, recipiuntur tamen in cibos. Quapropter non excogitari quidem potest, quid uel austerum, uel acerbum dolorem dicere uoluerit Archigenes, non magis quàm aut ceruleum, aut rubrum, aut fuscum, aut alium aliquem, à coloribus nominatum. Nunc autem quid dixe-

D rit doctor quidam ex Archigenis familia, tempus est considerare. Nam dolorum proprietates Archigenem studiose interpretari uoluisse censet, at quia reuera ineffabiles sunt, eum in huiusmodi nomina absurda incidisse, non intelligentem unamquamq; qualitatum, siue gustabilem siue tangibilem dici posse. Vbi uero multę qualitates circa unam essentiam apparent, ibi & proprietatem fieri contingit, idq; maxime in gustu uidere est, si aliquãdo & amaritudinem, & dulcorem, & austeritatem, & acrimoniam, in una essentia apparere contigerit. Sic enim in gustu proprietas quædam oritur, ineffabilis illa quidem, si unico nomine ipsam explicare tentaueris, sed quæ dici tamen potest, si per singulas qualitates discurras, eo addito, quod & magis & minus declarare,

haud impoßibile est. Ita & herbas uniuersas, et reliquam quoq; materiam enarrauerũt medicorum non pauci, singulas qualitates, quæ enunciatis rebus insunt, explicantes. Ergo Archigenes, si uniuersam essentię proprietatem unico nomine comprehendere uoluerit, indoctus omnino fuisset, id quod de Archigene nequaquam sentiendum est. Si autem simplices qualitates, ipsæ quidem ineffabiles non sunt, earum uero quantitas, exacta quidem mensura, ineffabilis est, quanquam sub latitudine quadã explicari potest. Igitur longiori sermone uti non oportet, cum ea species ob oculos omnibus sit posita, qua uti debet is, qui quamlibet rerũ sensibilium interpretari aggreditur. quippe omnium tangibilium qualitatum propria habemus nomina, haud secus quàm gustabilium, uisibilium, & audibiliũ. Atq; omnibus ijs patrio more uti debemus, & neq; adstringentem, neq; austerum nominare dolorem, utpote quę saporum propriè appellationes sint. Plurimi enim medici Archigene antiquiores, cum dolorũ differentias conscriberent, haudquaquam ausi sunt à consuetudine in nominum usu recedere, quæ & ab ipsis laborantibus audire licet, qui perinde se dolere interdum aiunt, quasi acu pungantur, ac rursus perinde, ac si terebro perforentur. Quinetiam uideri sibi aiunt contundi sese, & diuelli, & tendi, & retrahi, & detrahi, & grauitatis cuiusdam sensum percipere, interdũ ex superioribus dependentis, interdum circumpositis incumbentis. Igitur ut huiusmodi nomina omnia facile intelligũtur, ita astringentes, & acerbi, & austeri dolores, intelligi haudquaquam possunt, ac præterea ab usu omnino alieni sunt. Hæc intelligere debuit Archigenes, cum docere nos uellet, quomodo loci affecti poßint cognosci. Nam omnis qui de doloribus habetur sermo, uanus, nugarumq; plenus esse censetur, nisi ex his quæ laborantes ipsi dicunt, eos cognouerimus. Ergo si ab ipsis, quomodo dolent, discere oportet, nunquam uero dicunt acerbum, aut austerum, aut atrocem, aut holcimon dolorem, rursus inutilis erit huiusmodi doctrina. Præterea ex eo loco quo dicunt Archigenẽ interpretari uelle dolorum proprietates, hæc docendi ratio tum impoßibilis, tum inutilis esse planè uidetur. Primum enim uel ipsis autoribus non omnis ipsorum proprietas enunciari potest: quod cum ita sit, omnino fieri non potest, ut ea sub doctrinam cadat, utpote quam ij duntaxat qui sensibiliter ipsam percipiũt, noscere possunt. Deinde ea nobis ignota sit necesse est, qua non laborauerimus, nisi fortasse Archigenes omnes sui corporis partes habuerit affectas. quod licet concesserimus, fieri tamẽ non potest, ut credamus unum hominem omnes singularum partium affectus fuisse expertum. donemus tamen (si uolueris) hoc quoq;, quanquam impoßibile est. Nam uteri saltem affectus nunquã scilicet percepit Archigenes: nihilominus huius proprietates conscripsit, quę à solis mulieribus expertis dinoscuntur. Itaq; admirationem (ita dij me ament) sæpenumero mihi induxit, ex qua tandem

A ratiocinatione, tam absurdam hanc doctrinã collegerit: quam & si ueram contendis, nihil tamẽ ex ea utilitatis prouenire fateri cogeris, nullo infirmo suos affectus per Archigenica nomina interpretante. Nam quod nonnulli laborantium fastidire stomachum aiunt, id nobis, eo quòd aliquando ita fuimus affecti, planè notum est. sicut etiam mœstitia torqueri, quippe quosdam sic fuisse affectos satis constat. An uero austero dolore, ab Archigene dicto, quispiam fuerit affectus, intelligi non potest: utpote nemine sciente, cuinam rei nomen hoc adaptauerit. Nam punctorium, & distendentem, atq; eos qui conformiter nominantur, atque ijs multo magis uehementẽ, & fortem, & uiolentum, & continuum, & intermittentem, nemo

B est qui non nouerit: utpote qui per nomina à consuetudine non abhorrentia, enarrantur, & quos quotidie euenire uidemus. At austerum, & astringentem, & atrocem, & holcimon, ut nemo profert, ita si quis fortasse proferat, nemo intelliget. Cæterum oportet, & affectum esse communem, & appellationem ipsum declarantem, ab auditorum consuetudine non aberrare, ueluti cum stomachum premi dicimus, id quod nemo non dicere solet. quippe tali sæpenumero sensu afficimur, qualem extrinsecus onus aliquod incumbens, inducere potest, idq; in nonnullis oris uentriculi affectionibus, quod per abusionem non solum populares, sed probatißimi quoq; medici stomachũ appellant. Quin etiam inter uehementer respiran

C dum, nonnunquam grauitatem in dextra præcordiorum parte sentimus. id si citra febrim eueniat, aut obstructione aut dura affectione hepar laborare conijciendum est. Veluti cum inflammatione infestatur, febrim comitari necesse est. Itaq; omnia huiusmodi & dici possunt, & manifesta ac nota sunt omnibus medicis Archigene prioribus, atque sine absurdis illis nominibus ab illis ipsis prodita. Archigenis uero doctrina hoc habet exactè proprium ut non nouarum rerum, sed nominum rem nullam declarantium, enarrationi studeat. Nam librum De pulsibus, huiusmodi nominibus impleuit. quamuis ille, ut in cõmentarijs De pulsibus ostendimus, haudquaquam translatis indigeat nominibus.

D IX. Equidem uellem Archigenem, tantorum medicorum successorem, aliquid lucis doctrinæ addidisse, sed eam ita obscurauit, ut ne nos quidẽ, qui in artis operibus iam senuimus, dicta ipsius intelligere ualeamus. Quod igitur illius erat officij, id ego præstare nitar. docebimus etenim in primis uiam & rationem uniuersalem, cuius adminiculo, & ipse affectos locos inuenire, & cæteris uiam ostendere poßis. Igitur ut in priore libro dictum iam est, uia & ratio huiusmodi est. In primis enim quærendum nobis est an singulorum locorum quomodocũq; afficiantur, propria signa inueniri poßint. An pro affectuum ratione alterentur. Deinde utrum singulorũ affectuum propria sint signa, an circa quamlibet partem uarientur. Ita ut oportet & loci, et affectus non immemores,

deinceps signa perstringere. Veluti si ita acciderit, ut pulmo inflammatione laboret, tanta inducet spirãdi difficultas, tantaq; angustia, ut suffocari laborantes uideantur, ac recti sedere conentur. quem affectum orthopnœam nominant. Quinetiam calidam sentiunt respirationem, idq; maxime si erysipelatis particeps fuerit inflãmatio, quo circa ubi plurimum efflant, iuuari uidetur, ac multum aerem frigidum attrahere concupiscunt, atque inter tussiendum sputum expuunt, idq; modo hoc, aliàs alio colore infectum, ut interdum rubrum, interdum flauum, aut fuluũ, ac spumosum quoque, & nigrum, & liuidum appareat. Insuper grauitatis cuiusdam thoraci incumbẽtis sensum, sæpenumero percipiunt, ac dolorem ex imo ad ipsum peruenire, & ad pectus, & ad spinam. Præterea acuta est ipsis febris, Pulsum uero habent, qualẽ in libro De pulsibus diximus. Sic ubi membrana costas succingens inflammata est, acuta febris infestat, accedente pulsus ea quam in cõmentarijs De pulsibus diximus proprietate. Est autem dolor punctorius, unà cum spiritus difficultate, ac magna ex parte sputũ colore infectum apparet, haud secus quàm in peripneumonia. Igit utrosq; affectus spirandi difficultas necessario comitatur, eo quòd affecta particula spiritus sit instrumentũ, oritur autem febris, & propter affectum ipsum, & propter positum. Nam & pulmo, & succingẽs costas membrana prope cor constituuntur. Inflammatio uero calidus affectus est. Sic etiam tussis, ipsis ut spiritualib. cõuenit. Sed quòd aliquid expuitur, id ab effectu ipso procedit. Quippe iam ostendimus, omnem inflammationem, ex affluente fieri sanguine. quapropter si biliosus fuerit sanguis, flauũ, aut pallidum erit sputũ. Si pituitosus, & spumans, & candidum. Si melancholicus, aut nigrum, aut liuidum. Si nihil horũ sanguinem infecerit, rubrum. Quinetiam in laterali morbo sæpenumero magis biliosum, in peripneumonia uero magis pituitosum sequi consueuit. Sed de hoc satis iam declaratum est. Quòd autem inflammatarum harum partium excremẽta per asperam arteriam efferuntur, eius rei causa, tum ad positum, tum ad formationem referenda est: quippe quæ per solam hanc uiã effluere possunt. At uero uentriculus duos habet meatus, ac quod in eo uitiosum est supernatare solet, uomitioneq; eijcitur: quod uero in intestinis continetur deiectione uacuatur. Veluti renum, uesicæq; excremẽta meiendo excernũtur. Cerebri uero redundantia, per nares præcipue, nonnunq; uero per palatum, & aures uacuatur. Igitur sedes affectæ dinoscuntur, & ab accidentibus, & ab actione læsa, & excrementorum qualitate, & à tumoribus præter naturam, & doloribus, & à coloris uitio quod sequitur, uel in uniuerso corpore, uel in una quapiam parte, uel duabus, idq; maxime in oculis, & lingua, quibus addere potes, si uis, eam quoq; affectionem quæ proprie per cõsensum afficere dicit, ueluti in priori libro iam diximus. At nuc tempus esse uidetur, ut amicos, quorum petitioni obtẽperans, hos

A commentarios scribere aggressus sum, ad exercitationem inducam. fit aũt exercitatio omnis cum particularia sub eandem uiam & rationem ducuntur. Huiusmodi autem doctrinæ specie, ut persæpe ostendimus, non aliud inuenitur utilius. quippe uiæ, & rationes, ubi solæ sine multifaria secundum ipsas exercitatione cognoscuntur, haudquàquam possunt perfectos efficere discipulos. Quũ igitur in superioribus uiam ac rationẽ dixerimus, ad exercitationis modũ accedamus. In primis quidem intueri oportet, nũ actio aliqua sit læsa, quippe cum ipsa proprium actionis instrumentum affici necesse est. deinde ubi actionẽ læsam esse perspexeris, ad modum læsionis accedendo, considera ad quam affectionẽ proprie pertineat. Postea

B affectam particulam nota, num tumore quopiã, aut dolore infestetur, & quidem accurate cuiuslibet horum speciem inuestigando. Nam nõ solum tumorum, uerumetiam dolorum quoque, uarios modos didicisti. Aspice subinde affectę partis excrementa, per quem meatum uacuentur, ac uide, num aliquid essentiæ ab affecta parte secernatur. Ad hæc utrum omnino incocta sint ipsius excrementa, an mediocriter cocta. Ac deinde quibus uniuersum corpus, quibus priuatim quædam corporis partes fruantur, partim circa actiones suas, partim circa colorem, aut figuram. Esto enim ut quispiam inter respirandum in notharum costarũ loco doleat, non protinus hunc esse pleuriticum suspicari debes, sed in primis quidem, an tussiendo aliquid expuat, intueri. id enim si coloratũ, ut

C dictum est, uideris, tum ipsum pleuriticum esse dices. Quòd si tussiendo nihil omnino expuat, fieri potest, ut nihilominus pleuriticus sit ille quidem, sed inflammationem habeat, & incoctam & strictam, adeo ut nihil ab ea foras eijci posit. Ac fieri quoq; potest, ut ob hepatis inflammationem, dolor in iam dicta sede excitetur: intentis uidelicet internis uinculis, quibus nonnullorum iecur costis alligatur, atq; sic dolor ad succingẽtem costas membranam perueniat. Verum nequaquam similis est pulsus, in hepatis, & membranæ costas succingentis inflammatione, ac ne alui quidẽ excrementa similia sunt. Imò hæc non in qualibet iecinoris inflammatione insunt, sed in his affectibus

D qui proprie iecorarij nominantur. Igitur ubi nihil excernitur, à quo indicium aliquod sumi posit, satius fuerit præcordiorum dextram partem tangere: quòd si nullus apparet tumor, ne sic quidẽ desistere oportet. quippe fieri potest, ut in sola sima hepatis parte sit inflammatio. similiter etiã in gibbis partibus, ubi non omnes, sed hæ duntaxat intumescunt, quæ à nothis costis conteguntur. Itaq; laborantem, ut uehemẽter respiret, monere oportet, deinde interrogare, num grauitatem sentiat, aut suspensam à superioribus, aut incumbentem uicinis. Accidit aũt aliquando, ut in his, haud secus quàm in hepate, oriatur tumor præter naturã, cuius occasione septum transuersum oppressum, respirationem efficit difficiliorem, atque qui ita laborant, ab exigua tussi irritentur. Ergo in huiusmodi

modi affectionibus solidum firmumq; discernendi indicium per omne tempus morbi à pulsu sumendum est. deinde tractu tẽporis, reliqua quoque accidentia cõsideranda sunt. Nam & linguæ, & uniuersi corporis color alteratur, ubi hepar uitiatum est. Sicut rursus thorace affecto, tussis increscit, atq; eo tempore omnino apparent ea, quæ tussiendo expuuntur. Igitur quemadmodum fieri non potest, ut illæsis spirandi, tum partibus, tum instrumentis, difficilis fiat respiratio: accidit autẽ interdum, nullo existẽte in ipsis proprio morbo, sed transuerso septo, aut detracto, aut oppresso, ut homo difficulter spiret: Ita etiam usu uenire solet in ea sede, quæ principem in se animæ facultatem continet. Nam cum & scientia, & opinio, atq; cogitatio omnis in ipsa consistat, si harum aliqua lædi uideatur, protinus ipsam quoq; affectu quopiã laborare arbitramur. Nã ubi uel in pleuritide, uel peripneumonia delirium incidit, nemo uel à costa, uel à pulmone accidens hoc prouenisse dixerit. Quippe uniuersi eam partem, in qua princeps animæ uis residet, cõsentire putãt, ac nititur quisque ut modum consensus sectæ suæ conformem ostendat. Verum in aliis affectibus non consentire, sed primogenio ipsam affectu laborare aiunt, ueluti in lethargo, & phrenitide. Vndiq; uero affici, ubi propriarum ipsius actionum aliqua lædi tur. Proprias actiões dico, quas per nullam aliam partem, uelut per instrumentum, facit. Nam reuera & uidere illam, & audire haudquaquam negandum est, sed uidere oculis, & audire auribus. Atqui ut cogitet, & reminiscatur, & existimet, & eligat, neq; oculis, neq; auribus, neq; lingua, neq; alia quapiam parte utitur. Quòd si hæc animæ pars ita esset in continente ipsam corpore, ut nos in domo aliqua, fortasse nullam omnino ei noxam afferri putaremus à loco: quoniam uero ipsam lædi uidemus, quomodo lædatur, est inuestigãdum. Si uero ueluti forma quædã corporis est, ab ipso inseparabilis, eam lædi non inficiabimur, ob suscipientis ipsam corporis alterationem. At quia de hac re inter philosophos ingens pugna est, aliis eã ueluti in domicilio contineri dicentibus, aliis uero ipsam corporis formam esse putantibus, idcirco quomodo lædaẽ, inuẽtu perdifficile est. Quòd uero læditur, ab experientia discere licet. Etenim ubi fracto capitis ossi, terebra adacta est, si quis uehementius comprimat, protinus sensum omnem amittit laborans. Quinetiam si inflammatio quædam oriatur. Nam hanc etiam euenire interdum uidemus: mentem itaq; lædi minime negandum est. Preterea nonnulli per uehementem capitis ustionem delirauerunt, atq; per fortes ictus capiti adactos sæpenumero stupidum soporem sequi uidere est: multi quoq; affectus in capite consistentes mentem haud obscure uitiant. adeo ut etiam populares, cum aut delirare aliquem, aut mẽtem quomodolibet affici cõspiciũt, capiti remedia adhibenda esse censeant. Verũ enimuero quòd principium sensus & motionis ab impetu prodeuntis, sedem in cerebro habeat, & quòd hoc à mem-

A branis (Græci meninges uocant) contegatur, id in aliis commentariis, quàm uerissimum esse, declaratum est. Nunc uero quomodo distinguantur affectus primitiui ab his qui per consensum eueniunt, considerandum est. Nam huiusmodi speculatio proprie ad hoc nostrum institutum pertinere uidetur, & quidem non sine manifesta utilitate: quippe ad curãdi rationem in primis pertinet, cui nam parti remedia sint adaptanda cognouisse. Nam per solum consensum læso cerebro, si ea pars quæ primitiuo affectu laborat, fuerit curata, prius quàm cerebro propria aliqua eueniat affectio, nullum in ipso relinquitur accidens. Quòd si ex cõsensu, permanẽs aliqua fiat in ipso affectio, tum non solum parti quæ primitiuo affectu laborat, sed capiti quoque remedia adhibere oportet.
B Quapropter exacte definire, utrum cerebrum, an membranæ ipsius primitiue afficiantur, haud magnam utilitatem afferre potest. In utraq; enim affectione capiti succurritur. Igitur huic rei non ita uehemẽs studium adhibere, sed morbi potius essentiam, qualis sit inuenire conuenit, quippe humidum exsiccare, aridũ humectare, frigidum calfacere, calidum refrigerare oportet. Ac si coniugatus fuerit affectus, per contrariam cõiugationem ipsum curare, ut calidum & siccum humectare & refrigerare, humidũ frigidumq; exsiccare & calfacere, atq; in reliquis duabus cõiugationibus ad portionem, ac in cæteris morbis omnibus, eadem ratione similiter facere conuenit. At uniuscuiusq;
C speciem, in libro De morborum differentiis persecuti sumus. Cum itaq; & cerebri, & membranarum eius, iidem morbi simili curatione indigeant, logica magis, quàm ad curationem utilis esse uidetur questio, in utrolibet illorũ contineatur princeps animæ facultas. Verum an in corde sit ea facultas, longe diuersa, atq; omnino differens est questio. Esto enim ut à flaua bile in corde & accumulata, & putredine affecta, phrenitis sit excitata, nónne delirare uidebitur is, qui caput oxyrhodino (id est oleo rosaceo cũ aceto) perfundere iusserit? Nam si hoc præsidio phrenitidis causa sanari possit, non capiti, sed thoraci, ipsum adhibere poterat. Neq; tamen uniuerso thoraci, sed illi duntaxat parti, in qua cor continetur. Atq; ut hæc à no-
D bis pulchre sunt definita, ita illud, non solum affectum locum, uerumetiam causam illi noxam inferentem, considerandam esse. ut exempli gratia, delirium est accidens eius actionis quæ à loco mentis compote prodit: similiter sopor profundus ac stupidus. sed à contrariis causis oriũtur, quippe & uigiliam & deliriũ, causa potestate calida efficit. At quotquot somnolẽti & soporosi sunt affectus, omnes à frigida causa proueniunt. id quod ex medicamentorum natura plane discere licet. Quippe frigida stuporem soporemq;: calida uero uigilias, & uarias motiones inducũt. sed quid opus est fortia medicamenta enumerare, cum quotidie uideamus & lactucas, & potabilium, calidarumq; aquarum balneas, & uinum modice dilutum, somnum inducere? reliquorum medicamentorum exem-

exemplo, quæ & humectare & refrigerare possunt: quæ uero ijs contraria sunt, uigilias excitare. Itaq; tenuis ratio uictus, & uinum meracius, uigilias inducunt, idq; multo magis, cum uinum meracum, aut suapte natura fuerit calidum, aut ualde antiquum: ueluti apud nostrates Pergami olim accidisse, memoriæ proditum est: neq; absurda uidetur historiæ ipsius narratio. Grāmaticus quidam, singulis diebus balneum petens, unum ex pueris secum ducebat, altero domi relicto concluso, qui rem familiarem seruaret, atque ea quæ ad uictum essent necessaria, præpararet. Puer itaque domum custodiens, cum uehementi siti cruciaretur, nec esset ei aquæ domi copia, uinum antiquum liberaliter potauit, atque ex reliquo tempore uigil omnino permansit. Postea correptus febre, unà cum uigilijs oborto delirio perijt. Cæterum animantia quę frigidiori sunt natura, per hyemem ob frigoris uim, perinde ac si mortua essent, latitare solent. Atque tum uiperas quoque uideres, si manibus tractentur, deferanturq;, haudquaquam mordere. Nam per æstatem, tum hoc animal, tum serpentes reliqui omnes, maxime sub caniculæ feruore, cum uehemēter æstuant, furorem præ se ferre uidentur, adeo ut ne exiguo quidem momento quiescere possint. Quod intelligens Nicander, sic de Cenchride cecinit,

Non temere offendas calcādo Cenchridis artus,
Dum furijs agitur.

Verum de ijs alibi pleniorem inuenies & enarrationem & demonstrationem. Siquidem calida causa ad motum excitat, atque idcirco uigilias affert: frigus autem ociosum, & ad motiões pigrum reddit animal, ob idq; somnū, soporemq; inducit. Igitur qui hæc intelligit, cum per ardentium febrium uigorem, hominem uiderit & uigilare, & delirare, deinde inclinante iam febre & dormire, & recte sapere, in capite nullam propriam esse affectionem, sed à febris abundanti in caput calore, delirium fieri existimabit. Sic etiam in peripneumonia, & laterali morbo, cum ad uigorem febris peruenerit, delirium sequi solet, nullo existente in capite proprio affectu. Quippe tum affectus proprius esse putandus est, cum permanere in parte quapiam conspicitur. Vnde si in laterali morbo, permanens eueniat delirium, caput proprium habere morbum existima, ita ut quamuis lateris morbus quiescat, possit tamē capitis morbus permanere. Sæpenumero enim uidimus glandularū tumorem ob ulcus aliquod obortum, ulcere curato, deinde diutius infestare. Ergo cum pars aliqua simul cum alia sic afficitur, ut irritata quidem una, altera uehementius molestetur, remissa uero irritatione quiescat, eam per consensum affici putandum est. Hæc enim una cōiectura communis est. Sed de cerebro, ut dictum est, proprium sumitur indicium, si non assidue delirium permaneat, sed auctam febrim sequatur. Atque eadem ratione fieri solet, ut cum febrium accessiones irruere incipiunt, sopore laborantes grauentur, quòd hoc tempore cerebrum uehementer sit refrigeratum: quippe quod alioqui paratissimum est, ut noxam huiusmodi subeat, cum intemperiem habeat frigidam. non uero tantam, ut hæc sola prædictorum accidentium possit esse causa, sed cum accessio ab initio processerit, frigus adeo increscit, ut soporem queat inducere. Id uero, ut dixi, fieri consueuit, uel ab intemperie frigida, uel à pituita in cerebro exuperante.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII

Cap. 1 Quòd actionum noxæ ipsarum actionū instrumenta affecta esse declarant, aut primitiuè: aut per accidens, ut in his qui stomachi uitio suffunduntur.

2. Quòd scire oportet, quomodo læsa actione distinguantur partes primogenio affectu laborantes, ab his quæ per consensum afficiuntur. 3. Quòd partes, quarum actiones aliunde ob consensum læduntur, aliæ quidem in substantia sua dispositiones prauas habent: aliæ uero priuātur, aut materia, aut facultate, quæ ipsarum uiribus influere solebat: (& sic duplex est morbus per consensum, quorū prior magis propriè sic appellatur.) Multa contra Empiricos, & quod in ijs quæ raro accidunt nihil ipsorum secta conferat, sed sola ratio. De seipso gloriatur. Affectum locum ex quinque rebus indicari. 4. De memoria perdita (quod malum aliàs ex causis frigidis & humidis, aliàs ex siccis, ut nimijs uigilijs & laboribus oritur: ut errauerit Archigenes, qui semper huic affectui exiccantia, adurentia, sinapismos & cucurbitulas uidetur adhibere uoluisse) & de alijs affectibus qui circa principem animæ facultatem euenire possunt. Contra Archigenem principatum animæ in corde statuentem copiosissime tractatur: Multa etiam contra Empiricos rationem negantes, & omnia fortuito casu inuenta asserentes. Catoche, Stultitia, Lethargi, Soporosæ affectiones, Sopor uigilans, attinguntur, copiosius autem in sequente capite. 5. De stultitia, sopore, lethargo, phrenitide, & mania, & quibus notis deprehendantur. Causæ conuulsionis neruorum, cuius species etiam epilepsia est. Obiter cerebrum esse animæ sedem. Crassorum humorum, ut pituitæ & bilis atræ species. Deliria diuersa, &c. 6. De melācholia: eiusq; notæ & species. De Hypochondriaca seu flatuosa melancholia ex Diocle, &c. 7. De morbo comitiali. (Venenorum ratio obiter.) De apoplexia nonnihil.

8. De uertiginosis. 9. De cephalea & hemicrania. 10. De apoplexia, neruorum resolutione, & conuulsione. 11. De olfactu.

GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA LIBER TERTIVS



E affectis locis, sic enim uocãt corporis partes, pauci admodum medici scribere aggressi sunt, ac multo plura quam attigerint, omiserunt. Itaque cæteris silentio præteritis, unius Archigenis haud indigni qui omnibus præferretur, meminimus. diximus enim eum sermonem, quo asserit actiones quasdam lædi, illæsa ea corporis particula, quæ ipsis deputata est, discussione egere. defendi enim potest, si pars per alterius consensum læsa, nondum permanentem habeat affectionẽ, sed ueluti umbra quædam, ut ipse dicebat, insit hæc ei affectio. Nam si ad ignem quis propius accesserit, ut ferè comburi uideatur, citra tamen ustionẽ, dolebit quidem uehementer, sed calfacta parte nihil adhuc patiente: Sic etiam ubi ambiens aer uehementer frigidus, aut aqua exactè frigida, aut nix infestat, grauis admodum dolor excitatur. Atqui ablata re quæ nocuit, protinus conquiescit affectio. Quamobrem satius fuerit, ut dicamus, nomine id ipsum indicante, affici quodammodo eam partem, quæ alteri consentit. Neque enim pars quæ nihil patitur, sed ea quæ cum alia patitur, consentientis uocabulo significatur. Itaque cum affecto stomacho, oculi similibus infestantur casibus, quales in suffusionibus apparere solent, dicẽdum est illos pati, elato ad cerebrum ab humoribus in uentriculo contentis, fumoso quopiam uapore: non tamen adeo afficiuntur, ut ablata re quæ molestiam intulit, propria curatiõne egeant. Verum huiusmodi disputatio, ut dixi, ad dialecticam potius pertinet. Quęcunque enim quæstiones usum transcendunt, qualis sit rerum natura secundum propriam essentiam indagantes, haud dubie logicæ esse censentur. Sic enim Chrysippus philosophus cũ de animi ægritudinibus scribere instituisset, uno quidẽ libro curãdi rationẽ tradidit nobis ad earum curationẽ in primis necessario, alijs uero tribus logicas quæstiones est complexus.

II Igitur quot sint læsarum actionũ modi, Archigenes parum accurate explicuit, quãuis hæc quæstio, & melior, & huic nostro proposito utilior fuisset, quòd & primo affectę, siue proprie affectæ, siue quomodolibet nominaueris, corporis sedes ita deprehenduntur, & curandi quoque facultas abunde suppetit. Ego uero in uocalibus instrumentis id iam exposui, ac in eo quoque, qui in manu sensum amisit digitorũ, ipsis non affectis: quippe inuenta in dorsi initio pars, quæ primò afficiebatur, idoneam curationem ostendit.

III Sed aliter eueniunt suffusionis accidentia, affecto uẽtriculo: atque aliter ei, qui ab alto decidit, nullo existente in uocalibus instrumentis uitio, uox intercepta est. Denique alia cõsensus specie laborabat is, cuius digiti sensum amiserant. Siquidẽ

A oculi uexabantur quòd ascẽderet ad eos aliquid, uox autem quòd materia eius esset oblæsa. Sed digiti idcirco torpebant, quòd sentiendi facultas ad ipsos non descendebat: proinde satius fortasse fuerit, ut existimes, tum uocalia instrumenta, tum digitos nulla affectione laborasse, id quod de oculis haudquaquam dixeris. Nam his ut fumoso uapore impletis affectus ipse inest. Vocalium uero instrumentorum, atque digitorum officium læditur, non quòd ueniat ad eos quippiam præter naturã, sed quòd careant eo quod secundum naturam ad ipsos uenire debet. Læso igitur nerui iuxta spinalem medullam exortu, uis sentiendi digitis nõ influit. Guttur uero summum resolutis intercostalibus musculis, spiritum qui efflatur non recipit. Nihilominus rectè dixeris, in ipsis hanc esse affectionem quòd non perueniant ad ipsas partes ea, quę antea cum secundum naturam se haberent, uenire solebant. Etenim fontes affici haud absurde putaueris, si non perueniat ad ipsos aqua. Sic Cerealium quoque frugum è terra prodeuntium, squalor immodicus, affectio est, & animalium, cibi potionisque penuria. Quoties enim alicui deest illud, sine quo secundum naturã, munere suo fungi non potest, ipsum optimo iure affectum esse putãdum est. Sed huiusmodi quæstiões (ut iam dixi) ad dialecticam potius pertinent. Cæterũ magna medicorum pars negligit eas considerationes, quæ uel læsis, uel deperditis actiõibus, necessarię sunt. Cum enim duæ tres'ue fuerint aliquando huiusmodi actiones, accidit interdum, ut una particula affecta, reliquæ illi consentientes in suis actionibus simul lædantur, interdum uero, ut omnes eodem modo afficiantur. Atque accidit interdum, ut harum aliquæ affectionem habeant (ut ita dicam) hecticam, id est quæ tenaciter hæret, reliquę uero (ut sic dixeris) cata schesin, id est leuiter inhęrentem, & quæ facile discutitur, de quibus secundo libro De uiuorum dissectione, atque in eo qui hunc præcedit, iam diximus, ac nõnihil in sequentibus quoque dicemus, ut uidelicet futurum sermonem, qui sine huiusmodi definitionibus explicari nõ potest, perficiamus. Sed iam enarrare aggrediamur, id quod admodum utile fuerit perdixisse, propter eos qui uerbo quidem demonstrare nituntur affectorum locorum inuestigationẽ medicis esse necessariam, opere uero illam euertunt. Atque unum aliquem affectum pro exemplo sumamus, sitque is pleuritis, in qua latus esse affectũ, dolor ipse declarat. Sed utrum quæ succingens appellari solet, siue membrana siue tunica (nihil enim refert) inflãmetur in pleuriticis, an alia quædam lateris particula: præterea utrum pulmo secundum fibras siue apices necessario afficiantur, an omnino affectionis sit expers, scire nihil ad rem pertinere autumant ij, qui usum & experimenta præferũt: multos enim pleuriticos alios unà cum

præ

præceptoribus, alios sua tãtum industria se curasse dicunt, obseruatis ijs præceptis, quæ ab Hippocrate in libro De ratione uictus in acutis morbis, præscripta sunt. item quid ipsis prosit, & quid noceat plane noscere, euidentiaq; signa habere, quibus discant cui uenam secare oporteat. Insuper de fomentis, cataplasmatis, uictus ratione, alui ductione, nihil sibi ad completam notitiam deesse, idq; ex longa experientia. Sed quid uel Hippocratem, uel alium quempiã illo priorẽ induxerit, ut hęc inueniret auxilia, se penitus ignorare: satis ipsis esse, si iam dictis remedijs commode utantur. id quod alios quoq; artifices facere uidemus. Neque enim faber, siue lignarius, siue ærarius, neque coriarius, quo pacto artes suæ fuerint inuentę, inquirunt, sed à præceptoribus edocti, usu eas probant, & confirmant, atq; sic clarum nomen assequũtur. Equidem, ut uerum fatear, cum medicos qui se empiricos ab experientia nominant, talia proferẽtes audio, inducor certe ut probabiles putem eorum rationes, uidenturq; mihi Dogmatici, contra illos parum idonea se responsione tueri. Proinde ut cæteris in rebus omnibus temerarium assensum semper cohibui, ita in inuestigandis singulorũ morborum remedijs diu multumq; apud me cogitaui, an logica demõstratione indigerem, an sufficerent ea præcepta quæ ab experientia, & præceptoribus, atq; ex meipso didiceram. Igitur ea quæ diutina inquisitione longe optima iudicaui, ita me dij ament, ueritatis amatores docere nõ grauabor. Nihil enim causæ est, quamobrem mentiar, quod facere solent ij, qui uni sectæ addicti, omnem ex ipsa gloriam quærunt. quippe contentiose eos defendere oportet, eam sectam ueram esse, quam unicam nouerunt. nam ex nullo alio disciplinarum genere, gloriam sperare possunt. Ego uero re ipsa, & publice, & priuatim, apud eos uidelicet qui sectam quamlibet à me discere cupiebant, ostendi, in omnium sectarum scientia (ne maius quicq; dixero) me esse posthabẽdum nemini. Quòd si uni sectarum patrocinium ferre uelim, ita in promptu sunt mihi rationes, ut non uerear ne quis me conuincat. Non enim ut nonnulli faciunt ex libris eas didici, sed præstantissimis in unaquaq; secta præceptoribus usum sum. Neque sane odisse possum empiricos quorum præceptis sim institutus, uel dogmaticos: pari eñ studio omnibus dedi operam, uersatusq; sum cum præstantissimis in unaquaq; secta præceptoribus. Itaque innotui Romæ, tum primoribus eius urbis ciuibus, tum imperatorib. deinceps omnibus, & quidem ob artis opera, non ob sophisticas rationes: quamobrẽ nihil prohibet, quo minus de unaquaque secta uere dicam ea quæ sentio. Igitur per artis exercitationem comperi, eam remediorum inuentionẽ quæ ex uera demonstratione procedit, in his quæ raro accidunt, experientia longe præstare. Vnde multos morbos curaui, medicamẽtis ab experientia maxime alienis, quæ quidem in libro De curãdi uia & ratione latius explicata sunt.

Nunc uero ea duntaxat perstringam, quæ nostro proposito magis accommodata uidebuntur. Nam cõperi læsas actiones non solum in singularibus partibus laborantibus, uerumetiam in alijs quibusdam particulis, quæ licet actionem non habeant, usum tamen quendam præstare uidentur. Sic etiam instrumentalium partiũ morbos, actioni nocentes deprehendi. Quibus præcognitis, inueni deinceps morbos quosdam, contineter plurimos homines infestãtes, alios uero raro accidentes. Atqui experimenta tantũ spectantes medici, non ea quæ raro, sed quæ crebro accidunt, memoria & imitatione assequuntur. Quocirca affectionum raro euenientiũ, non solum curationem, uerumetiam præuenientes ipsarũ notiões negligũt. Proinde primũ inuestigaui quomodo cognoscendæ sunt, inueniq; earũ quasdã scientifica deprehẽdi posse notitia, nonnullas uero artificiosa uocatã cõiectura, atque idcirco ipsas magna ex parte rectas. Eiusmodi eñ est artificiosę cõiecturę uis. Verum tum has ipsas, tum uel maxime quæ raro eueniunt affectiones, scientificãq; notitiam admittũt, indigere semper inueni affectarũ partiũ notione. Itaq; medicinã professus, usq; ad senectutẽ, nunq; in hodiernũ usq; diem turpiter me gessi, neq; curando, neq; præsagiẽdo, id quod celeberrimis quibusdam medicis interdũ accidere memini. Quod si quis gloriã ab artis operibus, nõ à sophisticis sermonibus assequi uoluerit, is nullo negocio facili cõpendio colligere poterit ea, quæ per omnẽ ferè ætatẽ diligenti inquisitione inueni. Idq; sibi persuasum habeat, hac uia & ratiõe, medicamẽta me inuenisse, quibus morbos raro euenïẽtes curarẽ, cum antea neq; præceptorem uidissem huiusmodi morbos curãtem, neq; ipse aliquod expertum haberem remedium. id quod, per deos immortales, affirmare nequaquam timeo. Quippe uitiatã actione, semper inuestigare studebam, quænã sedes, uel ipsa afficeretur, uel alteri consentiret. cũq; eam inuenisse persuasum mihi esset, tum affectionem ipsam quærere, atq; ex utrisq;, totius curatiui generis indicationem sumere, simul remediorum & quantitatem, & qualitatem, & idoneã materiam inuenire. præterea cum prædictis, & ætatem, & naturam laborantis, tum anni tempus, & terram, & id genus alia, quorum in Hippocraticorum librorum enarratione memini, perpendere operæprecium ducebam. Verum superioribus duobus libris hunc præcedentibus, nisi fluxa admodum fuit memoria, didicisti affectas sedes posse deprehendi ab excrementis, atque ijs quæ affectis partibus adnascuntur, item actione læsa, quibus connumerantur & color præter naturam, & figura. Sed excrementa trifariam diuiduntur: aliquando enim affectarum sedium partes, ipsarum uidelicet essentia uel soluta uel dissecta excernuntur, interdum ea quæ in ipsis continentur, nõnunquam aliquid quod morbosas affectiones sequitur. idq; uel solas, uel semper, uel magna ex parte. Cum itaq; in quibusdam affectibus, nulla alia mihi pateret uia, sola actionis læsio satis conducebat ad affectarum partium inuentionem.

IIII Igitur cum deperditam cuiusdam memoriã restituere oporteret, essemq; adhuc iunior, ac neq; præceptorem unquam uidissem, qui huiusmodi affectionem curasset, neq; apud ullum antiquorum curationem legissem: primum quidem apud meipsum inuestigaui quænam pars esset affecta, cui topica, id est localia uocata remedia adhiberem, prius uidelicet uniuersi corporis curatione præmissa. Id enim commune præceptũ est, quod in omnibus morbis obseruare oportet. Deinde qua uia, ratione, remediorum singula inuenirem. Cæterum affectam sedem eam ipsam existimaui, qua princeps animæ uis continetur. Medicamenta autem ea adhibenda esse, quæ huius sedis affectioni aduersarentur. Interim oratos habere uelim omnes, qui in horum commentariorũ lectionem inciderint, ut scabiem aut rabiem, uel insaniam, quam de sectis cõceperunt, deponant. deinde sic, ut probos uiros decet, dicendorum seriem considerent. Equidem cum ea quæ iam supra proposui perpenderem, accepi Archigenem librum quendam De oblæsæ memoriæ restauratione edidisse, quocirca omnes bibliothecas illico percurri, cõueniq; bibliopolas omnes, atq; medicos quoq;, quos & uiri, & scriptorum eius, studiosos esse sciebam, quò eius libri copia mihi daretur, sperans in eo remedia me inuenturum, locum autem affectum minime, quòd planè scirem nullam aliam à corde sedem, huic affectioni ipsum destinasse, secta ipsius constanter defendente, principem animæ uim in ea parte sedem sibi uendicare.

Porrò intelligere cupiebam quod intemperantiæ genus, eius affectiõis causam esse putaret. neque enim dubitabam, quin distemperantiam aliquam pro causa afferret, utpote qui sectam eius non ignorarem. Sciens itaq; octo intemperantiæ genera in qualibet particula posse cõsistere, quatuor simplices, & quatuor cõpositas, noscere cupiebam, quod intemperantiæ genus Archigenes læsæ actionis causam esse declararet: frigus'ne, an humiditatem spiritus in corde, an cõpositum ex frigore et humiditate, aut ariditatem cum frigore, putaret huiusmodi posse affectionem producere. Etenim manifestum erat, eum in hac re nihil tribuisse calori. Sed quid demum mihi acciderit, ijs qui huius sectæ insaniam absterserint, iam narrare aggredior. Sanè primos eius libri sermones descripsi, ubi uidelicet Archigenes curationẽ scribere aggreditur deletæ recordationis, siue obliuionis, siue memoriæ amissæ aut læsæ, uel utcunq; eam, quam supra proposui affectionẽ, nominare uolueris, aut si non affectionẽ, sed morbũ, aut accidens, aut infirmitatẽ appellaueris, talia enim à sophistis tractantur, quæ ne minimam quidem utilitatem ad curationis rationem afferunt. Verum quò clariora reddantur ea, quæ posthac dicemus, hoc prędixisse non parum refert: Archigenem undecim libros epistolarum scripsisse, in quorum primo extat ad Marsum epistola, qua consulit, ut patri memoriã restituere nitatur, atq; ab initio statim post procœmium, ubi curationẽ tractare incipit, ita ad uerbum ferè scriptum est: Itaq; modici sanguinis iteratã detractionẽ, incipiente etiamdum malo, meo quidẽ iudicio, uos fecisse credo, nisi laborantis forte imbecillitas obstiterit. Deinde rursus inquit: Arbitror autem & irrigatiõibus uos tempestiuè usos esse, & fomentis totius corporis, deraso uero capiti, cucurbitulas adhibuisse. His ita lectis (ut uerum fatear) uertigine affectus sum, idq; non ab re, quòd spe quam de uiro conceperam, frustra tum me uiderem. quippe qui millies, in multis cõmentarijs suis, affectorum locorum, atq; affectionis ipsorum scientiam, necessariam ad rectam curationem esse dixisset. Sed quid utilitatis inde cõsequemur, nisi ab ipsis ad remediorum inuentionem dirigamur? Qua igitur ò Archigenes probabili ratione persuasi, caput aggrediemur, relicto corde? cuius cognatum quoddam officium memoria est, affectus uero huius actiõis deperditio. Quam affectionem sanando, cucurbitula capiti adhibita, memoriam reuocat? qua ratione huiusmodi suades remedia? ita nũc quoq; inter uisitandum ægros, per communes consultationes, uideo medicos inter ipsos interrogãtes, qua ratione hoc potius, quàm illud adhibere suaserit. atq; ij ne minima quidẽ negligũt, tantum abest, ut tam grandia, qualis est cucurbitula capiti adhibita, prætereant. Neq; uideo, si pectori, è regione cordis fuisset adhibita, qua ratione Marsi partem iuuare potuisset. Præterea proposita iam uerborum series non explicat, utrum concisa ante scalpello, an integra cute, cucurbitulam thoraci aptare uoluerit. Si enim forte fortuna, ut nonnunquã euenire solet, frigida aridaq; fuerit affectio, sanguinis quidem detractio ad extremum ducit periculum, solæ uero cucurbitulæ, non alio nomine, quàm caloris excitãdi gratia, utiles esse censentur. Cucurbitulæ enim attrahunt ad sese humorem ex imo, id quod aridæ affectioni maxime aduersatur. Ignota enim affectione, quæ uel caput, uel membranas ipsius afficit, haudquaquam tutum fuerit, in exteriores caluariæ partes materiã retrahere. Sic enim prædicere debuerat, si frigida humidaq; affectio fuerit, capite hoc modo affecto, curationis summam in calfaciendo exiccãdoq; statuere, atq; præsidiorum materiam, quæ huiusmodi habeant facultatem, adhibere oportet. Cumq; uix ex obscura me uertigine recollegissem, sequẽtia etiam legere aggressus sum, inuenire me posse sperans, si nõ per ordinem, saltem sine ordine, huiusmodi aliquem sermonem, qualis is erat, quẽ nuper exempli causa percurrimus. deprehẽdi itaq; omnia pręsidia per delectum uehementer calorifica atq; exsiccãtia, adeo ut totum caput, sinapismo ab ipso uocato, calefaceret, quamuis uehementissimum sit medicamentum. Deinde ablato sinapi, caput nitro conspergere, mox aqua calida rigare iubet, quo medicamine nullum in arte medica uiolẽtius inuenies: siquidem dolorem ueluti cauteriũ excitat: sed diutius durat eius operatio. Itaque Archigenes inferens, inquit, Igitur intolerabilem habet dolorem, neq; ulli uel maximorum præsidiorum cedit

cedit hoc medicamentum. Quin etiam ex sinapi, A nasturtio, grano gnidio, uua taminea (staphidagriam Graeci uocant) apophlegmatismos instituit, ac sternutamenta mouere, & potiones propinare iubet, utraque ex uehementer calidis aridisque medicamentis componens. Vt facile constet ipsum credidisse, ad humiditatem, & frigiditatem, uel cerebri, uel membranarum, hanc affectionem pertinere. huiusmodi enim affectio, si caluariam tantum affecerit, hominem memoria haudquaquam priuabit. Verum haec obiter propterea dixerim, quòd exiccantia calorificaque remedia inducit. quanquã nusquam ab ipso explicatum est, humore frigoreque obliuionem constare. Sed quis nõ indignabitur, uidens caput tot uexari modis, alia uidelicet parte affecta? Caeterum id quod de cu- B curbitulis ab initio indeterminate ꝓtulit, postea pergens huiusmodi uerborum serie manifestissime declarat. Atque irritationes (inquit) quas sinapi, cucurbitulaeque inferunt. quippe quae interdum mitiores, interdũ uehementiores esse solent. Atque efficaciores sunt illae, quae concisa prius cute, adaptantur. Verum ô clarissime Archigenes, nulla tibi suffragari ratio potest, quamobrem capiti ista adhibeas, si affectio consistat in corde. Neque enim ab experimento, ut interim empiricos alloquamur, talia possunt inueniri. Nam aestuans quispiam sub ardente febri, frigidam aquam per intemperantiam ingessit, & nonnihil praesidij expertus medicis imitationis uiam, nulla interueniente ratione, aperuit. Cucurbitula uero, nulla fortuita C occasione duce, sed sola indicante ratione adhibetur. Neque enim sua sponte cucurbitula sese adaptare, neque etiam si hoc detur, per fortuitam occasionem aliquam capiti adhiberi potest, presertim in ea affectione, quae raro euenire solet. Interroganti uero mihi nostrae tẽpestatis medicos, praecipue senes, et exercitatos, curassentne unquam huiusmodi affectũ: omnes pene responderũt, nunquam id se tentasse, uno duntaxat excepto, qui diceret curationem quidẽ aliquãdo se aggressum, nihil uero profecisse. Quo pacto igitur eorũ, quae ex casu quodã fortuito accidunt, auxilia experiẽtiae imitatiõe cognoscemus, cũ raro eueniat huiusmodi affectus, neque fieri possit, ut cucurbitula per se casu quodã capiti adaptaret? Frigidae enim potio ceteraque id D genus remedia, quorum quotidie in multis creberrimum facimus periculum, per experimẽta inueniri possunt: sed cucurbitulę appositio, siue concisa prius cute, siue ea integra fiat, ab experientia occasionem accipere nõ potuit. Cum eñ reliquarum affectionum sedes, quamuis nõ exacte, ad inuentionem tamen remediorum, satis sensibus dignoscantur, in memoria id cõceditur minime. Reliquas uoco affectiones, ut lateralem morbũ, peripneumoniã, nephritidẽ, affectionẽ colicã, hepaticam, splenicã, aut uesicę, aut uteri affectus, atque id genus caeterarũ partiũ. In quibus omnibus, & dolores, & ea quae per meatus excernunt, & si non exactissime, saltẽ in latitudine, sedẽ affectã declarant. In laterali enim morbo facile est uniuerso lateri adhibere quicquid uolueris, similiter uetri in colica, queadmodũ si hepar aut lienis inflãmetur, precordijs, atque haud secus in ceteris partibus. De perdita uero memoria, nullum affecti loci signũ, neque tumor preter naturã, neque dolor aliquis, neque excretio, neque aliud quidpiã extat. Queadmodũ neque in melancholia, phrenitide, mania, morbo comitiali, lethargo, sopore, & in ea affectione quã recẽtiores medici catochen, id est uigilantẽ soporẽ nominãt, atque catalepsi, id est occupatione, ac ne in ijs quidem affectibus, qui uel toto corpore residẽt, ut spasmis, & palpitationib: uel altera dũtaxat medietate, ut paralysi. nullũ eñ signũ ab his tanquam ex radice prodit. quippe neque tumor praeter naturam, neque dolor, neque color à priori mutatus, neque excremẽta, unde Archigenes potuisset inuenire remedia. siquidẽ nugaces sunt empiricorũ fortuitae occasiões, atque Archigenis sermo nos ducit ad cor. Verũ si cõcedamus, ab experiẽtia dictarũ affectionũ auxilia prodijsse, nũquid manifeste deprehendet falsa illorũ arrogantia, qui dogmatici uocant? ac ne simplex quidẽ illa reprehẽsio erit, sed gemina, atque utraque fortis. Si enim usque adeo utile est experimentum, ut non solum citra rationem inueniat remedia, uerũ etiam coarguat rationem tanquam aperte falsam, tantum abest ut ratio dogmaticis medicis sit usui, ut etiam nocere uideatur. Sed (ut aiunt) satis erat eam inutilem esse ostendisse. Verum si ratio aliquando etiam nocere uideatur, quod magis argumẽtum desideras, quo rationis uitium ostendatur? Porrò multas de principe ui animae rationes, dialectico more interrogando inductas, unà cum affectorum locorum usu, quibus euincere possis, in animalibus affectibus, auxilia cordi adhibenda esse, ita subito contempsit Archigenes, alioqui in curãdi ratione exercitatissimus, ut neglecto pectore, capiti cucurbitulas adaptaret, ipsumque, licet haudquaquã affectum, & incideret, & ureret. Num igitur per Iouem mentitus sum paulo ante, cum dicerem rationalem uiam, quod ad remediorũ inuentionem pertinet, omnino prodi ab his scilicet, qui patriae, quàm sectae suae proditionem, aequiori ferrent animo? quippe proditionem esse arbitrantur, si uera dicendo, dissentiendum sit his, quibus ea secta defenditur. Igitur ut in praesentia, turpem contentionem manifeste declarant, sic etiam haud obscure dementiam suam produnt, cum putant omnia sua decreta turbari, si aliquando, uel in uno reprehendantur. Placitorum enim alia, mutua consequentia cohaerent, alia inter se pugnant, alia neque consequuntur sese, neque pugnant, ut in hac ipsa de principali animae potestate quaestione. siue enim in corde, siue in capite sedem ei statueris, poteris de naturae elementis quamcunque uolueris eligere opinionẽ, cum priore sentẽtia, neque pugnando, neque consequens aliquod adducendo. haud secus de generatiõe quoque & corruptiõe, de animae essentia, de dijs, de prouidentia, de fato, item genitusne sit mũdus, an ingenitus: finitus, an infinitus: praeterea an plures sint mundi, numeroque incom-

prehensibiles, an unus duntaxat. quippe nulli iam dictorum placitorum repugnat, neq; ad ullum ipsorum sequitur, ea quæ de animæ ui principali habetur opinio, siue in corde, siue in cerebro eam cõtineri dixeris. Itaque uniuersam suam sectam dogmatici produnt, qui huiusmodi scribunt curationes, cũ de præcipua animi ui, adeo manifestæ sint demonstrationes, ut omnibus fere hominibus nota sit pars in qua residet, solis medicis summisq; philosophis qui in corde eam collocant, non appareat. Demonstrationes uero ipsas, in commentarijs quos de Hippocratis, Platonisq; decretis edidi, iam dixi. Porrò rationalem animæ uim in cerebro, uirilem uero, atq; irascentẽ in corde, concupiscentem in iecore sitam esse, nemini non persuasum est. Id quod quotidie dicentes audiendo, discere licet. Quippe fatuum aiunt cerebrum nõ habere. Timido & pusillanimi cor deesse. Tityo uero iecur ab aquila erodi, non solum poetæ, uerum etiam pictores, sculptoresq; fingunt Sed tempus est ut ad propositum redeamus. Sanè in confesso est omnibus medicis, si opera spectes, quæ rationali potestate affecta laborantes faciunt, caput propriam rationis esse sedem. proinde consideremus oportet, qualis sit in unaquaq; affectiõe affectus, de læsa memoria principium facientes, siquidem de ipsa loqui statuimus. hæc autem affectio crebro nobis occurrit, uitiata simul quodam modo ratione: quemadmodum si ratio lædatur, memoriam quoq; lædi cõtingit, utriusq; noxa ab eadem affectione procedente, quæ ubi uehementius intenditur, simul cum memoria ratio quoq; deperditur, quæ affectio, stultitia nominatur. Sic in lethargo etiam, atq; omĩbus soporosis affectionibus, utræq; pereunt. Atq; affectionem ipsam, secũdum primum genus, similem esse necesse est, nempe intẽperiem. Iam enim explicauimus, eam similarium partium, quæ primo operantur, communem esse affectionem, Secundum uero alterum genus, frigida omnino intemperies est, hæc enim animales actiones torpidas efficit. Id quod animalia quæ per frigora latere coguntur, haud obscure declarant. Id etiam in frigidis medicamẽtis uidere est, ac frigidis quoq; cibis: siquidem lactuca graues inducit somnos, si multã ipsius quãtitatem quis ingesserit. Verum etiã capitis grauitates, quæ uidelicet sine mordaci infestãt dolore, somnum soporemq; afferũt, quibus apophlegmatismi magnifice opitulari uidẽtur. Ad hęc nõ mediocri argumẽto sunt, capitis & ardor & perfrigeratio, siquidẽ ardor uigilias, perfrigeratio soporẽ inducit. Itẽ biliosi calidiq; morbi, uigilias, deliria, phrenitides: cõtra, pituitosi frigidiq;, ignauiam, soporemq; efficiunt. Quippe quod ad uigilias, soporesq; per morbos pertinet, calida, frigidaq; intẽperies, primã sibi facultatẽ uendicat. altera uero ab hac, ad humiditatem ariditatemq; refertur. Nam balneæ, eò quòd caput madefaciunt, soporiferæ sunt: haud secus uini moderata potio, omnes cibi humectãtes, atq; ex ætatibus, pueritia quidem ob humorem somnolenta est. Senes uero ob aridita-

A tem, uigilijs uexantur. Igitur omnia hæc argumento esse possunt, ad animi ignauiam inducendã, humiditatem præter naturam, secundas partes obtinere: frigiditatem uero priores. Proinde ut humiditas abundans, uel sola, longos profundosq; somnos: ita ariditas quoq; sola, uigilias efficit. de quibus affectionib. ab Hippocrate dictum est: Somnus aut uigilia, si alterutrum modum excesit malum est. Quod si frigus cum humore uehementer intendatur, soporem, stuporemq; constituit: sine hoc uero, memoriæ nocet, stultitiamq; inducit. Cum itaq; nõ solum in frigiditate, humiditateq;, uerum etiam in ariditate, & calore, non paruum secundum magis & minus, sit discrimen, nihil mirum si multifariæ inueniantur causæ, quæ animales actiones lædere possint. Cæterum clarioris doctrinæ gratia, rationalis animæ actiones, principales: irrationales uero, morales uocentur: sed has in presentia silentio præterire decreuimus. nondum enim uel cordis, uel iecoris affectus, tractare proponimus. Igitur quemadmodũ somnus, et uigilia, si modum excesserint, ille ob humiditatẽ, hæc uero ob tẽperantiam fit aridam: ita & in his ipsis, & magis, & minus, tum in somnis, tum in uigilijs, sequitur maiorẽ, aut minorẽ, uel humiditatẽ, uel siccitatem. Cumq; bifariam (ut iam declaratum est) fiant huiuscemodi intẽperies, duplex quoq; erit utriusq; affectionis modus. unus quidẽ in humidis siccisq; humoribus, alter uero in corporib. solidis: si aliquando in easdem intẽperies solidæ partes atq; molles inciderint. Præterea quamuis iam dictæ tẽperies sint contrariæ, fit tamen ex ipsis mistum quoddam temperamentum, ut in uigilanti sopore, cum pituitosus biliosusq; humor abundauerit. Ita in calidi frigidiq; cõtrarietate, eosdẽ quoque modos inuenire licet, tũ simplicibus intẽperantijs, tũ ex ambabus cõpositis. Pituitę enim si bilis misceaẽ, flaua dico, mista fit ex calido frigidoq; affectio. Quòd si in solidis corporis partibus, mistam ex cõtrarijs affectionem fieri fateamur, tres ita prodibunt in unaquaq; contrarietate primæ intemperies. Igitur huiuscemodi effectus omes, capiti aduenire solent, sed inter se differunt, non solum mistiõis uarietate, aut eo quòd magis minusue intẽduntur, cum in simplicibus, tum mistis affectionibus, uerum etiam quòd uentriculi cerebri interdum afficiunẽ huiusmodi intẽperantijs, interdum uniuersa eius uasa, aut humiditas quæ per corpus cerebri dispersa est. Accedit ad hæc quartus quoq; modus, cum uidelicet ipsummet corpus cerebri intẽperatum redditur.

V Quorum itaq; uel memoria, uel intellectus perijt, somnos obseruare oportet (quippe intellectus amisio stultitia est) utrum uehementer, an modice somnolenti sint, aut omnino non somnolenti, sed quantum ad somnum pertinet, secundũ naturam sese habeant. Sic enim uincẽtem inuenies intemperiem. Præterea considerandũ est, utrũ excernãt quippiã, uel ex naribus, uel ab ore, quod à cauitate defluat, an aridę huiusmodi partes sint. quippe ex ijs affectionẽ ipsam coniectura conse-

qui

qui poterimus. Quemadmodum in destillatione & grauedine usu uenit. siquidē in ijs, & qualitas, & quantitas excrementorum, atque causarum quæ præcesserunt, contemplatio, capitis affectionem declarat: siue calida fuerit, ut in ardore: siue frigida, ut in perfrigeratione. Nisi enim omnia hæc discrete cognoueris, idoneam cuique affectioni curationem haudquaque inuenies. Cum igitur uel perijt, uel grauiter læsa est memoria, frigida intemperies est. quocirca calefacere ipsam oportet: at uero exiccare, aut humectare, nō necessariū est: sed si humiditati copuletur, arefacere: si ariditati, madefacere. Cæterum si inter has medium obtinet, ipsum conseruare oportet. Equidem noui quendam, qui ob laborē in studijs, atque uigilias, memoriam pene amiserat, læsa etiam ratione. Item agricolam, qui ob labores quos uites colendo subierat ac tenuem uictum, eodem modo affectus est. atque ij exiccantibus, calorificisque lædebantur: madefacientia uero, quæ calefaciendi quoque uim haberent, haud mediocri ipsis erāt præsidio. Interdū uero, ubi principales actiones læsæ sunt, febris quoque accidit, ut in phrenitide, & lethargo. interdum sine febre uitium est, ut in mania, & melancholia, id est quod modo per consensum, modo primaria affectione cerebro laborante accidit. Cū igitur proprijs accidentibus, exacte discernuntur huiusmodi uitia, & perpetua sunt, neque alijs præcedentibus superuenerunt, primogenia affectione, cum uero proprijs accidētibus discerni non possunt, neque perpetuo permanent, atque ad alias affectiones consequuntur, per consensum ipsa constare dicimus. Neque latere nos debet, ubi per consensum quis afficitur fiatque adhuc affectio, quod deletis efficiētibus ipsam causis, ipsa quoque simul deletur. Si uerò consentientes partes, permanentem iam habeant affectionem, quamuis quiescat causa efficiens, ipsa tamen permanebit affectio. Igitur quod in cerebro consistant omnes principalium animæ actionum affectus, in confesso habent omnes medici, nisi quis uni fortasse sectæ addictus, aliter in animo sentiat, aliter depromat ex ore. At qualis sit intemperies, nō sine negocio inuenit: medicūque requirit, nō qui laboret quomodo antiquis contradicat de animæ principatu, re adeo aperta & perspicua, ut eam in cerebro esse, etiam inter priuatos cōueniat: sed qui laboriosus sit, & inquirendo non defatiget. Sed philosophis fortasse, utpote in angulis desidētibus, facilius pro hoc errore quis ueniam dederit. Medicis uero, qui iam in operibus ad senectutē usque uersati sunt, cū de hac re cōtendunt, tantum abest ut ignoscamus ut etiam ignominia ob impudentiam dignos esse censeamus, quippe qui uigilantibus, delirantibus, phreneticis, lethargicis, caput irrigare consueuerūt. Nam & Archigenes quoque, ubi uitiata memoria medicanda est, aut stultum medicari aggreditur, capiti remedia adhibet. Quis unquam exercitatus medicus apoplexiā, morbū comitialē, opisthotonon, emprosthotonon, neruorum distentionē, aliter curauit? quis denique dimidiā partē corporis

A resolutam? Nunquid uero ubi nerui cōuulsiōe afficiuntur, omnes medici, uel experimēta etiā professi summam curationis esse censent, primis uertebris remedia adhibere? quemadmodū ubi dimidia quoque uniuersi corporis pars resoluta est. Porrò cerebrum quoque calfaciūt, quemadmodū apoplecticos quoque curare consueuerūt, morbūque comitialem. At cum uel in stomacho uel in alia quapiam parte affectio cōsistit, eam maxime & in primis curare præcipiūt. Cerebrum uero ita præparant, ut non ita facile afficiatur. Hæc itaque potissimum inquirenda sunt, nō principalis animæ uis, quam nemo, nisi peruersa fuerit mente, non apertissime cognoscit. Neque neruorū originem, diuinantium more, à dijs petere, sed ab experto dissectore discere oportet. Sunt enim nonnulli qui sibi

B iam persuaserūt, neruos à corde oriri, eo quod nequeunt inter ligamentum neruūque discernere, quibus nonnihil etiam suffragari uidet. ipsa homonymia, quippe ligamenta à multis medicorum colligantes nerui appellant. Verum nulla uexabimur nominis inuidia, si modo non ligamenta ipsa, sed uoluntarios (ut ipsi aiūt) neruos intelligant, quos scilicet à cerebro initiū accipere dicimus, neque em illi, aut conuulsionem, aut paralysin, ad ligamenta ferunt, sed eorum neruorū qui uolūtatis imperio obediunt, affectionem esse dicunt. Conuulso enim uniuerso corpore, omnes quidem autumant affici talem quampiam partem, quæ ut in arbore caudex ramorum, sic ipsa sit omnium neruorum

C communis origo. idque ueluti caudex, non paucorum in una parte, quemadmodū ramus: ut si uel crus, uel altera manus forte fortuna cōuellat., totius membri conuulsio, neruorū qui ad ipsum proueniunt, originē affectam fuisse declarat, rami cuiuspiam exēplo in arbore. Quòd si uniuersum corpus afficiatur, cōmunem originē, omniū infra faciem neruorum, quę arboris caudici proportione respondet, affectam esse putandū est, quæ sunt primæ spinalis medullæ partes. Proinde exercitatissimi quique medici, huic remedia adaptāt. cordi sue ro in hac affectione, nullam omnino mentionē fecerūt. Si uerò simul cum uniuerso corpore facies quoque cōuulsa uideat., nō solum eam partē quę ex spinæ medulla procedit, uerum etiā cerebrum ipsum curamus: etem labra quoque sæpenumero cō-

D uulsa uidemus, item oculos, frontis cutem, totam mandibulam, similiter & lingue radicem. At quia oēs iam dictas partes, à musculis ex cerebro neruos suscipientibus moueri ex anatomice didicimus, cerebrū, ipsis sic laborātibus, credimus esse affectū. ubi uero ipsis illæsis, cęteras partes cōuelli uiderimus, spinæ medullæ initium affectum esse fatemur. Hæc igitur sunt quę prōpte discere, mox ipsorum affectiones cōsiderare oportet. Sed sunt nonnulli medici, qui affectiones ipsas ne aggrediuntur quidem, sed certāt super rebus manifeste apparentibus, iacturam temporis nos facere cogunt, quod nō erat consumendum, respondendo ijs qui recta medicorum decreta euertunt, sed inueniendo potius ea, quæ illi silentio pręterierunt.

Et uel haud quaquam res ipsas definierunt, aut ea sine demõstratione, aut sine idonea distinctione, aut non satis abunde explicauerunt: Quẽadmodum Hippocrates, ubi neruorum conuulsionem, uel ad plenitudinem, uel uacuitatẽ fieri dicit. Etenim uerus est sermo eius, quibus uero rationibus fulciatur, ut fides ei adhibenda sit, non popularibus, sed doctis duntaxat uiris, & qui diligẽter prima medicinæ rudimenta didicerunt, notum est. Hæc igitur cum didicissem, facile mihi persuasi, conuulsionem fieri ob eas causas, quæ ab Hippocrate dictæ sunt. Quippe si omnis motus qui à uoluntate procedit, attractis musculis in eas quibus innascuntur partes, fieri uidetur: neq; possit fieri attractio, nisi ad suam originem retrahatur musculus: constat cõuulsionem in conuulsis partibus factam, hac sola ratione à motu naturali differre, qđ præter uolũtatem fit. Itaq; quemadmodum in eo qui secundum naturam habet, uoluntas in cerebro iuxta neruorũ originem ordinata, motionis principium, primis dat neruis, ac per ipsos, musculis: Ita si sine huiusmodi principio inuenerimus, quæ causa neruos conuellere possit, modum quo conuulsio fiat, nos iam scire, non temere profitebimur. Etenĩ si uideris aliquando neruosa corpora, ut lyræ chordas, ob ambientis aeris immodicam intemperiem, adeo uehementer, ut rumpantur, intentas, haud difficulter intelliges, idem in animantium quoq; neruis posse contingere. Sed quomodo affecto aere tendunt̃ chordæ, ut rumpant̃? si uel nimis aridus, uel admodũ humidus sit. Nẽpe humor madefacit ipsas, ut in tumorẽ præter naturã attollant̃, qui mox eas extendit. At ueluti sol ea quæ resiccantur contrahit, ita siccitas, chordas & trahit, & extendit. Sic lora quoq;, cum ad ignem exiccantur, contrahi tendiq; uident̃. His ita præcognitis, haud difficile inuentu fuerit, utrum ariditate, quæ est humidæ essentiæ defectus & uacuatio, an humoris plenitudine, quæ defectui aduersatur, & ab Hippocrate repletio nominata est, affectus ipse prodierit. quippe cum conuulsio fit, uel à labore, uel uigilijs, uel fame, uel solicitudine, uel arida æstuanteq; febri, qualem in phreniticis uidere est, causam eius esse ariditatem, uacuationemq; recte putaueris. si uero temulẽto cuipiã, ac omnino pleno homini, qui uidelicet in ocio degit id euenire conspexeris, non ab re à contraria causa conuulsionem ortum habuisse iudicabis. Atqui euacuationi contraria est repletio.

VII Atq; morbus quoq; comitialis cõuulsio est omniũ corporis partiũ non perpetua, ut in emprosthotono, & opisthotono, atq; tetano (id est neruorum rigore) uidere est, sed quæ ex tẽporum accidit interuallis: neq; solum hac re, sed mentis quoq;, ac sensuum oblæsione, à iam dictis cõuulsionũ generibus differt. unde constat in supremis corporis partibus, cerebro uidelicet, hunc affectũ consistere. Cæterum uelox eius discussio, crassum humorem, spiritus meatum in cerebri uẽtriculis obstruentẽ, hunc maxime affectũ peperisse declarat, neruorũ principio seipsum quatiente, quò excutiat id quod noxiũ est. Ac fortassis per morbũ comitialem cõuulsio haud absimilis est his quę à spinali medulla incipiunt cõuulsionibus, singulorum neruorum irrigatis processibus. Verũ nõ ab ariditate, uacuationeq;, sed à crasso semper humore, hanc affectionem induci, argumento est, quod & subito fit, & soluitur cõfestim: nam subitariam meatuum obstructionẽ à crasso uiscosoq; humore fieri cõstat. Etenim breui tẽpore fieri nõ potest, ut uel cerebrum, uel tenuior ipsius membrana, ad tantam perueniat ariditatem, ut corio simile quippiam pati uideatur. Accedit ad hæc, ut is qui sic laborat, neq; uideat, neque audiat, neque ullo sensu quicq; percipiat, ac ne cõsequi quidẽ possit, quid factũ sit: siquidẽ cum memoriæ uirib. ratio quoq; læditur. Ex his igitur omnibus planè cõstat, in cerebro hanc affectionem cõsistere, impediente humore animalem spiritũ, qui in uentriculis eius cõtinetur, quo minus possit exire. Porrò quamobrẽ hic spiritus uocetur animalis, aut quę sit eius potẽtia, in eo cõmentario, quem de Hippocratis, Platonisq; placitis scripsimus, iam demõstratum est. Sanè cum ea, quę per dissectiões apparere solent, accurate cõsideraremus, rationi consonũ uidebatur, animã in cerebri corpore sedem obtinere, atq; in ipso, & rationis uim, & sensibiliũ imaginũ memoriã residere, ac primũ ipsius instrumentũ, tum in sensibilibus actionib. omnibus, tum in his quæ à cõsilio & uoluntate prodeunt, spiritũ esse, qui in ipsius uẽtriculis, maximeq; postremo, cõtinetur: quamuis non contẽnendus sit medius uentriculus, perinde quasi nõ ualentissimus sit. multis eñ ratiõibus inducimur, ut hũc amplectamur, duos uero anteriores deseramus. Verũ exacta horum notitia, ad curationis inuentionẽ nihil ferè conducit. Nam satis fuerit ad probe curandum, nosse sedem affectã esse cerebrũ, atq; in eius uẽtriculis humorẽ crassum & uiscidũ cõprehendi. Igitur quemadmodum hęc ad curationes, quarũ gratia, & affectas sedes, & earum affectiones inquirimus, sunt utilia: sic crassorum quoq; humorum differentiæ, utrũ uidelicet pituitę, an atræ bilis naturã habeat, Si tamen in præsentia non obliuiscamur: Pituitosos quidẽ eos nominari, cũ simpliciter ita dicimus in quib. humiditas frigiditasq;: Melãcholicos uero in quibus siccitas atq; frigiditas, dominant̃: quãuis magnæ, peculiarésq; interim differentiæ, tũ pituitæ, tũ atræ bilis inueniant̃. Pituitæ quidẽ unum genus est, quod quotidie uel screando, uel uomẽdo, uel emungendo educit̃, uaporoso scilicet spiritu plenũ, ut ne sensum quidem lateat, ipsum esse dissimulare. Alia uero pituita, similaris quidẽ uidetur, licet fortasse nõ sit similaris, qualis est tum crudus humor qui in urinis substat, tum is qui à Praxagora uitreus appellat̃. Atq; ex hoc genere esse uidetur saliua, quæ neq; fluida admodum est, neq; aquosa. Verum saliua non unica duntaxat qualitate gustum afficit, nedum uniuersa pituita. Sæpe numero enim & amaram, & acidam, & salsam in ore saliuam, manifeste deprehẽdimus: ueluti cum sani degimus, nulla qualitate infecta, sed perinde

quasi

quasi aquosa, saliua gustui offertur. Sic atra bilis quoque ob substantiæ uarietatem non obscuras habet differentias. Nam alia est ueluti fex sanguinis, quæ admodum spissa est, fæcibus uini haud absimilis. Alia uero, quàm superior, essentiæ est multo tenuioris, atque uomentibus eam, & olfacientibus, acida uidetur, quæ etiam terram radit, attollit, & fermentat, atque ampullas quales ferventibus iusculis supernatare uidemus, excitat. Sed ea, quam crassę fæci similem esse dixi, in terram effusa, non inducit feruorem, nisi forte in ardente febri, ipsam præassari contingat, neq; ulla etiam acida qualitate participat, tumq; ipsam nominare consueui melancholicum succum, aut melancholicum sanguinem. Hæc enim meo quidem iudicio, non recte atra bilis appellari potest. Prouenit autem huiusmodi humor in quibusdam plurimus, uel à temperie ab initio cõparata, uel à cibis, qui (cum in uenis concoquuntur) in huiusmodi humorem transmutari solent. Igitur ut crassus pituitę succus, ita hic quoq; comitialem morbum solet efficere, ubi in meatibus uentriculorum cerebri retinetur, siue is medius sit, siue postremus. Vbi uero in ipso cerebri corpore abundat, eam insaniæ speciem, quam Gręci melancholiam uocãt, efficit. Quẽadmodum alter atræ bilis succus, qui præassata flaua bile nascitur, ferina deliramenta inducit, modo sine febre, modo cum febre in cerebri corpore abundans. Atq; ob hanc causam phrenitis nonnunq; mitior est, cum uidelicet à pallida bile ortum contraxit, interdum uehementior, cũ flaua bilis eam peperit, atq; insuper alia nõnunq; demẽtia occurrit ferina & melancholica, flaua bile præassata. Deliria aũt, quæ per febrium uigores accidunt, non propria cerebri affectione, sed per consensum fiunt, proinde eos delirare & desipere a mente moueri, non solum medici, sed priuati quoq; dicere cõsueuerunt. Verũ ita affectos non nominant phreneticos, eo quod phreneticorum insania non quiescit, mitigato febrium uigore. Igitur quemadmodum in phreniticis febris unum quoddam accidens affectionũ cerebri cẽsetur, sic è conuerso in ardentibus febribus dementia multis elatis ad ipsum uaporib. Haud secus fit ea affectio quæ suffusioni in accidentib. similat, à uentriculi affectionibus ortũ trahens. Nãq; cerebrũ uentriculo, & uẽtriculus cerebro, suas affectiões trãsmittit, idq; propter neruorũ à cerebro ad os uentriculi descendentium magnitudinẽ, per quos etiam sensus huic particulæ, q̃ ulli reliquorũ corporis partiũ acutior est. Quo circa capitis fracturas, cum ad mẽbranas usq; perueniunt, biliosus uomitus, ac interdum dolores capitis, quomodocunq; fiant, nausea, stomachiq; morsio comitatur. Hypochondriacas uero & flatuosas uocatas affectiones, melancholica tristitia sequitur, haud secus q̃ acutam febrem dementia, & quasdam oris uentriculi affectiones, ea quæ in accidentibus suffusioni similatur affectio. Sic neruosis partibus inflãmatis, promptius q̃ reliquis, delirium superuenire solet, idq; ascendente ad caput interdũ per continu-

A as partes solo calore, interdum uero spiritu uaporoso, uel fumoso, vel fuliginoso.

VI Porrò quemadmodũ hæ affectiones, quibus caput per consensum afficitur, ita illæ quoq; quæ primogeniæ ipsius affectiones sunt, non parum inter se differunt. Igitur crassi humores, qui in cerebri substantia abundant, interdum ei ut instrumentali, interdum ut similari parti nocent. Cũ enim meatus obstruuntur, ut instrumentali, cum uero temperamentum alteratur, ut similari. Proinde totus hic sermo in fine sexti lib. De uulgaribus morbis præscriptus est. Melãcholici magna ex parte comitiali morbo afficiuntur, & contra morbo comitiali laborantes efficiũtur melancholici: Atque horum utrũlibet magis accidit, prout uel

B in hanc, uel in illam partem, infirmitas repit. si enim in corpus, comitiales, si uero in mentem, melancholici redduntur. Hoc sermone primum quidem declarauit, quod non semper, sed magna ex parte horum affectuum alter in alterum transit. Quippe non solum atra bilis, uerum etiam pituita morbum comitialem cõmittit. Igitur ea quam atra bilis constituit, in melancholiam aliquando transit. quæ uero à pituita parta est, in aliam affectionem, de qua paulo post dicturus sum, permutatur, melancholiam uero haud quaquam efficit. Altera uero Hippocratici sermonis pars nõ paruum contemplandi locum desiderat. quippe cũm anima sit aut temperamentum actiuarum qualitatum, aut ab ipsarũ tẽperamento permutet: bilem

C cũ cerebro ueluti parti instrumẽtali nocet, ad cerebri corpus conuerti ait, id quod in obstructionib. fieri constat: cum uero temperamentum mutando, ei ut similari nocet, ad mentem eam repere dicit. Verum hoc quod medici dereliquerunt, definire in primis, necessarium esse uidetur. Nempe ut in manifestis corporis partibus, interdũ omnibus, eadem apparet temperies, ut in morbo regio, & elephante sic uocato, & àqua inter cutem, & malo habitu, quæ à Græcis cachexia dicitur: Insuper in his quæ ab hepate, atque splene pendẽt, colorum uitijs: Interdum uero unius dũtaxat partis, quę uidelicet aut biliosum, aut pituitosum, aut melancholicum humorem suscipit temperies permutatur: Ita etiam cerebro accidit, ut nonnunquã

D uniuerso in uenis sanguine melãcholico effecto, ob commune uitium, ipsum quoq; lædatur. Nõnunquam uero reliqui corporis sanguine prorsus innocuo, solus is qui in cerebro contentus est alteratur, idq; bifariam fit. Aut enim aliunde in ipsum deriuatur, aut in ipsomet melancholicus humor genitus est, cũ uidelicet internus calor aut flauam bilem, aut crassum atrumq; sanguinem superassauit. Atque hæc doctrina non paruum habet in curatione momentum. siquidem ubi uniuersum corpus sanguinem melancholicum continet, curationem à uenæ sectione incipere oportet. Vbi uero solum cerebrũ, infirmus (quod ad hanc affectionem attinet) sanguinis detractione non indiget, quãuis ob aliam quampiam causam sanguis mitti possit. Vtrum uero melãcholicis sanguis uniuer-

sum

sum corpus, an solum cerebrũ occupet, ita discernendum est. In primis uniuersi corporis habitum, qualis sit, cõsideres uelim, memineris(que), qd' molles, & candidi, & obesi, nequaquam humorem habent melancholicum. Macri uero, & nigri, & hirsuti, & quibus latæ sunt uenæ, aptissimi sunt, ut huiusmodi in ipsis humor cumuletur. fit(que) interdum ut ruso colore homines, affatim in melãcholicam temperiem decidant, at(que) post hos flaui, id(que) maxime, quando & uigilijs, & multis laboribus, & solicitudine, & tenui uictu fuerint educati. Quibus hæ quoque notæ conueniunt, an hemorrhois aliqua restricta sit, aut alia quæpiam consueta sanguinis uacuatio, aut mulierum menstrua. Insuper quibus cibis quis fuerit usus, utrum ijs qui suapte natura melancholicum sanguinem pariunt, B an è diuerso. Porrò qui melancholicum sanguinẽ efficiunt, hi ferè sunt, caprina, bubula(que) caro, magis(que) hircinæ, & taurinæ, sed maxime asinorum, camelorum(que) carnes, nam & his nonnulli uescuntur: item uulpinæ, caninæ(que) carnes: at(que) magnam in huiusmodi sanguinis generatione uim obtinet ex lepore cibus, sed multo magis ex apris: ac limaces quoque melancholicum sanguinem pariunt, si frequens sit eorum usus, præterea omnes terrenorum animalium carnes sale conditæ, aquatilium quoque carnes, ut thunni, balenæ, uituli marini, delphini, canis at(que) cetaceorũ omnium. Ex oleribus autem, brassica ferè sola, huiusmodi sanguinem gignere consueuit, quemadmodum & arborum germina, ubi uel muria, uel oxalme id est C acida muria cõdiuntur, præcipue lentisci, terebinthi, rubi, canirubi. Leguminum uero omnium maxime lentes, inter melancholicos cibos numerantur, mox panis furfuraceus & qui ex typha, atque uitiatis seminibus factus est, quorũ apud quasdã nationes usus loco frumenti habet. Verum de ijs in primo libro De ciborum facultatibus iam dictum est. Præterea uina crassa, nigra(que), aptissima sunt ut ex ipsis melancholicus humor fiat, præsertim si quis abunde ipsa ingerẽs incõmoda, oblata occasiõe in multo corpus calore cõtineat. Vetus deniq(ue) case⁹, ubi forte fortuna in corpore fuerit supercalefactus facile huiusmodi parit humorẽ. Igit si quis antea (quam) in morbũ inciderit, huiusmodi ui- D ctus ratione fuerit educatus, maiorem quandam inde licet facere cõiecturan. Si uero boni succi cibis usus fuerit, cõsiderare oportet, exercitationes ipsius, mœstitiã, uigilias, solicitudines. Sunt etiam nõnulli qui per febriles (ut dictũ est) morbos, melancholicũ humorẽ cõtraxerunt, at(que) ad efficaciorem notitiam nõ parum cõfert, anni tẽpus, ac præterita, præsens(que) cõstitutio, item terra, ac laborantis ętas. His ita(que) omnibus præconsideratis, cũ speraueris in uniuersi corporis uenis melãcholicum sanguinem contineri, quo certiorẽ habeas notitiam, cubiti uenã seca, præcipue(que) mediã, quæ communis est, & ei quæ humeralis nominat, & ei quę per axillam ad manum fertur. Quòd si tum fluens sanguis non uideatur melancholicus, statim supprimat. Si uero talis appareat, uacua quantũ pro

A laborantis corporis habitu satis esse cõieceris. Est præterea tertium melancholiæ genus, morbi comitialis exemplo, cum ortum à uentriculo habuerit. Solent(que) medicorũ aliqui, hãc dispositionem, hypochondriacum, flatuosum(que) morbũ nominare. Verum satis mihi fuerit, ea accidentia percurrere, quæ à Diocle præscripta sunt, in lib. cui titulus est, Affectio, causa, curatio, in quo Diocles ad uerbum ita scripsit: Porrò alius oritur à uentriculo morbus, qui supra ꝓpositis nõ dissimilis est, nomi natur(que) ab alijs melancholicus, ab alijs flatuosus, quẽ sumpto cibo, maxime coctu difficili, & ardorẽ inducẽte, sputũ humidũ, ide(que) multũ comitat. item ructus acidus, flatus, ęstus in præcordijs, fluctuatio nõ illico, sed cum retinuerint: interdũ uentriculi quo(que) uehementes dolores, qui nõnullis ad dorsum us(que) procedũt, concoctis deinde cibis quiescũt, mox alijs ingestis, eadẽ rursus reuertunt accidentia, quæ interdum ieiunos, interdum etiã à cœna molestant, at(que) euomunt crudos cibos, & pituitam, uel subamaram, uel calidam, uel acidã: adeo ut nonnun(quam) dentes stupore afficiant. At(que) horum plurima ab ineunte statim ætate eueniunt. Vtcun(que) tamẽ acciderint, omnibus protelantur. His præscriptis, Diocles mox causam subiũgens ita scribit: Cæterum flatuosas uocatas, suspicandum est, plus caloris (quam) decet, habere in his uenis, quæ alimentũ à uentriculo excipiunt, sanguinẽ(que) in ipsis crassiorẽ factum. quippe in his uenis sanguinem cõtineri cõstat, uel hoc argumento, (quod) alimentum corpori non distribuit, sed in uentriculo manet incoctũ cum ipsum meatus antea susciperent, magnã(que) ipsius partẽ in imum uentrẽ excernerent, item (quod) postero die uomant, utpote non digestis per corpus cibis. Sed quod calor id quod secũdũ naturã est excedat, facillime intelliges, tum ab æstu, qui ipsis accidit, tũ ab his quæ ingerunt. siquidẽ iuuari uident à refrigerantibus cibis, qui uidelicet calorẽ refrigerare, extinguere(que) solent. Deinde alia quoque Diocles iam propositis in hoc sermone addidit: Aiunt aũt nonnulli, os uentriculi quod intestinis continuat, in huiuscemodi affectionibus inflãmari, ac ob inflãmationẽ ipsam & obstrui & prohibere, ne alimenta statuto tẽpore ad intestinũ descendant. quãobrẽ diutius (quam) decet, in uentriculo manentia, & tumores, & æstus, at(que) reliqua quæ prædicta sunt, efficiũt. Hæc sunt quæ Diocles quidẽ literis prodidit. uerum in hoc symptomatũ catalogo præcipua totius cõcursus silentio pręterijt, quæ uidelicet & melancholiam, & flatuosam, hypochondriacam(que) affectionẽ, tanquam charactere quodam designant, at(que) omisit (utputo) huiuscemodi accidentia, eo quod ex morbi ipsius nomine manifeste declarant. Etenĩ ab Hippocrate didicimus: Si metus & mœstitia lõgo tẽpore tenent, melancholicus est huiusmodi affectus. Verũ haud absurda quæstio est, quare Diocles cũ causas aliorũ accidentiũ redderet, quã ob causam mens lædatur, non scripserit. siue enim uenarum, quæ uentriculo cõtiguæ sunt, calor exuperat, siue partes quæ iuxta portã sunt (Græci pyloron

toron uocant) inflammatione laborant, quid causæ sit, cur melancholica comitētur accidentia, derelictum est. Etenim quod uenter flatuoso spiritu impleatur, ad deinde eructando ipsum leuetur, ac præterea, uomitione quoq; iuuetur, uel nihil dicente Diocle, manifestum est. At propria melancholiæ accidentia, simul cum dicta uentriculi affectione scribere, haud ita facile ei fuit. Id itaq; addere, ac simul qualis sit in huiuscemodi affectibus uētriculi affectio, manifesta interpretatione enarrare aggrediamur. Atq; uidetur quidem in ipso inflammatio esse. sanguis autem in parte inflammata contentus, & crassior, & atræ bili magis conformis. Itaque quemadmodum elato ex uentriculo ad oculos fuliginoso quodam aut fumoso halitu, aut crassis quoq; uaporibus similia suffusorum accidentia contingunt, eadem ratione sublata ad cerebrum ab atra bile euaporatione, melancholica eueniunt in mente accidentia. Quin etiam quàm frequentissime uidemus, flaua in uentriculo bile contenta, caput dolore affici, ut ea per uomitū eiecta, ilico dolorem mitigari. Atq; huiusmodi dolorum genera, mordendo, exedēdoq; infestant, quē admodum alia grauitate, alia tēsione, alia sopore molestare uidentur. Atq; inter optimos medicos cōuenit, non solū hæc accidentia uerum etiā morbum comitialem, capiti à uentriculo procedere. Igitur ut melancholicos timor nunquā deserit: ita præter naturam eis uisa non semper eodem genere continentur. Siquidem alius testam se factum putauit, atq; idcirco obuiantibus cedebat, ne collideretur. Alter gallos cātare audiens, ut hi alarum sic ille brachiorum plausu latera quatiēs, animantium sonum imitatus est. Fuit item alter, timēs ne Atlas, qui mūdum sustinere dicitur, grauatus sub tanto onere, ipsum à se excuteret, atq; ipse cū illo collideretur, ac nos quoq; cū ipso periremus. Sūt alia huiusmodi infinita eorum uisa. differunt autē inter se melancholici. Nam oēs timent, mœrēt, uitam damnant, odio habent homines, sed non omnes mori cupiunt. Etenim hoc ipsum nōnullis melancholiæ caput est, quod mortem pertimescunt. Quosdam etiam alieno admodum, atq; extraneo uidebis animo: utpote qui simul & mortem metuant, & tamen mortē sibi consciscant. Proinde recte uidetur Hippocrates omnia ipsorum accidentia in duo hæc coegisse, metum, & mœstitiā. Mœstitia nimirū eos inducit, ut odio prosequātur omnes quotquot uiderint, nunquam non tristitiam præ seferentes: ac terrentur, ut in tenebris pueri, atq; ex adultis indocti. Sanè quemadmodum externæ tenebræ omnibus ferè hominibus pauorē inducunt, nisi uel audaces admodū uel edocti fuerint: sic atræ bilis color, mētis sedem tenebris similem reddēs, timorem efficit. Etenim summis tum medicis tum philosophis, in cōfesso est, & humores, & omnino corporis tēperantiam animę actiones uariare posse, id qđ nos quoq; unico cōmentario docuimus, quo demonstratum est quod animæ potentiæ, corporis temperaturam sequuntur. Quocirca humorum uim ignorantes (in quorum

A numero & Erasistratus est) ne scribere quidem de melancholia quicq; ausi sunt. Neq; indignum est admirari tum cōmunes hominum sententias, tum plurima quoq; dogmata, quæ & philosophi, & medici, per ignorantiam prætererūt. Igitur ab omnibus affectus ipse melācholia uocitatur, indicante nomine humorē qui ipsius causa est. Quum igitur circa uētriculum prima inceperint accidentia, ipsisq; auctis melancholica sequatur affectio, deinde alui deiectione, & uomitu, & proba cōctione, ructibusq; leuetur is qui laborat, hypochōdriacum, flatuosumq; morbum, ipsum nominabimus. Accidētia uero ipsius dicemus, & mœsticiā, & metum. Cum aūt propria melancholię accidentia, auctiora uidentur: circa uētriculum uero aut B nulla, aut parua admodum sunt: haud ab re existimaueris primitiuam in cerebro affectionē consistere, ob atram bilem in ipso congestā. Cæterum quibus signis discernat̄, utrum in solo cerebro, an in uniuerso corpore huiuscemodi humor cōtineatur, paulo ante dictum est. Interim monendi sunt mihi amici, qui me curantem uiderunt, frequentibus balneis, uictuq; humido, boniq; succi, nullo alio adhibito præsidio, huiusmodi me morbū curasse, ubi nondum ob longum temporis tractum, nocuus humor multū uacuationi resisteret. cum em̄ diuturnus iam factus est morbus, fortiora prędictis oportet adhibere remedia. fit autē huiusmodi melancholiæ species affecto prius calidis affectionibus cerebro, aut ex æstuatione, aut inflam- C matione, aut phrenitide quoq; ipsum afficiēte, interdum à solicitudine, mœstitia, uigilijs. uerum satis fuerit hæc de melancholia dixisse.

VII Atq; de morbo comitiali deinceps dicendum est, quandoquidem hic quoq;, interdum ipsomet affecto, interdum alijs consentiente cerebro, euenire solet. ut enim tria melancholiæ genera, ita hunc quoq; morbum, tribus cōtentum differentijs, omnes fere medici distinguere neglexerunt. Verum omnibus commune est, quod cerebrum afficitur, uel consistente in ipso affectu, id quod pluribus comitialibus accidit, aut à uētriculi ore (quod stomachū uocare solēt medici) ad cerebrum per consensum ascendente. Atq; hoc genus proportione respondet accidentibus quæ D oculis à stomacho adueniunt, ueluti in suffusionibus. Fit etiam, sed raro, tertia morbi comitialis species (nec refert siue genus, siue differentiam nominaueris) cum à parte aliqua, cui id forte fortuna accidit, incipit affectus, qui deinde sentiēte ægro ad cerebrum usq; ascendit. Hoc genus primum uidi in puero, qui tertium decimum ætatis annum agebat, cum equidem adolescens etiamdum, cū optimis eius tēpestatis medicis cōuenissem, ad idoneam ipsius curationem inueniendam, audiui tum narrāte puero, affectionem ipsam à crure initium capere, mox illinc rectà ascēdere per femur, & imminentes illi lumbos, ac per latera ad ceruicē, donec ac caput perueniret, quod cum primū pertingeret, ipsum haud quaq; sibi constare. Interrogantibus autem medicis, quale esset id quod ferebat

ad caput, nihil habuit puer quod responderet. A-
lius deinde adolescens cōpos mentis (quippe qui
satis poterat, & sentire quod fiebat, & alteri enar-
rare) dicebat ueluti frigidam quandā auram esse,
id quod ascendebat. Vnde ex duobus alterū Pelo
pi præceptori placuit, aut quod qualitas quædam
alteratis per cōtinuationem partibus, aut flatuosa
quædam substantia transmitteretur. neq; mirandū
esse dicebat, tam ualidam uim esse humori, qui in
affecta parte præter naturā genitus fuisset, ut per
niciosarum ferarū uenenis possit cōparari. Quis
enim crederet, uel scorpionū, uel phalangiorum
ictibus, totū corpus ac tam uehementi mutatione
affici? nisi sæpenumero id accidere uideret, pręser
tim minimam quandam rem feris in ipsum demit
tentibus. Cum itaq; phalangium aliquem momor
dit, quāuis paruum sit animal, existimare tamē de
bemus, uenenum ex ipsius ore in ictū corpus de-
scendisse. Porrò marinę turturis, quemadmodum
& terreni scorpionis aculeus, in partē extremam
acutissimā illam quidem finitur. ubi nullum fora-
men est, per quod uenenū deijci possit: necesse ta
men est, ut excogitemus, substātiam quandam
esse, aut flatuosam, aut fluidam, quæ ut mole mini
ma, ita facultate quāmaxima est. Etenim cum nu-
per ictus quidam esset à scorpione, uideor mihi ui
dere, inquit, quod grandine percussus sim, eratq;
omnino frigidus, sudore etiam frigido accedente
sed tandem debitis adhibitis remedijs, nō sine ne-
gocio seruatus est. Itaq; Pelops, nō impossibile est
inquit, in corpore similem aliquam essentiam ge-
nerari, nō accedente causa extranea, quæ ubi ner-
uosam aliquā partem occupauerit, per continuas
partes, usq; ad neruorū principium uim suā trans-
mittit, siue id per alteratione, ut ipse dicebat, fiat,
siue flatuosa essentia, ueluti aura, ad ipsum elata.
Sæpenumero eñ infigente aculeū scorpione, aut
in neruū, aut uenam, aut arteriam, manifeste uide
mus percussos, uehemētissimis infestari accidenti
bus. Atqui scorpionis aculeus, totam cutem pene
trādo, ad profundū usq; potest peruenire. Phalan-
giorum uero paruorū ictus solam afficit superfici
em. unde cōstat, interdum à sola cute, ueneni uim
ad totum corpus deferri, quippe tota cutis & con
tinua est, & neruosa. perinde haudquaquam im-
possibile est, cum ex icta parte, per totam ipsam
celeriter distributa fuerit ueneni uis, eam inde eo
dem rursus contactu, in singulas subiectarū ei par
tium recipi, mox ex illis in alias continuas, atque
iterū ex his, quæ afficiuntur, in alias, cūq; ad domi
nantium partiū aliquam peruenerit, tum mortis
periculum homini instare. Ad hanc rem in primis
conferunt uincula superioribus partibus iniecta,
ab ijs enim pręsentaneum pręsidium expectatur:
id quod in uiperarū, scorpionūq; ictibus, itē aspi-
dum quoq;, quod propter imminēs subitarię mor
tis periculū, magis incredibile est, expertus sum.
Etenim cum Alexandriæ essem, rusticus quidam
nō longe ab urbe, in uno manus digitorum ictus,
eius radicē apud palmam ualidissimo uinculo li-
gauit, accurrēsq; in urbem, ad familiarem sibi me

A dicum, totum digitum ab ipsa coarticulatione ad
palmā usq; abscindendum præbuit, sperans inde
nihil se mali passurum. neq; frustratus est sua spe,
quippe nihil aliud faciens, saluus euasit. Similiter
aliū noui, qui epoto ex uiperis medicamēto, re-
scisso prius digito, à periculo liberatus est. Vidi
præterea rusticū, cuius totū digitū uipera momor
derat, qui falce, quam tūc forte habebat (erat eñ
uinitor) ab ultimo articulo ictam partē resecans,
deinde inducta in digito cicatrice, nullo sumpto
medicamine sanatus est. Sed puerū quoq;, cuius
morbus comitialis à crure oriri cōsueuerat, medi-
ci, qui tunc ad curationē eius cōuenerant, sanarę
sperabant, si in primis uacuato uniuerso corpore,
medicamē ex thapsia, aut sinapi parti adhiberēt,
B ligato interim membro, supra eam uidelicet par-
tem, quę primaria affectione erat affecta: atq; hoc
pacto, accessionem reuerti prohibuerunt, quam-
uis antea quotidie puerum infestare cōsueuisset.
Verū hæc obiter, atq; ex abundantia dicta sint, ne
quis miretur, quo pacto, ab ignobili aliqua parte,
tantus morbus ortum contrahere possit. Superest
autem causam uestigare, quamobrē in huiusmodi
per consensum affectionibus, comitiales fiāt con
uulsiones. Nam ne Pelops quidem ullam ad hanc
rem attulit probabilem persuasionem: neq; etiam
alius quisquā, cū quo nobis aliqua fuerit cōsuetu-
do. Mihi itaq; per huiusmodi consensum, uidenti
aliquando laborantē, sine uehementi cōuulsione
cōcidere, simul quod per interualla, breuibus qui
C busdam motibus quateretur, probabile uisum est,
quemadmodū frequentissime singultum fieri cer
nimus, affecto stomacho, ita hanc quoq; affectio-
nem euenire. Etenim meipsum quoq; singultus il
lico inuadere solet, si piperis aliquādo immodicā
quantitatē ingessero. Id quod alijs quibusdā non
paucis, quib. scilicet facilis erat oris uētriculi sen-
sus, accidisse meminimus. Atqui iam suprà memo
ratum est, id non solū medicis, uerumetiā uniuer-
sis hominibus stomachum appellari. Itaq; cum ce
cidissent, qui nō ex propria cerebri affectione, sed
per consensum comitiali morbo laborabant, eos
citra perpetuā cōuulsionē ueluti palpitātē quadā
agitatione, per interualla cōcuti uidebā. Proinde
existimaui, similē aliquē cerebro motū euenire,
D qualis stomacho, interdū à re quapiam molestato
accidere solet. quippe cum à ciborū mole grauat̃
aut ubi corruptis cibis mordicus infestat̃, tum sin
gultu affici conspicitur. Atq; acrem quoq; humo-
rem, non singultum modo, uerumetiam conuul-
sionem per uniuersum corpus efficere sæpenume
ro uidimus: deinde uomitu eiecto eo quod mor
dicabat, illico quiescere. Quo minus mirandum
est, si neruorū principium, huiuscemodi motu cō
cutiat̃, dum festinat ut à se expellat, quicquid fue-
rit id, quod à parte primo affecta ad ipsum affert̃.
Ad hunc modum reliqua quoq; accidētia omnia,
quibus nerui concutiuntur, fieri putauerim. Vbi
uero deperdito sensu quis conciderit, nō acciden
te motu cōuulsorio aut palpitante, id à uehemen-
ti frigore ortum trahere censeo, quo in genere le-
thargus

thargus quoque continetur. Apoplexiæ autem, A ꝙ subito eueniat, aut frigidū ſuccū, aut craſſum, aut uiſcidum, qui principes cerebri uentriculos affatim implet, non totius ſubſtantiæ intemperiem, cauſam eſſe manifeſtū eſt: ueluti lethargi, phrenitidis, inſaniæ, melancholiæ, ſtultitiæ, amiſſæ memoriæ, ſenſuum hebetationis, reſoluti motus. Porrò in omnibus his affectibus, in quorū numero apoplexia quoq; continetur, periculi magnitudinem ex reſpirationis nocumento conijcere oportet. Sanè queadmodū dormientes ſpirant, quamuis nulla alia fungant̃ actione, quæ à conſilio prodeat, nimirū cū ſupini iaceāt in cubili: ita in ſoporoſis affectib. omnibus, quanq̃ neq; ſentiat corpus, neq; moueat̃, tamen ſola ſpiratio, quæ muſculorū pectus mouentiū munus eſt, ſeruatur: cuius rei fir B mam, ac demonſtratiua lege ſtabilitam, habemus ſcientiam. quemadmodum quòd muſculis etiā omnibus, motus principium ab innatis ipſis neruis accedit. Atqui ex anatomice didicimus, neruos oēs à cerebro primariū ſumere initium. Neq; ſimpliciter initium, ſed primariū dixi, id quod ſpinalis medullæ gratia, orationi adieci. Quāuis enim permulti ex ea nerui prodire uideant̃, uim tamen omnem, quā habet, cerebrum ipſi ſuppetit. Cum itaq; ſpiratione uehemēter impeditā, difficulterq; procedentem uideris, non paruā in cerebro morbidam affectionē eſſe, conijcere debes, idq; in ſoporiferis morbis, quos nimirum omes in cerebro fieri manifeſtum eſt.

VIII Affectus autē qui ſcotomaticus (id eſt, C uertiginoſus) uocatus eſt, ex ipſa appellatiōe, qualis ſit, manifeſtatur. quippe à parua occaſione uertigine afficiuntur hi, qui ſic laborant, adeo ut interdum cadant, maxime ſi aliquādo in circum rotentur. ſiquidē ipſis ab una rotatione euenit, id quod ceteris à pluribus accidere ſolet. proinde uertiginem incurrunt, ſiue alium quempiam, ſiue rotam aut id gen⁹ aliud quippiā, aut ipſos quoq; in aquis uortices, circūagi uiderint. Id uero maxime, cū uel ſub ſole æſtuauerint, uel aliam ob cauſam calefacto fuerint capite. Nam quod alijs, cū in circum frequēter uertunt̃, accidit, hoc ipſis citra circuitionem euenire uidemus. Atqui ubi quis crebro uertitur, in æqualem, & turbulentum, & inordinatū motum, tum humorum, tum ſpiritus, in eo fieri in D cōfeſſo eſt. Rationi igitur conſonū eſt, huiuſmodi accidentia uertigine affectis itidē euenire. Quāobrem nonnulli horum, ab arteriarū ſectione præſidium petierunt, arterias pone aures ad tantā ſcilicet altitudinē ſecantes, ut medius inter duas partes locus cicatrice induceretur. Sed cōſtat nō omnes huius auxilij beneficio fuiſſe curatos. Etenim aliæ arteriæ ijs maiores, ad cerebrum ex ipſius baſi per retiforme plexū aſcendunt: per quas huiuſmodi affectionem fieri rationi cōſentaneum eſt, elato per ipſas uaporoſo, calidoq; ſpiritu, atq; implente cerebrū. Atq; fieri etiā poteſt, ut inæqualis cerebri intemperies, huiuſmodi ſpiritum producat. Igitur hanc affectionem ad caput pertinere, ex ipſo uertiginoſorum ſenſu, manifeſtum eſt.

Oritur uerò interdum capite primogenio affectu laborante, interdū uerò, cum ori uentriculi cōſentit, id quod Archigenes quoq; fatet̃, qui libro primo de longarū affectionū notitia ita ſcribit. Porrò ea bifariam oritur, aut enim in ipſo capite, aut in his partibus quæ circa præcordia ſunt. Quinetiam genera eius diſtinguere aggreditur. Nam ubi ex primaria capitis affectione uertigo dependet, auriū ſonos, & capitis dolorē grauitatēq; præcedere dicit: itē olfactus, atq; alterius cuiuſq; ſenſus inde prodeūtis, oblæſionē, eos ſenſus (ut equidem puto) ſignificare uolens, qui à capite initium ſumūt. Vbi uerò ab ore uētriculi orit̃, cordis morſionem, nauſeamq; præſentiri. Verum, ut iam antea ſæpenumero monuimus, licet caput per alterius partis conſenſum afficiatur, affectio tamen nihilominus ipſi aſcribenda eſt.

IX Atq; de ea quoq; quæ cephalæa à medicis nominat̃, nemo dubitauerit, quin capitis ſit morbus. Eſt eñ (ut breuiter quis dixerit) affectus hic dolor capitis diuturnus difficulterq; ſolubilis, qui à parua occaſione uehemētes habet exacerbationes, ut neq; ſtrepitum, neq; uocem uehementiorem, neq; luminis ſplendorē, neq; motum tolerare poſsit infirmus, ſed tranquillitatē, obſcurumq; cubiculum querat, idq; ob doloris uehementiam. quippe nōnulli ueluti malleo, ſe percuti arbitrantur. alij caput frangi, diſtendiq; ſentiunt. non paucis ad oculorū quoq; radices dolor extēdit̃. quin huiuſmodi exacerbationū acceſsiones, ueluti in morbo comitiali intermiſsiones habent, intercediteq; tēpus, quo perfecte liberati uident̃. Igit̃ conſtat, quod ſicut in cephalalgia (id eſt capitis dolore) ita in hoc morbo caput facillime afficitur, atq; hoc eſt ipſis cōmune: uerū per cephalæā affectæ partes multo reddunt̃ ꝙ̃ in cephalalgia debiliores. Cæterū inter capitis dolores, nonnihil diſcriminis inuenitur: nam ſunt nonnulli, quibus caput aptiſsimū eſt, ut impleatur, ac uniuerſi quoq; corporis habitus ad ipſum implendum admodū idoneus. Alij etiā ipſas ſimilares partes aptas habent, ut afficiant̃. Quibus, ubi uitioſo uictu utunt̃, accidit ut cephalæa arripiant̃. Quo minus mirandum eſt, ſi horū alij, mēbranæ cerebrū continentes, dolore afficiant̃, alijs pericranium, id eſt exterior caluariæ membrana. Diſcrimen autem ab oculorum radicibus ſumitur, conſiderando utrum ueniat ad eas malum, nec ne. ſiquidem cōſentaneum eſt, ut quibus intra caluariam diſpoſitio eſt, ijs ad oculorum uſq; fundamenta dolor extendatur, eo quod & à cerebro, & ab utraq; membrana, atq; à uaſis quæ in ipſis cōtinentur, ueluti germina quædam deducuntur. Sed & eorū quibus dimidia capitis pars dolore infeſtatur (ſolent aūt uocari hemicranici) alij extra caluariam, alij in capitis intimis partibus dolorem ſentiunt. At uero dextram capitis partē à ſiniſtra diſtinguit ſutura per lōgitudinem ipſius protracta, ſub qua intra capitis oſſa linea medium cerebrū diuidens protendit̃, ad quam etiam peruenit anteriorum duorum uentriculorum ſeptum. Porrò ea corpora, ſuapte natura, idonea

sunt, ut ipsis caput impleatur, in quibus uaporosus, calidusq; spiritus generatur, aut quibus biliosa excrementa cumulantur in ore uētriculi. Atqui spiritus, dolores inducunt tensiuos, qui idcirco sic uocati sunt, quòd extensionis sensum inducūt. Biliosa excrementa, dolore mordaci afficiunt. Dolores à plenitudine procedentes, grauitatis sensum afferunt. quibus si rubor accedet atque calor, calidos: sed sine ijs, non calidos humores significant. Sunt quibus caput assidue dolet, ubi uel liberalius uinum ingesserint, uel meracius, idq; magis, si suapte natura calidum fuerit. Præterea calidi odores omnes, ut styracis, aut cypheos, atque in totum odorata omnia suffita capitis dolorē pariunt, adeo, ut nonnulli, ne thuris quidem odorem ferre possint. Neq; uero absurdum est, ut quosdam ob sensus exuberantiā, dolor infestet, quemadmodū in ore uentriculi accidit. Sunt enim nōnulli in quibus id tam exacte sentit, ut neque acre acetum, neque sinapi, neq; aliud huiuscemodi ferat. Alij uero contra, ipsum pene insensile habeant. quippe uidentur aliqui uel ructare uel uomere quædam usq; adeo uitiosa qualitate infecta, ut nos ne odorem quidem sustinere possimus, cum tamen ipsi interea nihil ferè morsus sentiant. Nihil igitur prohibet, quo minus in hominū cerebro similes notentur differentiæ, ut eosdē odores aliqui impune sustineant, perinde ac si omnino ab ipsis distarēt; alij eos sine molestia ferre nō possint. Igitur quod omes huiusmodi affectiones ad caput pertineāt, iam manifestum esse uidetur.

X At uero neruorum resolutio, & per uniuersum corpus eorum conuulsio, in quo genere neruorum etiam rigor (Græci tetanon uocant) continetur, sensu, ut prædictæ affectiones, cognosci non possunt, sed ratione quæ nos doceat est opus. Itaq; si aliquādo per totum corpus neruorū actio uitiosa redditur, ipsorū principium affectum esse constat. id uero ex sola anatomice dignosci potest. Cum igitur omnes pariter nerui, tum sentiendi, tum mouendi, uim amiserint, apoplexia huiusmodi affectio appellaī. Vbi uero alteri lateri, aut dextro aut sinistro, id accidit, resolutio nominatur, eius scilicet partis, in qua consistit affectus, interdum dextræ, interdum sinistræ. Quod si in aliquo membrorum idem euenerit, eiusdem membri resolutio esse dicetur. Nam & tota manus, & totum crus interdum resoluitur, atq; solus in crure pes, & quæ sub genu sunt. Sic etiā de tota manu similiter proportione dicendum est. Cæterum ex anatomice didicimus, quod omnes animātis partes sub ceruice positæ, quæ à cōsilio, & uoluntatis imperio moueri possunt, neruos habent qui eas moueant, procedentes ex spinali uocata medulla. Atqui sæpenumero audistis, eam spinalem uocari medullam, addita scilicet medullæ appellatione, interdū uero sine additione simpliciter spinalē nuncupari. Vidistis etiā in corporis dissectiōe, neruos qui thoracem mouent ex ea spinæ medullæ parte, quæ in ceruice est, ortum deducere. ipsa uero ex transuerso incisa, si tota fuerit dissecta, om-

A nes quæ sub ipsa sunt corporis partes, sensu motuq; priuari, utpote suscipiente spinali medulla à cerebro, uim tum sentiendi, tum mouendi pro arbitrio. Preterea in anatomice uidistis, ubi per trāsuersas spinalis medullæ incisiones, ad mediū usq; secundùm longitudinē secaretur, non omnes suppositas corporis partes, sed eas duntaxat, quæ è regione sectionis erāt, resolutas. dextras quidem, dextra spinæ medullæ parte dissecta: sinistras uero, ubi reliqua pars esset incisa. Itaq; manifestum est, quod circa primum spinalis medullæ processum, facta aliqua affectiōe, per quam cerebri facultas, quo minus ad ipsam perueniat, prohibetur, omnia inferiora membra, dempta facie, sensu motuq; priuabuntur. ubi uero media eius processus pars
B fuerit affecta, non omnes inferiores partes resoluentur, sed uel sinistræ duntaxat, uel dextræ. Videntur autem huiusmodi resolutionum aliquæ, faciem quoque infestare, sed tum resolutum latus ad alteram faciei partem trahitur. Cumq; ex anatomice didiceritis, neruos qui per faciei partes sparsi sunt, à cerebro demitti, si earū aliqua, simul cum toto corpore resoluta est, haudquaquam uos latere debet, resolutionis affectionē in ipso cerebro consistere: ubi uero illæsæ permanserint, spinalis medullæ initium affici sciendum est. Accidit uero nonnullis, ut faciei partes duntaxat afficiantur, quemadmodum & reliquarum quoq; partium interdum aliquæ, ut lingua, oculus, mandibula, labrum. Etenim nō omnibus ab uno loco prin-
C cipiū influit, utpote quæ ex diuersis cerebri partibus neruos suscipiūt, id quod in anatomice haud obscure conspicitur. Igitur apoplexia omnibus animalibus actionibus noxam inferens, cerebrum affectum esse manifeste declarat. Discernitur autem affectionis magnitudo & noxæ, quam spirationi infert, uehementia. cum enim naturalem ordinem plurimum egreditur, magnam: cum uero paulum impedimenti est, paruam in cerebro noxam esse conijcere oportet. Sanè omnium pessima spiratio putanda est, quæ & intermittiī, & magna cum uiolētia trahitur. Quippe mori cōtingit apoplecticos, ob id q spirare non possunt. Nam homo qui corporis partes mouere nequit, ad uitæ quidē functiones censetur inutilis, quamuis huic
D ex hac affectione subitæ mortis periculum haudquaquam immineat. Itaq; uidimus quendā, qui reliquis partib. omnib. resolutis, nullā, quæ ad faciei partes pertineret actionē amisit, seruata etiam spiratione: quomodo enim uiuere diutius potuisset, ipsa deperdita? In quo affici putauimus illam spinalis medullæ partem, quæ paulo inferior est processu neruorū ad septū transuersum tendentium. quinetiā & urinā, & alui recremēta, ipsum preter uoluntatis imperium emisisse manifestū est. Insuper uidimus alium, cui propter casum omnes inferiores partes, demptis manibus, resolutæ essent. Igitur quēadmodū ubi uniuersæ corporis partes, quæ sub facie cōstitutæ sunt, resoluunī, faciei partibus illæsis, affectionē in spinalis medullæ initio esse certū est: ad eundē modū, si toti corpori con-

uulsio

uulsio acciderit, faciei partibus omnino seruatis, eundem spinæ medullæ locum affectum esse declarat. Quod si hæ quoque afficiantur, cerebro noxam iam illatam esse ostenditur. Vbi uero pars aliqua cõuulsa est; neruum, qui eius motioni deputatus est, aut musculum, affici necesse est. Igitur si ex anatomice, neruorum ad singulas partes uenientium principia didiceris, perquam facile earum & sensum, et motum deperditum curabis. Verum hæc indeterminata relicta sunt & Herophilo & Eudemo, qui primi post Hippocratem neruorum anatomicen accurate scribentes, non mediocrem medicis dubitandi occasionẽ præbuerũt: Quo pacto per neruorũ resolutionẽ interdũ sensus duntaxat, interdũ uoluntarius motus, nõnunquam ambo simul pereant. Itaque neruorũ resolutio potissimũ dicitur, ubi motus deperditus est. Vbi uero partium aliquarũ sensus perit, eam partem sensus expertẽ esse, resolutam uero nõ adeo dicere cõsueuimus, quamque sunt nõnulli, qui hanc affectionẽ sensus resolutionẽ uocitant. Nos uero semper iubemus ut cuique nominibus pro arbitrio uti liceat. etenim hoc nobis esto propositum, ut affectam scilicet sedem, simulque affectionem eius inueniamus. Nisi enim hæc accurate cognouerimus, nequaquã eas partes quibus uel sensus, uel motus uitiatus est, recte curabimus. Sanẽ Pausanias Syrus sophista, cũ Romam aliquando uenisset, secundum duos minores sinistræ manus digitos, atque medij partẽ dimidiam, sensum in primis quidem difficilem habebat, postea male curãtibus medicis, sensum omnino amisit. Quibus equidẽ cognitis, omnia quæ præcesserũt inuestigaui, atque ipsum cum per uiam duceret, uehiculo excidisse, atque in dorsi initio læsum, mox partem læsam breui quidem curatã, sed auctum in digitis sensus uitiũ, audiui. Igitur remedia quę illi digitis adaptauerant, læsę parti adhibere iussi, atque sic uir ille celeriter sanitati restitutus est. Etenim id quod in primis scire oportet, quod uidelicet nerui per uniuersæ manus cutẽ dispersi, quibus sentiendi ad ipsam facultas defertur, proprias quasdam habeãt radices, quodque neruorum musculos mouentium sunt aliæ, medici ignorant. Verũ latius, quàm proposueramus, iam nostra expatiata est oratio: proinde quiescere eam decet, quippe nostra intentio erat, ut hoc cõmentario omnes affectiones, quæ caput, maxime uero cerebrũ, infestare cõsueuerunt, inueniremus. At quia ab ipso nerui originem ducunt, per consequentiam, ad neruorũ usque affectiones, sermo peruenit: cui etiam finem imponendo, affectiones quæ reliquis capitis partibus accidere solent, scribere aggrediamur, si prius hoc tantillum superioribus addiderimus.

XI Vbi olfaciendi uis lędit, nõ eorũ meatuum qui in narib. cõspiciunt, sed uel anteriorũ cerebri uentriculorum, cum intẽperantia quadam afficiuntur, noxa est: aut eorũ meatuũ, qui in ijs ossibus sunt quæ ethmoide, id est cola, Gręcis dicuntur, si aliquãdo obturantur. siquidem odoratorũ sensus in priorib. cerebri sinibus perficit, elatis ad ipsos per coli foramina uaporibus, quemadmodũ in eo libro, quem de olfactus sensorio conscripsimus, iam declaratum est.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI

Procemium in quo paucis perstringit quæ hactenus dicta sint. Cap. I. De affectis partibus in oculorũ morbis: multa de suffusionibus; & quomodo eas quæ uentriculi uitio fiunt, curauerit, &c. II. De affectuum linguæ notitia, item de sopore & morbo comitiali. III. De sensu auditus. IIII. De affectibus faciei. V. De spinalis medullæ affectibus, ut sunt luxatio, & inde in ceruice angina &c. VI. De sanguinis sputo. VII. Quibus notis uitiata uoce affecta sedes deprehendatur. VIII. Quibus locis sedes affectæ in dyspnœa deprehendãtur. Orthopnœa, suppurati, apnœa. IX. De pulmonis affectibus. Antipatri medici Romani historia, qui cum omnibus modis pulsum inæqualẽ haberet, nec febriret interim, nec ægre spiraret, per sex ferè mẽses quasi sanus circumiens, demum de repente oborta difficillima spiratione, accedente cordis palpitatione, resolutus statim obijt. Et quòd hæc pulsus inæqualitas citra dyspnœam aliquam diu fieri possit, cum crassus & lentus humor in pulmonis arterijs leuibus, non asperis, magnis præsertim cumulatur.

GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA LIBER QVARTVS



VA uia & ratione affectas sedes scrutari conueniat, duobus primis libris, certis quorundam partium exẽplis satis explicauimus. Quoniam uero, ut iam diximus, atque in alijs libris demonstrauimus, circa res particulares exercitari oportet eũ, qui singula artis opera, quę uniuersali uia & ratiõe didicit, tutò & celeriter perficere uoluerit, operæpretiũ me facturũ mihi uidere uideor, si rationales quasdã notiones, omniũ corporis particularũ, quæ sensum effugiũt, cũ quomodolibet afficiũt, præscripsero, sumpto à capite initio. Igit de memoria, & intelligẽtia uitiata, atque reliquis animæ functionibus, quas principes nominare cõsueuimus, in huius cõmentationis lib. tertio iam diximus, simul in nõ paucis affectuũ generibus, uia & ratione inducto exercitationis modo. Nã & de phreniticorũ amẽtia, & de ea quæ citra febrẽ accidit, quã insaniã nominãt, pręterea de lethargo, sopore, morbo comitiali, melancholia, uertigine, cephalæa, hemicrania, apoplexia, & similibus, ibi iã dictũ est. At in præsenti lib. qui huius cõmentarij quartus est, de faciei partibus, quæ intrinsecus afficiunt, sermonẽ faciemus, ab oculis incipiẽdo. Nã modo ipsorũ sensus, modo motus, ac nõnunquam tam sensus, quam motus resoluit. idque interdum in altero, interdũ in utroque accidit oculo. Nonnunquam solius palpebræ, nonnunquam etiã eius par-

tis,quam proprie oculū uocamus, uel sensus, uel motus læditur.Cū igitur nullo in oculis malo apparente, cernēdi sensus deperditus est,demissus à cerebro neruus causam, ut uel inflāmationē, uel duritiē in se cōtinet, aut ex humorū defluxu, aut aliter quomodolibet meatus ipsius duraĩ. Atque huiuscemodi affectus,oculo ,ut instrumentali parti,accidere necesse est.qui uero ei, ut similari, adueniunt,octo intēperātiæ generibus cōtinenĩ.Præterea aliud quoꝗ ipsorū uitiū est, cū uel nihil omnino,uel exiguū admodū, uisifici spiritus,à principio quod in cerebro cōsistere putandū est, ad eos descēdit. Si uero uteruis oculorū, motū duntaxat amiserit,secundæ cōiugationis neruū, qui à cerebro oriĩ,molestari necesse est, ab aliquo uidelicet eorū affectuū,quos alteri neruo, qui à prima cōiugatione nasciĩ, nuper accidere diximus. Quoniā uero, ut ex anatomice didicimus, musculi oculum mouētes, senario numero constant,ac pręter eos,alij quoꝗ sunt,qui descēdentis in ipsum meatus radicē amplectunĩ(quippe dissectores ita nominare cōsueuerūt,primę cōiugationis neruū,eo ꝙ soli manifestū sit foramē) accidit interim quamuis ipse haudquaꝗ afficiaĩ, ut musculorū aliquis, aut in propria essentia, aut in neruo ad ipsum descendēte,ab aliquo nuper dictorū affectuū infestetur.siquidē singulis horū musculorū pars quædam nerui à secunda cōiugatione orti transmittiĩ haud secus ꝙ ijs quoꝗ musculis,qui meatū ipsum cōprehendunt,siue ij duo, siue tres siue unus duntaxat, dicendus sit. id eñ in præsentia non refert, modo nouerimus horū musculorum munus esse, ut & trahant oculū & firment, ne mollis ille neruus, quem & uisificum, &meatum nominant, ullo pacto in processu diuertatur. Cum itaꝗ sex inueniantur oculum mouētes musculi, si is quidem qui ipsum retrahere solet, afficiatur, totus oculus delapsus uidebitur. si uero is qui ipsum detrahere potest,affectus est,oculus retractus apparebit.Ita etiam si minoris anguli musculus uitiatur,ad maiorem:si uero hic læsus est, ad illū oculus deflectitur. At si uoluētium musculorū quispiam resoluitur, obliqua erit totius oculi conuersio. Ceterū cum alij pręterea sint musculi mollem neruum illum circūdantes, scire licet, ipsis resolutis totum oculum procidere, atꝗ à sua sede moueri. Atque pleriꝗ eorum qui sic affecti sunt, sensim quidē intento molli neruo,sed nequaquā affecto,citra noxam cernere possunt,qui ubi quoquo modo afficitur,uisum efficit obscuriorē.ubi uero adhuc magis malum ingrauescit,constat eos qui sic afficiuntur,nihil omnino cernere posse. Porrò cum oculi à sua sede remouentur, si ad alterutrum angulum fiat cōuersio, innocua permanebit cernēdi facultas.si uero aut sursum, aut deorsum,aut in obliquū quoꝗ uertātur,quicquid ipsis obieceris, id omne duplū esse uidebitur. Musculi uero supernā palpebrā mouētes(nam inferior immobilis est)quoniā perquā parui sunt,adeo ut in maioribus quoque animalibus,uix manifeste perspici posśint: nihil mirū si nerui ipsis innati difficulter uideantur.

A Nihilominus queadmodū in musculis, quorum iam supra meminimus,ita & in his quoꝗ euenire necesse est,ut interdum musculi ipsi,peculiari aliquo affectu, ex his quos ad musculos pertinere nouimus,interdū uero nerui ipsis innati infestentur.Igiĩ si musculus ipsam sursum retrahēs exoluitur,laxam efficiet palpebram, adeo ut oculus aperiri non posśit. si uero detrahentes(gemini enim sunt)resoluuntur, oculum claudere non poterūt. Quorum si alter dūtaxat afficitur, ad oppositum musculum palpebra deflectetur,ut fracta uideaĩ, in fine uidelicet circa mediam ipsius lineam.quippe ea pars, quæ iuxta musculum affectum est,retrahi:quæ uerò iuxta illæsum est,detrahi uidetur. Hi sunt partiū oculi peculiares affectus, qui latētibus locis insistunt. Ac sunt præterea alij, qui ex

B alijs partib.ei per consensum adueniunt.Igitur accidentia,suffusorum uisis similia,uidentur, oculis nulla propria affectiōe molestatis, sed aut oris uētriculi,aut cerebri cognatiōe,id accidere solet.uerum hæc ipsa ab ijs quæ à uentre oriuntur, distinguenda sunt.Primum quidem ex eo, quod uel alter dūtaxat oculus,uel uterꝗ similiter,uisis occupetur:siquidem in uniuersum uisa ob humorū in uentriculo contentorum uitium oborta, utrique oculo similiter accidunt. Quæ uerò per suffusiones apparent,neꝗ incipiunt simul in utroꝗ,neꝗ similiter apparent.Deinde ex tempore quoꝗ distinguuntur.Si enim tribus, quatuorue, aut etiam pluribus mensibus, suffusionis apparuerint acci-

C dētia,cōtemplantiꝗ tibi pupillam, nihil tenebrosum uideatur,ab ore uētriculi affectum procedere inuenies.Si uerò non ita multum temporis intercesśit,quærendum est in primis,utrum ex quo incepit affectus, singulis dieb.perpetuò huiuscemodi apparitio perseuerauerit, nullo scilicet interueniēte die, qui omi reprehēsione caruerit, an diebus quibusdam laborans exacte uideatur conualuisse.Nam aśsiduitas suffusionem portendit.Intermiśsio uerò,quod malum à uentriculo prodierit,suspicionem excitat.idꝗ magis si perfecte quis concoquens, nullum sibi uisum apparere fatetur: sed multo magis, si cum apparuerunt uisa,mordicus in ore uentriculi doluit: maxime uero,si post hęc uomēdo,eiecta re mordente,mitigata fuerint

D accidentia. Hæc sunt quæ primo statim die, cum uideris hominē,interrogādo discere debes,quando ut iam diximus, exquisite secundum naturam se habuerint oculi. Vbi uero altera pupilla tenebrosior,aut turbidior, aut(ut breuiter dicam)non exacte pura uidetur,suffusionis esse initiū censendum. Si uero quispiā suapte natura pupillas ipsas non admodum puras habuerit, considera num utriusꝗ similis sit affectus: ad hæc an non ita multum temporis à suffusionis accidentibus præterierit,ut eas turbidiores reddere potuerit.Quod si ita est,impera,ut minus cibi, ꝙ pro consuetudine,ingerat, eumꝗ nihil mali succi habentē:postero die, ubi probe cōcoxit, qualia apparuerint uisa, interroga.si enim uel omnino nulla,uel debiliora uideantur,ad stomachum referendum est accidens.At

si

ſi ſimilia permãſerint, non per conſenſum, ſed ex propria affectione, ſciendum eſt huiuſmodi accidentia oculos infeſtare. Idq; magis, ubi ſumpto ex aloe medicamẽto, nihil uariauerint. Voco autem medicamẽtum ex aloe, quod alij hieram picram, alij ſimpliciter picram appellant. Quippe ſi à ſtomacho prouenerit accidens, huiuſcemodi medicamẽto potui dato, facillime curatur, accedente ſimul bona concoctione: ut in idem conueniant, & affectæ ſedis notitia, & ipſius curatio. Equidem quoſdã ſic affectos, quãuis, uti ſcitis, nõ uiderem, cũ in alienis eſſent terris, per literas curaui. Nam cum nõnulli ex Iberia, Celtica, Aſia, Thracia, atq; alijs regionibus, per epiſtolas à me peterẽt, etiam in ſuffuſionis initio, nullo adhuc uitio in pupilla apparẽte, ut probatũ aliquod eis medicamentum B tranſmitterẽ, uolui prius certiorẽ me redderent, num ex multo tẽpore ita fuiſſent affecti, præterea de alijs quoq;, quorum paulo ante mentionẽ fecimus. Qui cum per epiſtolas reſponderẽt, ſex menſes, aut annũ iam exactũ eſſe, utrũq; oculũ ſimiliter affici, cum probe cõcoxiſſent, melius ſeſe habere: per cruditates atq; ſtomacho mordicus dolente, grauius irritari, educta uero per uomitũ bile, quieſcere, nulla facta de pupilla queſtione, ſatis efficaciter me cognoſcere putaui, non proprio affectu, ſed per uentriculi conſenſum oculos infeſtari. Mittens itaq; picram, ipſos quidẽ in primis, atq; præcipue, per eos autem, alios quoq; multos ipſorum cõterraneos ſanaui. cum enim omnes quotquot epiſtolas meas acceperunt, docti eſſent, affectorum locorum notas ex literis meis didicerũt: C quibus deinde facile cognitis, eos amaro medicamento curauerunt. At ſimilia quoq; ſuffuſioni accidentia in quibuſdã in phrenitidis ſpeciebus, affecto ſcilicet cerebro, ſæpenumero euenire ſolent. Nec refert, utrum ſpecies, an differẽtias nominaueris. Nam ſimplices quidem duæ inueniũtur, ex quibus deinde tertia cõponiť. Quippe ſunt phrenitici quidam, qui de ijs quæ oculis offeruntur, recte (quantum ad ſenſitiuam notitiam pertinet) iudicant, mente uero à naturali iudicio aberrãt. Alij rurſus mente quidem falluntur minime, ſenſibus tamen delirè mouentur. Sunt præterea qui ſimul & ſenſus & mentis uitio laborant. Itaque cuiuſq; læſionis modum ſic accipe. Cum Romæ quidam D domi cũ lanifice puero cõtineretur, ſurgens à cubili, uenit ad feneſtram, per quam & ipſe uideri, & prætereuntes uidere potuit. Itaq; ex uitreis uaſis ſingula oſtendens, interrogauit, imperarent ne ut ea proijceret. illi uero ridẽtes, plaudenteſq;, ut ea proijceret, rogabant. tum ipſe deinceps omnia arripiens eiecit. at illi magnis acclamationibus riſerunt. Poſtea iuberent ne puerum quoque proijci cum eos interrogaſſet, atq; id illi iuſſiſſent, illico ipſum deiecit, quem ab alto cadentem uidentes, ſuppreſſo ſtatim riſu accurrerunt, & confractum iam puerum ſuſtulerunt. At contrariam affectionem, nõ ſolum in alijs, uerũ in meipſo, cum adoleſcẽtulus adhuc eſſem, expertus ſum. Cum eñ per æſtatẽ ardente febri laborarẽ, & feſtucas atro colore, ex cubili eminere, & floccos ſimiliter in ueſtibus eſſe putabã, quos auferre tentans, nihilq; ſub digitis eductum inueniens, accuratius, uehementiuſq; id efficere conatus ſum. Audiens itaq; duos ex amicis qui tum aderant, dicẽtes: Vides ne hũc iam & floccos euellere, & feſtucas colligere? ſtatim intellexi, idipſum quod dicebant, me feciſſe. Cum uero ſic animo conſtarẽ, ut rationalis in me facultas nõ uacillaret: Recte inquam dicitis, proinde ne phrenitis me arripiat, auxilio eſtote. illi autem cum idoneis rigationibus caput fouerẽt, tota die, ſequẽteq; nocte, grauibus inſomnijs turbatus ſum, ut interim clamare, & exilire uiderer. uerum poſtero die, mitigata ſunt om̃ia accidentia. Igitur conſtat, quod licet ab una & eadem cauſa ſecundum ſpeciẽ accidentia proueniant, non tamen ab eadẽ ſede, quæ primario affecta ſit emergũt, cum aliàs ex cerebro, aliàs ex uentriculo per cõſenſum affectus oriatur, ut dictum eſt. Cum enim in cerebro cuiuſpiam bilioſus ſuccus abundat, acceditq; febris ardens, is afficieť perinde ac ſi ad ignẽ torreretur, oriturq; tum fuligo, ueluti in lucernis ab oleo: quæ fuligo ſimul per uaſa, quæ ad oculũ tendunt, delapſa, uiſorũ in ipſis cauſa cenſetur. ſiquidem in anatomice uidiſtis, quod & arteriæ & uenæ ab his uaſis ex quibus membrana ſecundiformis cõtexta eſt, ſimul cum neruis ad oculũ deſcẽdunt. Verum huic ſermoni, utpote ſatis iam definito, finem imponẽtes, de reliquis oculi partibus deinceps dicamus: ſi prius id in uniuerſum monuerimus, noſtri inſtituti nõ eſſe earũ particularũ quæ manifeſte ſenſu percipiuntur, ſi à naturali cõſtitutione aberrauerint, notas præſcribere, ſed illarum potius, quę cum affectę fuerint, ſenſum latẽt. Nam cũ pupilla manifeſte uidetur aut fracta, aut diſtorta, aut præter naturã uel aucta, uel minuta, haud difficile eſt affectã particulam cognoſcere: at uero quæ ſit affectio huiuſmodi faciens ſcire, artis medicæ munus eſt. uerum de ijs in libro de cauſis accidentium iam ſcriptum eſt. Proinde non opus eſſe uidetur, ut in hoc libro uel affectas ſedes in oculis, quas ſenſus conſequi poteſt, uel affectus ipſos declarare aggrediar. Quippe affectuum nomina uno paruo uolumine, cui titulus eſt, quomodo noſcantur oculorum affectus, perſcripta ſunt. Cauſas (ut diximus) in libro de accidentium cauſis, inuenies. Tempus igitur eſt, ut ad linguam noſtra conuertatur oratio.

11 Atq; uidemus interdum ipſius motũ, interdum guſtandi ſenſum lædi, atq; nonnunquam tactum quoq;. Neq; uero alijs guſtus atque alijs tactus neruis utitur, ut in motu uidere eſt. Nerui enim à tertia coniugatione orti, non ſolum tangendi, uerumetiam guſtandi uim obtinent. Verũ crebrius læditť guſtandi q̃ tangendi facultas, quãuis ijſdem neruis utraq; utať. Nam ad guſtum quidẽ exacto iudicio opus eſt, tangendi uero ſenſoriũ, craſsiſsimũ, ut cernendi tenuiſsimum eſt. Auditus uero ſenſorium, ut in tenuitate à uiſu: ita ſenſorium guſtus in craſsitudine, à tactu, ſecundum locum obtinet. Olfaciẽdi uero ſenſorium in illorum

quatuor medio conſtituitur. Mouendi autem uis linguæ aduenit, à ſeptima neruorum à cerebro or torum coniugatione, non longe à ſpinalis medullæ initio. Cumq; hoc in loco utraque cerebri pars, tam dextra, quàm ſiniſtra afficitur, ne apoplexia hominem rapiat, periculũ eſt: ubi uero altera tantum, in paralyſin finiri ſolet. Ea interdum alteram duntaxat linguæ medietatẽ, à motu prohibet: interdum partes ſub capite conſtitutas, & quidem modo has, modo illas infeſtat. Nonnunq; alterum latus, per uniuerſum corpus uſq; ad extremas pedum partes afficit. Igitur ex faciei partibus ſola lingua ſæpenumero uidetur iam dicta noxa moleſtari, cum nulla ſit, neq; in tactu ipſius neq; in guſtu læſio, Cuius rei cauſa haud obſcura eſt uobis præcipue, qui uidiſtis neruorum à cerebro proceſſus, ad faciẽ quidem à parte eius anteriore: ad partes uero totius animalis ſub facie omẽs, ab altera parte, nempe poſteriore fieri. A qua etiã eorũ neruorum, qui ad linguæ muſculos ueniunt, coniugatio procedit, quibus ipſa motum ab electione perficit. Itaq; non ab re, cum anterior duntaxat cerebri pars afficitur, ſola linguæ motio uitio carebit. Reliquæ uero faciei partes omnes, in altera parte, dextra, aut ſiniſtra, & ſenſum, & motum, ab electione amittunt. Quòd ſi aliquando tota anterior cerebri pars afficitur, ſupremũ ipſius uentrẽ ei conſentire neceſſe eſt: atq; mentis quoq; actiones uitiari. Proinde qui ita affectus eſt, neq; ſenſus neq; motionis munere fungitur, ſpirandi tamen facultas haudquaq; læditur, uocaturq; hic affectus, caros, id eſt ſopor. Si uero adeo uehementer ſpirationẽ opprimat, ut quis uel magno conatu, uix ſpirare poſſit, eorum exemplo qui per grauem ſomnum ſtertere ſolent, apoplexia nominatur. Atqui ſolutæ apoplexiæ creberrime ſuccedere ſolet uocata paralyſis. Sopore uero finito, bona ualetudo magna ex parte ſubſequi conſueuit. Fit autem ſopor, Hippocrate autore, muſculis temporum affectis, præterea in acutis quoq; morbis, ut idem Hippocrates ſcripſit. Inter ſoporem uero & apoplexiã, morbus comitialis medius eſt, conuulſionem afferẽs uniuerſo corpori, ſed in paralyſin nõ finitur. Horum trium morborum, frigidus ac craſſus, aut omnino uiſcidus humor, cauſa eſt. Verum & in ſopore, & morbo comitiali, uentres magis, cerebri corpus minus: in apoplexia uero corpus magis affici ſolet. Atq; in ſopore anterior pars magis, in apoplexia, & morbo comitiali utraq; afficitur. In catalepſi uero, & uigilanti ſopore (Græce catoche) poſteriora cerebri magis moleſtantur. Cum autem oſſe quopiã terebra perforato, medius uentriculus fuerit attritus, ſopor hominẽ occupat, ſed neq; conuulſione neque difficili facta ſpiratione, quarum hæc apoplexiæ, illa morbo comitiali peculiaris eſt, haud ſecus ꝙ catalepſi, ſoporiq; ſeruata ſecundum naturã ſpiratio. Verum ut per ſoporem palpebræ clauduntur, ita in catalepſi manent apertæ. Queadmodum autẽ inter perforandum, cum quis membranam negligenter ac ultra quàm res expoſtulat, meningophylace (id eſt mẽ

A branæ cuſtode) premendo uiolauerit, ſopor accidere ſolet: ita ubi os caluariæ uehementer attritũ, ipſius uentriculos cõprimat, maximeq; medium, ſopor ſuperuenire poteſt. Quinetiã ad uehementes dolores hic affectus ſequitur, conſidente uidelicet robore ſpiritus animalis. Voco autem ſic, id quod eſt in cerebri uentriculis primum animæ inſtrumentum, quo & ſenſum, & motum, in uniuerſas corporis partes tranſmittit. Hos cerebri affectus, tum quod iam propoſito ſermoni familiaritate coniunguntur, tum etiam quòd antea non ſatis declarati fuerunt, operęprecium duximus in præſentia definire. Sed ad linguæ affectus redeundum nobis eſt. Quorum alij quidem communes ſunt per cerebri neruorũq; conſenſum. Alij ipſius
B duntaxat proprij cenſentur. Igitur quod ad communicationem, quam cum cerebro habet, pertinet, ut per ſeptimam neruorum coniugationem motus ipſius uitiatur, ita ſenſus impediri poteſt per tertiam, quem neruũ diſſectores mollem appellant, deſcendentem diſperſumq; (ut ſcitis) in tunicam quæ linguam comprehendit. quemadmodũ is, qui à ſeptima coniugatione ortum habet, muſculis ipſum mouentibus diſtribuitur. Proprij autem ſolius linguæ affectus, ex ijs quę iam ſupra de oculorum proprijs affectibus diximus, haud difficulter inuenientur. Quippe ſicut muſculorum ipſius, utpote ſimilarium, intemperantiæ motum impediunt, ita ambientis ipſam extrinſecus membranæ intemperies, & tangendi, & guſtãdi ſimul
C ſenſum uitiat. Inſtrumentalium uero affectionum ſpeciem referunt inflammationes, tumores duri, tumores molles, eryſipelata, ſuppuratiões. de his uero, utpote quę tum uiſu tum tactu diſcerni poſſunt, nihil aliud in hiſce commentarijs dicemus, quippe eas duntaxat affectas partes hoc in libro perſequi propoſuimus, quæ neq; uiſu, neq; tactu, ſed per ſigna quædam ex indicatione, atq; (ut ſummatim dicam) rationali uia inueniri poſſunt.

III Eadem quoque ratione in ſenſu auditus, quicunq; affectus in aurium oculis obiecta concauitate oriũtur, rationali inueſtigatione non indigent. Illæſo uero apparente aurium foramine, ſi audiendi facultas læditur, ſimili uia & ratione inquirendæ ſunt notæ. Vbi enim præter hãc nihil
D læſum eſt, neruum proprium affectum eſſe, haud abſurde conijcimus.

IIII Vbi uero reliquæ faciei particulæ ſimul cum ipſa læduntur, in cerebro affectionẽ præter naturam eſſe exiſtimamus: ipſo uel ut ſimilari, uel ut inſtrumentali parte affecto. Sed facies reliquis in locis omnibus, nõ ſolum motum, uerumetiã ſenſum aut perdit omnino aut uitiatum habet: interdum partibus quę læſas habent actiones, proprio affectu laborãtibus, interdum uero neruis qui ad eas à cerebro deferũtur, deniq; ipſomet interdum affecto cerebro. Quorum diſcrimen per copulata ipſis accidentia, facile deprehenditur. Quippe ſi forte fortuna una quæpiam particula, aut in ſentiẽdi, aut mouendi, aut utraq; facultate lædatur, ea ſola cauſam affectionis continet. Idq; aut in ſuis ipſius

parti

partibus uel instrumentaliter, uel per intẽperiem affectis, aut in neruis, qui ad ipsam ex tertia coniugatione feruntur. At ubi plurimæ simul afficiuntur particulæ, considerare oportet, utrum ex una neruorum origine, aut pluribus, sensum motum'ue, cum in naturali sint habitu, sortiantur. Subijciamus enim ex arte secandi corpora, temporum, maxillarumq; musculis, item labris, & nariũ pinnis, sensum & motũ: linguæ uero, omnibusq; oris partibus, sensum duntaxat, à tertia neruorum coniugatione procedere: à secũda uero, ut oculorũ musculis, motũ, ita à prima oculis ipsis cernendi sensum suppeditari. Igitur ubi particulæ quibus à tertia coniugatione nerui adueniunt, & quidem omnes, sed in alterutra duntaxat parte læsæ uidentur (nunquã autem huius præceptionis, uel nihil dicentibus nobis, obliuiscaris) neruũ ipsum primario affectum esse putandum est. Si uero utranq; simul partem lædi contigerit, non nerui proprius, sed in cerebro loci cuiuspiam, à quo nerui procedunt, primus affectus est. Sanè affecto in utraque parte, tam dextra, quàm sinistra, cerebro, in eo uidelicet spatio, unde tertia neruorũ coniugatio prodit, omnes uicinæ partes simul affici cõsueuerũt. proinde & tertiæ, & quartæ coniugationis nerui. unde sequitur, ut oculorum quoq; partes lædantur. Quòd si unus duntaxat uel musculus, uel neruus, quoquo modo, siue primaria affectione, siue per consensum, fuerit affectus, pars ipsa in aduersum trahitur musculũ. Nam resoluto musculo, qui dextram labri partem mouet, ipsa ad sinistrum deflectitur. At si is qui sinistram mouet, resoluitur, ipsa trahitur ad dextram. Haud secus & totam mandibulam, & narium pinnas, & genas utrasq;, quas à musculosa latitudine (id est lato musculo) moueri didicistis, in aduersam partẽ deflecti contingit. Id autẽ per neruos non à tertia cõiugatione, sed à ceruicis uertebris procedentes, efficitur. Nam hi per totam penè faciem sparguntur, exigua ipsius parte excepta, quæ à quinta coniugatione prodeuntes neruos suscipit, in suprema uidelicet lati musculi parte. Sed iam tẽpus est, ut spinalis medullæ affectus persequamur. Igitur spinalis medullæ affectus, quantũ ad præsentem inquisitionẽ pertinet, compendiosam habent doctrinã. minime uero compẽdiosam cognitionem in ipsis operibus habet. Etenim nisi quis neruorũ ab ipsa procedentium cõiugationes ita memoria teneat, ut ad quã corporis partẽ singulæ perueniant, cognoscat, discernere nõ poterit, secundũ quam uertebrã ipsa sit affecta: ueluti è contrario, si illarum meminerit, facilis erit affectę sedis notitia. Quinetiã si reliquarum quoq; partium omniũ notitiã quæris, ut neruorum qui à spinali medulla oriuntur meminetis necesse est. Veluti ubi primæ uertebræ afficiũtur, licet rarò, euenire tamen interdum angina potest, idq; in pueris magis, quàm adultis, de qua Hippocrates libro secundo De morbis populariter uagantibus in hunc modum scripsit: Erant anginæ affectiões huiusce modi. Ceruicis uertebræ ad interna conuersæ sunt, alijs quidem plus, alijs uero

A minus, atq; in partibus exterioribus, manifesta uidebatur in ceruice cõcauitas: dolorẽ laborãs, cum eo loco tangeretur, sentiebat. Accidit etiã angina cuidam, sub ea uertebra quã dentẽ nominant, uerum non adeo acuta: quibusdã uero ob rotunditatis magnitudinẽ, omnino cõspicua. Fauces autẽ, si nõ cum uertebra quæ dens dicitur, inflãmatione minime laborabant, sed iacebant. Ea quæ sub genis erant, tumebant quidem, sed inflammatione haudquaquã uexabãtur. Glandulas nullus dolor cruciabat, sed naturali potius habitu permanebãt. Lingua haud facile mouebat, atq; aucta ipsis uidebat, atq; prominẽtior. uenæ sub lingua manifestæ. deglutire, nisi magno cũ labore nequibãt. at si ui quadã deuorare conarentur, per nares effluebat id, quod ingesserant. Ex naribus loquebantur. B Spiritus ipsis non admodum sublimis. nonnullis, capitis, temporum, atq; ceruicis uenæ attollebantur: atq; horum quibusdam recrudescentibus tempora paulum calebant, quamuis alioqui non febricitarent. plurimi nõn suffocabant, nisi cum uel sputum uel aliud quippiam deglutire tentarent. Neq; intus subsidebãt oculi. Igitur quibus tumor non in alterutrã partem deflexus, sed rectus erat, nequaquã paralytici euadebant. Horum si quempiam perijsse mihi cõstaret, id referre grauarer minime: nã quotquot memoria nunc consequi possum, omnes superstites permanserunt. Atque alij quàm celerrime sanitati sunt restituti: alij non pauci, quadragesimũ diem præterierunt. Insuper nõnullos febris omnino nõ arripuit. Plurimis etiam C usq; in longũ tempus, pars quædam tumoris protracta est, cuius rei signum, & à deglutitione, & à uoce, sumi poterat. Atque eliquatæ quoque columellæ, quanquam nihil mali habere uidebantur, malæ tamen significationis nuncium præstabant. At uero quibus in alteram partem uergebat, in ea parte unde uertebræ inclinabant, paralytici euadebant, atq; hæc ipsa uersus alteram trahebantur. Porrò huiusmodi accidentia tum in facie, tum in ore, & septo, quod gurgulionem distinguit, perspicua erant. Quinetiã inferiores genæ pro ratione mutabantur. Cæterum qui paralytici ab angina fiebant, ijs non totum corpus, ut in alijs fieri solet, resoluebatur, sed usq; ad manus duntaxat malum procedebat, ab ea parte quæ angina urgebat. D Atq; ij concocta quædam, eaq; exigua, & nõ sine molestia expuebant. præterea quibus tumor in rectitudine consistebat, ij expuere poterant. At ij quos febris quoq; infestabat, longe maiori cum difficultate spirabant, ac inter loquẽdum saliuam effundebant. uenæ ipsis attollebantur atq; pedes erant omnibus, maxime tamẽ his quàm frigidissimi. Horũ si aliqui nõ ilicomortui sunt, ij tamẽ erigere sese haudquaq; potuerũt. Verũ omnes, quotquot equidẽ nouerim, mortẽ obierunt. Totam huius sermonis seriẽ, in secũdo libro eius commentarij, quem in secundum librũ De morbis populariter uagantibus perscripsimus, ad uerbum ferè enarrauimus. Atq; idcirco eam totã hic inseruimus, eo quòd Hippocrates multis ostẽdit accidisse anginam nobis

nobis raró uiſam, nullo exiſtente in ſummo gutture proprio affectu. Quinetiã quòd circa primas oritur uertebras, à quarum altera pars quædã dentiformis uocata procedit. unde nonnulli ipſam totam uocauere dentẽ. At nunc ſub hac quoq; uertebra (inquit) factam quidẽ anginã, ſed non æque acutã, ut ea quæ circa ſecundã fieri ſolet. ſiquidem conſtat, ꝙ ſpinæ medullæ partes, quo fuerint altiores, eo ſunt præſtãtiores. proinde quo inferior primis duabus uertebris fuerit affectio, eo minorem inferet noxam. Nam ex arte ſecãdi corpora didicimus, ſepti tranſuerſi neruos ſub quarta ac quinta uertebra emergere, præterea ex cõmentarijs De ſpirationis cauſis edocti ſumus, liberã ſpirationẽ à ſolo fieri ſepto trãſuerſo, accedente ad hãc intercoſtaliũ quoq; muſculorũ actiõe, ubi uidelicet uehementiori opus eſt inſpiratione. Quòd ſi uehementiſsima inſpiratiõe indiguerimus, ſuperiores etiã muſculos cõcurrere oportet. Verũ nõ ſolum ob magnã aut maximã ſpirationẽ, horum muſculorum actionẽ requirimus, ſed ob alias quoq; cauſas, de quibus latius in libris De dyſpnœa (id eſt ſpirãdi difficultate) iam dictũ eſt. In præſentia uero ſatis fuerit, à præſcripto Hippocratis ſermone tantũ accipere, quantũ ad affectorũ locorum notitiã neceſſariũ eſt: ſi prius eius uerbi, quod in libro De articulis à nobis explicatũ eſt, meminerimus, ubi inquit: Vertebrarũ aũt quæ in ſpina ſunt, quęcunq; per morbos in gibbũ trahuntur. Vult nimirum nõ ſolum ad interna uertebrarũ luxationem, quã lordoſin (id eſt excauationẽ) uocãt, ſed eam quoq;, qua retro uertebræ labunt̃, comitari tenſiones, quæ ad partes fiũt internas, trahentibus qui ibi preter naturam conſiſtunt tumoribus neruoſa corpora. Igitur ubi unica duntaxat uertebra, aut etiam duæ, aut tres ſeſe deinceps cõſequentes diſtrahuntur, ea parte ſpinã cauari cõtingit. Vbi uero inter diſtractas uertebras, uel una, uel plures illæſæ permanſerint, ſic affectis gibbus accidere ſolet. At ſi in alterutrã partem, uel dextrã, uel ſiniſtram diſtrahatur, ibidem in obliquũ torquebitur ſpina. Atq; in eo quẽ premiſimus ſermõe, utriuſq; mentionẽ fecit Hippocrates, excauatiõis quidẽ, cum dixit, Quibus ſecũdum rectitudinem tumor erat: obliquæ uero torſionis, dicens, Quibus uero in alterã partẽ uergebat. Porrò exacte admodum atq; utiliter nobis (ſi legerimus) hæc conſcripſit: per excauationẽ quidem, neminẽ fieri paralyticũ, quod fit ubi pars aliqua reſoluitur: per obliquam uero torſionem, malum ad manus uſq; procedere, ſignificans ipſum ad infernas partes, ut coſtas, lumbos, crura non poſſe deſcendere. In primis itaq; hoc nobis ſciendum eſt, alia quidem ſequi accidentia, laborante ſpinali medulla proprio affectu, ſiue id ex ſola intẽperie fiat, ſiue ſimul humore quopiam affluente, ut in eryſipelate, inflammatione, atque ulcere putri: alia uero, ubi uel una uel plures uertebræ afflictæ luxant̃. Quippe ubi proprio affectu ſpinalis medulla laborat, ſiue id in dextra, ſiue ſiniſtra parte eueniat, citra tamen uertebrarum luxationem, & quidem ſi in altera parte

A duntaxat afficiatur, omnium inferiorum corporis partium, quæ è directo nocumenti conſtituũtur, tam ſenſus quàm motus læditur. Si uero utraque pars affecta eſt, omnes particulæ tam in dextra ꝙ ſiniſtra parte, ei quæ læditur ſubiectæ, ſimiliter reſoluuntur. At luxata uel ad gibbum uel ad concauum uertebra, fieri poteſt, ut nulla omnino partiũ inferiorum, uel in ſentiendi uel mouendi facultate uitium percipiat. Atq; fieri etiam poteſt, ut lædatur, eo uidelicet modo, qui ab Hippocrate in libro De articulorum affectibus definitus iam eſt. Cum enim anguloſa (ut ipſe nominat) fit ſpinalis medullæ luxatio, id eſt, cũ non paulatim, ſed affatim, perinde ac ſi frangeretur, pars aliqua curatur, ſubiectas partes omnes lædi neceſſe eſt. Paulatim
B uero facta luxatione, atq; in orbẽ magis, nihil notatu dignum patiuntur partes, quæ cõmotæ uertebræ ſupponuntur. Sed in obliquum luxatio, lædit omnino eas partes, ad quas nerui ex luxatis uertebris procedentes, perueniunt, idq; magis in ceruice, in thorace minus, ſed multo minus in lumbis accidere ſolet. Siquidem in ceruice, uertebræ inter ſe connexæ, æqualiter utræq; cõferunt foramini unde neruus procedit: in thorace autem ſuperior magis, inferior minus. Sed in lũbis, totus neruus ex ſuperiori exit uertebra, ubi ſi obliqua eueniat uertebrarum luxatio, eadem ſecum trahẽs & ſpinalem medullam & neruum, illæſum ſeruat ipſius ſecundum naturam ortum. In ceruice uero, ex loco medio inter duas uertebras procedentes
C nerui, per obliquas luxationes, in ea quidẽ exortus parte, ad quam ſpina ipſa deflectitur opprimũtur, in altera uero tendũtur. Porrò tenſiones quidem, ubi ingens quoq; inflammatio acceſſerit, cõuulſio comitatur. Ad compreſsiones uero earum partium, ad quas oppreſſus neruus peruenit, paralyſis, id eſt, reſolutio, ſequitur. Igitur nõ ab re in ea angina, cuius in præmiſſo ſermone hiſtoria narrata eſt, ad manus uſq; ſuperuenit reſolutio, utpote procedentibus neruis ex fine ceruicis ad manus. Quippe ſub ceruice thorax eſt, à cuius uertebris emergentes nerui, non ad manus, ſed ad ſpatia intercoſtalia tranſmittuntur, paucis, qui ex primis procedunt, exceptis. Igitur per eas quas nuper diximus uertebrarum luxationes, reliquę faciei par-
D tes omnes, neq; in ſenſu, neq; in motu noxam ſubeunt. Porrò genæ duntaxat ſine mandibula læduntur, ut quæ à muſculoſa latitudine, id eſt lato muſculo mouentur. Conſtat itaq; ꝙ muſculi qui bus mouendi uis aduenit, per neruos, qui à ceruicis uertebris orti, in ipſis diſperguntur, noxam nõ euadunt, ſi & ſpinalem medullam, & prouenientes ab ipſa neruos, affectus quiſpiã infeſtauerit. Verũ qui & quot ſint huiuſmodi muſculi, ex neruorũ, qui à ſpinali medulla oriũtur, diſſectiõe didiciſtis: ueluti alia quoque cognitu neceſſaria accidentia, quæ ſequunt̃, ubi ſpinæ ipſius uertebræ, uel in gibbum, uel concauũ, uel etiã obliquũ luxantur, ex ſecũda particula cõmentariorũ, quos in librum De articulis edidimus, omnia cũ proprijs demonſtrationibus accurate conſcripta habetis. Quorum

summas in præsentia cõmemorasse operæpreciũ fuerit. Equidem nonnulla iam percurri: Superest itaq; ut ea quæ nondum tacta sunt tractemus, ut nihil orationi nostræ deesse uideat. Porrò scire debetis, uertebras à suo positu luxari, aut ob casum, aut ictum, aut tumorẽ præter naturã, neruosa corpora, uertebris ipsis, atque spinæ medullæ insita, extendentẽ. Horũ duo sunt genera: Aliud eñ est partium quæ secundũ naturã se habent; aliud earum quæ prẽter naturã, tumores quidã, quos Hippocrates uno uocabulo comprehẽdens, cruda tubera nominauit. Igitur manifestũ est, q in premissa cõstitutione, quam libro secundo De uulgarijs morbis, descripsit, ceruicis uertebris adiacentes musculi, afficiebant: potuit etiã tuberosus aliquis tumor accedere, ob quẽ concocta nõnullos screare dicit, facta uidelicet tuberum cõcoctione. Cur igit eos anginosos appellauit? an quia difficulter spirabant, nullo existente uel in thorace, uel pulmone uitio? quippe hac in re differt anginæ concursus à peripneumoniæ, & lateralis morbi cõcursu: atq; in eo q angustiæ sensus in summo gutture est. Præterea in Præsagiorũ libro uidetur anginæ nomine appellare omnes affectus huic loco accidẽtes, quos spirãdi difficultas comitat: Inquit eñ, Angina periculosissima est, celeriterq; enecat, si neq; in faucibus, neq; in ceruice quicq; apparet, si dolor uehemens est, si uix spiritus erecta ceruice trahitur. etenim eodem die iugulat, licet interdum usq; ad alterum, aut tertiũ, aut etiã quartum protrahatur. Quæ in reliquis, nõ minore quidem dolore afficit, in faucibus uero tumorẽ, ruboreq; excitat, superiori nõ minus periculosa est: sed longius spatium habebit, præcipue si uehemens fuerit rubor. Sed tum præcipue malum prolongatur, cum nõ solum fauces, sed ceruicẽ quoq; rubor occupat. Maxime uero potest ab ea secunda ualetudo cõtingere, si rubor simul & ceruicẽ & pectus cõprehendat, neq; ad interna reuertatur erysipelas. Igitur ex ijs uerbis haud dubia coniectura est, omnes affectus qui huic loco accidunt, si spirationẽ quoquo modo reddant deteriorẽ, ab ipso cynanchas (id est anginas) nominari: nondũ solitis medicis cynanchen per K, synanchen uero per s, nominare. tãtum abest, ut uel paracynanchen uel parasynanchen dicerent. Quippe tum primũ homines res ipsas neglexerũt, cum nimio studio nomina quærere inciperẽt. Itaq; quatuor inuẽtis nominibus quatuor affectus significari dicebant. Ac notas ipsorũ scribẽtes, genus illud quod supra tractauimus, cum sermonẽ ex libro uulgariorũ morborũ secundo explicaremus, omnino derelique- runt. Atq; hæc sunt quatuor eorum genera. Primum, ubi fauces inflammantur, fauces uoco, internum oris locum, ubi simul conueniunt, & gulæ, & summi gutturis partes extremæ. Alterum, cum neq; fauces, neq; reliquæ oris partes, neque etiam externarum partium ulla inflammata uidetur, laborans tamen suffocationis periculũ in summo gutture sentit. Tertium ubi extrinsecus circa fauces inflammatio apparet. Quartum ubi summi gutturis partes, tum externæ, tum interiores similiter affectæ sunt. At superest adhuc alius ceruicis affectus, quem ipsi silentio præterierunt, ubi ad anteriores partes uertebræ luxantur, idq; uel solis interdum musculis, qui cum ipsis communicant, tumore præter naturã affectis, uel nato ibi tuberculo, interdum etiam gula pariter uitiata. Nonnunquam musculis quoq;, qui gulam summo gutturi iungunt. Quinetiam proprijs aliquando summi gutturis musculis: qui ipsum aperiunt, oblæsis. Per omnes id genus affectus, spirandi quidem difficultas oboritur: sed citra suffocationis periculum, laborantes difficulter deglutiunt, atque dolore afficiuntur, idq; præcipue, cum potus eis per nares resilit. Accidit etiam interdum ut excedente inflammatione, & lingua, & fauces in tumorem attollantur, quemadmodum & Hippocrates ipse tradidit. Verum huiuscemodi cognationum affectuum enarratio, proposito nostro nihil conferre uidetur. Nam lingua affecta quoque actiones deperduntur.

4 At ubi unica duntaxat actio læsa est, & sedes affectæ plures, tum nostri instituti est, ut reliquorum accidentium uarietate eas discernendo inueniamus. Quippe nullo spiritalium instrumentorum quoquo modo, neq; primario, neque per cõsensum affecto, fieri minime potest, ut spiratio lædatur. Cum itaque multa sint spirãdi instrumenta, ac numerosa quoq; partium multitudo, quibus ipsa consentire consueuerunt, non ab re multa discretione indiget is, qui et primario affectas, & cõsentiẽtes sedes inuenire conatur. Igitur ex sola spirandi specie, illico nonnihil & de affecta sede, & de ipsa affectione conijcere licet. Quippe si uideatur laborans, inter spirandum, totum mouere thoracem, ut in parte quidem anteriore ad iugulum, in utroq; latere ad summum humerum, in parte posteriore ad scapulas usq;, motus ipsius ascendat, tres ex huiusmodi spiratione affectiones significantur. Vna est flammea in pulmone atq; corde caliditas. Altera in aliquo spiritalium instrumentorum angustia. Tertio est facultatis musculos thoracis mouentis debilitas. Cumq; huiusmodi spirationẽ conspexeris, in primis arteriæ pulsationem perpendere oportet: hæc enim q multus sit calor indicat. Atq; de ijs in libro De præsagijs à pulsu, iam scriptũ est. Deinde expirationẽ ipsam cõsidera, an multa, an frequẽs, an exsufflando fiat. Postremo thoracẽ in pectore tange, quẽ si ardentem inueneris, iam omẽs copiosi caloris notas te habere nõ dubita. Quibus ex abũdantia accedit, faciei, oculorumq; rubor, capitis ardor, sitis uehemens, lingua arida & salebrosa, dicente infirmo ardere sese. Vbi uero incẽdij signis modũ seruantibus, thorax uehemẽter dilatatur, angustiã in spiritalib. instrumẽtis esse portendit. Itaq; cõsideres oportet, an summũ guttur sit affectũ, an pulmo, an thorax ipse humorib. impleat, an tubercula in ipsis nata sint, quo in genere etiã abscessus numerãtur. Atqui summi gutturis affectus, tũ primarios, tum eos quibus per consensum infestatur, iam per-

percurrimus. Pulmonis autē, thoracisq́ uitia, paulo post accuratius persequemur. Nam in præsentia spinæ medullæ duntaxat affectus tractare proposuimus, tum alios, tum illos qui ei per imbecillitatem uocatā accidere solent. Porrò solet imbecillitas accidere, interdū cerebri uitio, utpote à quo & sentiendi & mouendi facultatem recipit. Interdum ipsa duntaxat spinali medulla primario affectu laborante, idq; ob peculiarem intēperiem, uel toti ipsi, uel diuersis ipsius partibus aduenietem, quam uulgarium medicorum mentes nequaquā comprehendere ualent, cum tamē creberrime uideant laborantes quosdam adeo exolutos, ut uix digitos possint mouere, quamuis omnibus thoracis partibus spiritus trahatur, nullo ardente calore ad magnam spirationem ipsos cogēte. Id uero ob huiusmodi causas eis accidit. Nam dum quiescit animans, liberam spirationem, solum septum trāsuersum, modo ualeat uires, efficere solet. Vbi uero ob infirmitatē, spirādi munus perficere non ualet, tum intercostaliū musculorum cōcurrit auxilium. Quòd si præterea maiori animal inspiratione egeat, tunc superni musculi omēs, quorum maximi scapulas secum manifeste mouent, ad spirandi actionem requiruntur. Cum itaq; hominem spirandi opus omnibus thoracis partibus perficere uideris, nō fuerit tamē frequēs inspiratio, quantum thorax dilatetur perpēde. Insuper & narium pinnas considera. Nam & has ipsum contrahere comperies. Dilatatur autem thorax quidem, uerū non similiter ut in ardētibus febribus, cum adhuc ualent uires. Nam in ijs magna ex parte totus thorax dilatari cōsueuit. Neq; etiam ut in illis, quibus id euenit ob aliquam spiritalium instrumētorum angustiā, ut in angina, atq; in dyspnœa, quam fluxio affatim descendens induxit. Neq; quibus ab utraq; causa prouenit, ut in peripneumonia. Quippe hoc morbo affecti, & maxima & frequentissima spiratione utuntur. Cæterum queadmodū ob uirium infirmitatē, ita ob unius quoq; particulæ particularem imbecillitatem, omnes thoracis partes dilatari coguntur. Igitur exercitiorum magister Secundus nomine, qui satis quid pateretur intelligebat, sentire se manifeste in septo transuerso dixit imbecillitatē. Atq; idcirco cogebatur intercostales musculos sine intermissione mouere, atque nonnunq; superiores quoq;, interdū autem zonam circundans præcordiorum partibus, sola transuersi septi motione, sufficienter spirabat, quo tempore quiescebat. Verum an septi trāsuersi mūsculum, an ad neruos qui ad ipsum perueniūt, an ad aggregatum ex utrisq; pertineat huiusmodi imbecillitas, mihi quidem explicatu perdifficile uidetur. Idem spirationis genus etiam in alio quodā notaui, quem cum aliquādo equus in præcordiorum regione calcitrasset, adeo atrociter, ut oborta in septo transuerso inflammatione, mortis periculum immineret: is licet euaserit à periculo tutus, ab imbecillitate tamen liberari nequiuit. In alio etiam qui à uehemēti peripneumonia conualescebat, brachij tam externæ, quàm internæ partes, à

A cubito ad summos usq; digitos, sensus difficultate laborauerunt, atq; motus nonnihil læsus est. Huic nerui, qui in primo atq; secundo intercostali loco inueniuntur, noxam subierunt. quorū primus nō contemnendæ magnitudinis, per intimas partes abditus defertur, sed ei qui ipsum præcedit admistus, atq; multifariam diuisus, ut in arte secādi corpora uidere est, cuius etiam partes aliquę per interiorem cubiti regionem, usq; ad digitorum extrema perueniūt. Alter uero neruus tenuis quidem, nulliq; admistus, per axillam sub cute ad brachiū defertur, dispersus per cutis tam exteriores, quàm internas partes. Huic homini celeriter sanitas reddita est, adhibito medicamento ei loco unde nerui prodeunt, iuxta primum, ac secundum interco-

B stale spatium. Iam sanati sunt quoq; nonnulli, quibus utrunque crus paululum resolutum erat, adaptato lumbis medicamēto, in eo spinalis medullę loco, unde cruribus nerui adueniunt, nullum resolutis cruribus medicamen adhibendo. Neq; enim ipsorum, sed medullę proprius erat affectus. Vidimus alium, cui magna oborta suppuratione in altera nate, iuxta cruris initium, nerui eiusdem cruris per incisionem nudati sunt, sed ea parte sanata, toti membro mouendi difficultas accidit. Itaq; cōijciens durum quippiam, à priori inflammatione in neruo derelictum, quod huiusmodi affectionem induceret, affecto loco idoneū medicamen adhibendo, hominem perfecte sanaui. Quod aūt de partibus faciei dictum est, id de reliquis quoq;

C omnibus est intelligendum. Quippe unica duntaxat pereūte actione, solum musculum, qui ipsam efficere solet, aut neruum ipsius, affectum esse putandum est. At ubi plures actiones uitiatę sunt nō eodem in loco, accidit interdum, omnes musculos à cōmuni aliqua causa lædi. fieri etiam potest, ut neruus aliquis, qui musculis illis cōmunis est, afficiatur. Præterea piscator quidam, cum in fluuio pisces uenaretur, adeo circa sedem, et uesicam infrigidatus est, ut ipso inuito effluerēt & alui excremēta & urina. Atq; hic quoq; per calida remedia affectis musculis adhibita, celeriter sanus euasit. Item alius eisdem molestatus accidentibus, sine tamen manifesta causa, læsis circa os sacrū neruis, multo tēpore per multa præsidia, uix sanatus est. Igitur quod protinus ab initio dicebam, illius

D nunc quoq; mentionem faciēdo, ad alia me diuertam. Etenim si ex arte quæ corpora secare docet, ad quam particulam descēdant singuli nerui, à spinali medulla prodeuntes, cognoueris, affectas sedes quàm facillime inuenies. Ex artis itaq; operibus horum omnium examen re ipsa deprehendistis. Nāq; sæpenumero uidistis ex huiusmodi notitia, manifeste iuuari laborantes. Quippe non solū crura, et manus temere ac frustra uulgares medici, tota die noctuq;, calidis medicamētis illinūt, prætereuntes locum, ubi uel spinalis medulla, uel neruus aliquis ex ipsa emergens, læditur: uerumetiam caput cuiusdam, non ita pridem, impositis medicamentis uehementer calidis, ulcerarūt, putantes sensum ipsius grauiter læsum, hoc pacto

posse

posse reuocari. Atq; huc ipsum sanauimus, inuenta sede affecta, tum ex reliquis accidentibus, tum ex euidentibus causis. Nam super singulis interrogauimus. Quarum una huiusmodi erat. Cum sub multa pluuia ac uento impetuoso ambulasset, pallium circa ceruicem madefactum aiebat, adeo ut uehemẽti se frigore in ea parte affectum sentiret. Itaq; si sciueris ex primis spinę medullę uertebris, quatuor neruos ad caput ascendere, à quibus pellis ipsum ambiens sensum accipit, facile sedem affectam inuenies. Hac igitur sanata, capitis quoq; pellis pariter sanata est: utpote quæ nulla primaria affectione laborabat. Medici uero neq; huiusmodi neruos, neq; eos qui per singulas cutis partes dispersi sunt, cognoscẽtes, quamuis præsentaneũ sit eis remedium, quod minimæ particulæ iuxta nerui initiũ adhiberi deberet, ipsi partes illæsas multo negocio molestãt. Ego uero sæpenumero uos monui, alios quidem in ipsa spinali medulla ueluti radicem habere, alios uero, ut ex magnis ramis, atq; ipsis quoq; è spinali medulla exortis, procedẽtes, qui rursus diuisi distribuuntur. Atq; alij per ualde multas cutis partes, alij per pauciores. Quo magis miror dissectores ipsos, illos non cognoscere, atq; in neruorum resolutione quærere, quam ob causam resolutarum partium non semper & motus, & sensus pereat: sed aliquando sensum duntaxat, aliquando & sensum & motum simul deperdant. Arbitrantur nanq; neruorũ, qui per musculos dispersi sunt, reliquias, ad cutem tendere, cumq; diuisus per musculum neruus affectus est, siquidẽ uehemens fuerit uitium, & sensum & motũ simul lædi, sin leuius fuerit malũ, seruari quidẽ sensum, utpote qui non tantum roboris desideret, motũ uero, eo ꝙ robustis egeat uiribus, perire. Interdũ eñi unus musculus, uel totum crus, uel manũ mouet, ac proinde uiribus indiget, qui si ita afficiatur, ut munus suũ perficere nequeat, membrũ ipsum immobile relinquit, sentiendi uero facultas partium affectiones discernẽs, illęsa tunc permanet. ut quę non ita ualidis egeat uiribus, quippe nihil minus, imò magis etiam pati possunt partes, cum debiles fuerint: efficit tamen imbecillitas, ut facilius affectio à sensu dinoscatur. Igitur ratio ipsorum in huiusmodi quidem neruorum resolutione probabilis esse potest. ubi uero perdita sentiẽdi facultate, motus non perit, nõnulli quidem adeo uanas adduxere rationes, ut satius fuisset eos conticescere: nonnulli uero cognita huius quæstionis difficultate, non grauati sunt dicere huiuscemodi paralysis speciem, qua seruato motu sensus perderetur, neminem unquã uidisse. Sanè qui arroganter sibi sectæ alicuius principatum usurpant, artis uero opera nunq; in exercitationis usum duxerunt, ijs nihil tam difficile uidetur, quod non intrepide profiteantur. Verum magna ex parte mentiuntur, atq; ut scribunt nonnulla, perinde ac si ipsa frequenter conspexerint, quorum tamen ne somnia quidem unquam uiderunt, ita plurima nunq; uideri aiunt, quamuis creberrime conspexerint.

VI Atq; conuenit quidẽ inter medicos, sangui-
A nem è gula uentriculoq; uomitione, ex spiritalibus partibus tussi, ex faucibus & gurgulione screatu, ex ore simplici expuitione expelli. Nos uero sanguinẽ, qui à capite & gurgulionis partibus internis, ut ad fauces affatim descendebat, tussiendo educi sępenumero cõspeximus, quippe subito summo gutturi irruens, tussim mouere potest. quare diligenter aduertere animum oportet, ne aliquando huiusmodi sanguinẽ ex spiritalibus instrumentis ascendisse putemus. Quemadmodũ iam noui quosdã medicos falso suspicatos, qui ex suo errore inducti putauerunt multos optimos medicos non recte pronunciare, periculosissimam esse huiusmodi sanguinis eruptionẽ, utpote pulmone uehemẽter affecto. Neq; enim ferè alicuius uasis ru- B pturam in ipso fieri uerisimile est. Cæterũ contingit plerunq; etiã, ut uel erosa, uel exesa, uel utcũq; nominare uolueris, uena, sanguis affatim tussiendo eijciatur. Cum enim retroactis tẽporibus, quis ex non ita multis interuallis, quotidie sanguinem tussiendo expuere cõsueuit, superueniatq; ei postea multi sanguinis inter tussiendum eruptio, & quidẽ neq; ab alto cadẽti, neq; in certamine, neq; palęstra grauiter uulnerato, neq; etiã sub ullo graui põdere oppresso thorace: reliquũ fuerit, ut cõijciamus, ob auctã erosionẽ, plurimũ sanguinẽ inter tussiendũ fuisse reiectũ. Atq; non pauci sic affecti, pulmonis quasdam particulas simul cum sanguine eiecerunt. Quocirca diligenter considerare oportet, an spumosum quidpiam simul educatur.
C Id enim efficacissimũ fuerit indiciũ, ꝙ ex pulmone facta sit excretio. Haud secus si bronchi pars quædam, aut arteriæ, aut uenę tunica, aut etiã pulmonis ipsius caruncula eijcitur. Quippe nihil horum accidit ijs, qui ex thorace sanguinẽ tussiendo producunt. haud secus atq; nullus dolor infestat eos, quibus à pulmone sanguis erũpit: utpote qui duos neruos perquàm tenues, à sexta neruorum à cerebro ortorũ coniugatione recipit, extrinsecus per membranã ipsum continentem dispersos, qui intrinsecus haudquaq; per uisceris profunditatẽ extenduntur. Verũ thoraci (ut scitis) multi ab internis, multi etiã ab externis partibus adueniunt nerui, quibus facile dolores percipi possunt. Præterea thorax musculis, ossibusq; abundat, pulmo uero laxus est, atq; ab afflictione tutus. Proinde
D thoracis dolores intẽsiores sunt, pulmonis remissiores. Cum igitur dolẽte thoracis parte quapiam, sanguinẽ quis spuendo reiecerit, neq; multũ, neq; rubrum, sed nigricantẽ, grumosumq;, huic thorax primaria affectione infestatur. At sanguis affecto thorace per pulmonẽ educitur, haud secus atq; in suppuratis affectibus pus quod inter thoracem & pulmonẽ sensus iudicio cõtineri percipit: ad eundem modũ etiã in pleuriticis sputũ coloratũ emitti solet, quemadmodũ in quinto huius cõmentationis libro utcunq; dicemus. Consequens est ut de ulceribus quæ sanguinis reiectioni superuenire cõsueuerunt, deinceps dicere aggrediamur. Ea in pulmone creberrime fieri possunt, ac curationẽ (ut quibusdã uidetur) nequaq; admittunt, aut (ut

alij putant) difficulter admodũ sanatur. At in thorace dirupta uasa, à quibus sanguis expuitur, magna ex parte cõglutinanť. Nunq; enim huiuscemodi ulcera, uel diuturna, curationi omnino resistũt. Quæ uero in pulmone longo iam tẽpore permanserunt, quamuis aliquando curenť, relinquitur tamen in ipso res quædã callosa, fistulosaq;, quæ tractu tẽporis, à leui occasione excoriari solet. Atq; cum ijs quę inde expuuntur, miscentur ulceris tectoria, ephelcides id est crustulæ à medicis uocata, ac cruoris exigua quædam guttula, qua in re cum ulceribus in alijs sedibus genitis cõmunicãt. Verũ ex gula uentriculoq;, uomitu: ex renibus & uesica, cũ urina: ex intestinis uero, deiectione excernuntur. Sed ex spiritalibus instrumentis, nihil sine tussi expui potest. Quòd si pluribus deinceps diebus aliquis cruorem & screauerit, & emunxerit, idq; citra capitis uel dolorẽ, uel grauitatẽ siue præsentem, siue præteritam, neq; is ex ictu procedat: huius & totum per nares meatũ, atq; eam oris partẽ, qua ad nares foramen tendit, accurate considerare oportet. Nam fieri potest huiusmodi accidens, hirudine huic loco adhærente, quæ quidẽ in dies augeri solet. quamuis enim primis diebus, ut pote exigua, sensum effugiat, tertio tamen, quarto'ue die, haud obscure uideri potest. Eadẽ ratione ex uentriculo quoq;, cruor epota sanguisuga euomitur: sed est huiusmodi cruor tenuis ac serosus, siue is ex uẽtriculo, siue naribus, siue ex ore feratur. Igitur cum talẽ uideris, ac hominis considerato habitu, super præteritis eum interrogaueris, ex omnibus, rei ipsius ueritatẽ facile conijcies. Equidem cum uiderẽ hominẽ integra ualetudine, huiusmodi cruorẽ euomentẽ, interrogaui qua uictus ratione antea fuisset usus: ille uero inter alia quæ narrauit, hoc quoq; addidit: q cũ nocte quadam sitiret, misso puero qui aquam afferret, ex immundo fonte bibisset. Quibus auditis, sciscitatus sum, apparuissent'ne aliquando sanguisugæ in ipso fonte. qui cum id quoq; fateretur, epoto subinde idoneo pharmaco, hirudinẽ uomitione reiecit. Porrò cum alius quispiã huiusmodi cruorẽ emungeret, & expueret, ipso narrante audiui, eum rure, æstatis tempore, in stagno quodam, cum cæteris iuuenibus iuuenili ludo, qualem adolescentes in aqua ludere solent, exercitatum: tum ego sciẽs in eo stagno sanguisugas esse, duxi laborantem ad splendorem, conuersoq; directe ad solis radios narium foramine, in eo meatu ubi nasus ad oris regionem perforatur, hirudinis in meatu latẽtis caudam cõspexi. Has igiť historias, utpote perquam conducibiles, uobis narrare operæprecium duxi.

VII Quòd in proposito sermone, læsionem putare oporteat, etiã si non penitus tota partis actio secundũ naturã deperditur, sæpenumero iam diximus. Nec abre fuerit id in pręsentia monuisse. Pręterea (quamuis nõ ignoretis) monitos uos uelim, non eandem esse rem, uocẽ & sermonẽ: siquidem uox uocaliũ instrumentorũ munus est. Loquela uero, eorũ, quæ sermoni deputata sunt, inter quæ lingua principatũ obtinet. cui non parũ cõferunt

A & nares, & labra, & dentes. Sic etiam uocis instrumenta sunt, summũ guttur, & musculi ipsum mouentes, atq; nerui, qui à cerebro ipsis uim deferũt. Igitur si uel claudentes, uel aperientes summum guttur musculi, immobiles reddanť, qui sic afficiť obmutescet. ubi uero, uel difficulter mouetur, uel palpitant, aut tremunt, pro affectionis ipsius modo, uox ipsa lædetur. Similiter, si uel conuellendo, uel quatiendo, mouentur, aut ubi imbecillæ sunt ipsis uires, siue ob suam ipsorũ, siue ob neruorum ipsos mouentiũ affectionẽ, obscurã & paruã efficient uocẽ. Quòd si alius quispiã ex mouentibus summũ guttur musculis, quoquo modo afficiť, lædetur quidẽ uox, sed paruũ erit uitiũ, atq; sic affectus, neq; obmutescet omnino, neq; ita exiguam

B habebit uocẽ. Vt autẽ ex musculis summũ guttur mouentibus, præcipui habentur, ij qui ipsum & aperiunt, & claudunt, ita ex uocalib. neruis, ij quos recurrentes uocant, qui & ipsi sextæ coniugationis pars sunt, neruorũ, qui à cerebro oriunť: quemadmodũ & alij, qui quidẽ per ipsum dispersi differunt ab illis, eo quod à neruis sextæ cõiugationis non in ceruice, sed cum ad thoracis regionẽ peruenerint, separanť. Nullus itaq; tam ineptus dissector est, qui sextã coniugationẽ totã secet inuitus, quamuis recurrẽtes nerui ob imperitiã nonnunq; diuellantur. Accidit uero interdũ in magnis asperæ arteriæ uulneribus, ut unà cum ipsa arteria, uel alter, uel uterq; incidatur. Porrò per chirurgiam quoq; infrigidati, tantisper uocem impedient, do-

C nec calefacti, naturalẽ temperiẽ recuperauerint. Quin etiã uitiari uocẽ haud obscure contingit, cũ uel acutior, uel maior reddiť, ob id q fauces à suis musculis nequeant intendi. Item grauissime læditur uox, ubi membrana, quæ faucibus & summo gutturi communis est, multa humiditate rigatur. Quòd etiã destillationes eadem ratione uocẽ raucam efficere possint, nemo non intelligit. Vehemens quoq; exclamatio, similiter uocẽ afficit, utpote quę similẽ inflãmationi circa iam dictã membranam, atq; summi gutturis musculos paritaffectũ. Cæterũ cum summi gutturis interni musculi inflãmantur, eum affectũ, anginã esse constat, quę simul & uocẽ, & spirationẽ lædit. Ac idem quoq; in uniuersum facere solẽt omnes præter naturam

D tumores, siue in spiritalibus uijs exorianť, siue extrinsecus ipsas cõprimant. Sic eñ gula quoq; ubi inflãmatione affecta est, ut cõprimat asperæ arteriæ tunicã, qua cartilaginũ ipsius partes extremæ sigmoides uocatæ (id est quæ sigma literæ figurã referunt) coniunguntur, & spirationi, & uoci noxã afferre consueuit. Haud absimile quoq; uitium inducit, uertebrarũ ceruicis in anteriorẽ parte luxatio, sed de his iam antea dictũ est. Igitur omnes huiusmodi affectus uoci adueniũt, proprijs ipsius instrumentis familiari aliquo uitio, siue primogenia affectione, siue per consensum laborantibus. Nam id ad propositũ sermonẽ nihil cõducit. Sunt præterea alij affectus, cũ peculiari sua materia priuatur. Atq; in cõmentarijs De uoce dictũ iam est, quòd propria huius actionis materia, generatim

quidem

quidem loquendo, est expiratio. secundũ speciem uero, atq; propriam differentiam, exufflatio. quæ quidem est, cum affatim spiritus foras effertur, intercostalibus musculis ad hanc actionẽ cõcurrentibus. Vnde fit, ut per uehementia thoracis uulnera, atq; omnino ipsius in altera parte resolutionẽ, in primis quidẽ semispirans, ac mox animal semiuocale euadat, idq; per accidens. In apoplexia uero, sopore, morbo comitiali, uigilanti sopore, cõmuniratione earum actionũ quæ ab impetu & uoluntatis imperio procedunt, uocem lædi contingit, siue spinalis medullæ partes primæ, siue simul cum ijs cerebrũ quoq; afficiatur. His itaq; quinq; inter se cõsequentia quadã cõiunctis actionibus, expiratione, exufflatione citra strepitũ, strepenti exufflatione, uoce, loquela, si earum prima lædatur, reliquas omnes lædi necesse est. ultima uero læsa, reliquæ haudquaq; lęduntur. at cum secunda, tres reliquæ læduntur: cum tertia, duæ ultimæ: cũ quarta uero, sola postrema læditur. Etenim si nihil omnino spiret animal, uel ex utrisque thoracis partibus, uel ex altera parte duntaxat: & quidem si ex utrisq;, celerrime suffocabitur: si ex altera tantũ, semispirans, atq; semiuocale reddetur, perdetq; simul reliquarũ deinceps duarũ actionũ partẽ dimidiã. Quarũ alterã exufflationẽ citra strepitũ: alterã uero, strepentẽ nominare consueuimus. Quòd si expiratione seruata, corrumpatur exufflatio, reliquę tres actiones, strepens exufflatio, uox, & loquela, simul corrumpentur. Sicut uoce pereunte, loquelam quoq; perire necesse est. Cum itaq; dictarũ actionũ opifices musculos cognoueritis, superest considerare, qui ex ipsis proprio affectu laborent, & quorũ actio lædatur per accidẽs. Quòd si quidpiam eorũ, quę ex corporũ dissectione uidistis, obliuioni tradideritis, admonebunt uos, ij quos De respirationis causis, atq; de uoce perscripsimus, cõmentarij. Atq; de his ipsis in secundo libro De uiuorum dissectione etiam dictum est. Sanè expirationem faciunt, uniuersi thoracẽ contrahẽtes musculi: exufflationem, quæ uehemens expiratio est, intercostales maxime: strepentẽ exufflationem, ij qui in faucibus sunt: uocẽ uero ipsam summi gutturis musculi efficiunt: sed lingua articulatim uocem distinguens, loquendi usum præstat, atq; non nihil ad hanc rem conferre uidentur dentes, labra, narium foramina, palatũ, gurgulio, præterea mediocre linguæ ipsius uinculũ. Itaq; balbis blesisq; atq; alijs qui impedita sunt loquela, locutionis instrumentorum aliquod, aut cum natura ipsum formaret, aut postea, lędi certũ est. Veluti cum uel polypus, uel aliud quidpiã nariũ foramina obstruit, aut ex primis dentibus aliquis deperditus est, aut ubi labia fuerint mutilata. Verum quo pacto quidam tenuem obtineant uocem, ac præterea quomodo alię uocis, tum differentiæ, tum affectiones fieri posśint, ut rauca, resonãs, tenuis, aspera, magna, in cõmentarijs De uoce sufficienter diximus.

VIII Atq; de dyspnœa (id est difficili respiratione) iã antea, ubi spinalis medullæ affectiones percurrimus, multa dicta sunt. Quibus nũc in memo-

A riam reuocatis quæ ad præsentem contemplationem supersunt, subiungam. Itaq; in uniuersum expedite uos meminisse uelim, musculorum thoracem mouentium, neruorumq;, qui ad ipsos perueniunt, quos in corporũ dissectione uidistis. Igitur introeuntes ad hominẽ difficulter spirantẽ, in primis considerate, an omnes thoracis musculi moueãtur, an soli intercostales sine superioribus, atq; an simul cum intercostalibus septum transuersum quoq; moueatur. Cum itaq; conspexeritis omnes moueri, unam ex tribus, quas dicemus, causis, huiusmodi motionẽ efficere putandũ est, ac deinde quæ sit illa, quæ nunc infestat, perpẽdere oportet. Quòd si non omnes mouentur, aliter definire. Subijciamus igitur aliquẽ omnes simul mouere muscu-

B los, ut pectus unà cum scapulis manifeste subleuetur. In hoc opere ex tribus unũ aliquod conijcere necesse est. Aut uirium imbecillitatẽ, aut uiarũ spiritus angustiã, aut uehementẽ in corde & pulmone calorem. Quamuis interdũ duæ, aut nonnunq; (licet raro) tres quoq; ex iam dictis causis concurrere posśint. Atqui tribus quidẽ simul cõuenientibus, proximã mortem timere oportet. ubi uero duę fuerint, difficile est ægrũ seruare. Sed una duntaxat infestãte, peculiari opus est finitione, ut sciatur, utrum ad sanitatẽ perueniet æger, an sub malo succumbet. Igitur ubi uires duntaxat fuerint infirmæ, ad tria mouentiũ musculorũ genera uenire, eosq; omnes ad motionẽ excitare solent, uno genere mouere pectus nequeũte. Quippe si septum

C transuersum solum, ueluti cum secũdum naturam se habet, sufficienter mouere posset, neq; intercostalibus, neq; superiorib. musculis indigeret: quoniam uero imbecillum est, omnes sensim mouet, sed neq; frequentẽ, neq; raram omnino facit actionem. His igitur adhibenda est mens, nam cætera haud difficulter per ea discernũtur. Sanè plurimũ aucto in spiritalibus instrumẽtis calore, omnibus quidẽ thoracis musculis agit animal, sed uelox, frequens, & uehemens est eorum actio, quando uidelicet citra uirium imbecillitatem, calor infestat. At uirium imbecillitatẽ, ubi flammeus calor non accesserit, neq; uelox, neq; frequẽs omnino comitatur motus, proinde non ita multum omnes thoracis partes dilatare potest. Quippe hoc dyspnœæ

D genus, cum ea quæ ob nimiã incensionẽ facta est, unum cõmune habet, q omnes thoracis musculi per ipsam agere coguntur. Quinetiam ubi ob plurimum calorẽ spiratio difficilis est, præter magnitudinẽ, frequentiã, & celeritatẽ, hoc quoq; accedit, q calidus feruensq; spiritus, exufflando producitur. ubi per uirium imbecillitatẽ, nulla ab ore facta exufflatione, ex solis narib. emitti solet. Quòd si per inspirationẽ cuipiam narium pinnæ manifeste contrahi uideantur, id uero efficax prostrati roboris indicium est. Ob spiritaliũ uero instrumentorum angustiã, totus quidẽ thorax magna ex parte, & celeriter, & frequẽter dilatatur. sed qui sic laborant exufflare omnino non cõsueuerunt. Si uero simul conueniunt in spiritalibus instrumentis, & calor, & angustia, ut in peripneumonia, tũ neq;

maxima, neque frequētissima, neque etiam celerrima spiratio sufficere potest, sed surgere tentant sic laborantes. etenim sentiunt hoc pacto totum thoracem facilius dilatari. quippe qui decumbentibus in sese concidit, eo quod pectoris partes ad spinā declinant, qua erecta thorax etiam simul fertur, non amplius seipsum grauans. Ac similiter quoque respirare solent, ij quibus asperæ pulmonis arteriæ plurima defluxione opplentur, aut ubi ex proximis locis in ipsas aliquid deriuatū est, unica uero duntaxat re differunt, quod neque exufflant, neque calidum spiritū emittunt. Sic etiā ijs, quibus inter thoracem pulmonemque magna puris quantitas collecta est, quos suppuratos uocant, totus thorax attollitur: sed neque calidus est ipsorū spiritus, neque etiam exufflando emitti solet, nisi adurens fortasse febris accesserit. Verū ij celerrime suffocātur, tum ob affectum ipsum, tum quod uires omnibus suppuratis ex necessitate imbecilliores redduntur. Sed non necessario in fluctionibus quę ad pulmonem irruunt, aut peripneumonia, aut asthmate (id est anhelatione) robur prosternitur. Nam contra per anhelantes affectus, crassis & uiscosis humoribus pulmoni impactis, uires robustæ cōstantesque permanere possunt. Atque si tuberculum, coctu difficile, aliquando in ipso natum fuerit, thorax maxime quidem dilatabitur, sed non ita multum inspirabit aerem. Ac licet cōtinenter spirare cogatur, non tamen exufflare solet, id enim aucti caloris proprium est. In eandem dyspnϾæ speciem, sed alia ratione, labuntur, ij quoque quos angina molestat, ob angustiam quæ non sit in concauitatibus, quæ inspirationē suscipiunt, sed in ijs quæ ipsam transmittūt. Quibus uero & abscessus, & inflammatio, atque humorū plenitudo, in thoracis aut pulmonis cauernis consistit, nulla obstructione accidente in gutturis atque asperæ arteriæ concauitatibus, illis uidelicet quæ inspiratū aerem suscipere solent, si tum angustia constringat, ex necessitate sequetur magna thoracis dilatatio, sed non ita multus trahetur spiritus. Proinde laborantē & celeriter, & frequēter spirare necesse est. Præ omnibus enim uos meminisse uelim, magnæ respirationis geminas esse differentias. fit enim interdū ob dilatationis à thorace procedentis magnitudinem, interdum uero ob inspirati aeris multam essentiā. Scitis nimirum quod sæpenumero uos admonere soleo earū rerum, quæ à prioribus omissæ sunt. Nam quas ipsi persecuti sunt, earum propter scriptorū multitudinem, facilis atque in promptu est memoria. Quæ uero ab Hippocrate (quamuis accurate De dyspnϾa scripserit) non sunt definita, ea posteriorū nemo explicauit definitiue. Idcirco necessarium esse putaui, creberrime illorū uos admonere. Igitur quicunque sine inflāmatione, uel omnino sine aliquo præter naturam tumore, aut angustia spiritalium instrumentorum, per febres ardentes, difficulter spirāt, ijs inspirati aeris quantitas magnitudini dilatationis thoracis proportione respondet. Quibus uero uel tumor uel angustia sine flammeo calore in spiritalibus est, in his thoracis quidem dilatatio maxima est. id uero quod inspiratur, non solum dilatationē proportione non assequitur, uerum etiam minus quàm secundū naturā inspirari solet, attrahitur. At sine distinctione, unam affectionē ostendit magna thoracis dilatatio, si raritatem simul acceperit. Verū animaduertere oportet ne aliquando in hac decipiamini, putantes eam spirationem quæ ob uirium imbecillitatē omnibus agentibus musculis efficitur, eandē esse cum magna. Quam equidē, quo clarior esset interpretatio, sublimē uocare uolui. Hicque mihi facile fuit intelligere, Hippocratē eum sublimē uocare spiritum, qui altioribus thoracis partibus inspiratur. Quemadmodum cum inquit, Magnus spiritus & ex lōgis interuallis, delirium declarat. Constat eum, magnum pro multo dixisse. Is uero bifariam fieri potest, uel sine superiorū musculorū actione, uel ipsa quoque concurrente. Nam plerunque intercostales musculi, unà cum septo transuerso, ad multā thoracis eleuationem qua multus spiritus alliciatur, superiorū musculorū auxilio non indigēt. Quòd uero huiusmodi eleuationis species, delirium portendat, in commentarijs De dyspnϾa iam ostēdimus, ubi etiam cuiuslibet difficultatis spirandi affectio declarata est. Nunc uero, ut compendio quodam hic explicamus eos affectus, quos in alijs antea cōmentarijs iam percurrimus: ita & de dyspnϾæ differentijs, partim quidem dictum est, partim uero in sequentibus dicemus. Nam ueluti magnarum respirationū, alia quidem crebra est, atque huic sunt differentiæ complures, quarū aliæ alias affectiones indicant: Alia uero rara, unicam indicans affectionem: Sic etiam de parua dicendum est, quod rara quidem spiritaliū instrumentorū frigiditatē, frequens uero non solum spiritalium, sed eorum quoque quę cum ipsis mouentur, ut hepatis, lienis, uentriculi, gulæ, dolorem portendit. Cum igitur plures sint affectiones, quas per uehemētes motus dolor comitatur, ex alijs notis, & considerandum & definiendum est, siue inflāmatio quædā, siue erysipelas, siue ulcus, siue abscessus dolorē efficiat. Quinetiā didicistis quod inæquales intemperantiæ, dolores excitare sæpenumero solent. Similiter spiritus crudi flatuosique copia, qui arctatus aliquando partes ipsum ambientes distendit, aliquando uero uiolenter egreditur. Preterea calidi & acris, aut frigidi & lenti humoris abundantia, si aliquando retentus humor ambientia corpora distendat, aut inde uiolenter exeat, dolores efficere potest. quod si grauius affecta fuerint instrumenta, in quibus huiusmodi humores continentur, dolent, uel non mota: si uero leuior fuerit affectus, quādo mouetur. Verum in libris De dyspnϾa, causam explicauimus, cur paruæ spirationis, frequens quidem spiritus, motorum per expirationem instrumentorū dolorem significat: Rarus uero, uehementē perfrigerationē, & quidē spiritaliū duntaxat, præcipue pulmonis & cordis. Est etiam alia dyspnϾæ species, cum ueluti breui quadam quiete, intercipitur opus thoracis, idque nonnunquam expirādo, nonnunquam uero inspirando, siue hoc accidat ob musculorū thoracis conuul-

conuulsionẽ, siue ob caloris copiam, cogẽtis laborantem continenter uel expirare, uel inspirare. Est insuper alius spirationis affectus, quẽ apnoeã (quã si non spirationẽ dixeris) nominant, nulla, ut aspicientibus uidetur, facta spiratione. Verum ut rei ipsius natura declarat, eam nõ fieri incredibile est. Nam impossibile uidetur ut animal omni spiratione exacte priuatũ, in uita seruari possit, quãuis ea animalia quę in cauernis latere cõsueuerunt, thoracẽ mouere uideantur minime. Proinde duorum alterũ cõijcere oportet, aut adeo exiguam fieri spirationẽ, ut sensum effugiat, aut huiusmodi animalia tunc spiratione omnino non indigere, sed eam transpirationẽ, quę per uniuersum corpus fit, sufficere. quippe hanc, cor ipsum per arterias efficit. Respirationẽ uero, per thoracem cerebrũ efficere constat. Verũ qualis est affectio quae apnoeam efficere potest, cõmunis certe omnibus alijs partibus esse uidet, ueluti in apoplexia, sopore, morbo comitiali, catalepsi. Nam in his omnibus, nullus proprius affectus, spiritalia instrumenta prae caeteris infestat, nõ magis ꝙ uocis, aut locutionis, aut progressionis instrumenta. sed affecto principio omnia quibus uires suae per quas regunt, ab ipso suppeditari cõsueuerũt, ei cõsentire necesse est. uerũ de apnoea iam & particulatim, & per se diximus, quamobrẽ tẽpus est, ut nunc ad alia transeamus.

IX Igitur cũ exercitationis uia, qua ad affectorum locorum notitiam peruenitur, duplex sit; altera quidẽ ab apparentibus accidentibus, altera uero à corporis partibus, si quis per utrasꝗ uoluerit exercitari, eadẽ bis dicet, quamuis alio & alio modo: ut de pulmonis confestim affectibus dictũ est, ubi De dolorũ ratione, De sanguinis reiectione, ac De dyspnoea diximus, atꝗ in praesentia quoꝗ dicemus. Etenim uehementi dolore nunquã cruciatur, uerũ & grauitatis sensum, & aliquando extentionem quandam, uel ad pectus, uel ad spinam percipere potest, ibi enim membranae ipsum ambientes suspenduntur. Saepenumero etiam angustia molestantur laborãtes, atꝗ ob hoc crebro, celeriterꝗ spirant, ac thoracẽ uehemẽter attollunt, sed non ita multum aerem attrahunt. Haec si citra febrem acciderint, aut tuberculum quoddam, aut lentorum, crassorumúe, aut multorũ humorũ plenitudinem, in eo existere, aut pus, aut alium quendam humorum, uel lentum, uel crassum, uel multum, in ipsum effusum fuisse declarant. Verum ea per praeterita accidentia discernere licebit. Nanꝗ si quis per bonam ualetudinem, cum solitas actiones facere potest, sic difficulter spirare inceperit, augeaturꝗ accidens, neꝗ inter respirandum stertere uideatur, crudi tuberculi ortũ suspicari oportet. Si uero stertendo strepitum fecerit, lentorum, crassorumꝗ humorum pertinaciter impactorum multitudinem, pulmonis bronchia molestare indiciũ est. Quòd si illico ab angustię sensu, quis difficulter spirauerit, fluxionem uel à cerebro, uel à uicinis sedibus, in pulmonem irruentem portendit. Sed cum fluentibus in pulmonem, uel uiscosis, uel crassis, uel multis humoribus, hominẽ difficulter spirare dico, in bronchijs eos contineri, intelligas uelim. Diuisa enim in totum uiscus aspera arteria haud secus atꝗ leui bronchiorum substantia in totum pulmonẽ procedit. Vocantur autem à dissectoribus bronchia, asperae arteriae cartilagines, sigma literae figuram referentes. At ubi pleuritis praecessit, mox remissa febris uehementia, intra latera grauitas in imo thoracis derelicta sentitur, ac ubi quis affatim à decubitu transmutatur, idꝗ maxime si ab uno latere in aliud se cõuertens, defluere aliquid sentiat, puris multitudinem ibi contineri, haud dubia coniectura est. Quinetiam in ijs fluctuatio saepenumero haud obscure auditur. Accedit ad iam propositas notas, hoc quoꝗ indicium, si uehementi praegressa pleuritide, nihil penè laborans expuerit. Si uero citra febrim, serosus, aut pituitosus humor, in thoracis spatium subito defluens, spirandi difficultatem excitauerit, laborans, tenue sputum, idꝗ ab initio quidem exiguum, sed cum uehementi tussi: ubi uero concoctum est, plus, atꝗ crassius, & cum mitiore tussi expuere solet. Quippe bifariam accidere potest, ut uehementer tussiendo, pauca quis expuat: alij enim ob lentum crassumúe humorem, alij ob tenuem, id facere uidentur. siquidem tenuis humor, cum subleuatus est, inter tussiendum à spiritu diuisus refluit. Lentus uero, aut omnino crassus difficulter effertur, utpote qui non tam facile à corporibus quibus impactus est, abstergi, neꝗ etiam à quauis occurrentis spiritus uiolentia, impelli potest. nisi enim spiritus qui tussiendo effertur, & multus, & uehemens fuerit, nihil secũ educet. Igitur sputũ, quod neꝗ liquidum, aut aquosum admodum fuerit, neꝗ crassum etiam aut lentum, id facile efferri solet, maxime ubi ualidae fuerint uires. Etenim sine uehementi thoracis contractione uehementer tussire nemo potest. At sine ualida tussi, crassos lentosꝗ humores efferri impossibile est. Igitur quando cum spirandi difficultate, cui & angustia, & grauitas coniuncta est, acuta quoꝗ febris inciderit, is affectus inflammatio pulmonis est. At si intolerabile fuerit incendium, angustiae uero, grauitatisꝗ sensus minor, erysipelas ipsum uexare censendum est. Extremis autem ita definitis, quid sit erysipelas inflammatum, aut inflammatio erysipelatodes, haud difficulter deprehendetur. Sunt alij pulmonis affectus, ubi citra humorum affluentiam, intemperies ipsum infestat, siue aequalis ea fuerit, siue inaequalis. Igitur inaequalis, tussim excitat: aequalis uero, si moderata est, spirationis cõcinnitatẽ uariat. at si uehemens, idꝗ uincente calore, frigidi aeris, atꝗ potionis, cupiditatem inducit, ac tractu temporis finitur in febrim, per frigidam autem intemperiem, contraria euenire solent: quippe si modum seruauerit, calidi aeris, ac calidae potionis desiderium excitat: si uero modum excedit, replet uiscus ipsum fluctionibus. Caeterum de ea tussis specie, qua sanguis ex ipso reijcitur, uel exeso, uel rupto uase aliquo, uel ore alicuius uenae patefacto, antea, ubi de sanguinis sputo mentionem fecimus, iam dictũ est, atꝗ

nunc quoque pauca quædam dicemus. Porrò ruptiones in ipso deprehendes, tum ex multi sanguinis fluctione, tum ex magna, notabilique aliqua causa quæ præcessit, si subito aduenerit. Voco autē præcedētes causas, ut cum aliquis ex alto, uel in ludo, uel certamine ceciderit, aut cum alter super alterum cadit, aut ubi ex inanimatis corporibus aliquod graue, ut uel lapis, uel lignū, thoracem læsit. Nonnullis ira cum exclamatione præcessit. Quin etiā citharœdis tragœdisque certantibus, acuta uehementique uoce, uasa interdum dirumpuntur, maxime, ubi non præmissa pulmonis per præcedentes exclamationes lenitione, uiolēter clamare conantur. Vt enim luctatoribus, si certamen aggrediantur, musculis prius neque calefactis, neque per frictiones, aut moderatas motiones explanatis, partes quædam rumpuntur, atque conuelluntur: ita etiam pulmoni accidere solet. Hunc, quia frictionibus ad uehemētes motiones præparare non licet, per exclamationes, quę frictionibus proportione respōdent, id efficere studemus. Insuper nulla manifesta extrinsecus adueniente causa, in pulmone quoque uas aliqđ ob sanguinis abundantiā, dirūpi potest: uelut etiā alia quæđam corporis pars. cum uidelicet extensioni resistit, aut ob frigus à uicinis partibus contractum, aut ob innatā intemperiem. Ita Hippocrates, uenas (inquit) frangit frigidum. atqui ipsum per se ruptiones non facit, sed quia uenarū tunicas frigiditate sua duras, & extendi contumaces reddens, ut rumpantur paratiores efficit. Ruptionis uero causa est, aut uehemens motus, aut humorum abundantia, qui uel per se uel unà cum crudo & frigido & flatuoso spiritu, uenas extendunt. Verū ruptionis ab huiusmodi haud obscurum indiciū præbet, subita plurimi cruoris euacuatio. Cum uero uenarū ora aperiuntur, non frigidæ, sed è cōtrario, calidæ affectiones præcedūt: ueluti ubi multis, eisdemque calidis balneis, homo utitur: atque terram inhabitat calidam, fueritque anni tempus eiusmodi, similiter alimenta quoque, & potiones. At quæ eroso uase aliquo affatim accidunt sanguinis euacuationes, eas precedere solent exigua sputa, atque acres in pulmonem à capite fluxiones. Nonnunquam uero & pulmonis aliqua pars, aut crustula simul efferri uidetur, ut nemінem latere possit, ad pulmonē hunc affectum pertinere. Orto uero in aspera arteria ulcere, præter hoc quod sputum purulentum apparet, dolorem quoque in loco affecto laborans sentire cōsueuit. Ipsum uero per ea quæ screanť, quia exigua sunt, ab ulcere quod in pulmone natum est, discerni potest, quippe ab ulceribus pulmonis, plurimū puris reijcitur. Atque ut ex pulmone educta particula, uisceris ipsius ulcerationem significat: ita ex summo gutture uidemus interdum corpusculū aliquod à ligula (Græci epiglottida uocant) per ulcerationem excreari. Id uero non solum hoc indicio deprehenditur, uerumetiam ex eo, quod in ulcerato loco, doloris sensu laborans infestať. ueluti De aspera arteria dictum iam est. Etenim pulmonis ulcera dolor non comitatur. ea uero quę in ijs sedibus oriuntur, dolorem

A quidem inducunt, sed non uehementem: ut si alicui suapte natura hebes fuerit sensus, ipsum plane non percipiat. Igitur persæpe uidimus eos, quos iam supra proposuimus affectus, & qui pulmoni & spatio thoracis, & asperę arteriæ, & summo gutturi accidere possunt. Nam et horū, sermonis communitate inducti, mentionem fecimus. Qui uero deinceps dicentur, non ita crebro nobis apparuērūt. Quidam humorē repente expuit, liquidæ bili in colore perquam similem, medium uidelicet inter flauū ac pallidum, ac nulla acredine infectum: atque ita quotidie magnam eius quantitatē expuit. deinde leui suborta febricula, tabescere incepit, adeo ut purulenta screaret. Postea tractu temporis quatuor uidelicet mensiū, exiguū cum pure cruo-

B rem reiecit, atque sic aucta febre, magis consumebatur, ac iterum atque iterum plus expuebat, adeo ut magnam sputi quantitatē redderet: quocirca magis increscente febre, ac resolutis uiribus, eorum qui tabe marcescunt, exemplo mortem obijt. Deinde alium uidi eodem fere modo sex mensibus, ac aliū quoque diutius laborantē. Igitur qui primus nobis occurrit, initio quidē nihil mali habere, sed tandem pessime affici uisus est. Alterū uero cum conspiceremus, ei statim ab initio cognito malo, præsenti medicamēto succurrere tentauimus. Ac multo etiā magis tertio. At quamuis multo negocio eos liberare conaremur, nihilo minus neque horum ullus, neque alius post eos seruari potuit. cum enim morti iam proximi essent, pulmonis ipsius

C putres quasdam partes expuebant. Proinde facile cognoui, haud absimili eos affectu laborare, qualem in externis partibus uidere solemus, cum à putrefaciente quopiā humore inficiuntur. uerū has & abscindere, & urere possumus. pulmoni uero horū auxiliorū neutrum adhibere licet. Quapropter omnes perire necesse est. At uero postremū cum uiderē, ad uisceris fortē exiccationē, solicito me animo conuerti, & quidem odoribus atque potionibus ad id efficacibus. Proinde medicamētū, quod hedychroum uocāt, interdiu naribus ipsius iugiter adhibere iussi. ad somnū uero sese conuertenti præscripsi, ut narium foramina ex aliquo preciosorū unguentorū illinerentur, qualia uidelicet Romæ præparari solent, uocant uero ea & foliata

D & spicata. Atque dedi in potu medicamenta, mithridaticā uocatā cōpositionē, ambrosiā, athanasiam, theriacam. Itaque perpetuo anno sic educatus, tandem similiter ut reliqui tabidi, uitam finiuit, quam fortasse, ob iam dictam educationē, longiori tempore protraxerat. Præterea alium huiusmodi affectum in pulmone notaui. Quidam diuturna tussi uexatus, et pauca eaque uiscida expuēs, frustū quoddā, paruo grandinis grano haud absimile, excreauit, ac deferens illud mihi ostēdit, atque rursus non ita multo post, aliud quoque attulit. unde conieci, lentum illum ac uiscidum humorem, quem antea expuere solebat, ad huiusmodi compagem peruenisse. quamobrē medicamentum ei in potu dedi, quod anhelosis auxiliatur. atque ita factū est, ut minorem expueret grandinem, atque longiori quàm

antea

anteà interuallo, neq; plurib. deinceps annis adeò mitigari potuit affectus, quin tandem moreretur. Cæterum grandines ipsæ, magna ex parte erui magnitudinem æquabant, quamuis interdum maiores, interdum minores esse uiderentur. Atq; alios quoq; similiter quidem spuere, sed nihilominus in multos annos uitam extēdere uidimus. Quorum alij aliam ob causam, alij uero ob spiritaliū instrumentorum affectum, mortui sunt, quamuis nihil cruoris excrearent. Ea uero quæ Antipatro medico acciderunt, nemo est qui nesciat. utpote qui medicā artem publicè apud Romanos professus est. Agebat hic ætatem sexaginta quidem annis minorem, sed quinquaginta iā annos excesserat. Is correptus aliquando febre quadam diaria, idq; ab euidenti causa, declinante iam febre, ut quid sibi facto opus esset, intelligeret, pulsum ipse suum tangere aggressus est. Cum igitur omne inæqualitatis genus in arteriarum motione inueniret, in primis quidem territus est. deinde uero cum sese non febrire planè sentiret, illico balneū subijt, quippe laboribus ac uigilijs corpus fatigauerat. Atq; tenui quoq; uictu, donec diem tertium præterijsset, usus est, quo cum nulla appareret febris, ad solita negocia pertractanda redijt, atq; arteriam in extrema brachij sui parte tangens, admiratus est perseuerantem in pulsibus inæqualitatem. Occurrens itaq; mihi, extēdit manum ridens, iussitq; pulsum tangere. At ego subridens, Quid, inquam, portendit hoc quod proponis ænigma? ille iterum ridēs, obnixè orauit, ut tangerem. Igitur inter tangendum, omnigenam in pulsu inueni inæqualitatem, non solum in multarū pulsationū cumulo, quam systematicen (id est congregatricem) uocant, ue-

A rumetiā in una arteriæ dilatatione. proinde miratus quomodo uiueret, cū talem haberet pulsum, interrogaui, nū difficilis esset ei respiratio. illo uero, nullam se sentire respondente, obseruaui equidem, an aliquādo mutaretur. quippe sex mensium spatio assiduè arteriam tangebam. Cumq; ab initio interrogaret, quænam corporis affectio mihi uideretur posse huiusmodi pulsum efficere, atque per quem modum, idq; citra febrim: ad eam quæstionem respōdi, in cōmentarijs De pulsibus iam declarasse me huiusmodi inæqualitatem. Namq; ob magnarum in pulmone arteriarū angustiam, id euenire putaui. Angustiam uero hanc, dixi, ob uisceris inflammationem, nunc tibi obortam esse,

B impossibile est, quippe febre fuisses affectus. Relinquitur igitur uel obstructionem ex liquidis & crassis & uiscosis humoribus, uel crudi cuiuspiam tuberculi ortum, in huiusmodi te affectionem induxisse. Tum ille respondens, oportuisset (inquit) me anhelosa orthopnœa laborare. At ego probabilia inquam ipsum dicere: sed à ueritate aberrare. quippe cum ab huiusmodi causa orthopnœa fiat humore crasso & lento, nō in leuibus arterijs, sed aspera arteria collecto. Proinde omnē ei uictus rationē, atq; medicamēta quoq;, haud aliter q̃ anhelosis adhibere iussimus. deinde sex (ut dixi) mēsibus elapsis, leui quadā spirādi difficultate affectus est, accedente simul cordis palpitatione. in primis

C quidē semel, deinde bis, atq; ter, postea quater, ac sepius quoq; aucta simul spirandi difficultate, ad quindecimū usq; diem. post quem difficillima derepente oborta spiratione, resolutus statim obijt, aliorū quorundā exemplo, qui cordis affectibus laborant, de quibus posthac sermonem faciemus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI V

Procemium, quæ dicta sint præcedente libro, quæ hic dicenda. Cap. I. De cordis affectibus. (Multa de tremore cordis. In pericardio colligi interdū multā aquā, uel tuberculum aqua plenum, uel durum tumorem.) II. De thoracis affectibus. III. De septi transuersi affectibus. phrenitici. IIII. De gulæ affectibus. V. De oris uentriculi affectibus. VI. De iecinoris affectibus, & hydrope. VII. De morbo regio.

GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA LIBER QVINTVS



In præcedenti libro, cum de pulmonis affectibus ageremus, sermonis cōmunitate, & thoracis, & cordis quodāmodo meminimus, pleniorē uero absolutioremq; de ipsis sermonem, in quintum hunc librum distulimus. Quoniam uero quartus liber in accidentibus quæ Antipatro medico euenerūt, finem sortitus est, læso in primis ipsius pulmone, deinde ad cor etiam transeunte affectu, operæpretium me facturum arbitror, si omnes eius affectus percurram.

1 Igitur quemadmodum de cæteris corporis partibus, ita de corde quoq; definiendum est, quænam ipsi propriè uel primario affectu, uel utcunq; nominare uolueris, superueniant accidentia, quæ nam uero ipso cæteris partibus cōsentiente. Id aūt

D ex ijs intelligi potest, quę prius in alijs libris demōstrauimus, ubi iam declaratū est, innati caloris cor uelut fontem esse, neq; animal mori omnino posse, ni cor afficiatur. Cū itaq; tres sint principes partes, quibus gubernatur animal (quippe pręter cordis principatū ostensum est sensum et motum, uniuersis corporis partibus à cerebro suppeditari; iecur uero nutricis facultatis esse principiū) semper mors ad immodicas sequitur cordis intēperātias. simul enim cum ipso omnes uitiantur partes. cum aūt, ut ostendimus, ipsę peculiari sua tēperie, actiones suas perficiant, hac pereunte, actiones quoq; ipsarū perire necesse est, ac proinde cerebri quoq;, & iecoris. Horum uero temperie deperdita, non oportet cordis simul actionē perire. Si enim neq; sentiendi, neq; mouēdi ab electione facultatē animal habuerit, neq; nutriatur, ueluti in latentibus euenit animalib. nihilominus uiuere ipsum pos-

se, quoad cor manserit illæsum, haudquaquam negandum est. quin uidemus sępenumero multis deinceps diebus, alios neq; intelligere, neq; sentire, nec etiam moueri, at nihilominus uiuere. quemadmodum ubi quis ob uiriũ hepatis imbecillitatem non nutritur, diutius etiam sufficere potest. At uero si cor respiratione priuetur, hominem illico perire necesse est. Igitur qui ad spirandi functionem nihil conferre thoracem putant, ij causam reddere nequeunt, cur per uehementem apoplexiam, superno duntaxat principio uitiato, laborantes subito moriantur. At uobis eam inuenire haud difficile est, utpote quibus efficaciter persuasum est, musculos qui motionis principium, à neruis in ipsos à spinali medulla, quæ in ceruice est, delatis, suscipiunt, thoracem attollere, priuatis tunc musculis mouendi facultate, quæ ex cerebro ipsis influere solebat. Etenim nisi ad spirãdi functionem ambo principia simul iuncta concurrere oporteret, potuisset aliquis uiuere, priuatus interdum superno principio. Igitur ex quibus causis inuenimus, cur affecto cerebro, in uehementi apoplexia, cor quoque lædatur, ex ijsdem ipsis, sed secundum alium modum, causam quis inueniet, quamobrẽ in apoplexia minore, catalepsi, sopore, morbo comitiali, lethargo animal ita affectum non pereat. Nanq; si diligenter consideraueris, inuenies per huiusmodi affectus, quomodo spirent laborantes. quippe uidebis & uiolentã & difficilem spirationem, perinde ac si uinculo quodam constrictus, thorax attolli prohiberetur. Atq; huius rei sufficientem fecimus mentionem, in libris De musculorum motione. Nanq; similis est hæc quæstio, ei qua de somno quidam hæsitant. quippe cum per somnum omnes musculorum actiones exoluantur, sola actio quæ ad thoracis musculos pertinet, seruatur. Nũc uero ea duntaxat dixisse satis fuerit, quæ proposito nostro cõducere uidebantur. Porrò qua ratione homines per somnum spirant, reliquis musculis omnibus quiescentibus, eadem quoq; ratione per minorem apoplexiam, atq; alios ei uicinos affectus, spirare possunt. Vbi uero uel apoplexia, uel alius quispiam affectus adeo uehementer increuerit, ut musculorum thoracis actio omnino deperdatur, perire simul respirationẽ necesse est. Vnde cordis quoq; temperamẽtum soluitur. quo fit tandem, ut etiam animalis ipsius necessario sequatur interitus. Atq; hac ratione, per uehementes superni principij lęsiones animalia perire uidemus. Iam ex iocinoris quoq; affectu mori accidit, sed alia ratiõe, inedia scilicet. Vnde longiore temporis spatio, in huiusmodi affectibus uitam protelare possunt. Atq; mori contingit nõnullos per alium quoq; modum, ut in syncopa stomachi uitio eueniente, & uehementi dolore, & timore graui, & uoluptate maxima. Etenim quibus uitale robur infirmum est, animi uero affectiones ob imperitiam fortes, ijs animæ essentia facile dissolui potest. Atq; horum aliqui ob mœstitiam interierunt, sed non illico, ut de superioribus diximus. At uir magnanimus, neq; ob mœstitiam, neq; ob aliam aliquam animi ægritudinem mœstitia fortiorem, unquam succubuit. utpote cuius animæ robur ualidum est, affectus uero non adeo uehementes.

Cæterum proprio quoque affectu cor laborare solet, uel ob simplicem intemperiem, siue inæqualis, siue ęqualis ea fuerit, uel inflammationem, uel erysipelas, idq; dum fieri incipit. Illico enim antea quàm augeantur huiusmodi affectus, animal corrũpitur. Atq; hos affectus rursus cardiaca syncopa sequitur. quemadmodum stomachicę syncopæ, ad eos affectus, quibus os uentriculi (stomachum nonnulli appellant) infestatur, sequi solent. Verum hæ consentiente corde eueniunt. Porrò utriusque partis, tum oris uentriculi, tum cordis affectiones, aut à forti dũtaxat intemperie, aut uenenoso humore, nonnunquam ab erysipelate, aut inflammatione, aut alio quopiam præter naturam tumore, fieri solent. Igitur exiguæ quidem cordis intemperantiæ, pulsus arteriarum, pro sua quęq; natura, uariãt: de quibus in libro De pulsibus iam dictum est. Maiores uero, per proprias quidem similarium partium intemperies, subitam mortem non inducunt: per eas uero quæ ad instrumentales partes pertinent, subito enecare possunt, sed præcedentibus prius signis quibusdam, quorum unum ab Hippocrate dictũ est: Qui sępe & multum exoluuntur, sine causa manifesta, ij repente moriuntur. Est & alius affectus, palpitatio uidelicet cordis, aut per se eueniens, aut cum suspicione quadã, quod in humore cor ipsum moueatur. Neq; enim mirum uideri debet, tantam humoris multitudinem cumulari aliquando in ambiente cor tunica, ut ipsum, ne attollatur, impedire possit. Quippe in animalibus dissectis uidimus plerunq; plurimum humoris, urinæ speciem referentis, in eo, qui ipsum inuoluit, panniculo contineri. Etenim simia quædam, cum emaciari indies uideretur, eam tamẽ necessarijs nostris negocijs impediti, secare in tempore nõ potuimus: post mortem uero, reliquis corporis partibus omnibus illęsis, inuentus est in ambiẽte cor tunica, tumor præter naturam, humorem in se continens, qualem pustulę, quas Gręci hydatidas uocãt, emittere solent. Atq; in gallo quoq; uidimus cordis tunicã, huiusmodi tumore, & quidem duro affectã, perinde ac si plures crassæ mẽbranæ inuolutæ altera alteri fuissent. uerum in eo nihil humoris continebatur, unde uerisimilis coniectura elicitur, homines etiam similibus posse affectibus infestari. Inflammato autem manifeste corde, gladiatores uidimus, haud aliter quàm qui cardiaca syncopa pereũt, obijsse. Igitur si ad uentrem aliquem cordis uulnus aliquãdo penetrauerit, protinus magno cum sanguinis fluore hominẽ mori necesse est. idq; præcipue, si sinistræ partis uenter fuerit uulneratus. Si uero nõ ad uentrem usque pertingat, sed in cordis corpore consistat uulnus, ex ita affectis aliqui, nõ solum ea die qua uulnerati fuerunt, sed sequenti quoq; nocte, uiuere potuerunt, qui oborta deinde inflãmatione extincti sunt. Atq; etiam ij, quandiu uixerunt, mentis compotes inuenti sunt. unde euidens sibi

testimonium sumere potest uetus illud dogma, quod negat, rationalem animę uim in corde consistere. Palpitatio autem uisceris huius, pluribus integra ualetudine degentibus, tum adolescẽtibus, tum adultis, subito sine alio manifesto accidente euenire uisa est, atque omnes eos sanguinis detractio iuuit. Atq; hoc accidente planè liberati sunt, qui post missionem sanguinis tenui uictu, medicamentisq; similibus usi sunt. Quos uero huiusmodi accidens rursus infestauit, eadem uia curati sunt. Cæterum noui quendam quotãnis, uerno tempore huiusmodi palpitationis accidẽte uexatum, qui cum per tres annos à sanguinis detractione se adiutum intelligeret, anno quarto, antea quàm accidens ipsum inuaderet, sanguinem misit, idq; pluribus deinceps annis faciendo, quæq; post sanguinis missionem facere oportuit, diligenter obseruauit. At nihilominus hic quoq; ante senectutẽ morte præuentus est. Sicut & reliqui omnes, quorum alij quidẽ per acutas febres, alij uero cum sani degerẽt, affatim syncopa intercepti, interierunt. Quãuis unus, uel duo citra syncopam alia quadã mortis specie perierint. At uero sic affectorum magna pars ætatem agebat quinquaginta quidem annis inferiorem, sed quæ quadraginta annos excederet. Porrò panniculus cor ambiẽs, quomodocũq; affectus sit, inter ignobiles partes reputatur, nisi ipso inflammatione affecto, per consensum affectus ad cor transmittatur. Cum uero ipse solus afficitur, exemplo reliquarum omnium partium, quę ad custodiam, & tegmentum cæterarum nobiliorum factæ sunt, nullum affert periculum. Cęterum nulla à corde spirandi difficultas oritur, præter eas quas in priori libro diximus, cum de dyspnœa sermonem haberemus. Etenim supercalfactum spirationem efficit magnam, & densam, atq; celerem, ac calidũ insuper spiritum reflat. Contrà, refrigeratum exiguam reddit spirationem, & raram.

II Atq; huic quoq; parti, uel primario affectæ, uel alijs consentienti, quemadmodum reliquis omnibus, affectus quidã superueniunt, quos respirationẽ lædere necesse est, quippe proprium respirationis organum eam esse, iam demonstratum est. Igitur ubi dolorificis affectibus molestatur, exiguam densamq; reddit spirationem, ueluti in commentationibus De difficultate spirationis ostendimus. Id uero, & uicinis quoq; partibus, & ijs quæ simul mouentur affectis, euenire solet. Nã diximus antea de spinalis medullæ affectibus, respirationem interdum lædi, thorace proprio affectu nequaquam laborãte, sed uel neruo quopiam à spinali medulla procedente, uel ipsa spinali medulla affecta. Eorũ uero, qui propriè ad thoracem pertinent, affectuum, quidam in ipsius musculis, quidam uero in membrana costas cingente consistunt. Nam de ijs affectibus qui uel in cute uel in costarum ossibus consistunt, hic agere non proposuimus: in quibus locus affectus sensibus subijciatur. Igitur cum ex duplicibus musculis, alij spatia intercostalia uocata repleant, alij uero extrinsecus extendãtur, dolorificæ externorum musculorum

A affectiones, ut ulcera, contusiones, abscessus, erysipelas, inflammatio, haud difficulter à medicis manum adhibentibus discernuntur. At intercostaliũ musculorum inflãmationes, eorum maxime, qui in intima parte consistunt (duo enim, ut scitis, sunt huiusmodi musculorum genera) tactu consequi non possumus, atq; ij grauiori, quàm externi, dolore cruciantur, ac fluxionem, quæ inflammationem induxit, ad interna, per eam quę costas cingit membranam transmittũt, quam tunc pariter cum ipsis inflammari necesse est. Veluti rursus, ubi ipsa aliquando primario affectu infestatur, intercostalium musculorum partes internæ, similiter ei consentiunt. Verum exquisita pleuritis fit, ubi cingẽs costas membrana, primario affectu laborat, proinde dolor, uel ad iugulum, uel ad præcordia peruenire potest. ad iugulum quidem, superioribus eius partibus affectis: ad præcordia uero, ubi inferiores afficiuntur. Atq; uehemẽs quoq; febris huiusmodi inflãmationem sequitur, quia sedes affecta, & parum distat à corde, & cum panniculo ipsum inuoluente, ac septo transuerso cognationem habet. Cæterum afficiatúrne magis cingẽs membrana, an musculi ipsam contingentes, à pulsibus indicium petere oportet. Nãq; musculi minus, cingẽs uero membrana magis, & tendit, & indurat arteriam. Vt in peripneumonia, nulla penitus apparet huiusmodi durities. Effusa autem in spatium thoracis sanies, in asperas pulmonis arterias recipitur, deinde tussiendo excreatur, qualis sit, qui inflammationem fecit, humor, declarans, an uidelicet biliosus, aut melancholicus, aut pituitosus, aut cruentus. Etenim si amara bilis abundat, pallidũ, aut flauum: si atra bilis, nigrum: si pituita, spumosum, & candicans: si sanguis, rubrum sputum reijcitur. Quòd uero tussiendo ex thoracis spatio aliquid interdum expuatur, facile intelliget is, qui eas affectiones cõsiderauerit, quibus ab exterioribus, ad intima pectoris ulcus penetrare contingit, siue id ob uulnus nõ conglutinatum eueniat, siue ob magnum abscessum, utrinq; eruptũ, uel perinde dissectum ac si externas duntaxat partes afficeret, facta deinde sectione, inueniat̃ cingens costas membrana erosa, aut costa ob sphacelũ (id est cariem) excisa, aut eo quod medici cingentem membranam, utpote erosam, putrescentemq;, seruare illæsam non potuerunt. Nam in omnibus iam propositis affectionibus, si aqua mulsa in thoracis spatiũ infundatur, mox tussiendo expuitur, laboransq; ipse aquam mulsam esse, ex sapore deprehendit. Quo pacto autem hoc fieri possit, atq; per quos meatus ipsa in asperam arteriam ingrediatur, perpendere debetis, qui errorẽ illum, in quem multi in causæ inuestigatione inciderunt, effugere uoluerit. ij nanque uel ex thoracis spatio in pulmonem quippiam recipi, impossibile esse, sibi persuadentes, uel fortasse ita se sentire simulantes, ne uideantur de re quapiam dubitare, in errorem lapsi sunt. Cęterum credere oportet huiusmodi fieri transsumptionem, quippe quæ per uulnera haud obscure appareat; deinde quo pacto ea fieri pos-

sit, inuestigare: ac si eam inuenerimus, nobis gratulari; quoad uero eam nondum esse inuentam cognouerimus, ruditatem potius nostram accusare, quàm ueritatem ipsam negare debemus. Atq; uidemus etiam conglutinatis cruentis uulneribus, in sputo notas quasdam fluentis ex uulnere cruoris ad spatium quod inter pulmonem est & thoracem. Præterea suppurati, in hoc ipso spatio pus cõtinere, ipsumq; tussiẽdo expuere haud obscure uidentur. Atqui rationi cõsentaneum est, ut eodem modo tum cruor, tum pus, ex thorace expuatur. Quorum uiam inquirẽs Erasistratus, incredibilia quædam scripsit, in eo libro, cui titulus De sanguinis eductione est, sub hac uerborum serie: Via autem per quam incedunt ea, quæ ab ijs sedibus reijciuntur, huiusmodi est. Ab ea arteria quæ spinæ adiacet, uasa quædam ad utrunq; latus, tam dextrum, quàm sinistrum similiter procedunt. deinde in loca uicina, multiplici diuisione dispersa, tandem adeo euadunt exigua, ut sensum lateãt. Cum itaq; sanguis in huiusmodi arterias inciderit, nonnunquam per concauam arteriam, ad loca quę circa pulmonem sunt, atq; ad eos nexus per quos pulmo apud spinã arteriæ coniungitur, ascendit. quippe ea quæ huc inciderint, hac uia ad pulmonem ascendere solent. Verum quomodo ex pulmone deinde reijciantur, antea dictum est. In his uerbis manifeste declarauit Erasistratus, eas arterias quæ à magna arteria ad singula intercostalia loca procedunt, per ora quæ ad inflammatam partem perueniunt, sanguinẽ suscipere, ipsumq; ad magnam arteriam, quę à corde orta, per spinam extenditur, referre, atq; ab ipsa rursus, ad ea loca quæ circa pulmonem sunt, transitũ fieri. Sed neq; modum, quo huiusmodi transitus fiat, neq; uiam explicauit. Verũ deinceps scripsit, atq; per eos nexus, per quos pulmo arteriæ circa spinam adhæret. fit enim, inquit, hac quoq; uia, eorum quæ inciderunt in pulmonem, ascensus. At quomodo, & per quæ conceptacula id fieri possit, non ostendit. Proinde manet adhuc eadẽ quæstio, nihil planè ad ipsam dissoluendam afferente Erasistrato, quamuis ut in cæteris libris omnibus, ita in hoc ipso, De sanguinis eductione, perspicuam pollicitus fuerit interpretationem. Quocirca multo magis uitiosum quispiam huiusmodi sermonem reputauerit, utpote qui ipsi quoq; Erasistrato fuerit suspectus. apparet itaq; ex industria eum uoluisse obscuris uti sermonibus, ut aliquid dixisse uideretur, cum nihil diceret. Atq; hoc in loco, quæstionis enarrationem dereliquit: Quo modo sanguis ex lateribus quidem ad magnam arteriam perueniat, manifeste declarans: at quomodo rursus ab hac, ad eas sedes, quæ circa pulmonem sunt, ut ipse dicebat, ascendat, haudquaquam exponens. Constat etiam ex eo quod dixit, loca quæ circa pulmonem sunt, cum dicere pulmonem potuisset, eum haud inuitum sermonis obscuritatem affectasse. An id postea declarauit, dicens: Ex pulmone autem quomodo ad eductionem ascendat, iam antea dictum est.

Perinde enim, ac si in pulmonem ex magna arteria sanguis iam delatus sit, quomodo inde reijciatur, uelle nos admonere uidetur. Quòd uero de expuitione quæ ex pulmone fit, iam antea dictum sit, non ignoramus, ac perspicuam fuisse narrationẽ testificamur. Verum optaremus ut de ea, quæ ex magna arteria in pulmonem fit, transsumptione, similiter dixisset. Quemadmodum cum inquit, per eos quoq; nexus, per quos pulmo arteriæ apud spinã coniungitur, fieri sanguinis in pulmonem ascensum ac lationẽ. Neq; enim quos nexus hic intelligat, declarauit. Etenim si uel ex mẽbranis, uel fibris consistant, ad sanguinis in magna arteria cõtenti in pulmones delationem nihil conferunt. quippe necesse est ex arteria oriri uasa quędam, per quæ sanguis in pulmonem transferatur, quemadmodum Erasistrati secta hoc ipsum per arteriam pulmoni substratam fieri autumat. Huius enim arteriæ extremæ partes, & quidem exiguæ, ad asperam arteriam transire uidentur. Atqui ipsa quoq; ex magna arteria, antea quàm ad spinã perueniat, initium sumit. Itaq; duplici quadam ratione Erasistrato ab hac arteria auxilium suppeditare conantur sectæ ipsius professores: in præsentia quidem ad sanguinis ex thorace eductionem, alibi uero ad inflammationis in pulmone generationem. De hac enim Erasistrati sectatoribus obijcere solent qui aliter sentiunt, quòd ea fieri non possit, si Erasistratus sibi constare uelit. Nanq; ubi docet quomodo fiat inflammatio, putat incidentem in arterias sanguinem, spiritui, qui à corde defertur, obuium fieri, atq; sic ad extremas arteriarum partes repelli. Nisi ubi uulneratæ aliquando quædam arteriæ, uacuato ex ipsis per uulnus spiritu, ex ea quę ad uacuatum spiritum fit sequela, sanguinem suscipiunt. Hac itaq; ratione in pulmonis arterijs non posse fieri inflãmationem dicunt. quippe si aliquando sanguis in eas inciderit, nulli ipsum spiritui obuiare: quod in solas pulmonis arterias, nullum à corde ferri spiritum Erasistratus contendat, quamuis reliquas arterias omnes, à corde spiritum suscipere fateatur: uerum è contrario, ipsas cordi spiritum suppeditare, quem per inspirationem ab asperis læues arteriæ suscipiant. Hanc igitur arteriam quæ à maiori arteria spinæ incumbenti, in pulmonem fertur, inflammationem in extremis partibus sustinere, atque ut sanguis ex thorace reijciatur, efficere dicunt Erasistrati sectatores. Sed inflammationis rationem hoc in loco tractare non proposuimus. Cæterum ea, quam ex magna arteria in pulmonem fieri sanguinis transsumptionem Erasistrati sectatores dicunt, à ueritate deuiare uidetur. In primis enim sanguinem ex intercostalibus locis, in magnam arteriam trãsferri impossibile est. quippe à spiritu, qui à corde per magnam arteriam ad hęc loca transmittitur, repulsus, illico reuertetur. Dein si cõcesserimus hoc ita fieri, ac demus in magnam ipsum arteriã deferri, multo absurdior ex Erasistraticæ sectæ fundamentis sermo euadet. Etenim spiritum suum cursus impetum retinentẽ, à corde in hanc arteriam expressum, in totum deferri corpus, per ortas ab ipso arterias

rias autumat, ita ut ex una arteriæ cõstrictione spiritus ad extremas pedũ partes feratur, magis etiã quam à uehementissimo uento delationis celeritatem fieri putans. Quòd uero tanta uehementia, sanguinem in magna arteria contentum, ad quam libet corporis partem non impellat, impossibile est. At illi ad unam arteriam, quæ in pulmonẽ fertur, per rationem ipsum cõpellunt, ueluti qui mentem habeat, sciatq́ per quam uiam quàm facillime uacuari possit. Id ipsum uero rursum pugnare uidetur cum præsenti sermone qui sanguinẽ quàm celerrime uacuari per asperam arteriam concedit. Nam si tam facilis est per extremas harum arteriarum partes transitus, ut incidẽs in eas sanguis, tam celeriter uacuetur, fieri non potest ut impactus inflammationem excitet, eo quod impingi, & excidere, inter se sint contraria. Id uero multo maiori admiratione dignum est, quòd cum Erasistratus quàm diligentissime deinceps de puris uacuatione conscribat, siue id in pleuriticis, siue in suppuratis contineatur, ipse pugnam hanc, qua uidelicet duo sermones eius, tum nobis, tum reliquis hominibus omnibus inter se certare uidentur, non intellexerit. Ea facile deprehẽdetur, si sermonem eius, qui ad uerbum sic se habet, hic subscripserimus. At ꝙ in his ipsis affectibus plurimi interdum puris excretio fit, causa uasorum natura est, quæ hac ratione nobis inuestiganda est. Magna quædam uena ex corde nascitur quæ spinæ adiacet, ac in eo loco, ubi à uertebris septum transuersum nascitur, finem accipit. Ab hac uero, uenę quæ ad costas extensæ sunt, atq́ arterijs adiacent, oriri uidentur. Igitur cũ uel ulcus, uel abscessus, in his locis euenit, multum puris cõgregans, id quidem haud facile, ad spatium quod inter costas & pulmonẽ est, effundi potest: quòd succingens costas membrana neruosa est & fortis ac diuidi contumax: proinde erumpit ad uasa, membranæ intrinsecus subiecta. Cum itaque tenuis magis, ac imbecillior uena sit quàm arteria, hæc uasa prius diuiduntur, quàm ipsæ arterię, atq́ per has diuisiones, pus effunditur in uenas: per inferiores uero sedes pus deijci non potest, quia ad eas uenarum natura non peruenit, sed finem sortiũtur, ut dictum est, circa septi transuersi ortum. Cum semper autem continuæ sedes repleantur, ut ad superiores locos ascensum faciat necesse est. Perpendẽda igitur est actio, quam pulmo inter respirandũ efficit, ac quomodo, tum spiritum tum humores, & attrahit, & expellit. quippe eodem modo pus à lateribus ad pulmonem ascendere solet. Sed quomodo demum à pulmone reijciatur, antea dictum est. In hoc sermone, Quòd pus in uenas transsumptum non possit ad loca septo transuerso inferiora peruenire, recte ab Erasistrato dictum est, utpote uena, quę octo inferioribus thoracis costis alimentum præbet (non enim omnes alere potest) ad septum transuersum perueniente. Neq́ enim in præsentia contẽdere uelim, an exigua aliqua eius particula inde exiliat. At quomodo huiusmodi pus expuatur nullo pacto dicere aggressus est. Similiter nec sectatorum eius

A quisquam. Neq́ enim quemadmodum arteriam quandam à magna deductam in pulmonem ferri affirmant, ita de uena dixerint. etenim arteria, tametsi nõ manifeste in ipsum uiscus diuiditur, ei tamen substerni, atq́ ad asperam usq́ arteriam ramusculos emittere uidetur. Verũ à magna uena, quæ spinæ incumbit, uenam aliquam in pulmonẽ transire, neq́ nos unquam uidimus, neq́ dissectorum quisquam scripsit, ac ne Erasistratus quidem id affirmare ausus est. Quippe inter omnes conuenit, quod à dextro cordis uentriculo, per unum duntaxat uas, pulmo sanguinem recipit. Oporteret igitur pus quod à costis in eam uenam, quæ spinæ adiacet, deuenit, in primis quidem peruenire ad cor, deinde ad uenam quæ ab hoc orta, in pulmonem

B transit, postea ex hac in asperas arterias, quæ per ipsum dispersæ sunt, transsumi. postremo tussi indigere, quæ scilicet ipsum usq́ ad os efferre posset. Quo autem pacto pus sanguini permistum ab ipso secernatur, tanquam exiguum quidpiã, ac uulgare, & quod ad uniuersam ipsius rationẽ firmandam parum conducat, præteriens, dicere neglexit. Neq́ defendi etiam potest, quòd sanguis in uena, quæ circa spinam est, contentus ad cor ipsum afferatur. Nam è contrario, uena hæc à dextra cordis auricula exorta, sanguinem secum defert, qui omnibus thoracis partibus, quæ circa octo costas consistunt, alimentum præbeat. Nam partes quæ sunt circa superiores quatuor ipsius costas, nõ ab hac, sed à uenis quę procedunt à uena ad iugulum

C ascendente, quæ à medio loco, inter cor & iugulũ exoritur, nutrimentũ suscipiunt. Præterea & hoc quoq́ non minus absurdum, ad Erasistrati uerba sequitur. Nam pus quod à supernis quatuor thoracis costis, in concauam uenam refertur, maxime quidem ad eas uenas ducetur, quę ad ceruicem, & scapulas, & caput, & manus, deniq́ ad uniuersas quæ per totum animal distributæ sunt, deferetur. Hæc sunt ferè absurda, quæ ad Erasistrati scripta sequi uidentur. Accedit ad hæc, quod causam in hac perpensione penitus non attigit, dicens enim: Non facile pus effunditur in spatium, quod inter costas est & pulmonẽ, quia succingẽs costas membrana neruosa sit, & fortis, atq́ diuidi contumax: pus aliquando in hoc spatium effundi posse, non

D negauit. quippe qui uerbis suis, non facile, addiderit. Debuit ergo causam reddere, cur id quanquã non facile, tamẽ aliquando fiat: deinde uiam ostendere, qua suppurati pus expuere possint. Vt enim ex ijs non paucos perire, ita & alios complures seruari uidimus. Quorum siquis per singulos dies reiecti puris quantitatem collegerit, interdum sex, aut octo heminas, interdum decẽ, atq́ interdum plures, totam summã æquare inueniet. Cæterum id quod quàm creberrime dicere consueui, nunc quoq́ dicam, quòd multi medici, rerum quæ manifeste uidentur, causam reddere nequeuntes, eas esse omnino negant. Quanquam (ut dixi) omnes quotquot in thorace uulnerati sunt, iniectam per uulnus aquam mulsam illico expuere solent. Nonnulli etiam curato, conglutinatoq́ uulnere, in primis

mis quidem diebus purulenta quædam expuunt, nisi recte, ac exquisite uniuersus sanguis per uulnus (quatiendo uidelicet hominem, qui sic uulneratus est) fuerit effusus. At uero membrana costas succingens, & ualida est, & neruosa, ac diuidi contumax: huic sermoni adde, si uelis, eam quæ pulmonem uestit, eiusdem esse naturæ. Vnde in spatium thoracis humorum effusionem illa quidem non transmittit, hæc uero non recipit. Itaq; ad eundem modum dices, cutem membranis multo fortiorem, atq; crassiorem in fractionum callis cruentum humorem, quò minus per ipsum penetrando egrediatur, prohibere: hunc tamen in nõnullis uidemus adeo copiose effundi ut totas etiam fascias possit irrigare. Quod cũ ita fieri uideamus, idem haud absurde per reliquas quoq; membranas fieri fatendum est. Atq; satius fuisset Erasistratum non de hac re dubitare, quin potius intelligere, quomodo humor inter thoracem & pulmonem contentus, in asperas pulmonis arterias recipiatur: ad læues uero arterias, atq; ad uenas peruenire non possit. Nam & ipso Erasistrato autore, tria hæc uasa simul extendũtur, atq; simul diuisa extremo suo ore, in circundatam pulmoni membranam terminantur. Cũ ergo tria hæc ora inter se proxima sint, cur in unum duntaxat fiat transsumptio, quærere debuit Erasistratus. Nam longe præstantius erat, ea quę fiunt, quomodo fiant quærere, quàm quod fiant negare. Quanquam neq; dubia, neq; inuentu difficilis mihi uidetur, eorũ quæ in thorace continentur, in pulmonem receptio, quæ quidem in asperæ arteriæ partibus extremis fieri potest, quippe quæ non adeo angustæ sunt, ut læuium arteriarum atq; uenarum partes extremæ. eo quod magna ex parte, asperarum arteriarum essentia, cartilago est, quæ cõcidere, atq; concludi omnifariam non potest, & quod etiam earum, quàm duorum uasorũ reliquorũ, ora multo sunt ampliora. Cum igitur ipsorum circa pulmonem diuisiones numero sint æquales, rationi consentaneum est, asperæ arteriæ ueluti ramos, reliquorum duorum generum partes, proportione superare. Id uero manifeste apparet per uisceris ipsius dissectionẽ. nam uicina inter se uasa eandem inter se seruant in magnitudinis excessu proportionem, quam ab initio maxima ex ipsis habere conspiciuntur. Hæc sunt quę dicere debuit Erasistratus, ac deinceps, utrum inspirationis aut expirationis, an quietis tempore, pus ex thoracis spatio in pulmonẽ recipiatur, explicare: ac deinde cum id, neq; per inspirationem, neq; per quietem fieri docuisset, ostendere, ipsum exspirationis tempore recipi, id quod facillimum erat demonstrare, ei cui prius persuasum esset, respirationis actionem ad thoracem pertinere, pulmone nullam propriam habente motionem: quippe qui ad eius quod euacuatur consequentiam dilatato thorace, pariter attollitur, dum uero ille cõtrahitur, ipse spõgiarum exemplo, quas manibus exprimimus, in sese residere solet. Etenim hoc pacto per magna uulnera, fibra siue apex ipsius per uulnus procidere uideť. uerũ citra uulnus, thorax

A uehementer cõstrictus, humorẽ qui in eo spacio, quod inter ipsum & pulmonem est, continetur, in asperas ipsius arterias comprimendo cogit. Nec credas uelim, huic orationi, uehementer, frustra fuisse insertum. Nisi enim uehementer admodum thorax pulmonem ex omni parte comprimat, humor in asperarum arteriarum ora recipi non poterit. Quamobrem natura, quò robustior fieret compressio, tussi uocata, donauit animalia. Quæ cum naturale sit accidens, & sternutamentũ, & singultum, & nauseam similitudine quadã imitatur, de quibus in libro De causis accidentiũ satis dictum est. Verum quia uiribus opus est, quibus huiusmodi accidens naturale excitetur, contingit creberrime per suppuratos affectus, mori laborantes, pro-
B stratis antea uiribus, Nam à ualidissima thoracis cõstrictione, eademq; celerrima, tussis excitatur. Atqui uires imbecillæ, neq; ualide neq; celeriter agere possunt. Ergo de expuitione quæ ex spatio thoracis procedit, satis fuerit hæc dixisse. Redeamus igitur rursus ad eum quem ab initio proposuimus sermonem. Sanè quæ in succingente costas membrana, ac musculis illi continuis, fiunt inflammationes, morbum, quem lateralem uocant, efficere solent. Huius accidentia inseparabilia sunt, febris acuta, dolor, perinde ac si locus uel intẽdatur, uel pungatur, spiratio frequẽs & parua, pulsus paruus, arteriam & duram, & quodammodo tensam indicans, tussis magna ex parte cum sputis coloratis, nonnunquam uero sine his. Has incoctas pleu-
C ritides nominant, quæ uel celeriter hominem rapiunt, uel longo temporis spatio finiuntur. Ac dolor modo ad iugulum, modo ad præcordia peruenire uidetur. Sunt præterea alij laterum cum febre dolores, per quos spirationem frequentem & paruam reddi necesse est, sed nullũ redditur sputum, ut in ea re nihil à pleuritide sine sputo constante, differre uideantur. Verum hi facile ab illis discerni possunt. In his enim nulla omnino tussis est: illi uero qui sine sputo pleuritide laborant, sicca tussi molestantur. deinde quòd neq; tensionem, neque duritiem ullam refert pulsus. postremo, quod non æque acuta febri laborant, neque adeo difficulter spirant. Sunt etiam nonnulli, qui presso extrinsecus inflammato loco dolere sese fatentur. Atq; ij
D per sputũ non purgantur, quia ab initio nihil eius succi, qui inflammationem excitauit, ad thoracis spatium peruenire solet. At concocta inflammatione, nisi pus prius discutiatur, ad cutem usq; attollitur, atq; inciditur.

III. Terminum quo thoracis pars inferior finitur, antiqui phrenas (id est mentem) appellauerunt. siue simpliciter id ipsis in animum uenerit, siue (ut aliqui putant) quia ex inflammatione affecto mens quoq; lædatur. At à Platone septum uocari cœpit, qui quidem etiam ipse phrenas, similiter ut reliqui ueteres appellauit, uerum septi usum in animãtibus habere putauit. animi enim irascentiam, in corde cõtentam, à cupiditate, cuius sedes in iecinore esse creditur, intersepit ac distinguit. postea medici neglecto prisco nomine, septum ipsum

ipsum appellare consueuerunt. Id quod in dorsi A quoque medulla eos fecisse constat. quippe huic quoq; ob propriam essentiam medullæ nomē est, quemadmodum instrumentum, cuius nunc mentionem fecimus, phrenes nuncupantur. Verum quò clarior esset dinotio, illi dorsalis, quemadmodum et ceruicalis, & spinalis, atq; lumbaris, cognomenta addiderunt. Post ea ferè omnes simpliciter dorsalem appellare consueuerunt. Sic in præsenti quoq; ꝓposito, phrenū nomine reiecto, diaphragma (id est septum transuersum) nominare magis placuit. Aristoteles autem hanc animalis particulam, succincturam appellat, nescius ipsam magnæ ac perquàm necessariæ actioni, in animalibus esse deputatam. quippe quæ spirationis instrumētum est. Igitur non immerito, cū afficitur, spirationem B lædit: ut supra, cum de spirandi difficultate ageremus, diximus: ubi proprios eius affectus unà cum ijs qui per consensum cum spinali medulla & neruis ab ea exortis in ipso fiunt, tradidimus. At uero nunc eos affectus, quos per superni principij consensum inducit, perstringamus. Igitur antea quàm aliquis deliret, frequentem ac paruum: infestante uero iam delirio, multa uarietate inæqualem spiratum reddit. ut in libris De spirandi difficultate diximus. Atq; delirare etiam solent nonnulli, ob uitium quod in ore uentriculi consistit, & febribus ardentibus, & pleuritide, & peripneumonia. Sed quæ ob septi transuersi affectum accidunt deliria, non multum distant à phrenitide. quippe per cæterarum partium affectus, atq; per febres ardētes C delirium mitigari solet, quoties morbus declinare uidetur. At phrenitidis propria præcipuaq; nota est, ne in declinatione quidem febrium, delirium quiescere. Neq; enim per consensum in huiusmodi morbo cerebrum afficitur, sed propria primariaq; affectione laborat. Vnde paulatim quoq; cōflatur hic affectus, & non de repente, aut aceruatim mēte mouentur. ut in ijs partibus, quarū nunc mentionem fecimus. Ac antea quàm inualescat, præcedunt ipsum accidentia non pauca. eaq; omnia phrenitica indicia uocantur, quæ ab ijs quoq;, qui me præcesserunt, conscripta sunt. Nam interdum uigilias pręcedere, siue etiam somnum, manifestis imaginibus turbatum, ita ut & clament non nulli, & exiliant, uidere est. Interdum uero adeò D agrestis accedit obliuio, ut laborantes aliqui, cum matellam petiuissent, meiere tamen neglexerint: aut cum lotium emitterent, matellam ipsam reddere, haudquaquam meminerint. Interdum maiori cum tumultu, aut temeritate respondent, præsertim ubi aliquis antea fuerit mansuetus. Atq; ij omnes exiguo utuntur potu. Spiratio ipsis rara est, & magna: pulsus parui, & neruosiores. Nonnunquam occiput dolor infestat. Cum uero iam proxime ad phrenitidem accedūt, oculi eis uehementer euadunt squalidi, aut ex altero ipsorum acris lachryma effunditur, ac deinde sordes innatat, & uenæ ipsorum, sanguine plenæ uidentur, & sanguis distillat è naribus. Quo tēpore nihil quod exacte ad prudentiam pertineat, respondent, & floccos auellunt, & festucas carpunt, atque aridiore febri, cui non ita magnæ in alterutram partem mutationes accedūt, torquentur: quemadmodum in alijs quibusdam febribus uidere est, quæ per uigorem quidem grauissime infestant, inclinationes uero habent mitiores. Ad hæc lingua quoq; salebrosa est, nōnulli interdum obediunt, ac interdum mœsti iacent, uix quicquam respondentes, atq; affectione dolorifica affecti, uel acrius premente aliquo, eam haudquaquam sentiunt. Ergo hoc modo per cerebri affectum, paulatim phrenitis eueni re solet. Ab aliarum uero partiū nulla perpetuum delirium procedit, dempto solo septo transuerso, cuius uitio excitatum delirium, parum à continuo distat, adeo ut ueteres putauerint, hac parte inflāmatione affecta, homines phreniticos euadere. atque ob eandem suspicionem, phrenas (id est mentem) eam appellauerunt, tanquam sapienti parti conferat quippiam. Verum delirium quod huiusmodi uitio accidit, à phrenitide distinguitur, & ex oculorum accidentibus, & sanguinis à naribus stillis, atq; spirationis specie. quippe phreniticorum à cerebro spiratio magna est, & ex longis semper interuallis: contra, ubi à septo delirium oritur, inæqualis: ut modo parua sit, atq; frequens, modo magna, & suspiriosa. Nam incipiente septi transuersi inflammatione, prius quàm delirent laborantes, paruum ac frequentem reddunt spiritum: contrà, ijs qui ob affectū cerebrū delirāt, magna prodit raraq; spiratio. Atq;, ut summatim dicam, ueluti eorum accidentium, quæ phrenitidem antecedere diximus, aut nullum apparet, aut si apparuerit aliquod, id perexiguū est, in his quibus septū transuersum inflammatione laborare incipit: ita rursus intendi præcordia, septi transuersi, illico ab initio affecti, proprium indicium est. id quod affecto cerebro posterius accidit, non incipiente uidelicet affectu, sed cum paratus iam fuerit. Atque calor quoq; circa caput & faciem uehementior est ijs, qui ob cerebri uitium delirāt. Reliqui septi transuersi affectus, siue primarij sint, siue per consensum illi eueniant, partim quidē ab hoc nostro proposito sunt alieni (nempe qui manifeste apparēt, tum circa alia accidentia, tum abscessus in ipso exortos) partim uero iam antea dicti sunt.

IIII Eam partem quæ inter fauces & os uentriculi media est, quam ueteres œsophagon nominabant, qui post Aristotelis seculum scripserunt, stomachon (nos gulam dicimus) appellare consueuerūt. Quamuis Aristoteles prisco semper uocabulo hāc animalis particulā nominauerit. Eius duplex est usus, unus ꝙ ueluti uia est, eorum quæ deuorantur. Alter, quod circa utranq; uiam, actionem quandam efficere uidetur, tum deuorādo ea quæ ab ore ad uentriculum deferuntur, tum reijciendo ea quæ ab hoc ad os eleuantur. Cum enim geminæ sint ei partes, quas dissectores tunicas appellant: altera ad cibi potusq; deglutitionem utitur: altera ad eam, quę uomendo fit, expulsionem: Proindè rationi consentaneum est, duo esse affectuum ipsius genera. unum, quod ueluti uiæ, tum

ingestorum, tum uomitione reiectorum, ei accidit. alterum uero, quod ei ueluti utriusq; actionis instrumento, euenire potest. Cōstat uero duorum iam memoratorum usuum, alterum quidem semper esse necessarium: alterum uero propter occasiones quasdam. Igitur eorum accidētium quæ ipsum, tanquam uiam infestāt, genus unum est, cum ob tumorem aliquem præter naturam angustior fit ipsius meatus: alterum, cum proprias actiones perficere nequit. Porrò iam antea, ubi de angina quæ ad uertebrarum in ceruice luxationem sequitur, sermo habebatur, diximus, quod acquisititia ei angustia accidit, ubi à uertebris ipsis comprimitur, cuius rei nūc quoq; admonitum te esse uelim. Nec obliuioni tradas, tumores eorū musculorum qui ipsi gulæ substrati sunt, quomodocūq; fiāt. Nā de omnibus, in libro De tumoribus præter naturam, dictum iam est. Ceterum in ijs omnibus commune est, quod tanta sæpenumero inter deuorandum infestat angustia, ut potus ad nares remittatur. Cum uero inflammatione affecta gula, familiari propriaq; angustia, non à uicinis partibus acquisita, torquetur, tum grauissimus inter deglutiendum dolor infestat, accedēte quoq; perquam difficili transitu, præsertim si supinus, qui laborat, iacens transglutire quippiam conetur. quocirca sic affecti habitum transformare, atq; erigere sese student, ex accidente ipso edocti, faciliorem ita fieri deglutitionē: adeo ut haud parum habitus hic, ad ciborum in decliues partes delationem, conferre uideatur: utpote quæ possit sæpenumero uel sola fieri, si prius ex ore usq; ad gulæ initium facta fuerit expressio. A supino decubitu nullum speratur auxilium, quò facilius ad infernas partes ferantur alimēta. quippe quod tum à sola gulæ actione deuorādi munus perfici potest. Neq; uero latet uos, quòd partium inflāmatione affectarum nulla non dolet, cum suo munere fungitur. Contrà, ubi quieuerit, dolor mitigari solet. Cum autem gula sentiendi facultate sit prædita, ipsam quoq; ueluti auctarium indicium, in usum euocare oportet, quo plenius huius particulæ affectus dinoscantur. Id quod à laborante, inter respondendum deprehendere licet, nisi adeo fuerit saxeus, ut quid ipsum lædat, narrare non possit. Cōtrà, si id quieuerit, gulæ sensus maximum præstabit corollarium, ad affectuum ipsius dinotionem. Etenim imbecillitatem nonnunquam percipere se dicunt laborantes, ut longo uix temporis spatio per gulam transeant ea quæ ingesta sunt. quæ aliquando ad primum impetum facile descendunt, deinde rursus arcentur, ut uideantur impacta, demum per residuum spatium facile labuntur. Horum primum affectionis infirmitatem, alterum particulæ cuiuspiam angustiam indicat. Verum utriusq; differentias, ex reliquis accidentibus intelligere licet. Nam in imbecillitate, quæ ex sola intemperie citra tumorē præter naturam fit, ingestorum in transitu tarditas est æqualis, & sine dolore: & in supino quidem decubitu, maior: ceruice uero erecta, minor, sine ullo angustiæ sensu accidere solet. Vbi uero cum tu-

A more est imbecillitas, unam quampiam particulam angustiorem cæteris efficit, atq; per eam tardior erit transitus. Quòd si tumor inflammationis fuerit particeps, accedet ei pariter & dolor, & sitis, & multi caloris sensus, & febris nō admodum ardēs, quæ etiam siti proportione haudquaquam respondet. Si uero tumor aliquis ex nō ita calidis fuerit, tum citra febrim, & calorem, & sitim, deglutitionis inæqualitas eueniet, retentis in parte quapiam alimentis: præsertim, si durius, atq; solidum fuerit, id quod deuoratur, acciditq; dolor aliquis, sed exiguus. Ergo huiuscemodi accidentibus longo temporis tractu nobis apparentibus, accedente nōnunquam diaria febre, nonnunquam etiam horrore, cum coniecturam fecimus abscessum in-
B coctum esse in gula, accidit procedente tempore ut laborans eruptionis sensum perciperet, ac postea pus euomuit: idq; non solum eodem, sed postero quoq; die, atq; itidem tertio, deinde succedebāt ei deinceps omnia ulceratę gulę indicia. quippe siue acria, siue acida, siue salsa, siue acerba deuoraret, aut uellicationem, aut constrictionem sentiebat, dolebatq; hac in parte, uel nihil deglutiendo, sed moderatius. Vehementiorem enim dolorem excitabant ea, quibus mordendi, aut constringendi uis erat. Hic ergo lōgo temporis spatio uix seruatus est, adiutus scilicet ætatis beneficio. etenim natu maiores ferè omnes perierūt. Sanè quot quot dolorificum quempiam in gula habent affectum, omnes ex dorsi quoq; dolore ipsum signifi-
C canter declarant, cuius rei causa haud obscura est ijs, qui gulam spinæ incumbentem uiderūt. Quinetiā constat, quod ex gulæ uasis, haud secus quàm ex reliquis omnibus, sanguis uomendo reijci potest. Id si ob ruptū uas acciderit, dolor ibi percipitur, ac locum, ubi aliquid ruptū est, indicat. Haud secus ubi uena fuerit erosa, locus affectus deprehendi potest. Aperto autē uasis alicuius ore nullus omnino dolor sentitur, atq; hac re à reliquis distinguitur, ac præterea quod neq; ictus, neq; casus hanc profusionem præcessit, id quod rupto uase uidere est. Quanquam ob solam sanguinis plenitudinem, nulla adueniente extrinsecus causa, uasa interdum dirumpi possunt. Quæ uero per erosionem fit sanguinis eiectio, ulcere præcedente fieri
D solet. Fit autem ulcus, uel rupto uase uel uitiosorum humorum influentia, id quod in cute quoq; sæpenumero accidere uidemus.

V Veteres os uentriculi cor nominabant, ab accidētibus quę inducere uidetur, hanc (ut aiunt) deducētes appellationem. Neq; enim syncopam duntaxat, ueluti cor, sed etiam conuulsiones, sopores, morbum comitialem, melancholiam inferre solet: quinetiam accidentia, qualia per suffusiones infestāt, ut iam antea, cum de oculis loqueremur, dictum est. Atq; omnes ij affectus, consentientibus ei cæteris partibus, in ipso fieri solent. Nam ad propriam eius rationem pertinet, & appetentiam prohibere, & natantes cibos corrumpere, quemadmodum id haudquaquā fieri solet, cum cibi in uentriculi fundo firmantur, præcipue si suapte na-

tura

tura nõ ita facile corrumpantur. Igitur exacte animum aduertere oportet, ut discernantur affectus, qui ipsius occasione per consensum eueniunt, ab ijs qui huiusmodi particulis quarum actionibus nocere consueuit os uentriculi (quod ut ueteres omnes cor appellabant, ita nostra tempestate stomachus uocatur) primario accidere cẽsentur. Sed hæc inter se discernere facile poterit is, qui assidua exercitatione circa notiones uersatus, ea quæ præcesserunt, diligenter cõsiderauerit. Sunt enim proprietates quædam ineffabiles, unà cum accidentibus, quæ enarrari possunt, euenientes, quibus certiores stabilioresq́ euadunt, affectarum partium notæ: sed has unusquisque per se inuenire poterit. Quæ uero tanquam fundamenta uniuersæ dinotionis existunt, atq; ex quibus studiosissimi quiq; ineffabiles accidentiũ proprietates ediscunt, deinceps explicare aggredior. Igitur grãmaticus quidam iuuenis, quoties uel nimis uehementer doceret, aut cogitaret, aut inediam sustineret, aut irasceretur, morbo comitiali corripiebatur. perpendi equidẽ in hoc os uentriculi, utpote quod facile sentiret, affectum esse, ac deinde per consensum & totum cerebrum, & corpus uniuersum conuulsione concuti, cui probam concoctionem accurate procurare, ac tertia, uel quarta hora panẽ optime præparatum exhibere iussi, atq; hunc quidem solũ, si non sitiret: si uero siti cruciaretur, ex uino madidum, & quidem albo, atq; modice stringẽte. Nã huiusmodi uinum, ut uentriculum robustum efficit, ita haudquaquam tentat caput, id quod facere solent, ea quæ uehementes uires obtinent. Itaque cum hac uictus ratione utens, non ut ante afficeretur, exactam iam notitiam me habere arbitratus sum, eorum quæ prius sola coniectura consequebar. Itaq; quolibet anno bis, aut etiam ter, medicamentum amarum ex aloe ei exhibui. Totum enim uentrem à recremẽtis purgat, & ad proprias actiones corroborat. Itaq; uir ille uiginti & amplius annis, quibus postea superstes mansit, integra, inculpataq́ ualetudine, uitam exegit. Quòd si aliquando ob ingruentia negocia diutius à cibo abstinere cogeretur, exigua quadam conuulsione uexabat. Iam alios quoq; uidimus, conuulsione comitiali, ob oris stomachi uitium correptos, cum aut non probe concoxissent, aut uini, & quidem meracioris, plurimum potassent, aut ubi ueneri immodice operam dedissent. Quinetiã per febres, quosdam conspeximus derepente conuulsione prehendi, nullo quod eam præsagiret, præcedente indicio, qui bilioso superueniẽte uomitu, protinus ab omni noxa liberati fuerunt, atq; hoc modo affectorũ nonnulli, res quasdam fuscas uomendo reiecerũt; alij humorem porri succo similem, quidam etiam uitiosis grauati cibis soporosi permanserunt, donec ea quæ os uentriculi opprimebant omnia euomuissent. Atqui horum accidentiũ uix ullum crederes, à uẽtriculi ore procedere, quemadmodum ne syncopas quidẽ, nisi tam crebro ita euenire uiderentur. Quanquã enim non pauci ad ipsum ex cerebro nerui perueniunt, non tamen tot esse ui-

A dentur, ut per eos tantus sit principij cum ore uentriculi consensus, ut inde conuulsio inferri possit: tantum abest, ut quis credat, cor ipsum tam uehementer ori uentriculi cõsentire, ut acuta protinus sequatur syncopa. Porrò multos non solum insomnia & somni tumultuosi molestãt, sed amẽtia quoque, propter uitiosum humorẽ in ore uẽtriculi coaceruatũ. De flatuoso uero hypochondriorũ uocato morbo, nemo non dixit, quomodo tristitiã, desperationem, mœstitiã inducat, atq; ut summatim dicam, ad melancholiæ accidentia nihil reliqui facit. laborantes aũt huiusmodi morbo, post cruditates, dictis accidentibus multo uehementius infestãtur, ac quidã ex ipsis splenici quoq; fiunt: quocirca conijciendũ est, ex hoc etiã uiscere, uitiosum
B serosum humorem in uentriculũ irruere. Ergo ea accidẽtia quę uel cerebrum, uel oculos afficiunt, uitiosorũ humorũ uaporationẽ sequuntur. At syncopa, quæ stomachi uitio solet euenire, ob dolorũ ipsius proprietatẽ, exolutionem inducit, fortasse uero eius quoq; intẽperie ad cor perueniẽte. Quo fit ut ubi cor uehementer intemperatum est, uires agminatim cadere necesse sit. Atq; constat etiam quod cittæ (id est, picæ) uocatæ, mulieribus accidunt, ubi hæc particula affecta est. Quæ enim aut canũ more, aut nihil omnino aut malos cibos cupiunt, ijs appetentię instrumentum læsum esse certum est, id uero os uentriculi esse demonstratum iam est. Sic etiã nausea, cordis dolores, singultus, inter huiusce partis affectus numerari debent, uerum omnium harum affectionum causas in libro
C De accidentium causis iam diximus, ut nihil nũc opus sit, in earum explicatiõe temporis iacturam facere. Etenim quæ per intemperantiam, ei ueluti similari corpori, morborum differentiæ adueniũt, iam ibi enarratæ sunt. Instrumentales uero morbi qui ei accidere solent, adeo manifestas habent notas, ut latere possint neminem, qui cõmunes significationes, quę & in his antea commentarijs, & in alijs quibusdam præscriptæ sunt, memoria tenuerit. Neq; enim abscessus, neq; inflãmatio, neq; erysipelas, neq; ulcera huius loci, in obscuro sunt, utpote quorum cõmunes sunt notæ, cum ijs quæ supra de gulæ affectionibus dictæ sunt, atq; illis eo manifestiores, quo facilior huic parti sensus est, ac
D claram quoq;, promptamq́; notionẽ habet. Similiter ubi ex hac parte sanguis reijcitur, indiciorum proprietas cõmunis est cum illis, quæ de gula iam diximus, uerum cognitio longe manifestior euadit. Atq; par esse uidetur, totum uentriculi spatiũ, simili affectiõe affici, quales sunt illę quas in ipsius ore fieri diximus, atq; similia quoq; ei aduenire accidentia. Quòd uero longe maiorem inferunt uiolentiam, ea quæ in ipsius ore contingunt, idcirco medici ea quæ in parte uentriculi inferiore eueniunt, perinde ac si omnino non fierent, et despicere & contemnere solent. At quia coctionis opus in partibus ab ore inferioribus fieri nemo negat, necesse est hanc ipsam partem, cum male affecta fuerit, cruditatũ esse causam, nisi uel ob inordinatam alimentorum ingestionem, aut multitudinem, aut

qualitatem homo cõcoquere nequeat. Morbi uero cæteris partibus cõmunes, siue instrumentales sint, siue per solam intemperiẽ infestent, quorum sedes affectæ manifestæ sunt, ad hanc præsentem commentationem proprie non pertinent, quippe eas duntaxat partes, quæ sensus iudicium effugiunt, considerare propositum est. Sed de sanguine qui ex ipso uomendo reijcitur, non cõuenit inter medicos. Etenim sunt qui putent nequaquam fieri posse, ut sanguis uel ab hepate, uel à liene effluens, per ipsum euacuetur: similiter de pure quoq; ab illis erumpente existimant. uerũ enimuero per artis exercitationem, utranq; opinionem examinanti mihi, uisa est per ipsum fieri euacuatio ex dictis uisceribus. Cæterum differre uoluimus huius rei doctrinam, in eum locũ ubi de ipsis sermonem faciemus. quippe deinceps & iecinoris, & lienis affectus percurrere propositum est.

VI Huic parti, quemadmodum & cæteris omnibus, duplex morborum genus accidit. Vnum à sola intemperie, citra tumorem præter naturam. Alterum ubi unà cum intemperie tumor quoq; infestat, ut inflammatio, erysipelas, scirrhus, id est tumor durus, flatuosa distentio, à crassis & uiscosis humoribus obturatio, idq; in extremis uasorũ partibus, quæ ex uenæ ipsius portis exoriuntur. Verum in ijs laborans & grauitatem in dextra hypochondriorũ parte sentit: quòd si halituosus quoq; spiritus, cui nõ pateat exitus, ibi concludatur, non solum grauitas, sed tensionis etiã sensus sequetur. Inflãmationes uero quæ in hoc uiscere citra ipsius imbecillitatem nascuntur, siquidem in gibba parte consistant, præcipue si grandes fuerint, perfacile uel solo tactu dinosci possunt. At simarũ partiũ inflammationes, per alia potius accidentia, quàm per tactum inuestigare oportet. Incipiam igitur ab his quæ in parte gibba oriuntur, si prius uos admonuero, eorum quos in corporum dissectione cõspexistis musculorum, qui sub cute tenduntur. Sunt uero octo numero, quatuor contenti coniugationibus. Quarum prima ex musculis constat rectis, per totum carneis, à pectore ad pubis ossa (ita enim uocant dissectores) descendentibus. At reliquarum trium coniugationum musculi, usq; ad rectorum contactum, carnea quidem parte constãt: ubi uero primum illos attigerũt, in neruosas membranas degenerare uidentur. Horum itaq; musculorum una coniugatio, quæ quidem reliquis exterior est, à thorace obliqua deducitur, prorsum ac deorsum descendens. Altera huic contraria, ab infernis exorta partibus, obliqua prorsum ac sursum ascendit. Huic tertia musculorum cõiugatio subijcitur, qui transuersum habent positum, atq; peritonæo, id est, membranæ quæ intestina continet, inituntur. Rectorum igitur musculorum tumores præter naturam oblongi, atq; per totum uentrem extensi uidentur, umbilicum ueluti ipsa quoq; musculorum coniugatio, comprehendentes. quapropter haud obscura est eorum dinotio, utpote quos & positus, & figura declarat, accedente ad hæc, quod ipsi à nullo exteriore musculo conteguntur.

A Hæc autẽ obliquis quoq; musculis, qui à thorace descendunt, sunt communia. At multo difficilior est notitia musculorum, qui ijs subiecti sunt, difficillima uero transuersorum. Constat autem iecur intra hos sub peritonæo esse positum, quod cum tribus contegatur musculis, fieri non potest, ut tactus aliquam ipsius notitiam præstet, nisi uel magna in ipso oriatur inflammatio, uel incumbentes ei musculi extenuentur: sed iecur affici declarant in dextra præcordiorum parte grauitas, dolor tota præcordia retrahẽs, atq; ipsius usq; ad iugulum extensio (nam & hoc nõnunquam euenire solet) exigua tussis, linguæ color, in primis quidem ruber, deinde uero niger, ingens fastidium, sitis inexhausta, uomitus tum syncerę bilis, tum eius quę
B ouorum uitellis similatur, quæ postea æruginis aliquando colorem referre conspicitur: aluus quoque astringitur, nisi unà cum uisceris huius imbecillitate, inflammationem excitari contingat. Erysipelatis autem accidẽtia, his ferè similia sunt. Sed insuper febris quoq; cum uehementissima siti laborantes cruciat. eas enim febres quas ardentes antiqui uocabant, magna ex parte aduenire uidemus, iecoris, aut uentriculi, flammeis affectionibus, atq; in pulmonis inflammatione erysipelatis participe (Græci phlegmonen erysipelatodem appellant) ardentes febres excitãtur. quemadmodum ubi in uniuerso quoq; corpore, biliosi humores propter putredinem, ad immoderatum feruorem perueniunt. Verum hæ quæ aut iecoris, aut
C uentriculi occasione eueniunt: omnium sunt uehementissimæ. Quibus particulis ita laborãtibus, febres magna ex parte in tabẽ transmutantur. Sed de hac alibi seorsum scriptum est. Quæ in simis iecinoris partibus eueniunt inflammationes, ut magis quàm illæ quæ in eius gibbo fiunt, fastidium, nauseam, uomitũ biliosum, sitim ingentem inducunt, sic è contrario hæ, maiori quàm illæ, circa relatas iã nauseas dolore, laborantẽ afficiũt, magisq; tussim excitãt, atq; dolorẽ usq; ad dextræ partis iugulũ, adeo ut detrahi uideatur, extendunt. porrò utriq; parti inflãmatę, nothæ costæ nonnunq̃ consentiunt. idq; eis commune est nõ in omnibus, propterea quod iecur costis per membranas nõ in omnibus cõiungitur, id quod non solum in simijs,
D sed in alijs quoq; animalibus uidere est. etenim alijs coniungitur, alijs minime. Igitur quemadmodum interdum in gibbis duntaxat, ita & in simis huius uisceribus partibus inflãmatio oritur, quamuis in neutra partium exquisite distincta possit cõsistere. Nam omnium eius partium carnes inter se se continuantur. Cæterũ quibus natura abdomen gracile est, quãdo etiam morbo gracilius efficitur, in ijs facile est deprehendere ingentem iecoris inflammationem. quæ propriam hãc à musculorum tumoribus sortitur differentiam, quod tumor sub manibus ad coaceruatam circumscriptionem subsidit. Nam musculus quilibet, cum totus sibi continuus sit, inflammationis ipsius tumor sensim diminui consueuit: Soli uero iecinori proprium est, ut tumoris cumulum comprehensim habeat circumscriptum

scriptum. Vnde manifestũ est, quod durus in ipso tumor (Græci scirrhon uocant) multo euidentius dinosci potest, eo quod durior sit scirrhi ipsius, q̃ inflãmationis tumor, quodq; in huiuscemodi affectione extenuata sint corpora, quæ ei incumbunt. Atuero tractu temporis, quãuis magis increscat scirrhi tumor, non tamen æque facile fuerit, per tactum ipsum cognoscere, intercipiente scilicet iudicium aqua inter cutem, quæ illico scirrhum sequi consueuit. Quippe nisi hepar afficiatur, haudquaquam fieri potest huiusmodi affectus: non tamen semper ob primariam eius affectionem excitatur, quamuis hoc sit quàm frequentissimum. Etenim quia ipsum, eius facultatis, quæ sanguinem gignit instrumentum est, consequens est, ut uitiato hoc uiscere, actio quoq; eius uitietur. Accidit autẽ (ut dixi) cum aliàs aliam partem frigida intemperies afficit, ut hepar quoq; perfrigeret. Igitur si uel lienis causa, uel uentriculi, uel intestinorum, uniuersorum, maxime ieiuni, mesentericæ uenæ habitua li intemperie afficiantur, facile etiam unà perfrigerare possunt, omnes simarum iecoris partium uenas: quo fit ut ad hepatis quoq; corpus totum intemperies ipsa perueniat. Si uero uel pulmonis, uel septi trãsuersi, uel renum occasione id accidat, in primis uenæ, quæ in uisceris huius partibus gibbis consistunt, per consensum afficiuntur, deinde tractu temporis, hepar quoq; eadem affectione infestatur. Ergo ea quæ hucusq; diximus, sic se habere nemo inficiabitur, nisi forte quis aut suapte natura cõtentiosus, aut omnino fuerit indoctus. De obstructione uero non æque certæ habentur coniecturæ. Etenim quod simarum partium uenæ, ab ea quæ in porta est, exortæ, in tenuissimas extremitates finiãtur, haud obscure apparet. Atq; quod ad eundem locum aliæ quoq; uenarum extremitates, à concaua uena, in gibbas uisceris partes distributarum perueniãt, similiter constat. licet quomodo per sua ora ipsæ inter sese coniungantur, uidere nequaquam possimus. Nemo tamen dubitat, sed omnes ferè medici ex uno ore enunciãt, quod cibus uniuerso corpori distributus, ex omnibus simarum partiũ uenis exiens, ad gibbas partes per dictas extremitates trãssumitur. Quo posito, si inflammatis, uel scirrho tentatis uenis, tumor sanguinis uiam constringat, rationi consentaneum nonnullis uidet̃ ut pars quę in sanguine magis tenuis, atq; aquosa est, transsumatur, atq; uehatur per uniuersum corpus. syncerus autem sanguis, qui propter sui crassitudinẽ, in uisceris substantia permanet, eis morborum, qui ex plenitudine fieri solent, causa esse censeatur. Perscrutantibus uero nobis hanc opinionẽ, uidentur partim cum ijs, quæ iam dicta sunt, consentire, partim uero nonnihil ab ijs, quæ apparere solent, differre. Quod enim aquosa sanguinis pars transsumpta in uenam concauam, usquequaq; per corpus dispergatur, consequi uidetur ad ea quę iam in confesso sunt. Quemadmodum crassiorem sanguinem in uisceris uenis præ angustia earum retentum ad intestinum ieiunum, & colon, & cæcum, atque rectum deferri, & (ut quispiam dixerit) in uentrẽ fortasse. Nemo tamen id accidisse uidit, in hepatis præter naturam tumoribus, neque etiam obturationibus. Verum in omnibus corporis partibus, tũ supernis, tum inferioribus, pituitosus sanguis cõtineri conspicit̃, in ijs hydropis morbis, quos Græci & ana sarca, & leucophlegmatias nominare consueuerunt. Per aluum autem, nihil cruentum, neq; in ijs, neq; in ascite, neque in tympania secerni solet. Sed spatium quod inter peritonæũ & partes ei subiacentes est, aquoso humore impletur. Proinde rationi magis consentaneum est, ut ob uisceris perfrigerationem, cibus iam distributus, in sanguinem trãsmutari non possit. quinetiam perfrigerantur cum ipso uniuersi corporis uenæ, idq; maxime, ubi nullo plerunq; tumore in iecinore apparente, laborans aqua inter cutem molestari uidetur, uitio existente uel in liene, uel ieiuno, aut tenui intestino, aut mesenterio, uel pulmone, uel renibus, aut etiam ubi plurimus per hęmorrhoidas sanguis excernitur, aut ob muliebre profluuiũ, aut cum retinentur menstrua, aut ob aliam ingentem uteri affectionẽ. Nam per omnes huiuscemodi affectus, aqua inter cutẽ hominem uexari contingit, uel nullo existente in hepate præter naturam tumore. Id uero pręcipue intelligitur ab ijs, qui didicerũt quomodo ex intempestiua aquæ frigidæ potatione, iecur affatim perfrigeratum, statim aquam inter cutem inducit, anteaquam scilicet in durum tumorẽ attollatur. Verum sic affecti uehemẽti ciborum desiderio tenentur, nec mirum, quippe ob perfrigeratum os uentriculi, huiusmodi cupiditates inualescere, iam ante didicimus. Sed de aqua inter cutem, quantũ ad præsens attinet propositum, hæc dixisse satis est.

VII Porrò, utrum semper in morbo regio locus affectus sit hepar, an alia præterea affectio hũc affectum efficere possit, deinceps scrutemur. siquidem uidemus nõnunquam iecinore nequaquam affecto per morbi iudicationem, effundi ad cutem bilem pallidam. quomodo nonnulli quoq; alij humorum ex loco in locum impetuosi illapsus interdum euenire consueuerunt. Videmus etiam aliquando citra morbi iudicationẽ, sanguinem extranea quadam corruptione in bilem uerti, qualis ferarum morsu fieri solet. Etenim imperialium seruitorum quidã, qui uiperarũ uenationi deputatus erat, cum à uipera morsus esset, aliquãto tempore medicamenta, quibus uti consueuerat, potabat, cumq; uniuersi corporis color mutaretur, adeo ut porri colorẽ referret, accedens singula nobis enarrauit, cui epota theriaca, quàm celerrime color secundum naturam restitutus est. Solent autem medici inuestigare, an assumpti ueneni propria extãt signa, eo quod sæpenumero uideant, citra letalis ueneni potionẽ humores similiter ut epoto ueneno corrumpi. Vnde non mirum est, si sic aliquãdo mutentur humores, ut uniuersum corpus aurigínosum euadat. Quanquam fieri etiam potest, ut iecinoris secundum naturam temperie mutata, humores huiusmodi uitio afficiantur, & quidem citra obstructionem, aut inflammationem, aut scir-

rhum. Quinetiam manifeste quandoq; uidemus, A uniuersum corpus herbis candēti pallore infectis similari, interdum plumbeum, aut etiam magis fuscum referre colorem, interdum etiam alias quasdam ineffabiles colorum proprietates, quę iecinore male affecto, citra tumores præter naturam, accidere solēt. Sic ob splenis quoq; uitia, huiusmodi colores eueniunt, sed multo nigriores quàm ab hepate. Quos ut clara interpretatione enarrare difficillimum, ita cognoscere facilimum, ijs præsertim qui illos sæpenumero conspexerint. Etenim Stesianus cum medicorum iudicium subijsset, nescio quo pacto eorum non pauci, abscessum in ipsius hepate cōsistere crediderint. Sed posteaquam longo temporis spatio, nihil se in melius proficere sentiret, me quoq; uocauit. Igitur simul atq; domum, B ubi iacebat, fuissem ingressus, aspiciens eum, hoc inquam scias uelim, nullum tibi esse in uiscere uitium, sed quid aliud te molestet, nudatis præcordijs declarare conabor. Inueni ergo in profundis musculis abscessum, contracto iam pure, in medio spatio eorum musculorū, qui per transuersum incedunt, atq; illorum qui obliq; ab infernis sursum tendunt, qui (ut nouistis) medij sunt inter eos qui transuersi peritonæo incumbūt, & eos qui sub externa cute obliqui deorsum feruntur. Sic etiā alios complures scitis me notasse, per colorē declarando modo iecur, modo splenem esse affectum, nulla audita præteritorum accidentium narratione, neq; etiam per tactum inuestigato uiscerum affectu. Proinde sæpenumero audiuistis me male im- C precantem ijs, qui medicæ quidem professionis (quod ad spectatiuā pertinet) principes se esse iactabant, nullius uero ægri uolebant aggredi curationem. De quorum numero plurimi fuerūt tum empirici, tum methodici, quibus siquis dixerit, fieri posse, ut solo perspecto colore, affecta sedes interdum cognoscatur, illi aperto ore, atq; rabidi canis exemplo, exerta lingua, impudēter ei resistūt. Verum præsens sermo haudquaquam ad illos dirigitur. Itaq; ad aliud accidentium genus quod sola iecinoris imbecillitate, quæ per se ac sine inflammatione euenire solet, continet, nunc trāseamus: quemadmodum & de ipsius inflammatione, quæ citra proprię facultatis suę imbecillitatem accidit, seorsum iam diximus. Cæterum postquam sangui- D nis generationē, hepatis munus esse intelligimus, si causa aliqua fuerit, quæ hunc generare possit, eā hepatis propriam facultatem esse dicemus. Propriam autem diximus, propter eas quæ omnibus corporis nostri partibus cōmunes esse dinoscuntur, quas in libro De naturalibus facultatibus iam percurrimus, attractricem dico, & retentricem, & expultricem. Nanq; quarta generatim quidem alteratrix, speciatim uero sanguifica uocatur. Porrò omnium facultatū essentiam, in peculiaribus partium temperātijs consistere didicistis. proinde cū iecur ad aliquam octo intemperantiarum labitur, accidet uiribus ipsius noxa, quæ illi intemperātiæ peculiaris existit. Sed de ijs generalem scripsimus sermonem in tertio libro De accidentium causis, proprius aūt cuiusq; secundū speciem partis communi ad portionem respondet. Igitur calidæ iecoris intemperantiæ, tum prius contentos in ipso humores, tum eos qui per mesenterij uenas deferuntur, & assant & adurunt: frigidæ autem, contentos iam in ipso humores, crassos, atq; ad fluxum et motum contumaces reddunt. id uero quod ad ipsum fertur, & pituitosum, & crudum, & semicoctū efficiunt. Sic de reliquis quoq; duabus dicendum est. Arida quidē intemperantia sicciores crassioresq;: humida uero magis tenues aquosioresq; reddit humores. Igitur cum alui egestiones aquæ in qua nuper mactata caro abluta est, similes esse uideritis, efficacissimū inde affecti iecinoris signum elicere nequaq; dubitetis. Ac nominantur hepaticæ præcipue hæ affectiones, quæ ob imbecillitatē ipsius fiunt. quippe ad iecoris essentiā pertinēt huiusmodi affectus. Atqui didicistis cuiusq; primorum corporum essentiā ex quatuor qualitatū cōstare temperamento. Sic etiā cum fæci sanguinis similia per aluum excrementa deijciuntur, iecur affectū esse conijciendū est. Vt enim tenue & serosum excrementum, infirmi iecinoris sanguinem creare non potētis, ita id quod fęci similatur, superassantis sanguinem hepatis indicium est. Neq; enim à memoria uestra decidit; cum sæpe uideritis quosdam, in primis quidē serosos sanguinis humores, dein tractu temporis crassum ac melancholicum sanguinem, postremo atram quoq; bilem, & quidem synceram, deijcere. Accidit autem interdū, ut hic affectus qui fit ob frigidam intemperiē, citra febrim incipiat, quando tenuis ac serosus sanguinis humor excernitur. deinde tractu temporis, corrupto in uiscere sanguine, febris superuenire solet. quæ tamē ab imperitis usq; adeo negligitur, ut laborantē interdum nequaquā febricitare putēt, quippe hunc affectum ob inediam accidisse existimant. Siquidē q; nulla sit ipsis cibi cupiditas potius q̃ ob medicorum institutum, laborātes à cibo abstinere inuenerūt. Itaq; cum interim nihil excernatur, uideaturq; laborans omnino liber à febre, balneis eū exponunt, ac debitam uictus rationem præscribere negligūt. Quo circa rursus corruptos cibos aluus deijcit, quos deinde hepaticorū excrementorum nonnihil sequitur. At nonnulli qui ob frigidam intemperiem laborare inceperūt, non solū non perdunt cibi cupiditatem, uerumetiam interdū multo magis, q̃ antea, se appetere aiunt. Calidas uero intemperies nunquā comitatur ciborū appetētia, sed inedia grauis, sitis uehemēs, febris insignis, uitiosorum humorū uomitus. Hæc sunt propria hepaticorum accidentia. sic enim nominari iam dixi eos, quibus uisceris ipsius uires fuerint imbecilles. Qua in re uulgus medicorū errans, hunc affectum putat esse dysenteriam. Inflāmationem autem alia (ut dictum est) sequuntur accidentia. Cum itaque ambo interdum affectus conueniant, utriusq; accidentia simul apparere solent. quę in promptu medicum habere oportet. Sic enim non solum laudabunt nos, sed admirabuntur etiam, ij qui opera nostra indiguerint, præsertim si accidētia quoq;, quæ

alijs

alijs morbis communia ſunt, inſuper proſpexeri- A
mus. ueluti ꝙ dolor ad nothas coſtas peruenit, ꝙ
iugulus detrahi uidetur, quòd ſpiratio parua red-
ditur & frequens. Equidem cum primũ Romam
ueniſſem, magnifice admiratus eſt me Glauco phi
loſophus, ob huiuſcemodi quandam dinotionẽ.
Etenim per uiam occurrẽs, opportune inquit, ad-
ueniſti, iungensq; dextrã dextræ, proximi ſumus,
inquit, laboranti, quẽ nuper uidi, itaq; oro, ut unà
mecum ad ipſum uenias: eſt autem Siculus medi-
cus, quem non ita pridem mecum ambulantẽ ui-
diſti. Ego uero, quid inquã moleſtat ipſum? Tum
ille & copioſe admodũ, & aperte id declarare ag-
greſſus eſt. Neq; enim adeo erat uafer, ut aliquid
me celare poſſet. Quoniã heri, inquit, & Gorgias
& Apelas mihi nunciauerũt, notiones, prȩſagiaq; B
edidiſſe te, quæ ad diuinationem potius, quàm ad
medicinam pertinere uidebãtur: cupio equidem
periculum facere, non adeo ut tuam experiar do-
ctrinam, quàm ut ſciam, num tanta ſit in arte me-
dica, tum cognoſcendi, tum præſagiendi facultas.
Interim cum hæc diceret, uenimus ad laborantis
oſtium, ut neq; uerbo, eius prouocationi reſpon-
dere, neq; etiã ea quæ ſæpenumero me dicere au-
diuiſtis, effari poſſem: quod ſcilicet multa interdũ
nobis feliciter facileq; apparent, interdũ uero om
nia ſunt ambigua. atq; idcirco & alterã, & tertiam
quoq; conſiderationem expectamus. Itaq; in pri-
mo ſtatim aditu obuiam nobis uenit quidam, pel-
uim à cubiculo efferens, continentem tenuem ſe-
roſi ſanguinis humorẽ, carniũ nuper mactatarum C
ablutioni haud abſimilẽ, euidentiſsimũ affecti ie-
cinoris indiciũ. quam uelut omnino nõ uidiſſem,
unà cum Glaucone ad medicũ ingreſſus ſum. Ap-
prehẽdi itaq; manũ in carpo (id eſt brachiali) quo
intelligerẽ utrũ inflãmatio, an ſola imbecillitas eſ-
ſet in uiſcere. Quia uero (ut diximus) medicus e-
rat, nuper inquit, à deiectione decubui, itaq; per-
pende arterias ob id quod ſurrexerã, crebrius pul-
ſare. Hæc cum dixiſſet, inueni equidem inflamma-
tionis indiciũ. Proſpiciẽſq; ad feneſtrã hyſſopũ ex
aqua mulſa decoctũ, in olla conſpexi. proinde co-
gitaui, medicũ ſe pleuriticũ eſſe putare, dolore ui-
delicet nothas coſtas infeſtante, qualis iecinoris
quoq; inflãmationibus aliquando accidere cõſue-
uit. Hunc itaq; cum ſentiret, eſſetq; ſpiratio & par D
ua & crebra, atq; exigua tuſsi infeſtaretur, pleuriti-
cum ſe eſſe exiſtimabat. quamobrẽ hyſſopũ quo-
que ex aqua mulſa præparauerat. Intelligens itaq;
ego, quod fortuna uiam mihi præberet, qua apud
Glauconẽ clarum nomẽ adipiſci poſſem, manum
eius ad nothas in dextro laborantis latere coſtas
detuli, indicatoq; loco, dixi eum ibi dolere. Quod
cum ipſe fateretur, Glauco ex ſolo arteriarũ pulſu
exiſtimans me ſedem affectã inueniſſe, planè ad-
mirari me cœpit. Verũ ut uehementius ſtuperet,
hæc quoq; addidi. Quemadmodũ hoc in loco do
lere te confeſſus es, ita uelim fatearis, etiã tuſsien-
di cupiditate uexari te. etenim ex longis interual-
lis, tuſsis exigua, arida, & qua nihil expuis, mole-
ſtare te ſolet. atq; ita me dicente, incepit forte for-
tuna huiuſmodi quadam tuſsis ſpecie (qualẽ iam
diximus) tuſsire. qua de re tãta admiratione Glau
co cõmotus eſt, ut continere ſeſe non ualens, mag
na uoce exclamando, in laudes meas prorumpe-
ret. Tum ego non putetis, inquam, ſola hæc ex ar-
te poſſe præſagiri. Sunt enim alia quoq;, quę nunc
dicere aggredior, quibus & laborans ipſe teſtimo
nium feret. Itaq; rurſus incipiens, dixi. Cum mag-
nam trahis ſpirationem, dolor ea parte, quam no-
taui, uehementius te cruciat, ſentiſq; in dextra prę
cordiorum parte grauitatem. His auditis ne infir-
mus quidem ſeſe potuit cõtinere, quo minus præ
uehementi admiratione, unà cum Glaucone ex-
clamaret. Itaq; ſentiens equidem arridentem mihi
fortunã, de iugulo quoq;, quod uidelicet ad infe-
riora trahi uideretur, aliquid efferre uolebam. At
quia magnas inflãmationes, quemadmodum &
ſcirrhũ, id comitari ſolet, dicere non ſum auſus, ue
ritus ne laudem quam antea de me excitaueram,
ſauciarẽ. Verũ cum animũ induxiſſem me tutò ali
quid eloqui poſſe, aſpiciens laborantem, haud ita
multo poſt (inquã) iugulũ ad infernas partes de-
trahi ſenties, niſi fortaſſe id iam antea tibi euene-
rit. At cum hoc quoq; fateret̃, conuerſis equidem
oculis ad ægrotantem mirifice attonitum, unà, in-
quam, addenda eſt prædictis diuinatio. Etenim di
cam, quam de morbo ſuo laborãs ipſe habuerit ſu
ſpicionẽ. Tum Glauco, ne de hac quidem diuina-
tione deſperare ſe aiebat. Laborans autem incre-
dibili hac pollicitatione in ſtuporem adductus, &
acriter me intuens, quid eſſem dicturus, attenta
mente expectabat. Igitur dicente me, quòd infe-
ſtantem morbũ pleuritidẽ eſſe putaſſet, ille ingen
ti cum admiratione, huius quoq; rei ſe teſtem ex-
hibuit. id quod etiam affirmabat ex aſtantibus u-
nus, qui paulo ante latus eius ex oleo fouerat. At-
que ex eo tempore Glauco, tum de me, tum de u-
niuerſa arte, quamoptimã concepit opinionem,
cum antea nihil magni ab arte expectaret, utpote
qui nunq; cum conſummatis in arte uiris uerſari
conſueuiſſet. Hæc ideo dicere uolui, ut intelliga-
tis, quæ accidentia cuilibet morbo propria ſint, &
quę alijs quoq; morbis cõmunia, ac pręterea quæ
ab utrolibet genere ſunt inſeparabilia. Item quæ
magna ex parte, & quæ raro ac ambigue uideri ſo
lent, ut ſi aliquãdo fortuna huiuſmodi uobis occa
ſionẽ, qualẽ mihi fuiſſe oblatã iam dixi, præbeat,
ea cõmode uti ſciatis. Sæpe enim fortuna non cõ-
temnendã adipiſcẽdæ laudis anſam ſuggerit, ea ta
men uulgus medicorũ ob imperitiam uti neſcit.
Quanq; doctiſsimus quiſq;, cũ accidẽtiũ aliquod
huiuſmodi conſpexerit, haud difficulter reliqua
quoq; inueniet. quorũ alia quidem neceſſario, alia
uero magna ex parte & locũ affectũ, & morbũ ip
ſum ſequuntur. Verum meminiſſe debetis gene-
ralium præceptorũ, quæ & uniuerſalia appellant̃,
& quæ multorum ſpecialium cõmunia ſunt, ut ea
in particularibus proinde diſcernere diſcatis. Eſt
igitur cõmunis ſermo, quẽ referre propoſui, de na
turalibus facultatibus, quas in qualibet parte ge-
neratim quatuor eſſe didiciſtis: Primã uoco attra-

ctricem, quę peculiares parti succos, alendi ipsam gratia, & appetere, & attrahere potest. Altera deinde est, quæ alteratrix dicitur, qua succus attractus, similis euadit parti quæ alitur. Huic aliæ duæ ministrant. Retentrix, quæ suo munere fungitur quando pars attractũ succũ coquit, donec in suam ipsius naturã eum mutauerit. Et expultrix, quando à coctione, quod inutile est, excernit. idq; excrementũ uocat. Has itaq; facultates in qualibet affecta parte, utrũ ualidæ sint, an infirmæ cõsideretis hortor, ut in hepate, quoniã de hoc dicere instituimus, uis attrahẽdi si quomodolibet afficiatur, cibum in uentriculo iam in succũ transmutatũ relinquet, ut per aluum exacte concoctus, liquidus tamen, & haudquaq; exiccatus excernatur. Atq; hoc quod ipsa affecta sit signum uobis erit. Quicquid enim ab aliquo tanq; à causa procedit, id etiã illius signũ esse constat. Hunc affectũ nonnulli ad mesareum pertinere autumant, uocantq; sic laborantes Mesaraicos, eo q; uidẽt cibũ per uenas mesareo & mesenterio intextas, trãsmitti, ut solebat, non posse, eodẽ seducti errore, quo ij qui manus eorum, quos syncopa, uel cordis, uel stomachi uitio prostrauit, affectas esse arbitrãtur: utpote quæ haudquaq;, ut antea, munere suo fungantur. Quippe iecur, mesarei uenis ueluti manibus, quæ ex uẽtriculo ei cibũ afferant, utitur. Similiter etiã falluntur nonnulli, ubi crura resoluta sunt ob affectum aliquem, eam spinæ partẽ, quæ iuxta lumbos est, infestantẽ: quippe neglecta spina, cruribus remedia adhibent. Igitur si mesenteriũ uel inflãmatione, uel alio eiusmodi affectu laboret, hũc proprie ad ipsum referemus. si uero iecur ob imbecillitatẽ per uenas illius cibũ allicere nequeat, non mesenterio sed iecinori remedia sunt adaptanda. Quemadmodum ne resolutis quidem uel manibus, uel cruribus, ob affectũ qui in spina cõsistit. Verũ ubi uel inflãmatio, uel erysipelas mesenterium afficit, haud ita difficile est discernere, si alui excrementa diligenter consideres. Neq; enim solum qualia excerni diximus in iocinoris imbecillitate, cum ad sese cibũ trahere non potest, talia plane deijciunt, sed apparet etiam, ueluti ab inflammatione, sanies quædam admista. Nam ab omni parte inflammata, cui spissum crassumq; tegmen non incumbit, in primis quidem tenuis sanies defluit, quæ cõcocta deinde inflammatione, & crassior, & puri similior redditur. Cũ ergo nulla existente in iecore inflammatione, huiusmodi quippiam, cum excrementis succi speciem consecutis, deijcitur, in mesareo affectum esse censendum est. Igitur ut non potente ob imbecillitatẽ hepate succum à uentriculo attrahere, attrahendi facultas afficitur: ita cum retinere nequit, comprehendens continensq; facultas, infirma putanda est. Proinde in primis quidẽ cruorẽ saniosum excerni uidemus, postea uero crassum & fæculentum. Similiter aliæ quædam eueniunt excretiones, non quidem ob imbecillitatẽ, sed ob expultricis facultatis robur, ratione plenitudinis, & quidem sæpenumero integra etiam dum constante ualetudine. Sic plerũq; pars aliqua, cum af-

A fecta est, per hepar purgatur, uiribus ipsius iam factis robustioribus. quippe concoctis in ipsa uitiosis humoribus, sequitur secretio, sed ita sequitur, ut utiles humores retineantur, expellanť uero inutiles. Atq; sunt nonnulli qui huiusmodi uacuationes nominent cruentas dysenterias, quæ euenire solent quibusdam, uel mutilato aliquo membro, aut ubi quis in exercitatione educatus, ad ocium se conuerterit. Ac solet quoq; mulieribus retentis menstruis huiusmodi per sedẽ uacuatio fieri. Atq; interdum per uomitũ quoq; eandem ob causam. Verum his syncerus sanguis excernitur, similis ei, qui ab hostia interfecta profundi cõsueuit, modo inferne per aluum, modo per superiores etiã partes. At per erysipelata, & inflãmationes, accedente concoctione, uitiosus, cœnosus, & putris deijcitur. Atq; ut in hepaticis affectibus (quanq; raro) medicamentorũ auxilio, robustiore euadente iecinore, interdũ deijciuntur excrementa, tum colore, tum odore pessima, purgato ita uiscere: sic eodem modo urinæ quoq; deteriores reddunť. quibus imperiti medici nõnunq; decepti, grauis morbi periculum subesse arbitrantur. Etenim quibus sine ratiocinatione, rudis duntaxat experiẽtia suffragatur, de his quæ raro eueniunt experimẽta habere non possunt, ueluti eorum quæ sæpenumero accidunt facile meminerũt. Quod autẽ protracto per longum spatium morbo, apparẽtibusq; notis concoctionis, huiusmodi fiant euacuationes, non semel duntaxat, imò creberrime ex enarrationibus, quas in Hippocratis opera edidimus, didicistis. Igitur quemadmodũ retentrix facultas cũ imbecillior est, ac rem quæ ipsam grauat, retinere nõ ualet, uis expultrix id quod molestat euacuat: ita infirma expultrice, res quædã retineri solẽt, facultate retentrice non admodũ grauata. Nam in quolibet instrumento, aliàs alia facultas, uel fortior fit, uel imbecillior, facta uidelicet ad actionẽ relatione, si modo uniuscuiusq; facultatis rationẽ intellexerimus. Nam reuera tota semper particula, secundum temperamenti quod ei frequẽtius inest, agit proprietatẽ. Verũ aliquando rem grauantẽ sustinet, ac longo tẽporis tractu eam uincit, cõficit, alterat, & cõcoquit, rursus alio tẽpore rei infestantis uel qualitatẽ, uel multitudinẽ ferre non ualens, ad ipsius excretionẽ insurgit. Quemadmodũ rursus ubi interdum magna afficitur molestia, ipsam rem molestantẽ deijcere cupiens, uiribus grauissime prostratis, ob imbecillitatẽ id efficere non potest. Igitur hæc omnia in quouis naturali instrumento perpendere, atq; mentẽ in ipsis dinoscendis exercere debetis. Sic enim inuenietis partium quarundam affectus, antea haudquaq; indagatos, ueluti nec folliculi quidem fel cõtinentis. Si enim (ut ostẽdimus) biliosum humorẽ ad se trahit, quemadmodum renes id quod est ueluti sanguinis serum, aut splen, id quod uini fæcibus, aut amurcæ similatur: accidit interdum, ut ob huius folliculi imbecillitatẽ impurus fiat sanguis, atq; idcirco alia eueniat regij morbi species, præter eas tres quas iam supra proposuimus. Ac nõnunq; ita repleť etiam

B

C

D

quem-

(quemadmodum uesica quæ urinæ est conceptaculum) ut euacuari nō poſsit, aut quia obſtructus eſt, aut quia ſecretoria ipſius facultas eſt imbecillior. Veluti etiam, cum obſtructis, aut infirmis uaſis, quæ ab ipſo exorta, ora ſua in hepar extēdunt, biliosum humorē interdum attrahere non poteſt. Proinde excrementorū proprietatē in morbo regio cōſiderare, perquā neceſſariū eſt. id enim non mediocre nobis ad huiuſmodi notitias auxilium ſuppeditabit. Hęc equidē cōſiderans inueni quorundam regio morbo affectorū excremēta, flaua bile uehementer colorata, ſimiliter etiā & urinas, itē per cutē quoq; ut nonnullis plurimū flauæ bilis à balneo profundi, ita alijs plurimū ipſius retineri, ac perquā exiguū effundi cōperimus. Hanc rem ſi accuratiori experimento intelligere uolueritis, nulla prius adhibita unctione, homini ſudorem ſtrigili auferri iubete. uidebitis profecto non eundē in omnibus, in ſtrigilis cauitate colligi, ſed in quibuſdam aquoſiorē in aliquibus biliosiorē. Itaque loci affecti notitia uobis multo erit dilucidior, ſi cum prædictis hanc quoq; notam adijciatis. Quidam enim acuta bilioſaq; febre laborans, die ſeptimo multa flaua bile ad cutem tranſmiſſa, à morbo liberatus eſt, manſitq; ſequentibus deinde diebus auriginoſus. Itaq; & excrementa, & urinas conſiderauimus. utriſq; uero ſecundum naturam ſe habentibus, atq; ob eam cauſam nullum uiſceris affectum declarantibus, uenit in mentē, fieri poſſe, quòd translata in cutē bilis craſsior eſſet. qua ratione permotus, diſcere uolui qualis nam eſſet ſudor, illo autem apparente aquoſo, conieci bilem eſſe, diſsipari contumacem: præcepi itaq; laboranti, ut aqua ſuapte natura calida, & cui diſcu-

A tiendi uis eſſet, uteretur, ac præterea uictum adhiberet humidiorem, qui humorum craſsitudinem moderate poſſet extenuare. Hic autem bonam ualetudinem cōſecutus eſt, unico auxilio, & notitia confirmata, et curatione abſoluta. Quinetiā alium multam in ſtrigili bilem colligere uidimus, unde eam plurimam in uniuerſo corpore procreari perpendentes, ipſum adhibita idonea curatione ſanauimus. Quibus uero citra febrim morbus regius accidit, urgente in dextra præcordiorū parte grauitatis cuiuſdā ſenſu, ijs omnibus aperiens (ut ſcitis) obſtructiones & cibis, & potibus, & medicamentis extenuātibus, deinde medicamentū quod bilem ducere poſſet exhibens, eorū plurimos una

B die ſanitati reſtituimus. Qui uero purgatione liberari non potuerūt, ijs rurſus ualentiore ad aperiendum data potione, medicamentū quod uehementius purgaret exhibui. ac deinde ſub fine purgationis cœrulea potius quàm flaua bilis, cum acri mordacitate ſecernebatur. In ijs igitur cōieci fellis folliculum ſimili quopiam affectu laborare, qualis in uesica exuberante urina interdum fieri ſolet: etenim adeo multā nonnunq; recipit, ut nimis intenta nequeat eam, quæ in ipſa continetur, expellere. Verū in urinæ receptaculo (neq; enim abſurdum fuerit ueſicam ita nominare) bifariā id fieri ſolet. Interdū ob excretoriæ facultatis imbecillitatē. Interdum uel ob grauē ſomnū, uel negocia quæpiā, retenta ultra q̄ par eſt urina, quæ deinde ueſicā ni-

C mis intendens, hac ipſa ratione uires eius proſternere poteſt. At fellis folliculus, utpote cui nullum ſuccurrit ab animali facultate præſidiū, unicū habet imbecillitatis principium, ueluti cętera quoq; naturalia inſtrumenta, à partis intemperie ortum.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SEXTI.

GALENI DE AFFECTORVM LOCORVM NOTITIA, LIBER SEXTVS.



EX IIS quæ de iecinore diximus, facile inuenientur notæ, quibus lienis affectus diſcernantur: præſertim cum ipſius inflammationes ob duritiem facile tangendo deprehendantur. Cum itaq; ſplen multa habeat accidentia cum hepate cōmunia, illa nulla re differre uidetur, niſi q̄ quædā magis, quædā uero minus, alterutri euenire ſolēt. Nam quod ad coloris rationē pertinet, uniuerſum corpus, ubi ſplē imbecillitate affectus eſt, magis nigricare uidetur. Nā hoc ei natura officiū dedit, ut melancholicū ſanguinē ex hepate ad ſeſe attrahat, quo ipſum ali iam demonſtratum eſt. igitur attrahendi facultate facta imbecilliore, ſanguis ex iecore in uniuerſum corpus impurus trāſmittitur, quocirca color nigrior euadit. Quinetiā hepatis exemplo, ſæpenumero excrementa quæ-

D dā ex ſe reijcit, ita ut uomitione, cui nauſea quoq; accedit, melancholicū ſanguinē excernat. qui interdum per inferiora quoq; decedere uidetur. At huiuſmodi uacuatione ſuppreſſa, nonnulli mœſtitia melancholica uexantur, atq; cibos auidiſsime cōcupiſcunt, idq; præcipue ſi ualde fuerint acida, quæ ad uentriculū transferunt excremēta. Quòd ſi alia accidat humoris melancholici corruptio, euerti deijciq; appetentiā uideas. Quòd uero indurato ipſo, aqua inter cutē effundi poſsit, cōſentiente iecinore, iam antea dictū eſt. Quinetiā laborāte aliquādo utroq; uiſcere, regiū morbū euenire cōſpeximus, nigriore, quàm pro conſuetudine, ſubſequente colore, ita ut putaretur flaua bilis fuligini eſſe permiſta. atq; medici quidā iecur nullo affectu tū laborare exiſtimātes, dubitāt quomodo à ſplene morbus regius naſci poſsit. Quemadmodū dubitāt & qui à ſolo liene indurato, nullo exiſtēte in iecinore uitio, aquā inter cutē fieri poſſe arbitrantur

trantur. Haud secus dubitare consueuerunt, in ea A quoq; aquæ inter cutẽ specie, quæ ad acutos morbos sequitur. quippe ab ijs iecur, calida & sæpenumero sicca quoq; intemperie tam grauiter afficitur, ut cibum in sanguinem transmutare nequeat. Atq; ne in ijs quidẽ iecur affici existimant, ab Erasistrato accepta consuetudine, ut nullam partem affici arbitrentur, nisi uel tumor quispiã, uel ulcus in ipsa consistat. Verum id illis cõcedendum est, qui existiment nullũ ab intemperie morbum fieri. At medici qui sequuntur ea, quæ manifeste apparent, qui & refrigerata parte quapiam, accidentia quędam fieri suspicantur, admiratione digni sunt, quòd aquam inter cutem consistere posse putant, neutro horum uiscerũ affecto. Si enim ob id quòd nullus est in hepate tumor, ipsum haudquaquam B affectum esse existimant, neq; aliarũ partium ulla afficiet, in his qui aqua frigida uitiosa epota, mox aqua inter cutem corripiuntur: quippe noxam infert internis partibus aqua sic ingesta, aliàs alijs, sed præcipue & in primis, ei quæ forte fortuna eo tempore reliquis fuerit imbecillior. uerum nisi ad iecur frigus transmittatur, aqua inter cutem subsequi potest minime. Sic splenis quoque uitio aqua inter cutem nonnunquam euenire consueuit: aut cum tumor quispiã, ut scirrhus ipsum refrigerat, aut ubi citra tumorẽ refrigeratum est, ut cum quis aquam frigidam & uitiosam, affatim & importune potauerit. Quòd uero melancholica mœstitia, ipso huiusmodi excremẽta ad os uentriculi transmittente, proueniat, antea, ubi de ore uentriculi C tractauimus, iam dictum est. Quamobrem in hoc uiscere diutius nobis immorandum non est, cum eius instrumentales affectus rationali dinotione non indigeant. qui uero ab intẽperie proficiscuntur, partim ex ijs quæ iam diximus, partim ex ea doctrina quam supra de iecinore proposuimus, noti sint. Nam alij quidem nominatim sunt explicati, alij uero qui similiter ut illi cõsistunt, similem quoq; habebunt dinotionem.

11 Cum de uẽtriculi affectibus, superiore libro loqueremur, in duas maximas ipsum partes secari diximus, quarum altera quæ superior est gulæ cõtinua est, ex multis neruis sensificis contexta. Altera uero huic continua, ad intestinorum usq; exortum extenditur. Porrò sicut utraq; in animalibus D proprio munere fungitur, ac pro utilitatis differentia diuersa eis eueniunt accidentia: ad eundem modum quicunq; affectus cõmuniter tum similaribus, tum instrumentalibus partibus aduenire solent, ij etiam ijs, tum inter se tum etiã cum uniuersis intestinis, cõmunes esse censentur. Verum accidentium similitudo, non solum in ijs inter se, sed etiã in uicinis quoq; partibus, quæ ipsa attingunt, inuenitur: qualis est renum & coli cõmunicatio: atq; horum nonnulla sedem affectum habent cognitu facilẽ, ut dysenteria, & tinesmus. Sanè in præsentia nomen dysenteriæ proprie audire oportet, utpote quòd ex appellatione ipsa, intestinorũ ulcus significat. Neq; enim affatim fit huiusmodi affectus, id quod in eo quem hepatis uitio accidere diximus, fieri solet: atq; proprias etiam habet notas. Etenim protinus ab ipsius initio bilis mordax secernitur, quam deinde interaneorũ abrasiones sequuntur, postea paulum cruoris simul excerni uidetur, quando uidelicet affectus ipse iam dysenteria esse censetur. Cum itaq; huiusmodi abrasiones solæ excernuntur, considerandũ est, num pingue quippiam simul cum ipsis deijciatur: ita enim in crassis intestinis ulcus consistere credendũ est. Vbi uero cruorem quoq; excerni uideris, intueri oportet, utrum is reliquis excrementis ita sit admistus, ut uniuersus misceatur uniuersis, an pars eius aliqua reliquis supernatet: etenim si admistus est, in superioribus: si uero supernatat, in humilioribus intestinis ulcus esse portendit. Acidem quoque in ramentosis excrementis uidere est, uerum non ita manifeste ut in cruore. Similis etiã de crustulis ratio est. nam & ipsa, utra intestina sint læsa, declarant, tum ex essentia propria, tum ex modo, quo uel commisceri reliquis excrementis, uel uni eorum parti supernatare uidentur. Cæterum non mediocriter conducit ad curationem nosse in qua intestinorum parte consistat ulcus. Nam si in superioribus intestinis est, ab epotis medicamẽtis præsidium petendum est: si uero in humilioribus, clysterem subijcere magis cõuenit. At huiusmodi dysenteriæ, ab his quę ab hepate profluunt, ita discernunt. Nam ab initio tenuis sanies siue serosus humor sanguinis ab hepate deijcitur, deinde aucto malo, crassus humor fæcibus uini haud absimilis. Prætereaq; in hepaticis excretionibus nihil abrasum expellitur, atq; interdum duorum, aut trium dierum interuallo supprimitur euacuatio. deinde rursus redit malum, atq; excernuntur excrementa, prioribus multo peiora. id uero per intestinorũ ulcera haudquaq; apparet. quippe in ijs neq; affatim, neq; ex longis temporũ interuallis, laborantes deijcere consueuerunt. Atq; ulcera quæ in recto intestino oriuntur (tinesmum uocant) uehementer quidem tensione & prompta deijciendi cupiditate infestant, paucis admodũ sequentibus excrementis, quæ quidẽ ab initio pituitosa & pinguia, progressu uero temporis etiam ramenti specie deijciuntur, sed per totum morbi spatium ijs, quæ à supernis descendunt, haudquaquam misceri uidentur. Scribunt nonnulli quòd à forti excernendi conatu, præcedente dolore uehementi, aliqui lapides callosos deiecerũt ijs, qui in uesica nascunt, haud absimiles, id quod neq; ego uidi, neq; alium qui uiderit unquam, audiui. Sed coli uehementem dolorem sępenumero conspexi, medicis illum non ad colum, sed ad renes pertinere putantibus, ueluti renum quoq; cruciatus, ad colum referre uident. Sunt qui omnino negent, in sinistris partibus, colicam affectionem euenire posse. Igitur ab initio, horum affectuum distinctio difficilis est, quo tempore neq; ita magnam præsidiorũ differentiã ipsi requirunt. Itaq; accidentia exuperantia, etiam tunc diligenter intueri oportet. Nam & nausea, & uomitus urgent, multo grauiores, et magis assidui, dolente colo. Euomuntq; ita laborantes

tes pituitosa quædam atque corrupta, hac in re nephriticos longe superantes, ac retinent etiam magis excrementa, ut ne flatũ quidem neque etiam ructum excernere possint. Sæpenumero etiam uelut circuire uidetur dolor, atque ampliorem locũ occupare, & diuersas quoque partes occupans, modo in hac, modo in illa parte uehementior fit, nephritici uero dolores, eodẽ in loco stabiles iugiter infestant. Cũ itaque dolor in loco fuerit renibus altiore, manifestum colicæ indicium portendit. Si uerò in imo loco, ubi scilicet renes ponunt, stabilis constiterit, nihil ad notitiam potest positus ipse cõferre: proinde cũ his notis, quas nuper percurrimus, urinæ quoque consideradæ sunt. Nam nephritici ab initio dilutas purasque reddũt urinas: deinde sequentibus diebus, crassum aliquid in ipsis subsidere uidetur: demum omnino arenosæ minguntur. At in colica, si quid ab aluo deijcitur, id flatuosum quodammodo est, & sæpenumero aquæ superna tare consueuit, similẽ habens bubulo stercori consistentiam. Quinetiam colicorum cruciatus multo magis quàm nephriticorum, lenientibus mitigantur clysteribus. Atque euenit interdum, ut frigido aliquo humore simul eiecto, illico quiescant, eritque mitigans præsidium, non mitigans tantum, sed etiam curatiuũ & ad cognitionẽ faciens. Porrò ut hi frigidum humorẽ aluo excernente, ita nephritici cum urina lapide exeunte, & à dolore liberantur, & simul locum affectum ostẽdunt. Itaque nihil relinquitur, nisi ut prouideat̃, ne postea tam facile affici possint. Nam ut perseuerante dolore, utraque pars eisdem indiget præsidijs, ita tempore subsequẽte oportet diuersa auxilia adhibere. Quapropter nullum, quod ad curationis rationem pertinet, committetis errorem, si in prima protinus horum morborum accessione, eos difficulter discernatis, eo quod tum neque extrinsecus, neque intrinsecus, differentibus egent auxilijs, quòd satis sit, ea quæ dolorẽ lenire possint, adhibere. Cum autem omnia intestina ordine quodam à uentriculo descendant, atque omnium supremũ ieiunum sit, dein de quod tenue uocatur, postea cæcum, quod usque ad infernas partes extẽditur, deinde colum, quod ad superiores reuertitur partes, donec sæpenumero & lienẽ, & iecur attingat: satis mirari non possum, quomodo nõ solum medici ferè omnes, sed etiam populares, uehementissimos quosque dolores, in quacunque parte euenerint, ad colũ referant. Id quod mihi quoque uerisimile uisum est, atque hoc quũ causam quæsiuissem, cur tam uehemẽs, tamque perseuerans esset dolor, non simpliciter huic assertioni fide habita. Neque eñ similiter, ut in renibus, atque ureteribus impacto lapide, ingentes dolores in transitu excitantur, sic & in tenuibus intestinis, rationi consentaneum esse censebis, frigidos spiritus retentos, atque similes ijs humores, dolorem in ipsis efficere. Nam tenuium intestinorum tunicæ rara tenuique essentia cõstant, ut non ita diu huiusmodi causas cõtinere possint. Ergo probabile est, frigidum, eundemque crassum, aut uiscosum humorem, aut flatuosum spiritũ, in corpore crasso, den-

A sosque genitum, sed egredi nequeuntẽ, dolorẽ excitare, uehementẽ quidem, geminã ob causam, intemperantiam, & corporũ, quibus cõtinetur, tentionẽ: longũ uero, quia difficulter uacuatur. Nam corpora ambiẽtia, tum ob crassitudinẽ ipsius, tum spissitudinẽ suã, ipsum arcere possunt. Atque interdum alij quoque dolores, & quidem uehementissimi in sublimioribus intestinorum partibus eueniunt, grauiter uomitionibus cruciãtes, adeo ut nõnulli sub fine, stercus quoque euomere conspiciantur, à quo affectu uix unque aliquis potuit sanus euadere. hunc ileon (id est uoluulũ) uocant, nonnulli etiam chordapson, cum scilicet tumor aliquis eminet, in tenuium intestinorũ parte, ut uideatur intestinum ad chordæ similitudinem conuolutũ. Itaque
B non ab re uisum est medicis antiquioribus, uel ab inflammatione, uel obstructione aridi stercoris, huiusmodi tenuium intestinorum affectus oriri. Sunt alia quoque accidentia, quæ quidem haud absurde, & intestinis & uentriculo simul affectis euenire creduntur, ut sunt affectiones quas lienterias (id est leuitates intestinorum) & cœliacas (id est uentrales) nominant: cum uidelicet materiæ nequaque sunt mordaces. Nam ut mordaces, ob mordendi uim omnia intestina ad excretionem excitant: ita non mordaces intestinorum imbecillitatem sequi consueuerũt, quia retinere contenta, ne exiguo quidem tempore possunt. Siquidem illico excernũt ea, perinde, ac si graue aliquod onus deponerẽt. Haud secus quàm in stillicidio urinę con
C tingit. Nam & in hac, modo ob acrimoniã, & uellicationem, uesica iugiter, quicquid ad eam peruenit, secernit, modo ob id quod molẽ ipsius uel exiguam sustinere nequit. Cæterum à quibus causis intestinorum leuitas proueniat, alibi particulatim ostẽdimus, præter ea quæ in libris De curandi uia & ratione, De naturalibus facultatibus, & De accidentium causis iam dixeramus. Etenim hunc librum non incepimus, ut causas, quæ morbos efficiunt, sed ut affectorum locorum, qui & tactus & uisus iudicium effugiunt, notas perstringeremus. At quia ad exactam horum notitiam, etiam de ipsis affectionibus interdum aliquid dicere coactus sum, idcirco de causis quoque, quæ ipsas efficiunt, mentionem facere non sum grauatus. Itaque sermo
D ni de intestinorum affectibus finem imponamus. Sunt enim in ipsis affectus quidam cognitu faciles, qui & ipsi cum prędictis cõmunes habent notas. Nam abscessuum, inflammationũ, scirrhorũ, inflationum, erysipelatum indicia, omnibus cognita cum in uentriculi locis apparẽt, & affectus ipsius, atque simul affectæ sedis notitiam ostendunt. Sed de ijs iam antea satis dictum est.

III Igitur cum de repente nephritis inciderit, lapide notatu digno, uel in renum aliquo, uel in ureteribus impacto, dolorem excitat, colico haud absimilem. Verum distinguitur colicus, ex nauseæ, tum multitudine, tũ magnitudine. Suntque per uomitũ reiecta & biliosa, & pituitosa, quibus præassumpti quoque cibi aliquid admistũ uidet̃. sępenumero etiã ex loco, cũ superiores coli partes afficiũtur.

Atq; ex eo interdum, q non uni loco dolor inniti tur, sed reuoluitur, & ad plurimas extenditur partes, præterea q ne flatus quidem transmittit. Atq; omnia hæc colicis duntaxat euenire solẽt, sed alia quidem magis, alia uero minus. Cum uero ex his quæ in urinis resident, aut lapide cum urina excreto, plane discerni possunt, nullus relinquitur quæstioni locus. Sunt non pauci laborantium, qui dolorem modicum in profundo lumborum infestantem sentiunt, quamuis ab initio nondum sabulosum quippiam manifeste excernatur. Quibus (ut scitis) dato medicamento, quòd lapidẽ in renibus conterere posset, simul & affectũ ipsum, & sedem affectam cognouimus, atq; ipsum habuimus curationis principium. Cum enim à medicamẽti potione, in urinis sabulosa quædam subsidere conspicerem, nephriticũ affectũ esse cognoui. atq; deinceps eadem medicamenta exhibendo, reliquã simul perfeci curationẽ. Cumq; renem quempiã ita affectum esse cognoueris, si dolores cum horrore interpellato uarioq; infestare uideant, sequãturq; febres quædam inordinatæ, tum pronũ in uentrẽ decumbere, atq; interdum in alterum latus, ut sublimis sit affectæ partis positus, laborantẽ sese uertere iube, ac deinde interroga, num circa renẽ dolentem ueluti suspensi cuiusdam ponderis sensum percipiat. etenim cũ hæc ei acciderint, abscessum iam concretum conijcere oportet. quo concocto, pus mictum, ut laborantẽ à dolore liberat, ita ulceris in rene periculũ affert. proinde exacto studio laborandum est, ut inducatur cicatrice. quod nisi illico cõtigerit, difficiliorem reddet curationem. porrò perseuerantis ulceris notæ, ex urina haud obscure deprehẽduntur: adde quòd laborans creberrime in affecto rene dolorem sentit, atq; interdum cum urina exiguum pus ueluti ab ulcere excernitur. Similiter crusta ulceris nonnunquã cum urina expelli uidetur. Ac interim sanguis quoq;, qui erosi iam ulceris indicium est. Quanq; rupto aliquando uase, aut ob plenitudinem, aut casum, aut uehementẽ ictum, nonnulli magnam sanguinis copiam meiendo profuderunt. Id quod etiam aperto interdum uenæ alicuius ore, fieri cõtingit. Sed certissima ulceratorum renum cõiectura est, si cum urina exiguæ quædã carunculæ excernantur, utpote quas renũ essentiæ partes, easq; ob uehementem ulceris erosionem auulsas esse, cõstat. Ea uero quæ pilis similia sunt, Hippocrates quoque cum urinis excerni uidit, quemadmodum in Aphorismis scripsit, ac ipsi etiam uidimus aliquando, quæ palmi longitudinem æquarent, interdum etiam ijs longiora, nonnunquam ualde exigua, ut mirarer quomodo in renũ spatio talia possent consistere, proinde probabilius mihi uidebatur in uenis huiusmodi res procreari. Quemadmodum in quodã Arabiæ loco (ut aiunt) in tibijs hominum dracunculi uocati nascuntur, neruosa natura, colore crassitudineq; lumbricis similes. Igitur cũ multos audiuerim qui sese uidisse eos dicerẽt, ipse uero nunq; uiderim, idcirco neq; de ortu, neq; de essentia ipsorũ quicq; exacte conijcere possum. At

A ubi pilos meiendo excretos uidi, tum ex colore, tum ex mole, credidi dicentibus eos ex crassa, lentaq; materia, quã calor calfecit, exiccauitq;, in uenis consistere: quanq; longitudinis ipsorũ causam nõ intelligo. Verũ cum primũ eos uidissem, curationẽ à medicamentis quæ urinam ciere possent, tentaui, quam postea experiẽtia cõprobauit. Omnes uero quotquot huiusmodi affectu laborare consueuerunt, neq; ante ipsum, neq; rursus post ipsum nephritico aliquo accidẽte fuerũt molestati, medicamentis, quæ ciere urinam possunt, fuerunt curati. Verumetiã si alia quæpiam humorũ uitia à uenis per urinam expurgentur, quemadmodum si puris quoq; multa fiat per urinas excretio, nihil ab ijs uel renes, uel uesicam, uel ureteras, molestari cognouimus. Cæterũ in hac re non parum cum

B intestinis conuenire uidentur, quę in hepaticis affectionibus nihil læduntur, licet à bile syncera læduntur, ueluti uesica quoq;, ubi lõgo tẽpore acres per ipsam urinæ transeunt, ulceribus affici solet. Est etiã alius renũ affectus, quo tenuis sanies siue humor serosus sanguinis mingitur, similis excrementis quæ in hepaticorum affectuum initio excernuntur, nisi quòd magis uidetur cruenta: cuius rei causa est affectio haud absimilis ei qualem in iecore diximus imbecillitatẽ esse, insuperq; cum ora, aut meatus (utcunq; nominare uolueris) per quos ex concaua uena in renes urina percolatur, supra modum dilatantur. Atq; ad renes quoq; pertinere is uidetur affectus, quem alij hydropẽ matellæ, alij urinæ profluuium, alij diabetem, alij dip

C sacon appellant, qui certe quàm rarissime euenire solet. Equidem eum hactenus bis duntaxat uidere potui, supra modum uidelicet sitientibus infirmis, atq; subinde bibentibus. quapropter exuberanter quoq; reddunt id quod biberunt, eo à sua qualitate non mutato. Atq; hic renũ uesicæq; affectus, similis est uentriculi intestinorumq; læuitati. Sed de intestinorum læuitate alibi separatim iam dictum est, ubi ostendimus non uentriculum duntaxat, sed uniuersa quoq; intestina ad excretionẽ, tum ciborum, tum potuum assumptorum, celeriter excitari, quæ ne pauxillo quidem tempore, citra molestiam, ferre possint ipsorum aut pondus aut qualitatẽ. At quòd affatim, celeriterq; ad uesi-

D cam urina defertur, id neq; ad uentriculi, neq; ieiuni, neq; tenuium intestinorũ, imbecillitatem tanquam causam referendum est. Si enim ob id quod potum sustinere non possunt, ad excretionẽ properant, quid obstat quo minus per sedem excernatur? id quod in læuitatibus intestinorũ fieri plane uidetur. Neq; enim cibus duntaxat, tam celeriter, per tam longam intestinorum cõuolutionem transiens deijcitur, uerum etiam ea quæ epota fuere. Porrò transmissionem à totius uentriculi partibus ad hepar, non propter hepatis, aut uenarum in mesenterio, aut uentre, aut earum quæ ab hepate exortæ ad renes tendunt, imbecillitatem fieri didicimus. Quippe in libris De naturalibus facultatibus iam ostensum est, iecur ex uentriculo per mesenterij uenas, ueluti arbores à terra perradi-

ces, cibum ad sese allicere. sic etiam renes id quod aquosũm in sanguine est. Verum uesicam nõ trahere à renibus, quemadmodum neq; intestina à uẽtriculo, sed renes quidẽ per ureteras excernendo in uesicam mittere, uentriculum autem in ieiunum, per eum exortum quẽ Herophilus dodecadactylon uocat, à duodecim digitorum longitudine nomẽ ei imponẽs. Itaq; renum potius imbecillitas accusanda est, utpote qui cõtinere diutius urinam non ualẽt, non uerò aliarum partium, per quas potus transire solet. Sed rursus reprehẽdendo dicet quispiam, cum infirmi fuerint renes, quo modo fieri potest, ut tam celeriter urinam ad sese attrahant? an dicere possumus, quemadmodum in uẽtriculo quibusdam liẽtericis uehemẽtissima excitatur ciborum cupiditas, ita in renibus quoq; cupiditatem simul oriri, atq; hanc ob causam eos urinam per concauam uenam ad sese trahere, sed ilico ab attractionis impetu grauari? Etenim quẽadmodum in his qui canina uocata appetẽtia uexant, uidemus ut affatim impleti, paulo pòst aut euomant, aut fluore deijciant: id quod non solum ijs qui præter naturam se habẽt, accidere solet, uerum etiam animalibus quibusdam integra ualetudine degentibus: ut in auiculis quas nostrates in Asia seleucidas uocant, uidere est: quippe quæ iugiter locustas edunt, easq; celeriter excernũt. Ac in alijs quoq; animantibus huiusmodi accidẽs naturale uidetur. Vt igitur canina cupiditas in ore uentriculi consistens, non potẽte ipso deuoratorum põdus sustinere, multa impetuose ingerere, atq; ea celeriter excernere cogit: ita in renibus quoq; accidit serosæ humiditatis cupiditas, una cum uirium imbecillitate, unde & humiditatẽ affatim attrahere, ac eam deinde in uesicam impellere coguntur. Sed quæres fortasse, quam ob rem urinæ fluor subitò euenire potest, læuitas intestinorum non potest? ueluti neq; canina cupiditas, sed plurium dierum numero opus est. Nam affectus initium ab incremẽto, incremẽtum à uigore distinguitur. Quoniam uentriculi cupiditas, qua cibũ potumq; appetit, animale officium est, quo citra sensum nostrum nequaquam fungitur. Renum uerò desideriũ naturale est, neq; ab ipso sensus nostri afficiuntur. Proinde cum ad statum peruenit, ne sensum quidem mouet, quẽadmodum appetẽtia canina. Qua de re rationi cõsentaneum uidetur, ut cum inceperit, paulatim increscat. In primis enim trahit sanguinis serum ex uenis, uel nihil nobis sentientibus: quod cum totum attraxerit, uideaturq; sanguis in uenis, huiusmodi humiditate spoliatus, exiccata tum uasa humorẽ trahunt ex hepate, deinde hoc ex intestinis & uẽtriculo. Cum itaq; exiccatæ fuerint uenæ quæ in ore uẽtriculi sunt, potum desiderat homo, utpote affectionem ipsam tum primum sentiens, deinde exhibitam potionem uenæ ex hepate ad uẽtriculum uenientes, utpote aridæ, totam rapiunt, atq; ex his aliæ deinceps, donec ad renes perueniat transsumptio. Quippe in libris De naturalibus facultatibus dictum est, non solum potionẽ, uerum

A etiam cibum transsumptione per attractionẽ facta, per uniuersum corpus deferri. Igitur hic affectus, quod ad transitus celeritatẽ pertinet, persimilis est intestinorum læuitati. atq; etiam quòd renum affectio uẽtriculi affectioni eadẽ sit. Verum hoc uno inter se differunt, quòd quæ ante renes fit lationis actio in naturalibus numeretur, at tractoria facultate successione agente. atq; hac ratione inter sese nonnihil differũt. quamuis in una re similitudo inueniatur, quippe ex concaua uena ad renes attractio, primæ deglutitiõi eorũ quę ex ore in uẽtriculum deferuntur, haud absimilis est. At uerò actiones quæ hanc antecedunt, ad urinæ fluorem proprie pertinẽt. Non rectè autem putasse quosdam, diabetem ueluti caninam cupi- B ditatẽ ad uẽtriculum pertinere, hinc manifestum est. Nam qui præ nimia siti uẽtriculum impleuerunt, seruare potionẽ lõgo tempore possunt. Sed uehemẽti siti laborantes quatuor accidẽtium periculum à potione subire solẽt. Vnum & quidem primum uomitio est. Alterum uelox per aluũ excretio, aut fluore, aut intestinorum læuitate. Tertium, quòd potus diutius quàm par est, in uẽtriculo manet. Quartum idipsum, de quo nunc sermo est, siue id diabetẽ, siue dipsacon, siue urinæ fluorem nominare uolueris. Neq; enim ut idoneum ei nomẽ imponamus, sed ut curationis uiam, tum ex loco affecto, tum ex ipsa affectione inueniamus, scrutari animus est. Atq; alius interdum affectus occurrit diabeti perquam similis, & quidem à multis cibis, qui neq; erudi sunt, neq; per aluum C deijciuntur, neq; plenitudinem efficiunt, neq; etiam probè alere possunt, sed cito dissipantur discutiunturq;. Cuius ut crebrior est quàm dipsaci, euentus, ita faciliorem admittit curationẽ, quippe si prius quàm ad summum peruenerit, ipsum cognoueris, haud ita difficulter curabitur. Nam ubi quis duplum consuetorum alimentorum assumpserit, neq; corpus ali uideatur, idq; citra alui fluorem, hunc affectum nõ solum priuati, uerum etiam medici paruipendunt. Cum uerò triplum ingerit, idoneis auxilijs liberari potest, priusquã scilicet ad quadruplum, aut quintuplum perueniat. Igitur rationi consentaneum est, hunc affectum, à celeri dissipatione incipere, omnibus par- D tibus attractricem, atq; ei coniugatam facultatẽ, quæ propriè appetentia uocatur, seruantibus. At uerò ingentis sitis, quæ citra diabetẽ accidit, causa est uentriculus, aut calida, aut sicca, aut utraq; intemperie affectus, maximè uerò os ipsius. Proximè uentriculo hepar, sed maximè pars eius sima, simul inflammatis mesenterij partibus & ieiuno uentriculoq; ac stomacho, & pulmone. Atq; huius accidentis radix inde plerunq; proficiscit, quòd ab affectione erysipelatis naturam referente incenduntur. Quibus ut plurimum marcoris genus aliquod sequit, aliàs aliud, ueluti cum hãc tractaremus materiam, declaratũ est. Hæc itaque propter accidentium communicationem, simul cum renum affectibus dicta sunt. Porrò diabetes proprius renũ affectus est, qui caninæ in ore uen-

triculi cupiditati proportione reſpondet, accedente præterea retentricis facultatis imbecillitate. Nam ſi citra uehementem cupiditatem, ipſum fieri diceremus, nulla omnino inſignis urinæ copia ad renes perueniret. ſi uerò citra retentricis facultatis imbecillitatẽ, non tanta celeritate ſequeretur urinæ profluuium.

IIII. Veſicæ ſuperueniunt accidentia, partim cæteris communia, ueluti omnes ipſius pręter naturam tumores, dolores, atq; quæ hos facere poſſunt affectiones: partim ipſi ſoli propria, ut iſchuria (id eſt urinæ retentio) ſtranguria (id eſt urinæ ſtillicidium) atq; alio quoquo modo immoderata urinæ excretio. Verum huiuſmodi euacuationes (ut de renibus ſuprà dictum eſt) ueſica tanq̃ meatu utuntur, ipſa haudquaquam affecta. At uerò ſtillicidium, ſi ob urinę acrimoniam fit, accidẽs ueſicæ eſt, affectus uerò minimè. Si uerò aut ab ulcere, aut imbecillitate procedit, à ueſicæ affectu factum eſſe dicitur: quemadmodum ubi acrimonia in cauſa eſt, aliquando ob renum uitium, aliquando ob alias partes, quæ cum urinis, humorum ſuorum uitia, aut pus, ubi abſceſſus aliquem infeſtauerit, tranſmittere poſſunt. Euenit etiam interdum urinę ſtillicidium, humoribus qui in uenis ſunt, & per renes, & per ueſicam expurgatis. Cæterum cum ab intemperie ueſica fit imbecillior, læditur propria ipſius actio, quæ eſt urinæ excretio, ad quam animal excitari ſolet, cũ uel à multitudine contentæ in ipſa ueſica materiæ grauat̃, uel à mordacitate conuellitur, ſed ab horum utrolibet magis imbecilli, quàm robuſti dolere cõſueuerunt. Quinetiam inſtrumentales affectus imbecillitatẽ interdum inducere poſſunt. Item intemperantiæ omnes, cum aliæ, tum maximè illæ, quæ nonnullis ſæpe eueniunt, cum frigore corripiuntur. tunc enim planè grauari uidetur, uel paulo ad modũ contẽto in ipſa humore. Atq; ueſicæ etiam ueluti meiendi inſtrumento iſchuriæ accidẽs ſuperuenire ſolet. Interdum quidem (ut dictum eſt) cum circa id quod in ipſa continetur, obuolui uehementer non poteſt, ut ipſum exprimat. Interdum etiam obſtructo inferiori meatu, aut à craſsis humoribus, aut impacto lapide. Atq; accidit nonnunquam, uel ab inflammatione, uel alio huiuſmodi tumore, ut anguſtior reddat̃ meatus, uel etiam omnino obſtruatur. At uerò neq; neruorum à ſpinali medulla exortorum, neq; etiam ipſius ſpinalis medullæ affectus, ueſicæ tantam imbecillitatem adferre poſſunt, ut urina propterea ſupprimatur, quemadmodum nonnulli putauerunt, credentes ueſicæ officium à conſilio & electione procedere, quòd ſcilicet urinam retinemus quoad uoluerimus, atq; eã pro uoluntatis imperio excernimus. uerũ ſatius fuiſſet noſſe non ueſicæ, ſed meiendi officium, ueluti etiam deijciendi, non inteſtinorum munus ab electione conſilioq; pẽdere. Quippe ueſicæ officiũ unicũ eſt, obuolutio circũ urinã. At muſculus qui urinæ meatũ in circuitu ambit in origine ceruicis ueſicæ poſitus, inſtrumẽtũ eſt, cuius opus ab electio-

A ne excitat̃, utpote qui ambiẽs ueſicę ceruicẽ, eam ita exacte ſtringit, ut nihil humoris ex ueſica in meatũ ingredi poſsit. Atq; ſimilẽ quoq; & actionem & utilitatem habet muſculus, qui recti inteſtini partẽ extremam ambit. Proinde ipſis reſolutis, neq; urinã ueſica, neq; ſtercora aluus retinere poteſt, ſed pręter uoluntatẽ, paucis omnino interuallis, utraq; excernuntur. Itaq; ueluti in reliquis muſculis, quod à reſolutiõe fit nobis inuitis, id electio noſtra haud inuita efficere ſolet: ita eadem ratione ab horũ actione quieſcimus, cũ uel ſtercus, uel urinã excernere propoſitũ eſt. Atq; ut nonulli tum urinarũ, tũ cibi excrementorũ deiectionẽ, totã ab electione procedere exiſtimantes, errauerunt: ita rurſus alij his è diuerſo, totũ hoc opus na- B turale putãtes, à ueritate deuiauerũt. Etẽm cibi à uẽtriculo in ieiunũ tranſmiſsio, tota naturæ opus eſt. Rurſus omnino ab electione pendet, & utrorumq; mẽbrorum ſiue artuũ, & cuiuslibet digiti, tum extẽſio, tũ inflexio. delatio enim quæ à uentriculo ad ieiunum fit, & quæ ab hoc in tenue inteſtinum, à ſola naturali facultate procedit. At alui deiectio, & urinæ redditio, utroq; inſtrumento proprijs ſuis facultatibus agẽte perficiuntur. Rectum inteſtinum, atq; ueſica naturali utunt̃ facultate, muſculi uerò ea quæ & animalis & uoluntaria nominatur. Quippe muſculi qui fluores cohibere ſolent, tunc quieſcunt ab opere, abdominis muſculis munere ſuo fungentibus, maximè uerò medijs. Sunt nonnulli qui cum non ita facile dei- C cere poſſunt, manibus huiuſmodi muſculos comprimũt. neq; nõ ubi urina ita ſuppreſſa eſt, ut omnino retineatur, idem facere conſueuerunt. Cum itaq; nerui, per quos animalis facultas ad iam dictos muſculos peruenit, afficiunt̃, aut ſpinalis medulla ipſa læſa eſt, reſoluit̃ muſculorũ actio, atq; excernit̃ & urina & ſtercus, uel inuito laborante. Cũ uerò ueſicæ corpus ita fuerit affectũ, ut quod in ea continet̃, exprimere nõ poſsit, ſupprimitur urina, nominaturq; hoc accidens ipſius iſchuria. Atque accidit interdum propter obtuſum ipſius ſenſum, ut non reddatur urina, citra tamẽ expultricis facultatis læſionem: ſi proprij ueſicæ nerui afficiantur, neruis muſculi ceruicẽ eius ſtringentis, munere ſuo fungẽtibus, ipſorum ſcilicet facul- D tate ſeruata. Nam ſi reſoluantur, proprium indicium, quòd muſculus hic reſolutus ſit, eſt urinæ præter uoluntatẽ excretio. At huiuſmodi eueniente affectu, cum meatus ipſius fuerit obſtructus, utraq; affectio cognitu difficilis erit. Proinde ut exquiſitè dignoſcant̃, nõ ſolũ ij, ſed reliqui quoq; omnes ueſicæ affectus, perq; neceſſarium eſt præſcire euidentes cauſas extrinſecus aduenientes, quas proprie procatarcticas, id eſt initiatrices, uocãt. Sed multo etiã accuratiori inueſtigatiõe, eos qui præceſſerũt in animantis corpore affectus, inquirere oportet. Igit̃ cuidam cũ cecidiſſet, ſpina intrò ſinuata eſt, quapropter urinã reddere nõ potuit. nam & id aliquãdo fieri ſolet, quẽadmodum ab Hippocrate dictũ eſt. Verũ non ilico ſuppreſſa fuit urina, ſed perendie, ob afflictarũ uertebrarum

A rum intrò luxationē inflammata uesica. Itaq; dolebat in ea parte uel nemine tangente, sed multo magis, si quis manu eum tāgeret. Atq; hunc curauimus inflammationi remedia adhibentes. Rursus alter luxatis ad externas partes uertebris, urinam inuitus profudit, nullo infestāte uesicam dolore. in hoc coniecimus eius musculi neruum, qui uesicam claudit, fuisse affectū, proinde spinalem medullā curare uoluimus. Atq; in alio similiter affecto, suppressa fuit urina, torpēte ob affectos neruos uesicæ sensu: cum itaq; inter dormiendū, non sentiret homo uesicam impleri, ipsa extēsa, nihil excernere potuit. Etenim accidit interdū, ut hoc modo urina supprimatur: quemadmodum etiam sanis quibusdā, aut urgētibus negocijs, uel in con-

B cionibus, uel senatu, uel foro, uel conuiuio: tum enim retenta longo tempore urina, extēditur uesica, atq; urina supprimitur, obuoluente ipsam facultate læsa, propter immoderatā tensionē. Quidam etiam cū cecidisset, manente spina illæsa, in primis quidē magnam sanguinis copiā cū urina emisit, postea uerò omnino suppressa est urina: cuius rei causam esse cōiecimus ꝙ cōcreti sanguinis grumus intus se opposuit. Quocirca demissa per colē fistula, paulū urinæ reddidit, extracta deinde fistula, apparuit in ipsius ore grumi indiciū. Præterea cū aliosquosdam diuturni dolores unà cum abscessuū notis infestassent, finitis abscesibus tenue pus cū urina profluere uisum est, deinde subsequens urinæ retentio, cōiecturæ occasionē de-

C dit, ꝙ à crasso pure meatus obstrueretur. Atq; in pueris etiam quos lapis in uesica cruciabat, uidimus sæpenumero urinam retineri. Eos itaq; resupino figurato corpore, cōcussimus, ut ita à meatu lapis dimoueretur. Cum uerò id quod iamiam dicā, sæpe uideritis, oro ut ipsum tenaci semper memoria seruetis. Quòd ad grumos uocatos, nō solum eos qui in uesica, sed multo magis illos quoque qui in intestinis, uētriculo, atq; thorace nonnunꝗ continentur, animi defectio, & color pallidus sequi solet, pulsus uerò paruus, obscurus, frequens apparet, & laborans ipse cum anxietate resoluitur: quemadmodum in magnis musculorum uulneribus sæpenumero accidit, ut mirari aliquis posit, quænam sit huius euentus causa. An san-

D guis, cum omnium quæ in corpore sunt, maxime nobis sit familiaris, ex uasis suis effusus, tanti mali author est. Nam & putredo partium, & mortificatio ipsum sequi solet. Etenim uidimus, ubi uesicæ meatum grumus obstruxerat, eadē sequi accidentia: grumū uerò adesse cōiecimus hoc argumēto, ꝙ plurimū antea cruorem laborantes cum urina reddidissent. Itaq; medicamentū quod lapidē terere posset ex aceto mulso, atq; ipsum quoq; acetū mulsum per se in potu dedim⁹. at nihilominus alij quidē perierūt uno quodā seruato, solutis grumis, ꝗs paulo pòst cum urina excreuit. Quod uerò nō satis est ad affectæ sedis inuentionē, ea duntaxat accidentia, quæ in præsentia infestant, intueri: sed & ex his quæ præcesserunt, subinde definimus: facile intelligetis si eorū quæ antea uidistis, memineritis. Igitur cū multi creberrime pus cum urina emitterēt, præteritorū accidentiū memoria & sedē affectā nobis ostendit, & affectionē in ipsa consistentē declarauit. Quidā enī cum prius in regione renum sæpenumero doleret, accedēte inordinato horrore, & exiguo rigore, febre correptus est. Alius circa uesicæ positum simul cum horrore, ac febre, dolores præsensit. Nōnulli circa septum transuersum & thoracem. Atq; alij in dextra præcordiorū parte. Coniecturam itaq; fecimus in ijs omnibus, ꝙ pus per renes expurgaretur, uomica scilicet in loco dolēte erupta. Cum indicijs aūt suprà propositis, nonnihil confert puris quantitatē, & quomodo totū cum urinis misceatur, utrum confusum, an cōtrà, cōsiderare. Veluti iam antea in intestinis dictum est. Nam ut in his, si à superioribus intestinis quippiā defertur, id ciborum excrementis perinde admistum uidetur, ac si cum ipsis subactum fuisset: si uerò ab humilioribus, cum una ipsorū parte excernitur. Simili modo urina, aut tota à pure cum ipsa emisso cōturbatur, aut per partes quasdā dispersum pus inæqualiter defert. Plerunq; etiam solum pus, sine urina excernit. idq; haud obscure in uesica suppurationem consistere indicat. Quod uerò exacte cōmistum est, à supernis alicunde partibus uenit. Sed quod mediam inter hęc conditionē seruauerit, id à renib. descendisse certum est. Similiter si erupta uomica, cum affecti loci indicijs, ulceris quoq; signum aliquod appareat. Nam & hoc aliquando quidem exacte commistū uidetur, aliquādo uerò mediocriter: interdū uel nullam habet mistionē, uel quodammodo superfert, uel solum excernit. Atq; uocata quidem crustula, ulceris: essentiæ uerò proprietas, affectę partis propriū indicium est. quippe partes à uesica auulsæ lamis: è renib. uerò, carunculis sunt similes. Ita etiam ubi ex sublimioribus pars aliqua affecta est, excremēta cū urinis eiecta intueri, & ea suspectarum partium essentię comparare oportet. Igitur per urinam expurgantur gibbæ hepatis partes, atq; omnes quotquot sunt his superiores: per aluum uerò pars iecinoris resima, intestina, uētriculus, lienis. Prĕter has aliæ quædam fiunt purgationes, sed raro, ut cum thorax & pulmo per aluum purgatur: quæ sub septo transuerso positæ sunt partes, per urinas. quorum causam cum nonnulli ignorent, neq; id unꝗ accidisse uiderint, quod à multis uisum est, negāt fieri posse ut abscessu in pulmone orto pus per renes excernatur. pulmonis uomicam per urinā, thoracis aūt per intestina, & aluū expurgari uidimus. Quanquā reuera de latione ex pulmone in renes nulla omnino sit dubitatio. Etenim ut à concaua uena, ita ex magna quoq; arteria, rami descendūt ad renes. Hæc quæstio tamen Erasistrati sectatores non parum urget, quippe qui putauit solū spiritum in arterijs contineri. Nobis uerò nihil difficultatis affert, utpote intelligentibus, quòd læuis arteria pulmonis, quantum puris ex erupta uomica suscepit, id in sinistrum cordis sinū deferre potest, quod inde in magnā ipsius arteriam incidēs,

per renes tranſit in ueſicam. Hoc tamẽ nõ ita crebro euenire uidetur, utpote pure prius in aſperas arterias magna ex parte transſumpto. Itaq; quam ob cauſam pus in pulmone genitũ, cum urinis (licet raro) excernat̃, iam dictum eſt. Id uerò quod per uentrem purgetur, aliam & quidem raram (quæ in corporũ diſſectione apparet) habet cauſam. Quippe concaua uena, mediante uaſe quodam ſtelechieæ (id eſt uenæ quæ arboris caudici proportione reſpondet) uidet̃ interdum adaptari. Proinde nihil mirum, neque impoſsibile eſt, & ex partibus ſepto tranſuerſo ſuperioribus, pus in uentrem defluere, & ex his quæ eidem ſupponuntur, ipſum per renes in ueſicam peruenire. Nam corporum raros habitus, par eſt ut rara etiam accidentia ſequantur.

V Atq; ne hoc quidem loco ſolicitos eſſe oportet, utrũ uuluã, an uterũ appellemus, eam partem quæ mulierib. ad pariendũ à natura data eſt. Neq; rurſus utrũ numero plurali uuluas, aut uteros, an ſingulari uuluam, aut uterum quis nominauerit. Etenim ſatius fuerit in rebus utilibus tempus collocare, ex quibus uel ad notitiam, uel præſagia, uel curationem, fructum aliquem decerpere poſſimus. Veluti in eo affectu, quem nonnulli uteri ſuffocationem, alij ſpirationis ob uterum ablationem uocant, uolentibus medicis utraq; appellatione unũ quendam affectum explicare. Ego uerò multas uidi mulieres hyſtericas, id eſt ab utero ſuffocatas (ita enim non hæ ſolũ, ſed priores quoque fœminæ artem medicam profeſſæ, à quib. id nominis effectũ eſt, ſeipſas nominabãt) alias quidem ſine ſenſu immobiles iacere cũ obſcuro paruoq; pulſu, uel omnino ſine ullo pulſu: alias ſentientes quidem, & moueri potentes, atq; integra ratione, ſed tamẽ animi defectione, & difficili ſpiratione laborantes: alias etiã crura & brachia contrahẽtes. Ex quibus coniecturam feci, multas eſſe uteri affectuũ differentias, uel pro cauſæ efficientis magnitudine, uel pro ſpecierum quarũdam uarietate, inter ſe differẽtes. Igitur prima ſpecies, cuius Heraclides Ponticus in ſuo commentario mẽtionem fecit, multam exhibet de ortu ſuo ambiguitatem. Ait enim ſub hac ſpecie, neq; pulſum neq; ſpirationẽ mulieris deprehẽdi potuiſſe. atq; ob id duntaxat non uiſam eſſe mortuã, ꝙ exiguũ in medijs corporis partibus calorem haberet. Eſt autem libri titulus, Apnus, id eſt non ſpirans, Heraclidæ. Ac aſtantes quoque medicos quæſiuiſſe ait, an nondum eſſet mortua. Rurſus nõnulli Heraclide poſteriores credentes ſeruari aliquid ſpirationis, quamuis ipſa non appareat, carptæ lanæ flocculos coram naribus ſuſpẽdi iubẽt, ut exacte deprehendat̃, num ſpiritus aliquis inter ſpirandũ tum intrò, tum foras rurſum deferatur. Sunt qui poculum aquæ plenum ori uentriculi imponere præcipiunt, quippe immotum omnino ſeruari humorem aiunt, ſi tota perierit ſpiratio. Itaq; ſi omnes ita affectæ mulieres interijſſent, ſimplex eſſet quæſtio, cum uerò nonnullæ ſeruatæ uideant̃, geminam oriri quæſtionẽ neceſſe eſt, inueſtigan-

A tibus nobis, tum affectionem ob quam ſpirationis munus deperditur, tum uel magis, quomodo uiuere poſsint, quæ nihil omnino ſpirant. Quippe in cõfeſſo eſt, & ſpirationem à uita, & uitam à ſpiratione ſeparari nõ poſſe, adeò ut uiuentẽ non ſpirare, & ſpirantẽ nõ uiuere, ſit impoſsibile. Atq; hæc quæſtio, quanquam ſuperiore difficilior uidet̃, non eſt tamen perinde difficilis. quippe facile ſuſtinebit̃, ſi latebris incluſa animalia conſideres, nulla apparẽte in ipſis ſpirationis nota. Hoc enim ubi cognoueris, huiuſmodiq; animalia frigida eſſe perſpexeris, atq; tibi demonſtratum erit, quòd maximus reſpirationis uſus eſt, ut intimus calor & refrigeratione & uentilatione ſeruetur, haud ita difficile fuerit perpẽdere, exiguũ illũ ca- B lorem in ipſis derelictum, arteriarum cordiſq; officio conſeruari, quæ actio à quibuſdam medicis perſpiratio, ueluti ea quæ à thoracis pulmoniſq; officio prodit, reſpiratio uocat̃. Itaq; in uteri ſuffocatione, quoniam uniuerſum corpus refrigeratur, id enim manifeſte uidetur, fieri poteſt, ut nulla prodeat ab ore ſpiratio, quamuis ea quæ in arterijs fit, nequaq; intercipiatur. Quin & adeò poteſt eſſe exigua, ut ſenſum omnino effugiat. Ergo ut nihil ad hũc affectũ pertinẽs maneat indiſcuſſum, ſuccedit iterũ alia quæſtio, Quam ob cauſam corpus refrigeret̃. Ea uerò haud difficulter diſſolui poterit, ſi cauſas quæ præceſſerũt, diligenter intueamur. Sunt autem huiuſmodi. Conuenit inter omnes medicos hunc affectum magna ex parte C uiduis euenire, ijſq; maxime quæ cum antea probè purgarentur, ac parerent, atq; uirorũ concubitu gauderent, ijs omnibus priuantur. Quid igitur ex ijs quis probabilius conijcere poſsit, ꝗ ꝙ ob retenta menſtrua uel ſemen cohibitum huiuſmodi mulieres uteri affectionibus crucientur? ſiue apnœæ (id eſt interceptæ ſpirationes) ſiue ſuffocationes, ſiue etiã contractiones ſint. Idq; fortaſſe magis à ſemine retẽto contingere poteſt, utpote magnã uim obtinẽte. ut eſt enim in mulierib. humidius, ita etiã frigidius, proinde ipſum excerni oportet, præſertim ſi naturaliter multo ſemine exuberat mulier. haud ſecus atq; in uiris. quippe nõ parua eſt etiã horũ differẽtia. Sunt eñ nõnulli quos protinus à iuuẽtute concubitus imbecillio- D res efficit. Alij niſi aſsidue coeant, capitis grauitate moleſtant̃, cibos faſtidiũt, ac febribus obnoxij fiunt, atq; ut deterior eſt ipſis appetentia, ita & cõcoctio minor. Hos Plato arborib. immodice fructiferis cõparat. Equidẽ noui quoſdã, quibus huiuſmodi erat natura, qui pro exercitij inſtituto à libidinis uſu abſtinentes, torpidi pigriq; ad motũ facti ſunt: nõnulli etiã melancholicorũ exemplo, præter modum mœſti ac timidi, cibi etiam, tũ cupiditate, tum cõcoctione uitiata. Quidam uxoris mortem lugens, & à concubitu quo antea creberrimè fuerat uſus, abſtinens, cibi cupiditatẽ amiſit, atq; ne exiguũ quidem cibũ concoquere potuit. ubi uerò ſeipſum cogẽdo plus cibi ingerebat, protinus ad uomitum excitabatur, mœſtus etiam apparebat, non ſolum has ob cauſas, ſed etiã (ut melancho-

lancholici solẽt) citra manifestam occasionẽ. Verum hic ad pristinam consuetudinẽ rediens ꝙ celerrimè liberatus est. Hæc ergo consideranti mihi apud meipsum, uisum est longè maiorẽ ex retento semine quàm menstruis, corporis noxam euenire posse, præsertim in his quibus suapte natura magis uitiatũ idipsum est, ac redũdans, atq; in his qui in otio degũt, quiq; cũ antea nihil ad libidinẽ reliqui fecissent, affatim continere cœperũt. Equidem perpendi in ijs naturalẽ excernẽdi ipsum cupiditatem huius rei causam esse. cum enim & tale & tantum fuerit, neminẽ non ad sui excretionem ui quadã stimulat. Itaq; Diogenẽ Cynicũ narrant uirum alioqui omniũ mortaliũ, quod ad cõtinentiam pertinet, constantissimum, libidini tamẽ indulsisse, nõ à copulata illi euacuatiõis uoluptate, ueluti bono aliquo illectũ, sed ut noxam, quæ à retento semine prouenire solet, euitaret. Eum meretrix adire pollicita, cum diutius cessaret, ipse manu pudendis admota, semen proiecit, ac uenientem deinde mulierculã remisit, inquiens, Manus hymenæũ celebrando te præuenit. At planè cõstat modestos uiros, nõ ob uoluptatẽ, sed ut à uexatione liberentur, libidini indulgere, perinde ac si nulla esset ei uoluptas coniugata. Sic etiam reliqua animalia ad coitum excitari arbitror, non ꝙ existimẽt uoluptatẽ boni cuiuspiam speciẽ prę se ferre, sed ut semẽ, quod ob retentionem ipsa molestat, excernant, haud secus quàm deijciendi stercoris, excernendæq; urinæ desiderio, suapte natura moueri consueuerunt. Cogitãti itaq; mihi aliquando super hac re, tale quoddam accidẽs apparuit in muliere ex longo iam tempore uidua, quæ præter cætera mala, neruorum quoque distentione uexabatur. Ac dicente obstetrice, uterum esse retractum, remedijs ad huiusmodi affectus consuetis, uti decreuit. Quibus adhibitis, partim ob ipsorum calorem, partim etiam quòd inter curandum manibus tractarentur partes muliebres, oborta titillatione, cum labore & uoluptate, ueluti per coitum usu uenire solet, excreuit crassum plurimumq; semen, atque ita à molestia sua liberata est mulier. Proinde manifesta coniectura assecutus sum, uitiato semini, maiorem quàm menstruis esse uim ad noxam uniuerso corpori inferendam. Itaq; licet hæc quidẽ aliquando profluãt è uiduis, suppressum nihilominus semen molestiam noxamq; ipsis inferre potest. Quibus uerò nequaquam persuaderi potest, exiguum succum in una parte contentum, tantorum accidentium quæ uniuerso corpori eueniũt, esse causam, ij omnino immemores esse uidentur eorum quæ quotidie contingunt. Etenim à phalangij ictu totum corpus affici uidetur, exiguo ueneno per minimum foramen iniecto. Sed longè maiori admiratione dignus est scorpionis ictus, quòd breui admodum tẽpore grauissima infert accidẽtia. quippe cum sese applicat, aut perquàm exiguum est id quod inijcitur, aut nihil omnino, nullo apparente foramine in ipsius aculeo. Atqui fieri non potest, cum primum quis, perinde quasi ab acu,

A punctus est, ut uniuersum corpus ueluti grandine percuti uideatur, animi simul defectione accedente. Nam rationi magis consentaneum est, ut uel à spiritu quodã, uel tenui humiditate iniectã, hæc eueniant accidẽtia. Sunt qui putãt res quasdam solo tactu, per qualitatis uim, ea quæ eis uicina sunt alterare posse, idq; planè uideri in marina torpedine, utpote cui tam uehemẽs sit potentia, ut per piscatoris tridentem transmissã ad manum alteratione, de repente totam reddat torpidam. His coniecturis facile deprehenditur paruę molis res quasdam, solo tactu, maximas inducere alterationes. Id quod in Heraclio quoq; lapide, quẽ magnetẽ nominãt, uidere est. ferrũ ẽm quod tetigerit, ei adhæret, uel nullo adhibito uinculo.

B Deinde si aliud, id quod primo tactum fuerit tetigerit, similiter ut primũ illi inhærebit. postea tertium secundo: ita ut planè cõstet, reb. quibusdam uehemẽtissimas esse uires. Reliquũ est ut inuestigemus, an in animantibus corruptio aliqua nasci possit tanta, ut ueneni tum qualitatem, tum uires æquet: aut id iam à medicis enodatũ, discussumq; esse uidetur, qui hanc solẽt proponere quæstionẽ, Vtrum propriè sint notæ ueneni, necne. nam qui de hac quæstione melius disputasse uidenť, ij eosdẽ fieri affectus concedunt & à letalis ueneni potione, & corruptiõe quæ è corpore ortum habet: nõ tamẽ eos discerni nõ posse qui uenenum sumpserint ab ijs qui aliunde affecti sint. Cum ẽm homo suapte natura probis humoribus abundãs, ac

C sanorum more educatus, derepẽte moritur (ut letali assumpto ueneno fieri solet) deinde corpus aut liuẽs, aut nigricãs, aut uariũ est, aut diffluens, aut præ putredine fœdũ, molestumq; reddit odorem, hunc uenenum sumpsisse aiũt. Igitur si eiusmodi affectibus nos infestari fateamur, qui ex nobismetipsis accepto suæ originis impetu, similes sint his qui pernicioso epoto ueneno eueniũt: nihil mirũ si uitiatum semẽ, aut menstruũ huiusmodi, cum retinetur, & putrescit, corporibus ut afficiantur idoneis, grauia inferat accidẽtia. Quippe facile intelligitur in canibus, quantã habeat uim afficiẽdæ rei aptitudo. cum enim reliquorum animaliũ nullum rabie capiať, solus canis eo affectu corripiť, atq; tanta fit in ipso humorũ corruptio, ut sola eius saliua, si humanum corpus contige-

D rit, rabiem excitare possit. Vt igitur ab exiguo initio, saliuæ uidelicet qualitate, aucta quædam in corpore affectio, quãdo ad magnitudinem notatu dignam peruenerit, discerni potest, idq; post sex menses, cum nonnunquam ante id tẽpus nulla nota deprehendatur: sic eodẽ modo uitioso humore in animalis corpore genito, paulatim tractu tẽporis, principaliũ partium aliqua cõsentit, à qua deinde uniuersum corpus celeriter alteratur. Quòd autem à priscis iam inde seculis optimo iure creditum fuerit, hysterica dicta accidẽtia, ad uterum, tanquam ad radicẽ pertinere, uel maximo argumento esse potest, quòd & solis uiduis, & ijs quibus menstrua supprimuntur, huiusmodi affectus euenire consueuerũt. Quòd uerò ad eos ex-

citandos retentum semen maiorem, menstruum uerò minorē uim obtineat, facile intelligitur ab his mulieribus, quibus cum nō sint uiduæ, purgationes supprimuntur. quamuis enim pluribus infestentur accidentibus, quæ posthac dicentur, spiratione tamē non priuantur, neq; animi defectione, neq; alijs quoq; accidētibus, quæ paulo antea dicta sunt, laborare uidētur. Præterea ex eo quòd sunt uiduæ quædam, quæ licet æquè ut antea, aut paulo minus purgentur, nihilominus similib. corripiuntur accidentibus. Quippe medicæ quæ eas exquisitè tetigerunt, fatentur circa uterum notas quasdam apparere. Nam ceruix eius inclinata uidetur, interdum quidem ueluti sursum retractus sit totus uterus, interdum uerò ueluti ad latus trahatur. Proinde quidam uterum ueluti animal esse statuentes, quod creandæ prolis gratia mouetur, si priuetur his quæ concupiscit, uniuerso corpori nocere dicūt. Qua de re Platonē ita scripsisse cōperimus: Ea pars quæ in mulieribus, & uterus & uulua nominatur, cum sit animal prolem generare cupiēs, si intēpestiuè, diuq; infructuosum fuerit, succēsens ægrè fert, errāsq; per totum corpus, & spiritus meatum obstruens, respirareq; non sinēs, in extremam anxietatem deijcit, atq; multos alios morbos excitat. Hæc dicente Platone, quidam addiderūt, quòd posteaquam ita per corpus uterus errauerit, ad septum transuersum perueniēs, respirationem impedire solet. Alij errare ipsum ueluti animal negantes, ubi suppressa sunt menstrua, exiccari aiunt, deinde humectari cupientem, ad uiscera usq; ascendere: cum uerò ascendendo nonnunquam septū transuersum contingat, idcirco animal spiratione priuari. Etenim qui ignorant ea quæ in dissectionibus apparēt, quiq; neq; naturales, neq; à uoluntate pendentes actiones unquam considerauerunt, quāuis ea quę iam diximus nulla audiant demonstratione roborari: fieri tamen posse arbitrantur, ut aliquid ex ipsis à ueritate nequaquam abhorreat. At uerò qui in utrisq; fuerint exercitati, hanc rationē, utpote infirmam, uel me tacente, despiciūt. Nam si aliquid uteri ascendere uideatur, id perexiguum est, neq; sufficit ad hoc, ut totū ipsius fundum, ne ad uentriculum quidē ascendisse ostendat, tantum abest ut hūc prætereūdo, ad septū transuersum pertingere possit. Quòd si detur etiam ut attingat, quid momenti habebit, ut spirationē tollere, aut animi defectionē, aut mēbrorū contractionē, aut integrū soporē inducere possit? Etēm cū aliquis se impleuerit, uētriculus intumescēs, planè uidetur septū trāsuersum cōprimere, atq; hāc ob rē spiratio redditur crebrior, sed nullo insuper alio accidēte animal infestatur. Atq; prægnantib. quoq; uterus adeò intenditur, ut crebrior fiat spiratio, sed neq; hic aliam læsionem inducit. Id autem quod dicūt, exiccatos uteros, humoris desiderio ad uiscera ascēdere, nemini nō absurdū uideri potest. Si ēm absolutè humorē uterus requirit, uesicā atq; crassi intestini partē inferiorē, totam sibi proximā habet. si uerò non simpliciter humorem, sed sangui-

A neum humorem desiderat, ad hepar potius quàm septum transuersum, ipsum moueri oportebat. at uerò quid opus est ut alijs extrinsecus irruat partibus, cum densum tegmen, membranosum indumentum, sibijpsi circundatum habeat? Omnia enim quæ ad sese humorē ex intestinis attrahunt, per ora quamplurima id efficere solent. Atqui ad uterū multa admodū uenarū ora perueniunt, per quas ex concaua uena, utpote cui ex hepate sanguis influit, sanguinem attrahere potest. Etenim quam aliam fistulā hac insigniorē quis inuenerit, qua ex hepate in uterū sanguis deferatur, aut per quā aliam omnino uterus ex iecinore quippiam attrahere possit? Quòd si hunc concauæ uenæ riuum non maximum, saltem non alium esse fatea-
B mur oportet. quippe sola hæc uena partibus sub transuerso septo constitutis ex hepate defert sanguinem. absurda igitur omnino est illorum ratio, cū hoc quod uterū esse animal, hac ratiōe astruere uidenť. Sed si hoc ipsis concedatur, ergo ægrè feret uterus priuari se eo quod concupiscit, ac fortasse alimentū quoq; nō sentiet, quemadmodum Phœnices amatores affici perhibētur. Verum ob hoc neq; ad septum transuersum, neq; ad alium quemuis locum perueniet. Nam, ut cætera omittamus, perquam arida est septi transuersi temperies, atqui uterus iuxta illorum placita, qui ipsum exiccari dicunt, humidarum partium communicatiōe indiget. Sed interrogaueris fortasse, quam ob causam, modo sursum, modo in latus retrahi
C uterus uideatur, id enim obstetrices aiunt. Aut cur ipso in sua sede sæpenumero manente, nihilo minus mulieres quædam ab hystericis accidentibus corripiantur. Equidem huius rei causam explicare tentabo, ea quæ ab Hippocrate dicta sunt imitando. Igitur uteri tensiones in causa esse dixerim, cur tangentibus obstetricibus, modo sursum modo in latus retrahi uideatur. Nam simul cum utero, ceruicem quoq; ipsius retrahi necesse est. Superest ergo ut declaremus, quam ob causam uterus uel sursum, uel ad latus retrahatur. hoc ēm huic sermoni deerat. Ea esse censetur uasorum ad ipsum peruenientiū plenitudo, unà cum appendicibus ipsorū. Etenim ostendimus in enarratione eius Aphorismi, quo inquit, Conuulsionem, & à
D plenitudine fieri, & euacuatiōe, quòd plenitudo repletorū corpora & in latum & profundum extendit, sed longitudinē abbreuiat. Ergo quo efficiunť breuiora, eo magis ad originem retrahunť. Nā Erasistratus musculos quoq; si spiritu impleanť, in latitudine augeri, in longitudine uerò minui, atq; ob id etiam retrahi ducit. Vnde ergo oritur plenitudo tum uenarū, tum appendicū? nempe ex menstruorū retentione. Nam peruenit quidem ad uterū sanguis, sed ad interna ipsius ingredi nō potest, aut quia est crassior quàm ut per ora uasorū possit penetrare, aut quia clausa sunt ora. Itaq; multiplicatus in uenis, eas extendit, atq; uicinos ipsis appendices madefacit: ad horum autem extensionē, continuo uterum retrahi necesse est. Igitur si æqualiter undiq; trahať, recta erit, &

sine inclinatione, ipsius transmutatio: si uero in-
æqualiter, ad partem uehementius trahentem ex
tenditur. Non ergo ueluti animal errabundum,
aliàs ad alium locum, discurrit in mulieribus ute-
rus, sed ab extensione retrahitur. Quòd si dixerit
quispiam, uteri corpus tum nō esse affectum, sed
peruersione laborare, cum aliàs aliorsum trahit̃,
hic haud absurda dicere uidebitur. Nam circa re-
liquas quoq; corporis partes accidit, ut huiusmo-
di appareat affectus, & ut sæpenumero decipian-
tur medici, qui peruersam partem quia uel incur-
uari uel extendi non possit, arbitrantur esse affe-
ctam. Atque hoc docuit Hippocrates in eo libro
quem De articulis scripsit, ubi etiam de uteri uo-
cato errore mentionem fecit, ita scribens: Si in po
steriorem partem caput femoris exciderit, quan-
quam hoc raro fit, extendi non potest crus, neq;
adeo secundum luxatum articulum, neq; adeo se
cundum poplitem quoq;, ĳq; minime, ubi longo
spatio durauerit malum, uel inguinis uel poplitis
articulum extendere possunt. Hoc sermone quā-
uis poplitis articulus haudquaq; afficiatur, quia
tamen cum inguine communicat, ipsum extendi
non posse ait. Atq; deinceps subiungens inquit,
Sane animaduertere hoc oportet, ut enim utile
est, ita magna est ipsius habenda ratio: quāuis nō
paucos lateat, quòd ne sani quidē extendere pos-
sunt poplitis articulum, non extenso inguinis ar-
ticulo, nisi sursum leuato pede, ita enim possunt.
Neq; etiā similiter, sed longe maiori cum difficul
tate flectere possunt poplitis articulū, nisi simul
flectant articulū inguinis. His dictis deinceps ait,
Multa alia quoq; ĳs haud dissimilia in corpore in
ueniūtur & secundū neruorū distētiones, & mu-
sculorū figuras: quinetiā plurima notatu fortasse
digniora, q̃ quis putauerit, contingere solent, &
secundū intestinorum naturā, & uniuersum uen-
triculum, atq; uteri tum errores, tum extēsiones.
His uerbis Hippocrates De poplitis articulo di-
cere proposuerat, nō potēte secundū naturā mo-
ueri, idq; nō ob propriū ipsius affectum, sed quia
coxæ consentit. quinetiā extensionum, quę utero
accidunt, mentionē fecit: cum uidelicet ipse non
per se trāsmutatur: sed à quibusdam aliĳs trahitur.
Igitur uteri peruersiones: eo quem diximus mo-
do, ad suppressa sequuntur menstrua: eas tamē ob
hoc, accidentiū quę in animalis corpore apparēt,
causas esse nequaq; putandū est, quippe quę com
munē habēt causam, plenitudinē à suppressa mē-
struorum purgatione euenientem. Quæ uero ci-
tra peruersionē aut menstruorum retentionē, ui-
duas molestant noxæ, hæ ob retentum semē eue-
nire putantur. Cæterum pro multitudinis, quali-
tatisue ratione, tum menstruorum, tum seminis,
aliàs aliæ accidentium species oriri solēt. Etenim
affligēte causa uniuersum corpus refrigerare po-
tēte, adeo uehemēter infrigidat̃ corpus, ut & spi-
ratio, & arteriarum pulsus, sensu deprehendi ne-
queant. Quæ si uel crassa fuerit, uel acris, conuul-
siones: si uero atræ bilis naturam habuerit, mœsti
tiam inducet: quemadmodum animi quoq; defe-

A ctiones, & ad fortes extēsiones, & perfrigeratio-
nes, & stomachi afflictiones sequi consueuerunt.
Constat autem quòd in huiusmodi sermonib. os
uētriculi stomachum solemus appellare. quippe
omniū medicorū mos est, in syncopa stomachica
huiusmodi uti appellatione. Porrò accidētia quæ
ob astricta menstrua infestare solent (nam de ĳs
quoq; nōnihil me dicturum pollicitus sum) nunc
enarrare aggredior, sumpto initio ab his quæ ab
Hippocrate in Aphorismis scripta sunt, pręcipue
uero cum dicit, Si mulier neq; prægnans, neque
puerpera, lac habet, menstrua eius defecerunt. At
nullo in mammis apparente lacte, menstrua sup-
pressa hisce notis deprehenduntur: Grauitas to-
tum corpus molestat, item fastidiū quoq; ut nulla
B sit cibi cupiditas. horror inæqualis. q̃ si citra hor-
rorē inæqualitas aliqua fuerit, atq; fastidium, cu-
piatq; mulier quædā aliena, iube ut obstetrix ute-
ri ceruicē tangat. Nam si citra duritiē clausa inue-
niatur, eā prægnantē esse coniĳcies. Ex ĳs nōnul-
læ cibū præterea euomunt, ac terrā, aut extinctos
carbones, aut alia quædā huiusmodi edunt. Si ue-
ro clausum fuerit os ceruicis uteri, ac duritiē quo
que habeat, affectū aliquē in utero esse portēdit.
oportet itaq; speculari obstetricē, ad quam partē,
uel declinet, uel trahatur. nā in ea parte affectam
uteri sedē esse coniĳciendum est. Atq; in quibus-
dam fœminis, eius partis dolor cum grauitate, nō
nihil significare potest. quinetiā in coxam dolor
transit, ac crus ipsum, q̃d è regione est, per inces-
C sum claudicat. Quod si longiori tempore suppri-
mant̃ menstrua, nullamq; medicus mulieri uacua
tionē promoueat, tumor aliquis præter naturā, in
ilibus interdum exoritur, ostendens nimirū ex in
ternis partibus quampiā esse inflammatam. Non
nullis panus in extrema ilium parte excitatur, ue
luti uiris quoq; eodē in loco nonnunq; oriri solet,
qui ubi suppuratus aliquando fuerit, secari debet.
Atq; hāc partē siue membrū suppuratū dissectūq;
uidimus, interdum ignorātibus medicis inexper-
tis quid incideret, interdum uero intelligentibus
quoq;. Atq; omnia mēbra ita suppurata facile cu-
ratur. Vteri uero sectiones maiori cū difficultate
conglutinantur. Huiusmodi accidentia sequi sup-
pressa menstrua cōsueuerunt, ac præterea lumbo-
D rū, & colli, & sincipitis dolor, qui etiā oculorum
fundamenta infestat. item febres ardentes, & uri-
nę nigricantes cum rubra quadam sanie, perinde
ac si aquæ ex qua nuper mactatæ carnes ablutæ
fuerunt, fuliginē quis miscuisset. quibusdā urina
aut difficulter redditur, aut omnino supprimitur.
Cū ergo horum aliquod in muliere cōspexeris, u-
terū ueluti radicē ipsorū cōĳcere oportet. Quòd
si per alium quempiā corporis locū sanguis efflu-
xerit, aut inflāmatio, aut erysipelas excitatur, an
menstrua purgētur interrogare debes. siquidem
nihil horū accidere solet integre purgatis. Igitur
quibus mēstruorū cohibetur purgatio, ĳs huius-
modi plerūq; eueniunt accidentia. Cum uero im-
modice uacuant̃, sequit̃ color fœdus, pedes mol-
li tumore attolluntur, corpus totū subtumidū est,

uitiatur ciborum tum concoctio, tum cupiditas. Atq; in totum omnia, quotquot immoderatã sanguinis uacuationem siue ex hæmorrhoide, siue alio quopiã sanguinis fluore euenientem, sequi cõsueuerũt, accidẽtia, huiusmodi fœminas infestãt. Sed accidit interdũ fœminis muliebre uocatum profluuiũ, uel utero haudquaq; affecto, cũ uidelicet uniuersum corpus per ipsum expurgat, quemadmodum interdum per renes quoq; euacuatur. Id uero potißimũ fit, si mulier laxis sit carnibus, & pituitosa. Huiusmodi mulieres intacto quidẽ utero, sed uniuerso corpori adhibitis remedijs sanauimus. Atq; id quod excernitur, nonnunquã ruber serosus humor, siue rubra sanies est, interdũ aquosa, aut subpallida. Quòd si purus fuerit sanguis qualis ex dissecta uena profluit, diligẽter animaduertere oportet, nũ erosio sit in utero. ea uero magna ex parte in ceruice potius quàm alibi contingere solet, discerniturq; per excretã saniẽ, si fuerit profunda. si uero circa os ceruicis constiterit, non solum per hanc, sed per tactum quoq; cognosci potest. Atq; prægnantes quoq; cùm ora uenarum in ceruice aperiuntur, sanguinem excernunt. Quòd si mulieri utero graui, mammæ subito extenuantur, abortus sequitur. Atq; geminos ferens, si altera mamma extenuetur, alterum amittit. & omnino si dextera mamma extenuata est, marem: si sinistra, fœminam amittit. Quippe fœtus, qui mares sunt, parte uteri dextra continentur, at fœminæ magis sinistra. Atq; raro aliter euenire cõpertum est, adeo ut in animalibus quoq;, quæ suapte natura geminos ferre solent, itidẽ accidere uideamus, ut in capris, ouibus, atq; alijs quadrupedib. nõ paucis uidere est. Si uero mulier prompte quidem conceperit, deinde secũdo, aut tertio, at quarto impręgnationis mẽse, fœtum eiecerit: circa uteri acetabula humorem pituitosum abundare, atque idcirco uenarũ, arteriarumq; eius loci, ad ora uasorum in uterum descendẽtium, nexum debiliorem reddi conijciendum est, ut fœtum ob grauitatem ferre nequeat, sed facile abrumpatur.

VI Quemadmodum ab excrementis quæ per anum deijciuntur, pauca admodum super uicinarum partium affectibus indicia accipi possunt, ut pote quę magna ex parte, & intestinorum, & uẽtriculi, & splenis, & iecinoris, atq; nonnunquàm humorum in uniuerso corpore exuperantiũ, notæ sunt. Sic eodẽ modo pauca per colem educta excremẽta, proprium ipsius affectum portendunt, sed complura uesicæ, renum, hepatis, splenis, pulmonis, thoracis, atq; humorũ in uniuerso corpore affectiones significant. Verũ huiusmodi signa per alia, quæ unicuiq; parti affectæ subseruire diximus, indicia distinguuntur. Igitur affecti colis hæc erunt indicia. Nam ulcus manifeste deprehẽditur à dolore ipsum infestante, atq; si aliquid ex ijs per urinas excernatur, quæ ulcera comitari solent. Id uero ab eo quod ex uesica secernitur, ita discerni potest. Nam ipsum in primo protinus exitu apparens, urinam præuenire consueuit: quod uero à uesica egreditur, urinæ admistum uidetur.

A quinetiam assidue inter meiendum mordicus dolent pudendorum ulcera, præcipue cum uel crustula, uel sordibus solutis, pura fuerint. Sed longe euidẽtius ipsius inflãmationes, ac reliquæ huiusmodi affectiones uel sine indicijs dinoscũtur. Verum de gonorrhœa, & priapismo diffuse agere satius fuerit. Ergo gonorrhœa est seminis excretio inuita, quam inuoluntariam quoq; nominare licet. sed significantius dixeris, seminis assiduã excretionem cole haudquaquã extẽto. Priapismus uero est, cũ coles, & in longitudine & circulo totus augetur, nullo stimulãte ad libidinem aut desiderio, aut acquisiticio calore, ut quibusdã accidere consueuit qui supini decumbunt. Sic enim aliqui ipsum depinxerũt. At breuiori quoq; cõpendio

B dicere potes, permanentẽ colis auctionẽ aut tumefactionem. deducta uero denominatio est à Priapo. Nam quasi ei suapte natura huiusmodi coles esset, ita eũ finxerũt, atq; pictura descripserũt homines. Gonorrhœæ aũt nomen planè cõpositũ est ex gone, quod semen genitale, et rhein, quod fluere significat. Etenim semẽ modo gone, modo gonos nominari solet. Porrò quemadmodũ omnia corporis nostri excrementa, duob. modis uacuant, interdũ enim à continẽtibus ipsa corporibus excernunt, interdũ sponte profluunt, eo quod ob imbecillitatẽ ab ipsis corporibus contineri non possunt: ita de semine quoq; dicendum est. Nam in omnibus huiusmodi ut excernere tẽpestiue, ita cõtinere, naturæ officium est. Verum

C secretio quidem fit aperto fluxionis meatu, ac reliquo cõceptaculi spatio, & cõtracto, et ad apertũ iam meatũ quicquid continente spatio continet, impellente. Retentio uero fit, cũ clausus permanet meatus, & contentũ à continente haudquaquàm impellitur, sed contra per contractionẽ comprehenditur, & retinetur. Hoc modo contenti in cauis instrumentis humores, in his qui integra ualetudine degũt, naturaliter & excernũtur & retinẽtur. In illis aũt qui præter naturam se habent, retẽtio quidem ob excretiuę uirtutis imbecillitatẽ, excretio uero ob retentricis facultatis infirmitatem euenit, uel ob affectionem aliquam, quæ haud secus, quàm naturalis ipsa excretoria uis, partes mouere posit. Id quod in seminarijs uasis uidere licet,

D ubi aliquis uel comitiali morbo, uel conuulsione uiolenter irruente fuerit correptus. Cæterũ uidemus alias quoq; partes, ut manus, aut pedes, aut digitos cõuelli, modo simul cũ uniuersi corporis conuulsione, modo ipsis solis affectis. Proinde haud quaquàm absurdũ fuerit, in seminarijs uasis, & quidem solis, aliquando eiusmodi affectionẽ excitari: eiusmodi ea est in qua inuita urinę excretio gonorrhœæ proportiõe respõdet, quæ urinę quã quis inuitus emittit, proportione respõdeat, cum contentricem uidelicet facultatem resolui contigerit. Igitur gonorrhœa instrumẽtorum seminis affectio est, nõ pudendorum, quæ seminis genitalis uia sunt, qua excernatur. Priapismus uero planè colis est accidens. At fieri potest ut nullo præcipuo proprioq; ipsum affectu infestãte, ad arte-

rias

rias referatur, utpote quæ solæ interdũ huiusmodi habeant præter naturam affectionem, quali ui delicet affici consueuerunt, cum naturaliter totus coles intendit. Atqui à spiritu in tumorem ipsum attolli, manifeste patet, ijs qui celeritatẽ eius, et cũ intumescit, & cũ iterũ residet, perpendunt. quippe nullus humor tam subitã in alterutrã partem mutationem efficere posset. His sic se habẽtibus, cum in corporum dissectione magnæ uideant ar teriæ in pudendum (exiguam scilicet particulam) irruere, sitq; coles essentia talis, qualẽ in nulla alia parte uidere est, utpote cuius corpus neruosum sit, ac undiquaq; fistulosum, excepta ea parte quã glandem uocãt: quid aliud excogitauerit quis, quàm à uaporoso spiritu, ab arterijs affluẽte, per extẽsiones in tumorem attollatur? Ideoq; glandem æqualẽ semper habere magnitudinẽ, quòd fistulosus in ipsam neruus non ingredit. Ergo quid causæ est, cũ libidinis impetu quis stimulatur, aut ubi ob supinũ decubitũ, calfacti sunt lumbi, ut coles extendat? Nempe hac inuenta, facile priapismi quoq; affectionem inuenire nos posse speramus. Quòd uero princeps causa sit plenitudo, uel arteriarum, uel neruí fistulosi, aut etiam utriusq;, cum ex priore conditione mutantur, palàm constat. At uero utrius magis, aut si etiam amborum, deinceps cõsideremus; hinc sermonis nostri sumpto exordio: Natura corporis partes fingens, perficiensq;, fecit ut ipsę citra doctrinam, proprias actiones aggrederẽtur. cuius rei exactissimum aliquando fecimus periculũ, hœdũ alendo, sed ita alendo, ut matrem quæ ipsum in utero gestauerat, nunq; uidisset. Cũ enim prægnantes capras dissecarẽ, dissectorũ quæstionibus, quibus fœtus in utero formationẽ speculant, promotus, inueni elegantẽ quendã hœdũ; quẽ à matre exolutũ, ita pro meo more abstuli, ut ipsam haudquaq; uideret: atque in domũ quandã, ubi multæ pelues erant, deposui: quarũ aliæ uini, aliæ olei, aliæ mellis, aliæ lactis, aut alterius cuiuspiã humoris erant plenæ, aderãtq; fructus nõ pauci, tum cereales, tum ab arboribus decerpti. Hunc itaq; hœdũ cõspeximus, in primis quidẽ pedibus incedentẽ, perinde ac si audiuisset sibi incessus gratia crura fuisse cõcessa. deinde excussit quã à matre cõtraxerat humiditatem. postea pede latus scalpere, ac deinde singula uasa olfacere, uidimus. percepto itaq; singulorũ odore, lac tandẽ absorbuit. Quib. uisis omnes exclamauimus, Hippocratẽ uere dixisse, animaliũ naturas esse indoctas. Sic ergo hœdũ hunc educãdo, non solũ lac, sed multa insuper alia quæ forte offerebant, comesse uidimus. At quia non longe aberat uernale æquinoctiũ, cũ eriperet hœdus à matre, exactis duobus deinde mensibus, tenellos cĩtĩ fruticũ, tũ aliarum plantarũ ramulos obtuli. quorum omniũ cum experiretur odorẽ, alios quidẽ contẽpsit, alios uero gustauit, atq; sic ad adultarũ caprarũ cibos conuersus est. Sed hoc fortasse non adeo magnũ uidet. At longe maiori admiratione dignũ est, quod posteaq; & folia & teneros ramusculos deuorauerat, paulopost ruminare cœ

A pit. Quod rursus omnes quotquot aderant uidentes, exclamauerũt, cum magna facultatum admiratione quæ animalibus natura insunt. Quamuis enim magnum uidebatur, quòd impellẽte fame, per os, atq; dentes, cibum assumeret, multo tamẽ uehementius admirati sumus, quòd cibum in uentriculo iam contentũ, in primis quidem ad os sub leuando reduceret, deinde multo tẽpore mandẽdo tereret, postremo rursus ipsum deuoraret. idq; non in eundem sed in alium uentriculum. Vulgares autem huiusmodi naturæ munera despiciunt, nihil nisi peregrina spectacula admirantes. Nam quis non miraretur, quod medici in secandis corporibus peritissimi quærere solent, à qua causa articulus hic extẽditur (subijciamus uero exempli

B gratia coxæ articulũ) aut à qua causa incuruatur, aut quid est quod ipsum in utranq; partẽ in transuersum abducit, aut quid ipsum utroq; circũuoluit, cũ interim hœdus singulos articulos, ad quãcunq; motionem libitum fuerit, possit excitare, quẽadmodum homines ipsi, quamuis à quo musculo motus efficiatur non intelligant? Porrò de linguæ motione (nam hanc pro exemplo inducimus) quis non mirabitur, si dissectores inter seipsos, non solum de musculorũ numero, sed de ipsorum etiã actione pugnantes uiderit, quũ infantes quoq; quomodo uocẽ, aut aliud huiusmodi munus imitari debeant, natura docuerit? Quomodo etiã linguam moueant, aut quibus musculis uocẽ eandem efficiant? Similiter etiã de omni reliquorũ animalium, tum uoce, tũ respiratione. Atq; (ut

C summatim dicamus) miraberis fortasse omnium quæ à uoluntate & cõsilio pendent actionum instrumenta per se docta esse. de quibus quidem actionibus, licet acris inter dissectores sit pugna, quomodo fiant, & quibus instrumentis, nihilominus omnia animalia, simul atq; genita sunt, & spirant, & uocẽ reddunt. Igitur non mirũ esse debet, genitales partes, eas actiones quarũ gratia à natura institutæ sunt, protinus ab initio cognoscere. Alioqui cur uter9, cũ semẽ genitale cõceperit, donec perfectus fuerit fœtus, exacte clausus permanet, perfecto uero fœtu plurimũ aperitur, ac deinde sic apertus excludit. Populares autem hęc propter crebrum euentum, & contemnunt, & despi-

D ciunt, utpote qui nihil, quod reuera sit admirabile, sed ea duntaxat quæ raro uident, admirari con sueuerũt. Quid enim in rerum natura potest esse admirabilius, quàm quòd nouem perpetuis mensibus clauditur os uteri, adeo exacte, ut ne specilli quidem acumen admittat: perfecto autem fœtu, usq; adeo distenditur, ut totũ animal per ipsum egredi possit? Non igitur dubites pudendorum facultatem per se doctam esse, ut fistulosum hoc, neruosumq; corpus, ubi ad coitum insurgit animal, à naturali facultate, quæ ipsum attollere potest, protinus distendat. Cuius rei simile & in corde, & arteria planè uidere est, nisi quòd horũ motus perpetuus est, eo q̃d semper necessaria sit nobis eorum actio: fistulosus uero neruus non semper mouetur, sed cum usus requirit. Cum ergo sic fuerit

fuerit extensus, sequitur ex arterijs spiritus, quemadmodum pulmo thoracem ob eam quam habet ad motum ipsius sequelam. Verum posses fortasse replentis fistulosum neruum spiritus uim, cum ad coitum irrumpit animal, ad arterias quoq; referre, quanquam multo satius est, ut huiusmodi actionem ad neruũ, nõ ad arterias referamus, cum præsertim actiones, ex propria partium essentia, non ex earum positu prouenire, rationi consonũ sit. Nam cor si in alia quapiam parte poneretur, nihilominus actionẽ suam obtineret. Nec aliter de iecinore quoq;, liene, ac reliquis omnibus sentiendum est. Quare uniuersi corporis arterias, eãdem habere actionem probabile est. quippe eodẽ tempore omnes totius animalis arterię, inter sese similiter distenduntur. Itaq; haudquaquam par esse uidetur, ut arteriæ pudendis innatæ, aliam aliquam habeant facultatem, pręter eam quam antea in toto corpore habebant. sed ampliora sunt ipsis, quã cæteris arterijs ora, & quidem optimo iure, ad celeritatem sequelæ ad id quod euacuatur sic præparata. Semper enim natura quod unicuiq; actioni utile est, undiquaq; explere uidetur. Cæterum nullam aliam insuper præcipuam habẽt actionis facultatem, cum ad pudendum peruenerint, licet calfactis lũbis, par sit, ut & arteriæ calidiores reddantur, & magis etiam pateãt ipsarum ora. quam obrem non exiguam tunc spiritus essentiam, in fistulosum neruum effundunt. qui paulatim impletus colem extendit, ita ut tota ipsius essentia in fistuloso neruo consistere uideatur. His itaq; cognitis ad priapismi affectionem ueniamus. Quippe ex ijs quæ supra proposita sunt, constat, uel ob arteriarum ora immodice dilatata, uel uaporosum spiritum in fistuloso neruo ortum, hunc fieri affectum. Sed utrum potius pro causa sit habendum, inquirere oportet. Ego quidem ab utrisq; ipsum fieri posse existimo, crebrius tamen arteriarum ora dilatata sequi. quippe facilius est hæc distendi, quàm flatuosum spiritum in neruo fistuloso generari. Ac memini me huiusmodi quidem nerui affectionem semel uidisse, arteriarum uero sæpenumero. Cuius rei coniecturam feci, tum ex ijs quæ præcesserunt accidentibus, tum ex modo curationis. In illo enim cui assidue colis palpitatio præcesserat, causa erat spiritus flatuosus. ad quẽ cum omnem curationem conuertissem, hominem sanaui. Quibus uero supra modum arteriarum ora dilatata erant, in ijs nullum huiusmodi accidens præcedere solebat. Porrò accidit cuidam, ut longo tempore præter consuetudinem à concubitu abstineret, alteri uero ut mali succi alimentis acribusq; uteretur, alij etiam ut duobus mẽsibus præcinctus peregre proficisceretur, cum antea nunquam cingi consueuisset. Coniecimus itaq; arteriarum ora nimis dilatata, alijs quidem ob humorum uitia, & acrimoniam, alijs uero ob flatuosum spiritum generatum, & sine ordine & uiolenter commotum. Etenim medicamenta excitandæ tẽtiginis uim obtinentia, tum epota, tum etiam perinæo, id est, fœminii (quæ est inter anum & pudendum intercapedo) lumbisq; adhibita, calida omnino, atq; flatuosa sunt, quemadmodum contraria omnia, flatus discutiunt, & infrigidant potius, quàm calfaciant. Sed aduerte ne obiter hunc sermonẽ percurras. quippe de medicamentis, nõ de cibis locutus sum. quoniam sunt quædam alimenta, quæ ob id quod plurimũ seminis pariunt, impetum ad libidinem excitare possunt. hæc ergo sermonem illum, quem nuper dicebamus, probabiliorem reddere possunt, quòd à cõcubitu abstinentes interdum priapismo uexari solent: siquidẽ accidit his qui plurimo semine abundant, & præter consuetudinem à coitu abstinent, præsertim cũ non student ut multa exercitatione sanguinis abundantia dissipetur: maxime uero ijs qui à libidinis cogitatione nondũ liberi euaserunt. ueluti sunt quidam suapte natura casti, qui cũ lõgo iam tempore huiusmodi continentia sese exercuerũt, libidinis imaginẽ concipiunt, ob spectacula, quæ illam mouere, et ad memoriam reducere possunt. Nam quæ in horum hominum pudendis generatur affectio, eorum affectioni longe contraria est qui nullo pacto libidinis cogitationi sunt obnoxij. Atq; fuit mihi amicus quidam, cui pręter eam quàm antea habuerat consuetudinem, omnino à concubitu abstinenti, adeo rigidus tumidusq; factus est penis, ut mihi accidens ipsum declarare cogeretur. Miror, inquit, quòd huic (athletam indicans) ob continentiam rugosus, collapsusq; penis euaserit: mihi uero ex quo cõtinentiam seruare studui, euenerit contrarium. Tum equidem illi consului, ut collectũ iam genitale semen excerneret, postea uero & à narrationibus, & spectaculis, & meditationibus libidinẽ suscitare potentibus, summopere caueret. At uocis exercendæ studiosi, & athletæ, qui iam inde ab initio, nullam uitæ partem uenereis illecebris contaminauerunt, nullam admittẽtes huiusmodi uel cogitationem, uel imaginationem, ijs pudenda & exilia, & rugosa, ueluti senibus, fieri consueuerũt. Nam præter ea, quæ accidere solent ijs, qui protinus à prima iuuẽtute, immodice libidini sese permiserunt, id etiam euenit, ut horum locorum uasa, amplius dilatata, maiorem ad se sanguinis copiam alliciant, & coeundi cupiditas magis increscat, ea uidelicet ratione, quam in cęteris quoq; facultatibus uidere est, & quæ à Platone etiam notata est, cum inquit. Ignauia quidem exoluit, proprij autem officij exercitatio, robur augere solet. Sic mammæ quoq; in ijs quæ nondum impręgnatæ fuerunt, contractæ permanent, in alijs uero à partu infantulos lactantibus, uastissimæ redduntur, atq; ita magnæ permanent lac emittentes, donec puer fuerit ablactatus. tunc enim haud ita multo post à lactis generatione quiescunt. Igitur omnia hæc, si bene considerentur, ac præterea causæ ob quas in singulis affectis partibus, affectus ipse consistit, definiantur, nõ inutilem ad curationis rationem ansam præbere poterũt. Atqui non est nũc tempus, ea tractare. Quare adepto hoc opere finem, orationi quoq; nostræ hic finem imponimus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBELLI INTRO-
ductorij De pulsibus.

Cap. I. De arteriarum pulsu in genere: Quarum nã pulsus semper, aut nunquã, aut emaciato tantum corpore sentiatur: & quòd omnibus præferri debeant quæ in carpis seu brachialibus tangi solent. II. De quãtitate distentionis. III. De qualitate motus. IIII. De tẽpore quietis. V. De æqualitate & inæqualitate. VI. De ordine & eius perturbatione. VII. De unius pulsus inæqualitate. VIII. De pulsuũ cõposita inæqualitate. IX. Differentiæ pulsuum tres esse causas in genere, quæ referãtur ad res naturales, uel nõ naturales, uel præter naturam. Et ꝙ optimum sit singulorũ qualis in sanitate sit pulsum prænosse: Quod cũ in omnibus fieri non possit, saltem communes quasdam notiones tenere oportet, quæ in plerisq; eius conditionis hominibus contingant, ut secundũ ætates, temperamenta, &c. quẽadmodum in sequentibus habebitur. X. Differẽtiæ pulsuũ secundum causas naturales, sexum, habitũ corporis, ætatem, anni tempora, regiones, aerem ambientem (gestationem uteri) somnũ & expergefactionẽ, ascititios corporis habitus & temperamẽta. XI. Differentiæ pulsuum secundum causas nõ naturales, exercitia, balnea, cibaria, potum uini & aquæ. XII. Differẽtiæ pulsuum secundum causas præter naturam, quibus naturales etiam & non naturales, si modum excedant, adnumerandas ait: Ea uero quæ non excessu solum, sed toto genere præter naturam sunt, numero quidem infinita esse, posse tamen duobus generibus comprehendi, cum ab omnibus istis aut solutio uirium, aut grauatio inferatur. Harum rursus generales causas affert: & qualis utramq; pulsus comitetur declarat: nempe inæquales & inordinati, uirtutẽ grauatã, de quibus iam supra dictum est: solutam uero, formicans & uermicularis. XIII. In animi affectibus (quorum plærisq; uirtutẽ dissoluunt) ira, gaudio, tristitia & timore, pulsus qui fiant. Dolor quomodo pulsus uariet: & quomodo inflammatio, in genere, & per singulas corporis partes. XIIII. Pulsuum differentiæ in diuersis morbis secundum locos affectos. 1. Pleuritis qualem pulsum habeat. 2. Suppuratio. 3. Marcor. 4. Phthisis. 5. Peripneumonia. 6. Lethargus. 7. Phrenitis. 8. Catochus. 9. Conuulsio. 10. Paralysis. 11. Epilepsia & apoplexia. 12. Angina. 13. Orthopnœa. 14. Uteri suffocatio. 15. Stomachi affectus. 16. Hydrops. 17. Elephas. 18. Icterus. 19. Veratri assumptio.

CL. GALENI DE PVLSIBVS LIBELLVS AD TYRONES.

HERMANNO CRVSERIO CAMPENSI INTERPRETE.



Qvae interest tyronum charissime Teuthra de pulsibus nosse, hic exponam. Eorum artẽ alibi habes totam traditã. Igitur omnes inter se arteriæ & cor habent eandem pulsandi rationẽ. Quamobrẽ ex earum una colligere de omnibus possis. Verum motum non perinde omnium sentias, sed in partibus nulla tectis carne clarius, in carnosis obscurius. Quæ uero opertæ crassa carne sunt, aut sub ossibus latẽt, aut quibus corpora sunt alia obiecta, harum, dũ ualet animal, motum nõ percipias. Quod si uehemẽter emarcuerit corpus, arteria quæ sita est secundũ dorsum, tangentibus abdomen, motũ repræsentat: atq; etiam nonnullæ in artubus, quæ prius latebãt. At semper arteriæ temporum, ac summi pedis, & manuum in carpo illustrem motum habẽt. His minus, nõ illæ tamẽ obscure pulsant arteriæ capitis post aures, & quæ tenẽt brachij interiorẽ regionem. Et uero etiam nonnullæ aliæ, quæ nõ abstrusæ sunt sub ita multa carne. Verum enimuero nullã neq; promptius, neq; honestius, nec uero commodius, si carporum prætereas, tangas. Hæ nanq;, quòd uacet locus carne, apertissimæ sunt: nec quod propter alias est necessarium, detegere harum gratia ullã corporis partem necesse habeas. Ad hæc in rectum ductę sunt, id quod non parum ad exactam notitiam refert.

De quantitate distentionis. Cap. II.

Distendi arteria tangenti uidebitr tibi in omnẽ dimensionem. Sunt autem cuiuslibet corporis tres dimẽsiones, in longitudinẽ, profunditatẽ, & latitudinem. Sed enim dum naturalem statum animal retineat, inuenies arteriam distendi sanè quàm moderate. Sin autem perdiderit eum, nũc deficit, nunc excellit in quacũq; dimensione. Hic tibi retinendũ est, qui pulsus naturalis esset. Atq; siquidẽ eum reperias, qui naturalis non est, latitudine esse maiorem, appellabis latum: si longitudine, longum: si profunditate, altum. Et contrarios his, qui naturali minores sunt, simili modo uocabis angustum, breuem, humilem. At de his, qui à natura tribus ex æquo dimensionibus deflectũt, qui undequaq; est imminutus, paruus: qui auctus in omnem partem, magnus nominatur. Hæ quantitatis distentionis in pulsu differentiæ sunt.

De qualitate motus. Cap. III.

Proprie ad motum pertinent celeritas & tarditas: quarum hæc motus est remissus, illa incitatus. De his faciendum iudicium ex comparatione naturalis pulsus est. In qualitate occursus uehementia consistit & remissio. Vehementia quidẽ, cum uiolenter tactus impellitur: cum debiliter, remissio. Mollitudo autem & durities sunt tunicæ arteriẹ qualitates: mollitudo, cum arteria quasi carnosior in occursu apparet: durities, ubi ueluti siccior, rigidiorq; in modum corij. Atq; hæc quidem etiam differentia pulsuum unà statim cum arterię motu percipitur: non tamen eius est, ut tres antedictæ, propria. Illarum enim, differẽtia celeritatis & tarditatis posita in qualitate erat motus: uehementiæ & remissionis in ictus qualitate: magnitudinis paruitatisq; in quantitate distẽtionis. Atqui non caret motu distẽtio. Molle uero corpus atq; durum

durum,ut sit tale,non requirit motum. Quatuor ergo has pulsuum differentias inueneris in ictu.

De tempore quietis. Cap. IIII.

Quintam aliam in ictuum interuallo. Nam ita medici solent interpositum tempus inter duos ictus,quo distenditur contrahiturq; arteria, appellare. Ego uero congruum esse duxi tyronibus,ut se primum,quasi insensibilis contractio sit, exerceant. Vocabo alterum ictum, alterum interuallum. Ictum, arteriæ motum tactui occurrentem. Interuallũ,quietẽ inter duos ictus: quæ crebrum complectitur,rarumq;,atq; medium utriusque,in quo quidem naturales pulsus continentur. Quos etiam temporis quantitate cognosces. Nam creber est,cum quietis sit breue tempus.Rarus, cum longum.Quietem dicas,an ictuum interuallum, an contractionem,nihil intererit.

De æqualitate & inæqualitate. Cap. V

Aequalitas & inæqualitas omnibus his differentijs accidunt. Nam continens harum paritas est æqualitas.ut cum insequentium par magnitudo sit,pulsus magnitudine æqualis dicetur. Cum celeritas,æqualis celeritate. Ad eũdem modum, si uehementia,crebritas,remissio.Inæqualitas,paritatis corruptela est,in quamcunq; cadat differẽtiam pulsuum.Erit enim quidã magnitudine inæqualis,alius celeritate,nõnullus uehemẽtia, & remissione, & crebritate,atq; in reliquis similiter.

De ordine & eius perturbatione. Cap. VI

Nonnunquan etiam ordine quodã, certo ictuum numero,pulsibusparibus unus intercurrit impar.quod multis modis fit.Etenim tribus paribus quartus impar consequitur,idq; consequẽter semper:aut quatuor quintus.Ad eundem modũ quouis in alio numero. Siquidẽ comitatur sæpe quinque paribus,impar sextus:& etiam sex paribus septimus impar.Itaq; perdunt hi æqualitatem, quã obrem pulsus inęqualis fit,tamen ordo retinetur quidam,ideoq; ordinatus est.Cum enim pari semper numero,paribus pulsibus intercurrit unus impar,æqualitatem corrumpit,sed proportio circuituum quendam ordinem cõseruat.Nam si circuitus prorsus seruet̃ nullus, inordinatus hic uocat̃.

De unius pulsus inæqualitate. Cap. VII

At incidit & in unum pulsum inęqualitas,tum pro mutua dissensione arteriæ partium in situ & motu,tum pro uniuscuiusq; pulsus peculiari motu.In situ partiũ consistit inæqualitas,ex eo quod sursum, deorsum, prorsum, retrorsum, dextrorsum,sinistrorsum traducta arteria uideatur.In motu,cum celerius,tardius,maturius,serius,uehemẽtius,languidius,aut longiore tẽpore, aut breuiore,aut perpetuo,aut nihil prorsus mouetur. In singulis partibus, cum interpellatus manifeste est motus,in quibus Caprizans est. Itẽ cum reciprocatur,de quibus est Dicrotus.In motus impari celeritate,cum initio celerior,in exitu tardior sit. & ecõtrario,cum tardior initio,ad postremum sit celerior.In uehemẽtia,remissione,paruitate,magnitudine ad eundem modum. Neq; in duo tantum tẽpora motus,sed & in plures, quoad assequi sen-

A sus possit,distribuitur.Atq; hæ quidem simplices sunt,& unius pulsus inæqualitates.

De pulsuum composita inæqualitate. Cap. VIII

Compositæ fiunt, quatenus altera potest cum altera,& una cũ una,& cum pluribus una, deniq; cum multis multæ commisceri. Quarum nonnullæ proprium nomen sunt sortitæ: ut Vermiculãs, Formicans,& Hecticus. Vermiculans,cum speci es exhibetur quasi perreptantis arteriam uermis undarum in modum insurgentis,non uno tempore tota arteria distenta.Quòd si coniunctum cum distentionis paruitate sit, uocatur Vermiculans. Sin autem cum magnitudine, Vndosus simpliciter.Est uero etiã aperte languidus Vermiculans, & creber.At qui ad extremam deuenit remissio-

B nem,crebritatem,& paruitatem,uocatur Formicãs:qui in speciem quidem celer est, nec est celer tamen.Porrò Hecticus pulsus ita ut febris uocatur, qui non magnopere ullo modo uariat, cæterum manet in perpetuum similis, cohæretq;, nec propellitur unquã: quòd totus habitus morbum induit in eiuscemodi febribus & pulsibus. Hæc tyronibus existimo de pulsuum differentijs sufficere. Quòd si cognoscere hæc exactius aueas, librum habes à nobis solidum cõscriptum De differentijs pulsuum. Nec uero etiã causa est, cur de pleno hic & uacuo pulsu dicam, uel de rhythmis. Illic enim accurate de his disserui: atq; is sermo tyronibus est obscurior. Quare si, quæ commemorauimus,summatim retractauerimus, reliqua per-

C sequemur. Magnus pulsus est, qui fit, ubi in longum arteria, & latum, profundumq; distenditur multum.Longus,cum in longũ duntaxat. Latus, cum in latum. Altus,cum in altum. Vehemẽs est pulsus, qui ualẽter ferit tactum. Mollis,cum tunica tenera est arteriæ. Celer fit,cum pauco tempore arteria distẽditur. Creber, cũ paruo interposito spatio. Aequalis, qui perpetuo sibi constat. Ordinatus, qui circulatim par est. Qui in uno est ictu impar,inæqualis in uno ictu nominatur. Iam etiã horum contrarij sint aperti,paruus,breuis, angustus,humilis,languidus,durus,tardus,rarus, inæqualis,inordinatus. Nec uero hoc obscurum est, singulorum aliorum contrariorum medium esse: æqualis & inæqualis medium esse nullum, nec or-

D dinati & inordinati.Præterea aliorum omniũ naturæ conuenientes medios esse.at in his æqualis naturæ solus conuenit, alij non conueniunt, inæqualis & inordinatus.

De uarijs causis differentiæ pulsuum. Cap. IX

Quando multis modis pulsus uariare possunt (neq; enim causam propè ullã reperias, quin hos immutet) uisum est mihi trifariã mutationis summam differentiam distribuere, deinde separatim de singulis uerba facere. Prima igitur mutatio horum naturalis est, altera nõ illa quidem naturalis, nec tamen iam præter naturam. Tertia est præter naturam. Comitantur hę omnes ad naturales diferẽtias. Alij enim aliter arteria natura mouetur. Quas quidem tenere ante omnes debet, qui cognoscere cupit, qua de causa, ac quatenus mutari

pulsus

pulsus contigit. At proprium cuiusque ad unguem experiundo assequaris. Sanè frequenter tangenda arteria est, præsertim integra sanitate præditi, atque uacui omnis uehementis motus, necnon cæteris in statibus. Verum, quia omnes experientia assequi non est (etenim multi iam medicos sæpe desiderauerunt, cum quibus sani nullum habuerunt usum) optimum hercle est etiam hic imperito præstare artificem. Præstiterit autem, si scientiã cõparauerit eorũ, quæ in multis ex æquo insunt. Est autem quædam, ut summatim dicam, cõmunis uirorum natura, alia mulierum. Etiam qui calidiore sunt temperamento, quique frigidiore, habẽt hi utrique communem naturam. Ad hæc omnium communis natura est gracilium, corpulentorum item communis est. Ac rarum in singulis est, quas memoraui communitatibus, quod non assimile multis sit. Proinde etiam, qui probe commune tenet, raro à uero aberret.

X Viri mulieribus pulsum ferè habent longe tum maiorem, tum uehementiorem, paulo tardiorem, satisque rariorem. Calidiores natura, multo habent maiorem, celeriorem, crebriorem: uehementiorem non item multo. Graciliores maiorem rarioremque multo, uehementiorẽ paulo. Atque natura sic differunt. Porrò pro ætatibus hoc pacto immutãtur. Infantis pulsus creberrimus est, rarissimus senis. Omnes qui inter hos intercedunt, proportionem seruant, prout uel ad puerũ uel ad senem propius accedunt. Celerrimus item pueri pulsus, senis tardior. Reliquarum ætatum pulsus inter hos ambigunt. At senex à puero longe magis raritate, quàm celeritate distat. In uehementiæ & magnitudinis differẽtia, maximus est, ut in ætatibus, pulsus iuuenum, minimus senum, medius & paulo maior pulsus puerorũ. Iam uehemẽtissimus iuuenũ, languidissimus senũ, medius est inter hos puerorũ pulsus. Atque pulsus in ætatibus sic habent. Pro anni temporibus: medio uere pulsus maximi sunt & uehemẽtissimi, ut in temporibus: celeritate & crebritate moderati. Pari modo, medio autumno. Vergẽs autem uer nõnihil de magnitudine & uehemẽtia detrahit, sed auget celeritatem atque crebritatem. tandemque ineunte iam æstate languidi, parui, celeres, crebrique fiũt. Autumni progressus cuncta imminuit, magnitudinem, uehementiã, celeritatem, crebritatem. Ita ineunte hyeme in paruitatem conuertuntur, & remissionem, & tarditatem, & raritatem. Respõdet autem initium ueris fini autumni, illius finis initio huius. Aestatis item principium suo, & principiũ hiemis suo fini. Proinde quæ pari spatio à media æstate & media hieme in utranque partem deflexerunt, similiter uariant. Porrò media æstas partim cõuenit cum media hieme, partim dissidet. Nam parui utrobique, & lãguidi sunt, sed celeres atque crebri æstate, tardi rarique hieme: nõ perinde tamẽ parui æstate ut hyeme, sed æstate minus. Nec ita hyeme languidi, ut æstate: cæterũ minus hyeme. Ad hunc modum pro tẽporibus pulsus uariãt. Pro regionibus perinde ut pro temporibus. In uehementer calidis, sicut media æstate. In magnopere frigidis, ut media hyeme. In temperatis ita, ut medio uere. Ad horum proportionẽ in ijs, quæ medium locũ sunt sortitæ. Porrò aeris nos circũdantis alij status, qui calidi sunt, calidis tẽporibus: frigidi frigidis, medij medio ueri respõdent. Prægnantium maiores, crebriores, celeriores pulsus sunt. preterea nihil mutatur. Iam somni etiam sint, si quid aliud, naturales, qui & ipsi uariant pulsus. Initio minores, languidiores, tardiores, rarioresque reddunt. Postea tarditatem pedetentim augẽt & raritatem, præsertim à cibo: at maiores sunt & uehementiores. Tandem diutius durantes ad remissionem & paruitatem redeunt: tarditatem & raritatem retinent. Qui expergiscuntur, e uestigio pulsus magnos, uehementes, celeres, crebros, & cum quadam uibratione habent: qui mox mediocritatem assequuntur. Adscititiæ habitudines corporis perinde ut naturales immutãt. Nam gracilis natura si quadratus euaserit, huic, qui talis natura est, assimilem pulsum habet. Sin autem quadratus factus gracilis sit, assimilem gracilibus natura. Constat uero gracilitatis & quadrati corporis, citra facultatis immutationem, æstimandam differentiam esse: itemque in omnibus alijs. ut unum id tantum ubique, de quo in præsenti disputemus, mutetur. Quæ diximus de quadratis, eadem de corpulentis, maiori tamen cum incremento sunt interpretanda. Iam etiam temperamenta corporis ascititia pulsus naturalibus temperamentis mutant conuenienter.

XI Nunc alias mutationes, quę causas nõ habent naturales, recenseamus. Exercitationes primum, & donec moderatæ sunt, uehementes, magnos, celeres, crebros pulsus efficiunt. Si multæ sint & uires excedant laborantis, paruos, languidos, celeres, & crebros in summo. Nimium immodicæ, adeo ut ægre iam se possit mouere & multis interpositis quietibus, aut nihil prorsus possit, sed remissæ uires impense sint, pulsus mire paruos, & languidos, tardosque, & raros. Quòd si peruentum eo sit, ut uires oppressæ sint, pulsus creãt illis proprios. Quales autem excitet pulsus facultas oppressa, dicemus paulo inferius. Balneæ calidæ, dum sint moderatæ, pulsus creãt magnos, celeres, crebros, uehemẽtes. Immodicæ paruos & languidos, tamen adhuc celeres ac crebros. Quòd si hic non relinquantur, paruos, languidos, tardos, atque raros. Frigidæ balneæ illico paruos ac languidiores, & tardos, rarosque pulsus efficiunt. postea, prout id sit, quod induxerunt. Omnino enim uel torporem inducent uel robur. Quæ torporem intulerũt & perfrigerarũt, paruos, & languidiores, & tardos, rarosque efficiũt. Quę excalfecerũt, & robur conciliarũt, magnos uehemẽtes, celeritate & crebritate moderatos. Cibus largus, ut etiã graret facultatẽ, pulsus inæquales, atque inordinatos cõcitat. Archigenes uult celeriores quàm crebriores. Moderatus, magnos, uehementes, celeres, crebros. Parcior, quàm qui satis nutriat, nõ æque ac moderatus, cæterum minus mutat, neque id diu. Vinũ

pulsus cætera ut cibus uariat. hoc uero interest, quod illico immutet, & citius mutatio à uino pro fecta recedat, quàm illa quæ à cibo. quòd item celeritatem amplius & magnitudinẽ, quàm uehementiã & crebritatẽ augeat. Quanto enim uehemẽtius moderatus cibus constantiusq; robur conciliat, tantum fere uinum extollit magnitudinem. Aqua minimam omniũ ciborum & potuum mutationẽ inducit: quanquam perinde ut cibi & hæc mutet. Reliqua omnia, quatenus nutrire ualent, uel calfacere, uel refrigerare, hactenus arteriarũ motum uariant. Ad hunc modum pulsus ex causis, quæ non naturales appellantur, mutantur.

XII Nunc mutationes ex causis preter naturã exponamus: illaq; cõmemoremus prius, quæ iam de causis præter naturã cõmunitate orationis cõscripsimus. Ac aeris status, ciborũ copia, ut facultatem grauet, adhæc exercitationes, & balneæ, somniq; immodici præter naturã sunt. Excessus em̃ in quantitate naturalium causarum & nõ naturalium desciscunt ad statum præter naturã. At causarum, quæ non quantitate modo, sed & genere sunt præter naturam, immẽsus est numerus: itaq; nec potest comprehendi. Ars uero in his quoq; constat generibus & speciebus, quoad eius fieri potest, certis infinitum cõplectens. Etenim quãlibet causam præter naturam nõ ab re dixeris uel dissoluere uitalem facultatẽ & dissipare, uel quasi deprimere, grauareq;. Dissoluitur facultas alimenti inopia, & morborum malignitate, animiq; affectuum ui, atq; uehementia dolorum uel diuturnitate, deniq; immodicis uacuatiõibus. Degrauatur à materiæ affluentia, & ab instrumentorũ affectibus, ut inflammatiõibus, scirrhis, tumoribus, abscessibus, uarijsq; corruptionibus. Itaq; fatiscẽs facultas pulsum paruum, languidum, & crebrum admodũ efficit. Depressa & quasi degrauata uertit in inæqualitatem pulsus, & in ordinem perturbatũ cum omnẽ aliũ, tum uero uehemẽtiæ & magnitudinis. Hę siquidẽ in primis inęqualitates propriæ sunt facultatis pressę: ac grauatę insigniter, in pluribus differentijs: parũ, in paucis. Etiam pulsus plures paruis magni sunt, & languidis uehementes, cũ pusilla sit offensa: contrà, si magna. Iam nõnulli pereunt etiam integri motus in eiuscemodi affectibus, intercurruntq;: uerũ minorẽ intercurrentes noxã, deperditi grauiorẽ significãt. Habes cuiusq; dissolutionis & depressionis communes mutationes. Peculiares accipit queq; ex causa efficiente. Ergo cum dissoluta à penuria alimẽti facultas sit, fiũt pulsus primo lãguidi, parui, celeres, atq; crebri: in medio, languidi, parui, tardi, rariq;: tandẽ extreme parui, languidi, & crebri, præbẽtq; celeritatis falsam speciẽ. Hic ille est, qui uocat formicans. Vermiculans autem fit ille quidem etiam fatiscente iam facultate, sed nonnihil tamen renitente adhuc: dissidetq; hac re à formicante, quòd non ita in extremam contractus est remissionem & paruitatem, & quòd aperte in uno ictu inæqualis est partibus uel citius uel tardius incipientibus moueri. quamobrem minus tardus quàm paruus

A est, nonnunquã nequaquam tardus: quocirca minime prauus est. Proinde quas exitiales febres & acutæ cõcitant syncopas, hæ pulsum uermiculantem non habent. Reliquis facultatis dissolutionibus fere comitãtur uermiculantes, his potissimũ, quæ febribus nõ sunt coniunctæ, aut quàm minutis. Quare cardiacis syncopis formicãtes, choleris, & ualidis uentris fluxibus, sanguinis profluuijs, fluxui muliebri, omnibus deniq; uehemẽter uacuantibus affectibus plurimũ comitãtur uermiculantes, in extremis autẽ formicãtes. Et si his absint febres, tũ uero multo magis uermiculantẽ pulsum inuenies cum clarum, tum admodũ diuturnum.

XIII Hæ causarum præter naturam communissimæ mutationes sunt: Nunc speciatim eas explicabimus. B Iræ altus est pulsus, magnus, uehemẽs, celer, creber. Lætitiæ, magnus, rarus, est pulsus: at uehementia nihil differt.

Tristitiæ paruus, languidus, tardus, & rarus est.

Timoris propinqui & uehemẽtis celer, & uibratus & inordinatus est, inæqualisq;.

Inueteratus iam similem habet tristitiæ. His omnibus, si ualde diuturna sint, multumq; uehemẽtia, pulsus, ut dissoluta facultate cõsequũtur. Etenim dissoluũt etiam facultatẽ hæc omnia, statim, si ualida sint: diuturnitate, si nõ sint ualida. Dolor, qui quidẽ uariat pulsus, uariat aũt ingens, aut qui principes partes tenet, ut etiam inflammatio, dum paruus est atq; initio, pulsum edit maiorem, uehemẽtiorem, celeriorẽ, crebriorẽ. Auctus uero iam & C admodũ ualidus, ut etiã uitalem uigorẽ offendat, minorẽ, languidiorẽ, celerem, crebrum. Ac quo diuturnior sit, uel uehemẽtior efficiatur, hoc illorum quodq; increscit magis. Qui uero facultatem iam dissoluit, in remissionẽ & paruitatẽ, & falsam celeritatis speciem, ingentemq; crebritatẽ cõmutat. Inflammatio habet omnis cõmunem pulsum ueluti serrantẽ, ut alia pars attolli arteriæ, alia nõ, uideatur, cum illa scilicet uideatur durior. Habet etiam uibrationis aliquid hic pulsus. ac celer quidem & creber est, non perpetuo magnus tamen. At singulis est inflãmationibus proprius, nascentibus quidẽ maior iusto & uehementior, & celerior, & crebrior. Augescẽtibus adhuc, cum illa omnia increscunt, tum clare iam durior & magis ui D bratus est. Vigescentibus autẽ manifestior est, duriorq;, atq; uibratus magis, sed minor est, quàm dudũ, non tamen languidior, nisi facultatẽ excedat affectus. Quinetiam crebrior fit & celer. Quæ si diuturnior sit, atq; in scirrhũ iam indurescat, accedit illis gracilitas pulsus & durities. Hæc inflãmatio habet, quæ pulsum per totũ corpus immutat, uel quia magna est, uel quia principẽ partẽ insidet. Si uero uniuersum corpus nõ afficiat, pulsus in parte inflãmata talis erit qualem diximus. Crescũt autem, quæ commemorauimus, singula, deminuunturq;, aut pro inflammationis quantitate, aut pro ipsius instrumẽti natura inflãmati. Siquidẽ partes neruosiores, duriores edunt pulsus, magisq; serrantes, & minores. Quæ pluribus uenis præditæ sunt & arterijs, cõtrà. Ac inter hos maior est, cum arte-

arteriæ in parte abũdent, atq; inæqualis facile fit, inordinatusq;. Ex his liquet, qui pulsus sit illorũ, quibus inflãmatũ iecur est, uel lien, renes, uesica, colum, uentriculus: Præterea Pleuriticorũ, & Peripneumonicorum, & breuiter omniũ, in quibus partis inflammationẽ comitatur febris: nisi quibus in locis ob symptomatũ naturã, quæ tum necessario ijs consequuntur, tum casu adiuncta sunt, prout quodq; possit mutare, ita pulsus contingat uariari: ut mista ibi mutatio fiat, & quæ inflammationi congrua est, & quam loci natura, uel præsentis inducit symptomatis. Quibus enim inflammatũ est septũ transuersum, hi conuulsionibus sunt opportuni. quibus pulmo, suffocationibus. quibus uentriculi os, syncopis. quibus iecur, atrophiæ, id est intercepto alimenti sensui. quibus uẽtriculus, B cruditati. quibus renes, urinæ suppressioni. Ad hæc partes insigniore præditæ sensu, etiam dolorum nomine pulsus mutant: quæ minus sentiunt, pro affectu tantum. Igitur in inflãmationibus uarie pulsus ex his omnibus mutantur. Quæ quemadmodum discernenda sunt, cum alio loco exacte tractauimus, tum uero in præsentia, quantum interest Tyronibus, persequemur.

Pleuriticorum pulsus. Cap. XIIII

Pleuriticorum celer pulsus est et creber, nec admodum magnus. Videatur etiam uehemens esse. Est ille uero nõ languidus quidem, sed tamẽ non uehemens statim, quod ad affectum attinet. Siquidem ubiq; hoc memoria seruandum est, in quaq; re mutationem esse pro illa re æstimandam, distin C guendũq;, quod alia de re nõ de illa acciderit. Pulsus itaq; pleuriticorũ, quia neruosiorẽ quodãmodo duriorẽq; efficit arteriam, quasi cõuerteret in uehementiã, imperitis imponit, quos quid intersit inter durũ ictum & uehementẽ, latet. Ita quoq; uulgus medicorũ, quod alias etiã differẽtias pulsuum discernere nesciat, has fortasis institutiões accusabit, atq; ex sua ignorantia damnabit recta præcepta. Verũ non faciã ut hic longior sim, cum separatim de pulsibus dignoscendis scripserim. Quare ut rationẽ exerceatis simul & tactũ admoneo, ut in experiẽdo pulsum ualeat tactus cognoscere, non discernere solũ ratione. Principium uero est experiẽtiæ, sermõe expressa doctrina. Quippe nequeas uel crebritatis quantitatẽ uerbis ex- D plicare, tametsi multũ intersit, excedat iustũ pleuritidis modũ, an non assequatur. Siquidem excessus, ubi in peripneumoniam migret, aut denũtiet syncopam, necesse est fieri. Defectus in soporem, uel neruorum erumpere læsionem. Simili modo illa inęqualitatis species, quæ serrãtis imaginẽ prębet, in primis pleuritidis proprium est signũ. si remissa est, mollis & probe maturandæ: si uero magna, difficilis, & admodũ crudæ pleuritidis. Tales cum imbecilla facultate coniunctæ, periculũ habent: cum firma, aut tarde concoquentur, aut ad suppurationẽ deflectent, aut tabidus eas excipiet marcor. Atq; eius, quæ concoquitur, pulsus pedetẽtim omnem deponit illam præter naturam mutationem. Quæ deflectit ad suppurationem, habet

A pulsus suppuratorum proprios. Ita quoq; quæ tabide marcescet, pulsus marcorum.

Suppuratorum pulsus 2

Suppuratorũ pulsus initio statim pulsum refert uigescentis inflammationis. Hæc enim initium est suppurationũ. Nonnunquam inæqualis est & inordinatus, sed omnibus Hecticus. Cum autem pus prope sit maturũ, cætera similis est, nisi quod æqualior sit: at cum erũpit, languidior, latior, tardior, rariorq;.

Marcescentium pulsus. 3

Marcescentium pulsus non uno modo uariat. Quare differentijs hi q; apertissimis discernendi sunt. Qui unà cum inflammatione, quæ nõ discussa sit, cõmarcuerint, languidos, & celeriores, mireq; crebros pulsus habent, ac decurtatos magnitudine in uno ictu. Quos Archigenes Innuentes & Circumnuentes appellat, ut aperte declaret distentionis breuitatẽ, cũ utriusq; extremitatis quasi inclinatione. Neq; enim ut præcisis affatim, sed ceu partibus utrinq; inflexis, cõtrahitur, decurtatus magnitudine in utrisq; partibus. Atq; hoc quidem nõ hi modo, sed marcescẽtes qualibet de occasione habent ferè omnes: qui ex inflãmatione marcescunt, omnes: & alij item multi: nisi sanè & illi de occulta quapiam inflammatiõe marcescũt. Eritq; hic marcescentiũ ex inflãmatiõe proprius, nulli cõueniens, qui aliam ob causam marcuerit. At hecticus omnibus marcescentibus pulsus est: qui quidem ijs est cõmunissimus. Secũdus ab hoc est, in quo inæqualitas in distentionis magnitudine decurtata est: quæ etiam adest plerisq;, deinde crebritas. Etenim hæc quoq; omnibus, qui ex inflammatione marcuerint, perpetua adhæret: omnibusq; adeo, qui ob syncopã ex corde uel stomacho affecto profectam in præsens periculum uenerunt: ac deinde uini potione declinauerunt periculum, sed tempore tamen marcuerunt. nisi sanè hos quoque dicas ex paruis inflammationibus perire nobis incognitis. Siquidem sunt inter eos, qui innuentẽ habeãt pulsum: nisi etiã hos dicas ex inflammatione, alios citra inflãmationẽ marcescere. Verũ hoc in dubio est. Pulsum igitur hi habent hecticũ, languidum, admodum crebrũ, & quidam ex ipsis innuentẽ. Atque alteram hanc marcescentes differentiam pulsuum sunt sortiti. Alia item tertia est eorum, qui rarũ habẽt. uerum & his cum antegressa febris pulsus reddidit crebros, tum facultatis extrema dissolutio abunde efficit crebros. Quod autem intercedit, omnibus refrigeratis febribus, nondum tamẽ extinctis ijs, in raritatem cõmutat. Genus hoc marcoris senibus propriũ est, præsertim cum aliquid uitij pulmo & thorax contraxit. Hi febrilem retinent pulsus duritiem, etiã si rarus sit. Omnino paucis marcescentibus in aliam inæqualitatem pulsus, ac illam, quam diximus, magnitudinis, uertitur.

Phthisicorum pulsus. 4

Phthisicorum, quos uocant, pulsus paruus, & languidus est, mollis'que, & modice celer, atque hecticus.

Peripneumonicorum pulsus. 5

Peripneumonicorum magnus est pulsus & un
dosum quid habet, & languidus, mollisq́ʒ, simili-
ter atq́ʒ lethargicorum pulsus: nisi quatenus præ-
pollet inæqualitate & in uno pulsu, & collectiua
quam uocant. In uno ictu, ueluti interpellatur, &
undosus est, ac dicrotus interim fit. In collectiua,
cum alias differentias habet, tum modo intermit-
tit, modo intercurrit. Cum autem acute omnes pe
ripneumonici febricitant, tum nonnihil soporo-
si comatis habẽt: utrum excellat horũ, ex eius ma
xime ratione crebritatis quantitas inuenitur. Vbi
ardentior febris adiũcta peripneumoniæ sit, pul-
sus abunde creber est. si soporosior, minus creber.

Lethargicorum pulsus. 6

Lethargicorũ pulsus similis peripneumonico-
rum est, magnitudine, remissione, mollitudine:
sed eo est tardior, rariorq́ʒ, ac minus inæqualis, in-
termittens potius, q̃ intercurrens. Est cum dicro-
tus fiat. At undosus semper in altis quidem sopo-
ribus est, de quibus hæc dicuntur. Morborum e-
nim pulsus exponimus, qui omnibus suis indicijs
constent. quò, si qui aliquatenus deficiant, neque
dum sint integri, satis cognoscere magnitudinẽ,
& qua iam sunt prẹditi, et quẹ accedere ijs potest,
ualeamus. Sed quoniam inæqualitatis sẹpe memi
nimus, raro autem perturbationis ordinis; hoc in
uniuersum sciendum est, ferè inæqualitatibus co-
mitari perturbationem ordinis. Ac inæqualẽ pul-
sum, qui sit ordinatus, raro inuenias. Ac nimirum
minores offensæ inẹquales & ordinatos, maiores
inæquales pulsus atq́ʒ inordinatos creant.

Phreneticorum pulsus. 7

Phreneticorũ paruus pulsus est. Rarissime au-
tem conspectus est magnus esse, ac moderatũ ui-
gorem habet. Durus & neruosus est. mire est ce-
ler & creber. Habet præterea nonnihil undosi. In-
terim subtremere tibi uidebiť: Interim etiã præci-
sus cum cõuulsione quadam. Etenim febriũ pro-
priũ celeritatis symptoma hic obtinet clarissime,
in utroq́ʒ termino distentionis, prẹcipue externo.
Inuenias etiam inæqualitatis in positu genus insi-
gniter aliquãdo in illo apparere. Immo totam sub
inde arteriam sua sede deserta cõspicias attolli po
tius cum uibratione ebullientẽ, q̃ more pulsus di
stentã. Pari modo delabi detractam potius, q̃ con
tractam. At uero immodica eius crebritas proxi-
mã denunciat syncopã. Iam etiã alius est affectus,
qui siue medio loco ponẽdus sit inter lethargũ &
phrenitim, ut qui cum neutro in totũ conueniat: si
ue cõmunis esse ambob. existimãdus, ut ex phre-
nitidis speciebus & lethargi mistus, suo loco con-
siderabimus. Nam de eius hic pulsibus agemus.
Ac ne quasi ænigma quoddam propositũ sit, per
signa, quæ cum eo sunt connexa, eum ob oculos
ponam. Conniuent ferè oculis, somnolenti sunt,
atq́ʒ stertunt. Rursus oculis fixis ac inconniuenti-
bus diutissime, ut Catochi, intuentur. Et si quid ro
ges, atq́ʒ ad colloquiũ compellas, difficiles sunt &
tardi ad respondendũ. Plerunq́ʒ etiã uelut mente
moti loquuntur, nec rectè respondent, ac teme-
A rè nugantur. Is est affectus, quẽ dico: qui ex signis
sibi adiunctis defectu proprij nominis cognosci-
tur. Pulsus eius celeres sunt & crebri, perinde ut
phreneticorũ, minus tamẽ. Et roboris item minus
ac illi obtinent. Lati autẽ sunt, & breues. Externũ
motum non habent subito truncatũ, sed alio mo-
do, ueluti intrò se proripientes subterfugiunt, ac
concitant contractionẽ, & quasi suffurant disten-
tionem. uerum in ea pulsui phreniticorum non
sunt similes, quòd truncatione illa careant.

Catochorum pulsus. 8

Catochorum id est stupore correptorũ pulsus
(κατόχους enim & κατεχομένους ueteres Græci ap-
pellabant: Iuniores ipsum affectum κατοχὴν, & κα-
τάληψιν uocãt) cẹtera lethargicis similes sunt, ma
B gnitudine, tarditate, crebritate: ut nec totius huius
affectus species late ab illo dissidet. Catochorũ ta
mẽ nõ imbecillus est pulsus, nec mollis: sed in his
sanè multũ differt. ut etiã in hoc, quod laxatur Le-
thargicis, atq́ʒ intumescit uniuersum corpus: con-
tra stipatur & cogiť catochis. Ad hæc æqualitate
& inæqualitate distant. Aequalis eñ pulsus est ca
tochorũ, inæqualis lethargicorũ. Archigenes arte
riæ locũ autor est proprie in ijs inueniri calidiorẽ:
sicut illis, quibus cõuulsio imminet cum sopore.

Conuulsorum pulsus. 9

Conuulsorũ ipsum corpus arteriæ uidetur con
tractum, ac undequaq́ʒ coactum, nõ ceu cõpres-
sum sit abs quopiam uel constipatũ, nec etiã uelu
ti horrore correptum, ut in febri, præsertim in ac-
C cessionibus: nec uero ut præ duritie ad intentio-
nem contumax, ueluti quod fit diuturnitate tem-
poris, præsertim cum quid offensum sit, uel uisce-
ra uitiata: sed ut corpus neruosum, cauumq́ʒ, uelu-
ti intestinum aut simile, ex utroq́ʒ fine intentum.
Ad eundem modum inæqualis motus est arteriæ
in modũ chordæ sursum deorsumq́ʒ agitatẹ. Neq́ʒ
enim species distentionis uel contractionis repræ
sentatur, uerum uibrationis potius similis est, ceu
exiliẽtis sursum iterumq́ʒ retractæ intrò. Quod ne
cõstituto quidem tẽpore habet: sed uno sẹpe tem
pore altera eius pars uideť ferri sursum ueluti eia-
culata, altera intrò ceu à quopiã attracta. atq́ʒ una
moueri citate, altera tarde. Iam uehemens quoq́ʒ
& magnus conuulsorum pulsus uidetur esse. Est
D uero hic non imbecillus, neq́ʒ paruus: non perin-
de tamen, ut uidetur, uehemẽs uel magnus. Ictus
enim imponit, dum ob tensionem ualidus, ob ui-
bratione ẽxilire appareat: Quamobrem altior in-
terim uidetur, ac ueluti strepitum quendam ad ta
ctum edit asperum. Sanè neminẽ, qui quidem sit
expertus, fugiat hic pulsus. Quippe nulli est simi-
lis, uel tensione in utranq́ʒ partem, uel conuulsio-
ne motus. At quando cum pulsu sopitorum cõmi
stus est, difficillime motus deprehẽditur, solusq́ʒ,
qui adamussim utrũq́ʒ cognoscere separatim me-
ditatus est, poterit confusos cognoscere.

Paralyticorum pulsus. 10

Paralyticorum paruus pulsus, & imbecillus, tar
dusq́ʒ est: nonnullis rarus quoq́ʒ: alijs creber, sed
nonnihil inordinate intermittens.

Comi-

Comitialium & attonitorum pulsus. 11

Comitialium & attonitorũ similes pulsus sunt. Quare de comitialibus quæ exponemus, eadem de attonitis, sed cumulatius accipiẽda sunt. Dum modice infestatur natura, neq; dum eam multum superauit morbus, nullam inuenies mutationem insignem magnitudinis, uehementiæ, celeritatis, crebritatis, duritiei. Tantum est uelut conuulsis intenta iure utrinq; arteria. Sin autem grauis sit affectus, ut oneret facultatem & inæqualitatem quandam comparet, atq; tensionem ualidam tunc minor, languidior, rarus, tardusq; efficitur. Si grauet magnopere, & facultatem opprimat: languidos, paruos, celeresq; creat.

Angina laborantium pulsus. 12

Anginæ pulsus tensione quadam præditus est conuulsiuo persimili. Magnus est & undosus, ut pulsus peripneumonicorum. ac utrum insigniter in eo polleat, pro eo expectãda mutatio est. Nam si peripneumonica species superior sit, in peripneumoniam: si uero conuulsiua, in conuulsionem angina desinet. Quicunque autem ex illis uehementer suffocantur, paruum hi habent, & rarum pulsum. Vbi iam animam agũt, crebrum atque inæqualem.

Orthopnoeæ pulsus. 13

Orthopnoea acuta inæqualem, & inordinatum pulsum habet, & nonnihil deficientem: Quæ mediocriter est grauis, crebrum: Quæ uiolentissima, tardum & deficientem: Quæ iam perimit hominem, crebrum & languidum.

Vteri suffocati pulsus. 14

Vteri suffocati pulsus, ut si conuelleretur, protensus est, & rarus. Quòd si exitialis sit suffocatio, creber, inordinatus, & nonnihil deficiens.

Stomachi affecti pulsus. 15

Stomachus affectus (ut sic uocemus in præsentios uentriculi, quòd is usus apud uulgus obtinuit) non uno modo commutat pulsum. Nam si inflãmatus sit duntaxat, ita mutat pulsum, ut corporis neruosi diximus pulsum solere. Si comprimatur, uellicet, languescat, singultiat, uomat, nauseet, fastidiat, doleat: pro genere symptomatis. Nam uellicatiões, uomitus, nauseæ, singultus, languor non solum paruum & languidum efficiunt, & interim etiam modice celeriorem: uerum etiã admodum crebrum. Sola uero compresio remotis illis omnibus, rarum, tardum, paruum, & languidum. Ea compresio tum à cibis oritur grauantibus, neq; ulla insigni præditis uirtute, sed sola abundantia molestis: tum ab humoribus quibusdam, qui in eum confluant, non mordicantibus. Qui ab his si semel perfrigeret, tum uero uel maxime talis pulsus existet. Sed & magnæ bulimi uocatæ famis talis pulsus est. At omnes quidem affectus, qui in crebritatẽ mutant, si diuturni sint, uel euaserint grauiores, pulsum uermiculantem creant. Qui uero in raritatem, præter quod commemoratas differentias adaugẽt, talem præterea speciem inæqualitatis in uno pulsu generãt, ut multis locis pertusum corpus arteriæ uideatur, neque esse continuum. ac sentit tactus in distentione ueluti arenæ occursum.

Hydropicorum pulsus. 16

Aquæ inter cutem pulsus: Ascitæ, paruus, crebrior, subdurus, cum quadam tensione est: Tympanitæ, longior, non imbecillus, celerior, creber, subdurus, cum quadam tensione: Illius, quam hydropem ana sarca Græci uocant, undosus, latior, mollisq;.

Elephantiasis pulsus. 17

Elephantiasis pulsus paruus, languidus, tardus, creberq; est.

Ictericorum pulsus. 18

Ictericorum pulsus est, si absit febris, minor, durior, crebrior, non languidus, nec celer.

Eorum qui ueratrum sumpserunt, pulsus. 19

Veratrum qui sumpserunt, hi paulo ante uomitum, ubi comprimantur, pulsum habent latum, rarum, languidiorem, tardiorem. Interea dum uomunt & diuelluntur, inæqualem & inordinatum. Cum rectius habere cœperint, ordinatum quidẽ, sed inæqualem adhuc, minus tamen, quàm antea. Vbi uero iam ad naturalem statum propè reuerterint, æqualem, ac maiorẽ quàm dudum, uehementioremq;. Qui horum syncopa corripiuntur, conuelluntur, atq; singultiunt: paruum hi, & languidum, inordinatumq;, & celeriorem, atq; multum crebrum habent. Qui ex his suffocantur, paruum, languidum, inordinatum, inæqualem: non autem crebrum, nec celerem, imò potius tardum: repræsentat etiam nonnihil undosi, & lati, atq; paruam quandam interdum arteriæ tensionem.

ARGVMENTA LIBRI PRIMI

ALITER ARGVMENTA CAP. LIB. I.

CL. GALENI DE PVLSVVM DIFFERENTIIS LIBER PRIMVS

Hermanno Cruserio Campensi interprete.

Nominum usum nihil ad artem spectare. Cap. I



PTAREM res & percipi & tradi citra ipsarũ nomina posse, ut ne ad artis uel ex sua ipsius commentatiõe longitudinẽ ueluti cumulus nobis accederet uocabuli negotium. Sed ꝙ nominibus necessario, quę uolumus, interpretamur: sophistis hic cõmentorũ & inutilis disputationis copiosa materia suppeditat. cæterũ nos, qui rerum scientiam, non usum uocum moramur, inuiti quidem, tamen cõpellimur propter sophistarum cõtumelias de nominibus laborare. Nam nihil sit prius, ꝗ quauis cõditione de nominibus cõuenire, & ad contẽplationem properare: quod in libro illo fecimus, quem antea tyronibus De pulsibus descripsimus. Sed quãdo, qui in nominibus tantũ ualent, in operibus artis interim imperitissimi, nunꝗ non interpellant, neq; respirare nos citra contumeliam sinunt, necesse propè iam nobis est, nominibus ut immoremur. Maiores nostros simpliciter uocabulis uideas uti: qui hoc semper unum agunt, sensum ut aperiant. Iuniores tantum nõ in singulis syllabis argutantur, contendunt, neq; de nominibus desistunt digladiari. Exempli gratia (quò una ex parte, huius instituti summam perspiciamus) quidam pulsum ait ualenter pulsantem uehementẽ esse. Adest alius, qui non hunc cę terum qui magnus sit, & plenus, celerq;, illũ affirmat uehementẽ esse. Alius ualidũ simul ac celerẽ. Est qui hos mira grauitate insimulans, magnũ pariter & celerẽ, uehementẽ esse ait. Iam alius hunc nõ ferens, acerbius etiã obiurgat, uultq; plenũ simul ac uelocem, uehementẽ esse. Et hercle præter hos sextus, magnũ plenumq; esse uehementẽ contendit. Quòd si septimus huc & octauus accedãt, hic asserens inter plenum & hunc nihil interesse, ille eundẽ cum duro esse, quam censes pugnam fore? an'ne talem, qualem frequẽter in templo Pacis, & inter ipsos ægrotos conspicimus? adeo ut etiam ad manũ res ueniat, tantum abest, ut turpi dicto abstineãt. Sed mihi, qui nunc molestant, minus stomachum faciunt, tametsi sunt importunissimi. Qui uero ad cõmentandum appulerũt, quis

B ferat? Ad manum enim est inutilis quæstionis index. eum illi non cernunt, sed sic omnes scribunt: Talis pulsus uehemẽs est, talis plenus est, talis creber: cum Est sit submouendum, adiungendum autem maxime, si fieri potest, Appellatur: quo si deficiantur, Appelletur. ac tum demum docendum est, quid solet talis pulsus, quem uehementem forte uocauerunt, significare. Neque enim quo appellemus, aut nomen proprium instituamus, artem nos de pulsibus tractamus, aut alios docere conamur: sed ut præsentia cognoscamus, & impendẽtia prouideamus ægrotis. At ex rebus hæc, non ex nominibus earum inueniuntur. Omnino enim ad rerum cognitionem nihil nomina referunt: tantum ad docendum intersunt. quod pacto etiam potest confici. Siue enim rebus haudqua-

C quam dederis nomina, eas tamen assequi possis, & quid denotare possint, planè teneas: hac in re certe nominantibus non concesseris. siue quando docere institueris, nomina quælibet ponas: ne sic quidem eris inferior. Equidem, si uel Dionem, uel Theonem uelis uehementem pulsum appellare, non offendas in docendo tamẽ, quæ illum causæ generãt, cuius uero est affectus indicium, & quò tandem euadet: peccare te nihil censuerim. Proinde qui ita est aliquid docturus, huic satis sit nomina instituisse. Qui ad ueteres reijcit, illorũ tradet institutum. Nec hic curiosus sit, proprie an improprie appellarunt. nec audeat immutare, nec incuset: quod faciunt sophistæ. Superuacanea sunt enim hæc omnia, & ab nostra arte remota. Neq; sa-

D nè hæc nominũ est constituendorum sciẽtia, sed rerum. neq; hos qui minus probum nomen dant, ad medicos homines remittunt, immo qui requirunt sanitatem. Quamobrem nihil hæc disputatio ultra usitata & nobis & alijs medicis nomina profitetur: sed præclare etiam cum ea agetur, si hæc mediocriter assequatur.

De nomine pulsus. Cap. II

Omnium itaq;, quorũ ad nos memoria peruenit, princeps nomen pulsus Hippocrates literis prodidit: atq; artis, quam cõplectitur, nõ uidetur ignarus esse: tamen hanc partẽ penè artis reliquit intactam. neq; cuilibet arteriarum motui hoc tribuit nominis. Quem uidetur imitari Erasistratus. sed hæc illic referam, ubi de illis uiris peculiariter sermonem habebo, cui potissimum nomen hoc

attribuant,ac inter se quatenus dissentiãt,aut consentiant. Autor libri De palpitationibus, Aegimij nomine insigniti, siue ille Heliẽsis esset Aegimius, siue alius, priuatim de pulsib. hoc nomẽ usurpat. Atq; longe præter morem aliorũ nõ medicorum tantũ,sed & uulgi, quemuis motũ arteriarum uocat palpitationẽ. Praxagoræ usus & Herophili etiam adhuc nũc obtinet. Pulsum enim omnem arteriarũ motũ sensibilẽ appellant. Ita etiam omnes eorum successores,tametsi definitionibus dissideãt. Sed hoc alio loco ostẽdemus. Ergo nos quoq; usum, qui obtinuit, sequẽtes uideamus iã, quot numero sint omnes pulsuum differentiæ, & quod singulis nomẽ. etsi de hac etiam ipsa dictione quidam contendunt, quorum alij ita uolũt, ut ponatur, Quot genera sunt pulsuum. Alij non genera aiũt appellanda, sed species: quidam qualitates: nõnulli differentias. Et quod cuiq; uisum est, hoc instituto nomine diu disceptat de eo cõstituendo, nihilq; non mouet. Iam sicut de generibus, ita de speciebus, differentijs, qualitatib. quæstionem inducũt nõ necessariã, obliti usum talis quæstionis. Omnes enim id mea opiniõe spectauerũt qui de pulsib. instituerũt inquirere, quid iudicare soleant. Assequi uero cum uel sine generũ & specierũ quæstione, quod intenderent, possent, quid uis potius ꝙ hoc agũt. Verũ omissis istorũ nugis, quæstionẽ in mediũ pro suo arbitrio proferant, nos utilitatẽ sectemur. Sed hoc prædicamus etiã, qui pulsuũ definitiones, & rectã constitutionem eorũ nominis discere uolũt, in sequentib. hũc primũ libris omnia eos tradita habere. Hic liber solum complectit̃, quod conducit, nec ullã attingit argutam quæstionẽ. Ita si qui semel illa uelit repudiare, licet certe. Ad cæteras lucubrationes de dignoscendis pulsibus, de causis, de præsagatiõe ex ijs unus hic liber requirit̃. Illi aduersus sophistarũ importunitatẽ scripti sunt, & ad intelligenda aliorũ scripta, ubi tradit̃, qua q̃dq; nomẽ significatiõe usurpent. Itaq; exponamus primũ pulsuũ prima genera, deinde eorũ differentias, hinc auspicati.

Prima genera pulsuum. Cap. III

Quando arteriæ corpus est cauum, longum, & teres, habetq; perpetuũ geminũ motum ex contrarijs constitutum partibus: aut enim in seipsam undiq; considet, aut in omnem partem distenditur: qui duplex motus pulsus appellat̃: in utroq; ei gemina quies accidat necesse est, altera ab distentione prius ꝙ contrahat̃, altera à contractione ante ꝙ distendatur. Quas quidem binas quietes exercitatorũ tactus cognoscit, nec minus demonstrat ratio. Nam prius contrariũ motũ natura, ꝙ priorem sedauerit, nõ exordiat̃. Atqui sedare subsistere est, & in quiete esse. Sic motib. intercedit quies. Exprimit ergo necessitas quoddam esse tempus proprium utriusq; motus: aliquod etiam quietũ, & harũ item utriusq; proprium. Iam quia tres arteria dimẽsiones, ut omĩa reliqua corpora, obtinet, longitudinem, latitudinem, profunditatem: non potest in singulis dimensionib. non fieri quãtitas aliqua distentionis & cõtractionis.

A Et uerò etiam uigorem quendam necessario habet, ut aut ægre & languide, aut prompte ualenterq; operetur. Est præterea ipsa arteriæ tunica aut mollis, aut dura. Quinetiã capedo interna aut uacua quodammodo est, aut plena. Atq; hæc omnia aliquãdo æqualia, aliquãdo inæqualia sunt. Temporis item distentionis aliqua proportio est cum tempore contractionis. Aliam in uno pulsu differentiam cõstituas præter has nullam. Siue enim motuum tempus est æstimãdum, uel quietum: siue dimensionum, in quibus mouentur, quãtitas: siue qualitas actionis, aut tunicæ arteriarũ, aut cauitatis: siue qui mutuo conueniunt, quæ conferri queũt, queũt autem cognata, omnia hæc sunt relata, nec quicquam præterea in ullam partem de-
B siderat oratio. Sed sunt omnes, quæ in unum pulsum incidunt, differentiæ generales, quas retulimus. Quibus duæ accedunt aliæ, quas collectiuas appellant. Ex his in plurium pulsuum mutua collatione, æqualitatem & inæqualitatem, ordinem atq; eius perturbationem æstimamus.

Differentiæ cuiusq; generis pulsuum. Cap. IIII

Horum generum differentiæ speciatim plures sunt, quas iam exponemus, à genere ipsius motus ingressi. Quem aut moderatum esse & in naturali statu oportet, aut celeriorem, uel tardiorem. Itaq; hoc genus efficit tres numero differentias pulsuum: celerem, qui fit, cum modico tempore mouetur arteria: tardum, cum multo: moderatũ, qui mediocri. Differentiæ pulsuum in distentio-
C nis quantitate, siquidem singulis concipiantur dimensionibus, nouem numero sunt, in unaquaq; trium dimensionum tres. In longitudine arteriæ, qui moderatus in ea est, & qui hunc excellit, uel eo est inferior. Vocatur qui excellit, longus: qui inferior est, breuis. In latitudine, moderatus in ea, & duo immoderati: latus, qui moderatum excedit: contrarius huic, angustus. Itidem in dimensione profunditatis arteriæ, unus moderatus est, alius altus, & alius humilis. Hæ pulsuum sunt in una dimensione acceptorum differentiæ. At differentiæ pulsuum in trinis simul dimensionibus sunt septem & uiginti. Perspicies has manifeste in tabella. Vnus enim erit longus simul & latus, altusq;, qui omnibus præponatur. Alius longus, la-
D tus, & profunditate moderata, scribaturq; secundus. Alius longus, latus, humilis, qui ordine tertius sit. Similiq; omnes reliqui uia & ratione cognoscentur: ut duæ primæ dimensiones maneant immotæ, trifariam ultima uariet: hoc pacto. Quartus longus, moderata latitudine, & altus. Quintus longus, moderata latitudine, simulq; moderata profunditate. Sextus longus, latitudine moderata, humilis. Deinde alij tres, prima dimensione longum seruante, secunda angustum, tertia trifariam uariante. In his nouem una dimensio permanet longitudinis longæ, aliæ omnino commutantur. Mox alteri nouem dimensione longitudinis in mediocritate conseruata, uariantibus reliquis. Ad hæc nouem, ubi longitudinis breuis sit dimensio, & aliæ immutentur.

TABELLA.

1	Longus	latus	altus	Magnus
2	Longus	latus	moderatus	
3	Longus	latus	humilis	
4	Longus	moderatus	altus	
5	Longus	moderatus	moderatus	Gracilis
6	Longus	moderatus	humilis	Gracilis
7	Longus	anguſtus	altus	
8	Longus	anguſtus	moderatus	Gracilis
9	Longus	anguſtus	humilis	Gracilis
10	Moderatus	latus	altus	Turgidus
11	Moderatus	latus	moderatus	
12	Moderatus	latus	humilis	
13	Moderatus	moderatus	altus	
14	Moderatus	moderatus	moderatus	Medius
15	Moderatus	moderatus	humilis	
16	Moderatus	anguſtus	altus	
17	Moderatus	anguſtus	moderatus	
18	Moderatus	anguſtus	humilis	Gracilis
19	Breuis	latus	altus	Turgidus
20	Breuis	latus	moderatus	Turgidus
21	Breuis	latus	humilis	
22	Breuis	moderatus	altus	Turgidus
23	Breuis	moderatus	moderatus	Turgidus
24	Breuis	moderatus	humilis	
25	Breuis	anguſtus	altus	
26	Breuis	anguſtus	moderatus	
27	Breuis	anguſtus	humilis	Paruus

Atq; inter ſeptem & uiginti hos pulſus, qui externis dimenſionibus conſtant, duo ſunt nomina ſortiti ab omnibus approbata, qui primus relatus eſt, & qui poſtremus: Hic paruus appellatur, ille magnus. Reliquus omnis numerus caret. Neque enim pulſus, qui graciles & turgidi uocantur, certum ex tabella unum indicant: cæterum multis ſimul generatim tribuuntur. Nam in quibus longitudinis dimenſio duabus reliquis præſtat, omnes hos graciles uocant. In quibus duæ reliquæ hac, contra turgidos hos appellant. Proinde quintus in tabella & ſextus, inſuper octauus & nonus ac octauusdecimus graciles uocantur. E diuerſo turgidi decimus in tabella, & undeuigeſimus, uigeſimus, item uigeſimus alter, & uigeſimus tertius. Hæc ergo ſunt nomina generaliora, & pluribus communia. Iam uocant etiam hoſce pulſus aliter, tenuem, gracilem: & craſſum, turgidũ. Quin nec moderati quidem in tribus dimenſionibus, qui unus naturalis inter uigintiſeptem eſt, peculiare nomen habemus: ſed definitione hunc ſignificamus, dicentes aut moderatum tribus dimenſionibus, aut medium magni & parui, aut naturalem in quantitate diſtentionis, aut moderatum in quantitate diſtentionis, aut quacunq; alia ratione ſermonem potiſsimum ſperamus fore clarum. Quare eos mihi in mentẽ uenit mirari, qui in nominibus tantum excellunt, & quo nomine ſit uocandus talis pulſus per totam uitam quærunt: ſi non uel hac de cauſa contentionem deponant, q; multos uideãt pulſus, qui proprium quidem non habent nomen, nec hinc quicquam lædi tamẽ inſtitutionẽ: cum definitione quidem indicari poſſint. Siquidem cum pulſum appellent quidã breuem, anguſtum, humilemq;, perinde faciunt, ac illi, qui animal pedeſtre bipes. nam ut hic definitio eſt, animal pedeſtre bipes: & rei nomẽ, cuius hæc eſt definitio, homo: ita in pulſibus, nomen eſt magnus: eius definitio, longus latus altus. Item alius pulſus definitio, breuis latus humilis: ſed nullum habet nomen. Verum de his agemus aliàs.

De differentijs reliquorum generum pulſus. Cap. V

Iam nunc ad tertium pulſuum genus, quod in uigore conſiſtit, deſcendamus, & huius etiam differentias exponamus. Sunt autem tres: unus ualidus uigore, qui uehemens uocatur. alter imbecillus, quem languidum appellant. Medio inter eos proprium non eſt nomen, ſed hunc quoq;

quoque explicamus definitione. Quartum genus, quod in arteriæ consistit corpore, diuiditur etiam in tres differentias, uocaturq; à medicis plerisq;, maxime ab iunioribus, plenum & uacuum. & quod inter utrunq; medium est, ne hic quidem sortitum est nomen. A nobis non ita, sed alter durus, alter mollis appellatur: annunciatq; uterque arteriæ statum. An uerò rectius hoc sit modo appellandum, an illo, qui de hoc laborat, inferius discet. Nunc quod instituimus, est absoluendum.

Aliud genus erat pulsuum, arteriæ infusionem, ut aiunt, declarãs: quod longum requirit mea sententia sermonẽ ad absolutam notitiam. At quod ad propositum conducit, atq; sufficit tyronibus, hoc loco exponemus. Tres huius generis differentiæ finguntur, quorum unus plenus, alter uacuus appellatur. Nam medius utriusque nomine peculiari caret. Plenus ergo pulsus est, ut definit Archigenes, qui arteriam ostendit pleniorem, & occursum humidè tumidum. Vacuus, qui arteriæ eleuationem facit bullosam, ut digitorum impressioni gressus per uacua occurrat. Hæc quinque pulsuum genera in uno motu consistunt arteriæ, & singulæ eorum æqualitates atque inæqualitates: quarum exponemus differentias, cum de altera agemus inæqualitate, quæ in pluribus pulsibus posita est.

De differentijs pulsuum, qui in tempore quietis consistunt. Cap. VI

Aliæ differẽtiæ pulsuum, his qui se negant contractionẽ sentire, in tempore interuallorum consistunt (ita enim tempus, quod inter motus sensibiles intercedit, uocant) præterea in proportione temporis motus & quietis. Nam ita etiam interuallum appellant. At illis, qui se contractionem aiunt sentire, & uerò etiam medias quietes, quas ἡσυχίας, ἠρεμίας, ἀκινησίαςq; Græci uocant, aliæ prodeunt, & longe efficiuntur plures. Sed faciundum mihi est, ut de utrisq; separatim planius agam. & primum de his, qui se solam dicũt distentionem sentire: quò in facilioribus cognitu exercitati, facilius difficiliora assequantur. Vbi tactus ab arteria obiecta feritur, cum alia, quæ ante memoraui, sentimus: tum tempus, quod ad motum producitur. Inde quando alter inceperit motus, aliud nos tempus deprehendimus, inter exitum prioris motus, atq; alterius principiũ. ut duorum sit temporum in pulsu absoluto cognitio: prioris, quod motus est, quẽ ictum & distentionẽ appellant: secundi, quod quietis est, quod interuallum contractionẽq; uocant: fiat aũt ex prioris tẽporis quantitate aut celer, aut tardus, aut inter eos medius pulsus: ex quantitate alterius tẽporis creber, aut rarus, aut horũ medius. Vt sit celer pulsus, qui cum modico tẽpore arteria distendit, fit. Creber, qui, quãdo paruo interposito interuallo. Tardus, cum longo tẽpore arteria distendit. Rarus, cũ interposito longo interuallo. Medius uelocis & tardi, qui, cum moderato tempore distendit arteria, fiat. Medius crebri & rari, qui fit, cũ moderato interposito tempore arteria distenditur. Siue distenditur, siue dilatatur, siue attollitur, siue mouet, dicamus, nihil interesse puto. Liquet igitur, qui creber sit pulsus illis, & quemadmodum à ueloci distet. Tum qui rarus, quaq; ratione à tardo discrepet. Comparato autẽ ictus tempore cum tempore quietis, gignitur rhythmus, quę proportio temporis est ictus ad tempus quietis. Huius etiam admonuimus, nihil apud hos differre ictum, uel distentionẽ, uel motum. Nec quietem, uel interuallum, uel contractionẽ. Et uerò etiã pro hoc, proportionẽ tẽporis distẽtionis ad cõtractionis tempus rhythmũ esse, quidã ordinẽ dixerunt, alij conuenientiam duorũ esse temporũ inter sese, ictus cum interualli. Hæc sunt quæ priores tradunt.

De altera secta, quæ contractionem se dicit sentire. Cap. VII

Transeamus iam ad eos, qui contractionem sentire se dictitãt, qui tarditatem quidem & celeritatẽ non aliter atq; illi in distentionis ponũt tempore, & in contractionis etiam: crebritatem uerò & raritatẽ rhythmumq;, nõ etiam perinde ac illi, cæterũ crebritatem atq; raritatem in utraq; quiete: rhythmũ in distentionis tẽpore unà cũ tempore insequentis eam quietis, ad tempus collato cõtractionis simul cum excipiẽtis eã quietis. Nonnunquam solius distentionis tempus cum solius comparantes tempore cõtractionis, rhythmũ ita dicunt gigni. Ac de crebritate quidam ex his, ut diximus, senserunt. Aliqui non aliter ac priores, in distentionis tempore celeritatẽ generari & tarditatem confirmauerũt: in toto reliquo conflato ex binis quietibus & cõtractione crebritatem & raritatem aiunt consistere. Sunt etiam qui rhythmum itẽ ac priores in temporis distentionis proportione ad omne reliquum non dubitent constituere. Verum inter eos tamẽ nõ conuenit in sentienda omni distentione uel cõtractione: sed quidam omnem sentiri utramq; aiũt, alij nec primas distentiones, nec contractiones extremas. Tum etiam de nominibus contendunt inter sese. Quare ne quam nos rem pretereamus, nec in rebus friuolis immoremur diutius, quod uerum est & conducibile, exponamus: nomina his ponere permittamus, qui de ijs laborant, & artis uera negligunt opera, nec distentionis primas partes, nec contractionis primas sentire ualentes. Quantum autem utriusq; sentiatur, & quamobrem, in libris de pulsibus dignoscendis ostendimus. Est uerò utile medico, quod sensui occurrit. Itaq; distẽtionis tẽpus uel contractionis sensibile necesse habet cognoscere. Quo fit, ut quietem quam uocant superam, quæ secundum distentionẽ contractionem præcedit, quanta sit, tactu queas ad unguem assequi. Inferã non item planè, quòd utrinq; sibi asciscat partes: ad initium, concoctionis extremitatẽ: ad finem, principium distentionis. Recordari porrò horum temporum oportet naturalem cuiusq; magnitudinem, & mutuam proportionem. Præterea cognoscendi requiritur facultas, in morbo quantũ immutent, & quid quæq; significare mutatio soleat. De quibus alio nos loco disseruimus.

De differentijs quietis & rhythmi. Cap. VIII

Nunc simulatq; duorum generum, de quibus iam uerba fecimus, differentias, tum quietis, tum rhythmi adiecerimus, ad ea quæ sequũtur, transibimus. In genere quietis arteriæ tres pulsuum differentiæ consistunt, rarus, creber, medius: quorum paulo antè definitiones docuimus. At generis rhythmi non est perinde absolutè explicare, quæ sint differẽtiæ: cæterũ præ omnibus pulsum omnẽ obtinere modulum quendam, quem rhythmum Græci appellant, est ostendẽdum: ne falsus quis pulsuum, qui ἄῤῥυθμοι appellantur, nomine, adducat̃, ut omni esse orbatos rhythmo eos pulsus falso existimet. Nam ut ἀτράχηλος homo, atq; citharœdus ἄφωνος, ita etiam ἄῤῥυθμος pulsus uocatur. Vitiũ enim natiui rhythmi, nõ absolutã abolitionẽ significat. Atq; cõtrarius est arythmo nõ enrhythmus: siquidem omnis in aliquo est rhythmo pulsus: sed ille qui eurythmus uocatur. Vtriusq; est horũ, arythmi dico & eurhythmi, enrhythmus pulsus cõmune genus. Atq; eurhythmus quidẽ unus & indiuisus manet. Arhythmi tres differentiæ sunt, pararhythmus, heterorhythmus, ecrhythmus. Qualis uerò quisq; sit, exemplo disces. Suus est cuiq; ætati naturalis pulsus. qui iã de his rhythmum seruat, eurhythmus uocatur: qui labefactat, arhythmus. Atq; labefactãs, interim rhythmum uicinæ ætatis mutuatur, qui pararhythmus: interim cuiusuis alterius, ac heterorhythmus hic appellatur. Atqui rhythmum prorsus nullius ætatis retinet, hic ecrhythmus. Idem de naturis, ac anni tẽporibus, & locis, omnibusq; alijs statuẽdum. Suus est enim cuiq; horum certus quidam rhythmus: qui cum corrumpitur, arhythmum tum intelliges, & quas eius diximus differẽtias esse. Iam uerò inter omnes rhythmos hi pari proportione, illi impari constant. Pari, ubi distentionis tempus æquet tempus contractionis. Impari, si alteruter eorũ excedat. Id quod modo certis, modo incertis fit excessibus. Certis bifariã, aut multiplici proportione, aut ut numeri ad numerũ, qui ἐπιμόριος quasi superpartialis appellat̃. Proportio quidem multiplex est, dupla, uel tripla, uel quadrupla, uel aliqua insequentium. ut numeri ad numerũ, cum quot est distentio temporum, totidem cõtractio sit, quinq;, uel septẽ, uel nouẽ, uel undecim. Incertis, in uniuersum tripliciter. Nam aut distentionis est tempus incertũ, aut cõtractionis, aut utrunq;. Sigillatim quisq; horum interdum paululum amplificata habet incerta tempora, siue plura sint, siue unum primum: interdum plus: est cum plurimum. Atqui tempus primum, planum est, nõ natura ipsa esse, sed sensu accipiendum. Sic etenim apud musicos etiam fit. Hæc quidem sufficiũt primo de rhythmis. nam ex hoc pulsuũ genere quid fieri possit & conducat, aut non possit & inutile sit, in libris De ijs dignoscẽdis, & in libris De præsagiendo dicemus.

De æqualitate & inæqualitate, ordine & ordinis perturbatione. Cap. IX

Porrò ad genera iã reliqua duo trãseamus: alterũ
A in quo æqualitatẽ spectamus & inæqualitatem: alterum, in quo ordinem & ordinis perturbationem. Atque æqualitas & inæqualitas tum in uno pulsu fiunt, tum in pluribus. Ordo & perturbatio ordinis in pluribus dũtaxat. Sed enim quia difficilis est in uno pulsu, neq; facile animaduertitur inæqualitas, primo loco de ea dicamus, quæ ex multis pulsib. cõstat, simulq; de ordine & ordinis perturbatiõe explicemus. quãdo finitimũ est hoc genus & affine. mox ad inæqualitatẽ nos in uno pulsu referamus, demusq; operã, ut omnes eius differentias recẽseamus. Ergo quæ plurib. in pulsibus æqualitas atq; inæqualitas animaduertũtur, quas collectiuas uocitant, in cõparatione omniũ differentiarum æstimant̃ primi pulsus cũ reliquorum
B differentijs. Nam pares si omnino maneãt, æqualis absolute is pulsus uocatur. Sin omnino impares, inæqualis absolutè. Quæ si in una sint uel pluribus pares, & in una uel pluribus impares: quatenus pares sunt, hactenus pulsus æqualis appellabit̃: quatenus impares, hactenus inæqualis. Nam absolutè ęqualẽ pulsum dicas, & inęqualẽ, an aliquo in genere, multũ refert. quod absolutè æqualis, neq; magnitudinẽ, neq; uelocitatẽ, neq; aliud habet impar quicq;. Ille uerò qui in aliquo, cum illius uult nomine dici, magnitudine ęqualis, celeritate æqualis, uehemẽtia, & alio quoquo modo. Itidem inæqualis, aut magnitudine, aut uelocitate, aut alio quopiã. Nonnunq; duobus horum uel tribus, uel pluribus, uel omnibus sæpe simul, cum
C absolutè æquales uel inæquales uocantur. Habes æqualem & inæqualem. Ordinatus uerò & inordinatus, diuisa inæqualitate in paritatẽ circuituũ, & in absolutam imparitatẽ, in utroq; membro generantur: in circuituũ paritate, ordinatus: in absoluta imparitate, inordinatus. Itaq; uniuersum repetamus, ut obscuri ne quid nos fugiat. Sint omnes unius pulsus differẽtiæ, insequentiũ differentijs omni in genere pares, absolutè æqualis hic appellabitur. Contra omnes sint omnibus impares, inæqualis absolutè ille. Age sint aliqua uel aliquę pares, & aliqua uel aliquæ impares: in aliqua pulsus uel aliquibus æqualis erit, in aliqua uel aliquibus inæqualis. Qui absolutè est æqualis, aut una differentia pluribusúe, non recipit partitionem.
D Qui autem absolutè inæqualis est, hũc per unam uel plures species diuidẽtes, circuituũ paritate & imparitate ordinatũ reperiemus & inordinatum, uel absolutè, uel pluribus in differentijs, uel in una. Ac paritatem circuituum puto iam clarum esse, ab sese sequẽtibus distingui paritatibus. Cæterum ne quid oratio desideret, addam hoc etiam atq; exempli gratia proponam unũ pulsus in magnitudine genus. Sint primus pulsus, & secũdus, & tertius magnitudine pares: contra sit in sequẽtibus quartus impar, eũ pulsum liquet magnitudine inęqualẽ esse. ecquid tamẽ inordinatus sit, nõdum clarũ est, sed alij sunt quatuor expectãdi. ubi si tres illi alteri mutuo sint inter se, & illis prioris circuitus pares, ac mox quarto quart⁹, ordinatus eiusmodi sit pulsus magnitudine. siquidem æquè

primos

primos duos circuitus, sequentesq; retineat pares A
omnes. Quòd si non omnes alterius circuitus, pri-
mi circuitus pulsibus sint pares, ibi pulsus iam di-
citur inordinatus in magnitudine. Eadē est ratio
in celeritate, crebritate, cęterisq; differentijs. Ali-
quando pulsuum duo uel tres circuitus omnino
inter se sunt impares, proximi non item: eum pul-
sum in confesso est non appellandum esse, absolu
te ordinatum, non inordinatum absolute tamen:
sed ecquis ex ordinatis circulatim sit, animaduer
tendū est. Est cum tres inter se circuitus sint impa
res, & inferiores obtineāt proportiōe pares. Qua-
re si fiat, ut quartus primo, & quintus secundo, &
sextus tertio undequaq; adæquetur, solemus hūc
pulsum ordinatū per circuitū appellare. qui quidē
inter eos medius, qui absolute ordinati uocantur B
& inordinati, intercedit. Nam uterq; hic contrarij
expers est, ordinatus perturbationis ordinis, inor
dinatus ordinis. At per circuitū qui ordinatus est,
aliquā ordinis partē, aliquam etiam perturbatio-
nis ordinis habet: ordinis, quatenus in omībus est
circuitibus ordo: perturbatiōis ordinis, quatenus
hæc in singulis illis inest. Siquidem qui absolute
est ordinatus, pares sortitus est circuitus omnes.
Qui circulatim ordinatus est, nō omnes æquales,
sed certos. E diuerso inordinatus absolute, nec ha
bet omnes deinceps pares circuitus, neq; certos.
Circulatim uero inordinatus ambo hæc non ha-
bet, alterum habet. Ita utriusque medius fit, ordi-
nati & inordinati, atq; illud utriusq; commmune
habet, hoc non habet. Dicas etiam absolute inor- C
dinatos eiuscemodi pulsus, si singulos circuitus,
qui certo sunt numero insequentibus pares, in u-
num cogas uniuersos magnum circulum. Quæ
uero & quanta fiat uarietas & concursio circui-
tuum ex diuersis numeris constantiū, facile quis,
maxime qui febrium circuitus complicare mu-
tuo est meditatus, animaduertet. Quare nihil est,
quod latius etiam eorum differentias persequa-
mur, sed ad differentias ueniendum est inæquali-
tatis, declarandæq; primum collectiuæ, deinde u-
nius pulsus inæqualitates.

De collectiuæ inæqualitatis differentijs, ac primo de æquali bus inæqualitatibus. Cap. X

Collectiuæ quidem inæqualitates, quæ in acer
uo, uti diximus, plurium pulsuum constant, pri- D
mam habent differētiam, qua interim æqualiter,
interim inæqualiter fiunt. Neq; admirationis ha-
bet quicquam, quòd æqualem quandam uoca-
mus inæqualitatē: cum id usu ueniat nō pulsibus
modo, sed & alijs propè omnibus, quæ pristinam
naturam immutantia, siue magnitudine, siue qua-
litate, æqualia capiunt incrementa uel inæqualia.
Nam quatenus æqualitatem commutant uocen-
tur inæqualia. sed quatenus æquam semper muta
tionem assequuntur, æqualiter dicantur mutari.
Sed uero quæ nec pristino constant statui, nec a c-
cipiunt parem mutationem, hæc semel inæqualia
uocantur. Ergo idipsum pulsibus accidit, seu pau-
latim perdatur & æqualiter ipsorū æqualitas, seu
affatim & aceruatim. Ac in uno id genere exem-

pli gratia planū fiat. Sit primo pulsu secundus pau
lo minor, & tertius tanto secundo, & uero etiam
quartus tertio pari modo, idq; ad plures usq; dein
ceps perueniat, hos pulsus Grȩci μειουρίζοντας uo
cant & μειούρους, hoc est, mutilos & quasi decurta-
tos, à figuris nomen, quæ in acutum termināt, mu
tuantes. Iam qui ex ijs perpetuo deminuuntur,
nec minui desistūt, ad quietem prorsus recidunt
denique, motuq; deficiuntur, quos uocant Defi-
cientes decurtatos. At qui desinunt, duplici sunt
differentia. Quidam in qua primum paruitate di-
minui desiuerūt, hanc seruant cōstantissime. Alij
de integro augentur, quos appellant Reciprocos
decurtatos. Quorum quidem ipsorum quidā ad
parem pristinæ reuertunt magnitudinē, aliqui ad
minorē. Ac nonnulli quibus ante excessibus sunt
imminuti, his augentur rursus. Alij minoribus uel
maioribus accessionibus utuntur. Tot inæquali-
tatum sunt æquales differentiæ.

De inæqualium inæqualitatum differentijs. Cap. XI

Inæqualium inæqualitatum quædam nullam
prorsus æqualitatem retinent: aliquæ retinent ad
tres usq; ad quatuor, uel quinq; pulsus, sed postea
amittunt. In quorum inest utrisq; uel ordo, uel per
turbatio ordinis. ordo, si circuitus seruent aliquos
pares. perturbatio ordinis, si & hos quoque uio-
lent. Atq; hi quidem & ipsi motibus frequēter de
ficiuntur, ut illi qui æqualiter agitantur. Cæterum
illos Decurtatos deficientes appellamus, hos Inæ
quales deficientes. Nam in magnitudinis & parui
tatis inæqualitate admodum medicis est Decur-
tatum nomen usitatum. At in uehementiæ inæ-
qualitate & remissionis, alijsq; generibus, non ita
iam celebre est. Nihilominus eadem rerum est in
quoq; genere conuenientia. Nam aut æqualiter
æqualitatem, aut inæqualiter corrumpunt. Et cæ-
teras habent quidem singulares easdem differen-
tias, sed eas sine nomine plerasque. Nam extra in-
tercurrentem & intermittentē alius nomen pro-
prium habet nullus. Quorum intercurrens ex so-
la inæqualitate est crebritatis. Intermittens uero
ex inæqualitate constat raritatis atque paruitatis,
alio atque alio utrobiq; modo. In raritatis inæqua
litate, quòd quies sit longissime producta. In par-
uitatis, quòd distentio minimū sit dilatata. Vel po
tius ex pulsuum paruitatibus deficientes cōstant,
intermittentes ex raritatibus. Iam pulsibus inter-
mittentibus affines sunt, qui Reciproci deficiētes
uocantur, ubi duorum spatium, uel trium, uel plu
rium etiam pulsuum motu omnino arteria nō cie
ri uisa, iterum agitari incipiat. Atq; hæ sunt colle-
ctiuæ inæqualitatis species.

De inæqualitatis unius pulsus differentijs. Cap. XII

Reliquum iam est, ut de inæqualitatis dicamus
unius pulsus differentijs. estq; eadem etiam hic ra
tio in singulis generibus & uniuersis. Hunc enim
absolute ȩqualē appellamus, illum absolute inæ-
qualem, alium pro quoq; genere, in quo perdi æ-
qualitatem cōtingit. Igitur explicemus primo lo-
co generis motus differentias. Nam ad hoc si exer
citati simus, nullo iam negocio percipiamus reli-

qua. Ac inæqualitatis motus duæ cōstituendæ primæ differētiæ sunt. una in una arteriæ parte gignitur, in pluribus altera. Quarum iterū potest utraq; in plures distribui. quas sanè par sit omēs recensere, auspicabimurq; ab ea, quę unam partem tenet, sed non eodem tempore. Qui enim una eademq; pars uno & eodem tempore nō moueri similiter uideatur? Cæterū in temporibus distinctis motus eiusdem partis sępenumero uidetur non idē: cum initio tardior, postremo celerior sit: & contrà, initio celerior, tādem tardior. Quæ certe admodum frequēs inæqualitas sæpeq; in pulsibus inuenitur, multaq; denotare cōsueuit, ut alio loco tradimus. Nunc iam singulas eius differētias ob oculos ponemus. Sunt autem tres primæ, modo cum quies interpellat partis motum: modo cum continuus ille apparet, non paris tamen uelocitatis: nōnunquam cum recurrit. At hæ habent alias singulæ. De prima ergo, quæ primo loco est commemorata, agamus: in qua fit, ut abs quiete motus interpelletur. Nouem in hac differentiæ pulsuum inueniuntur, quæ hoc pacto fiunt.

Primæ differentiæ inæqualitatis motus membra. Cap. XIII

Sit prior motus celer, alter trifariam conuertatur, fiatq; uel celer, uel tardus, uel moderatus. Hic tres differentiæ pulsuum emergunt. Rursus alterę tres, ubi prior manet tardus, et trifariam secundus uariat. Aliæ itē tres, si permaneat moderatus primus, uarietur autem tribus secundus modis. At uero inter non intermittentes distentionem inæquales motu pulsus, sed perpetuam habētes nulla intercisam quietē inæqualitatem, quidam uelociter motum exordientes, tarditate finiunt. alij cōtra tardi sunt initio, celeres semper magis ac magis euadunt. idq; horum utriq; habent aut æqualiter aut inæqualiter. Nam superius, quemadmodum inæqualitas quædam æqualis fiat, demōstratum est. Illorum ergo, qui motum æqualiter minuunt, uel augent, quidam ab extrema tarditate ad moderatum motum perueniunt, quidam à moderato motu ad ultimam tarditatem. Alij à prima celeritate ad tarditatem extremam. nonnulli ab hac ad summam celeritatem. Sunt pręterea qui utrinque à moderato motu paululum deflectunt, hiq; bifariā. modo enim celeriores, modo tardiores fiunt, ut sex sint earum cunctæ differentiæ, tametsi excogitari plures possunt. Verū nos, quæ aduertantur, referamus. Neque enim qui ab extrema tarditate ad extremam perueniret celeritatem, qui quidem de his esset, qui æqualem habent inæqualitatē, pulsum inuenimus ullum: nec item, qui ad tardissimum motum ex uelocissimo. Verum qui uariāt inæqualiter, in his illud raro tamen

A accidit. Non enim quemlibet affectum tanta potest mutatio consequi, ut tardissime initio agitata arteria, ad extremā deniq; celeritatem perueniat: aut primo concitata celerrimo ad summam transeat tarditatem. Quod cum fit, mutatio tum non potest non esse inæqualis: eaq; confertim magnis mutationibus, & non pedetentim fit, ueluti exiliēte arteria, cum ex tarditate demigrat in celeritatem. Itidem ut si uinciatur & constringatur à quopiam, cōprimaturq;, ubi ex celeri motu in tarditatem subito, mediocritate quæ intercedit superata, transit. Qui ergo affectus sint, & quæ causæ horum, atq; quò tandem hi deueniant pulsus, illic dicemus: ubi etiam de alijs omnibus uel causas, uel quid nunciare solent, commentabimur. nunc dun
B taxat differentias persequemur.

Differentiæ pulsuum una in parte inæqualiter inæqualium. Cap. XIIII

Posteaquam iam inæqualium una in parte pulsuum abunde diximus, ubi moliuntur æqualem inæqualitatem, sex numero esse differentias: nec ullum nos de ijs inuenisse, nec à tardissimo motu ad uelocissimum, neque ab hoc deuenisse ad tardissimum: de illis nunc, qui inęquali in mutatione sunt, uerba faciamus. quorum interim duæ apertæ, tres interim differentiæ motus apparent. Nos quartam præterea aliquando, sed obscure animaduertimus. Posit, si quis diu uersetur in hac re, studiumq; nauet assiduū, & exerceat tactum, cogno
C scere clare uel quatuor. Sed de his nunc, quæ manifeste tum nobis, tum his qui artem optime De pulsibus coluerunt, apparuerunt frequenter, sermo erit: ubi differentias motus arteriæ duas sensibiles, uel tres efficit. Nam duæ si sint, sex erunt formæ concursuum: si tres, quatuor & uiginti. Quid autem, cum in utroque disparium motuum insint tres pulsus, uelox, tardus, moderatus, ex concursionibus eorum non nouem dicamus: sed sex prodire differentias: hac ratione intelliges, si noueris, qui eundem bis deinceps pulsum ponat nulla intercedēte quiete fieri, unum eum totum æqualem pulsum effecturum. Itaque de nouem commissuris tres detrahuntur, in quibus non inæqua-
D lis iam pulsus, sed redditur æqualis, uel celer, uel tardus, uel moderatus: id quod est ex tabella apertum. Nam secundus in ea, & quartus, & nonus sunt æquales: celer secundus, tardus quartus, nonus moderatus. Quòd si qua est horum ipsorum mutua inter se diuersitas, inter celerē & celerem, inter tardum & tardum, in præsentia prætereatur: nimirum maiorem obscuritatem afferet. Verum quasi ijdem sint, atq; inter se pares, nostra oratio hæc instituatur.

TABELLA.

1	Celer	tardus	2	Celer	celer	3	Celer	moderatus
4	Tardus	tardus	5	Tardus	celer	6	Tardus	moderatus
7	Moderatus	tardus	8	Moderatus	celer	9	Moderatus	moderatus

Eadem

Eadem ratione, si tribus positis inter se disparibus motibus, in singulis ijs ternos pulsus commutatos committas, uigintiseptem numero formæ erunt. Ex quibus tres necesse est in æqualitatem recidant. Estq; id etiam ipsum ex tabella planum.

TABELLA.

1	Celer	celer	tardus
2	Celer	celer	celer
3	Celer	celer	moderatus
4	Celer	tardus	tardus
5	Celer	tardus	celer
6	Celer	tardus	moderatus
7	Celer	moderatus	tardus
8	Celer	moderatus	celer
9	Celer	moderatus	moderatus
10	Tardus	celer	tardus
11	Tardus	celer	celer
12	Tardus	celer	moderatus
13	Tardus	tardus	tardus
14	Tardus	tardus	celer
15	Tardus	tardus	moderatus
16	Tardus	moderatus	tardus
17	Tardus	moderatus	celer
18	Tardus	moderatus	moderatus
19	Moderatus	celer	tardus
20	Moderatus	celer	celer
21	Moderatus	celer	moderatus
22	Moderatus	tardus	tardus
23	Moderatus	tardus	celer
24	Moderatus	tardus	moderatus
25	Moderatus	moderatus	tardus
26	Moderatus	moderatus	celer
27	Moderatus	moderatus	moderatus

Itaq; tres in his, sunt æquales, secundus in tabella, & tertiusdecimus, & uigesimusseptimus. Celer quidem secundus est, tardus tertiusdecimus, medius ultimus. Et iam alij duodecim pulsus in primam tabellam transeunt. Nam primo primæ tabellæ duo fient similes, primus ac quartus alterius tabellæ, hic tarditatis plus, ille celeritatis habens. Et tertio tertius & nonus, ille plus obtinens celeritatis, hic mediocritatis. Quinto undecimus & quartusdecimus, ille maiore celeritate, hic tarditate præditus. Sexto decimusquintus atq; decimusoctauus, hic plus habens mediocritatis, ille tarditatis. Septimo uigesimus alter & uigesimusquintus, hic mediocritate, ille tarditate excellēs. Reliqui de secunda tabella duo, octauo sunt primę tabellę similes, uigesimus et uigesimussextus, hic mediocritate præstās, ille celeritate. Atq; controuersia hic fuerit, quòd aliqui, si duo tantum diuersi in distentione motus sint, tales in priorem tabellam pulsus omnes referant: alij magnitudinum etiam rationem ducāt: itaq;, illi si pares sint, in priore ponant: sed si alter duplus sit, in altera. Equidem si magnopere ducerem ad rem pertinere, hanc pugnam darem operam ut dirimerem. Verum quando tantum satis est declarasse, interim alterum motum maiore spatio ferri, interim alterum, uel etiam utrunq; ex æquo: hoc qui meminerit (ut posthac, quid solet significare quisq;, addiscat) in utralibet tabella prædictos pulsus locet, licet. nam duodecim alterius tabellę reliquos qui prorsus sunt inæquales, nihil cum illis prioris tabellæ consentire clarissimum est, in quibus ipsa est inæqualitas asscripta: non quin alij illi duodecim, qui conueniunt cum prima tabella, inæquales sint: sunt enim. Cæterum quòd in ternis hi differentijs motuum aperta inæqualitate sint prædi ti, cum in binis differentijs eam habeant alij. Sunt autem si ordine à primo numeres, quintus, sextus, septimus, octauus, decimus, duodecimus, decimussextus, decimusseptimus, decimusnonus, uigesimusprimus, uigesimustertius, uigesimusquartus.

De tertia differentia pulsuum in una parte inæqualiū. Cap. XV

Hæc ego de his esse satis puto. Siquidem ad reliquam iam & tertiā pulsuū una in parte inæqualium differentiam redibimus, quos ut unum Archigenes describit, uocatq; Dicrotum. Sunt uero plures. Quot autem sint, & qui, paulo post explicabimus, si expenderimus prius, de illis'ne sit, qui ex arteriæ una distentione constant, an duo

sint continentes impares pulsus. Sed id difficile sane ad iudicandum est, ni ad unguem, qui pulsus hic sit, teneamus, quē Archigenes Dicrotum appellauit. Nam in his esse eum, qui iterū tactum feriunt, planè liquet. Atqui intermittentes in uno ictu obtinent idipsum. Et si solum quis ictum attendens, duos pulsus cēseat esse eum, qui bis feriat, in manifesto errore est. nam qui in una distentione intermittunt, quanquam iterum feriūt, non dixeris duos pulsus esse. Manifeste etenim in illis destitutus motus continuitate, quiete interrumpitur media. Dicrotorum genus non item. sed simulatq; omnem distētionem effecit, se paulisper subducit, ac mox pulsat iterū. ut intermittentium quies media ictus intercipiat: dicroti, contractio, uel congressus, uel reditus, uel ut libet appellare. Idcirco quidam duos pulsus esse Dicrotum, non unum autumant. Hoc affirmabūt illi potissimum qui arteriæ contractionem non animaduertunt, sed ex ictu aiunt pulsum & interuallo constare. Iidē enim ab arteriæ primo occursu fieri breuem quietem contendunt, sub quam alterum occursum. Atq; crebritate dicent eum pulsum inæqualem esse. Nam qui impar habent, quod ictus diuidit, interuallum, hos crebritate inæquales uocant, ut dicemus paulo inferius. Quin nūc etiam, quòd distabunt uel horum sententia ab intermittentibus in una distentione pulsus Dicroti, faciemus ut demonstremus. & quod ponunt illi, contractionem non posse sentiri, dabimus. Nam ut hoc concedatur, quin arteria ab interuallis nō uideatur se efferre paribus, causam quidem non dixeris certe. Iam in intermittentibus hoc perspicuum planè est. Etenim inferne arteria nonnunquam auspicata motum, mox simulatque destiterit moueri, initium iterum facit alterius motus, ubi prior desiit. Dicroti uero non ita pulsant, sed manifeste ex altiore profunditate & interuallo maiore prior motus uidetur cieri, atque indidem continenter alter. Hanc ergo ab istis assensionem expresimus, non esse perinde in una distentione pulsum intermittere, ac bis, ut Dicrotus facit, ferire. At induci illi tamen inuiti, ut in uno ictu inæquales appellent Dicrotos, non possunt. Defendent enim binorum ictuum sentiri aperte nec magnitudinem parem, nec tempus, immo nec robur quidem. Et pauco tempore dicent secundum excipere priorem. Atque admittent inæqualem illi quidem esse hunc pulsum, nō uno in ictu tamen: sed differentias huic inæqualitatis crebritatis, & paruitatis, & contentionis accommodabūt. Qui contractionem autem sentiunt, desciscere hi manifeste à collectiua, quam uocant, inæqualitate dicrotum animaduertunt. Nam ista res instar habet geminorum ad incudem mallei ictuum, cum ex multo interuallo prior incutitur, ualideq; pulsat: secūdus porrò, cum quasi resultat ab incude malleus non ita multum, reciditq; in eam non ita ut antea ualenter, & breui interuallo. Ex eodem genere sunt Dicroti. Nam arteria in occursu quasi repellitur, moxq; redit. Quòd autem præ cæteris pulsuum Dicrotorum clarissime naturam doceat, & à collectiua inæqualitate seiungat, genus est recessus. Neq; enim tum arteria contrahitur, sed quasi concuteretur, decidit. Cuius delapsum à primo distentionis termino nulla dirimit manifesta quies, ut animaduertitur in contractione. Sed simulatq; attolli destitit, recedit. atq; illa paulisper uibrata, mox occurrit iterū. id quod etiam ui tractis ramis, inde dimissis accidit. Qui quidem contendunt ad pristinum locum, ubi non statim resistunt tamen: sed eodem, unde abierunt, reuertunt. Neque uero æquum sumunt, ac antea, interuallum: sed aliquanto minus. iterumq; ab hoc termino ad propriā sedem se conferunt. iterumq; recedunt, & redeunt, & tertio, & quarto, & sæpius: dum reditum paulatim imminuendo ad absolutam aliquando euadant quietem. Tale etiam quod in Dicrotis pulsibus motui arteriæ usuuenit. Ego itaq; non iam semel uidi reuertisse, sed iterum aliquādo. Et breuiter uibrari omnino motum oportet pulsus Dicroti: ut in ipso primo ictu ueluti euecta, atque ex uniuerso loco arteria demigrans potius efferatur, quàm distensa. Huiuscemodi enim sunt uibrati. Quod illis ubi cum ui aliqua accidit, partes arteriæ aliter atq; aliter mouentur. Vt uerbi gratia, prima, secunda, tertia, & frequenter quarta, & quinta eius pars attollatur, & delabatur. Itaq; fit aliquando, ut uno eodemq; tempore hæ partes attolli, decidere illæ appareant. Quæ forma cum Dicrotorū pulsuum sit, differentiæ in illis omnibus, quæ retulimus generibus erūt, plenitudinis, duriciei, magnitudinis, uehementiæ, celeritatis & contrariorum: tam in ipso primo motu, quàm in reditu à discessu. Nā magnus potest & non magnus, & uehemens & non uehemens, & celer & non celer, & aliarum quarumlibet specierum altera esse, etiam uel æqualis uel inæqualis, quæ certe commutationes multas species constituūt Dicrotorū pulsuū. Hæ Dicrotorum pulsuū in una distentione sunt, inæqualitate unam partem occupante, differentiæ.

De inæqualitate diuersarum partium in una distentione. Cap. XVI

Iam ad inæqualitatem diuersarum partiū transeamus, eiusq; explicemus omnes differentias. ac primas duas, iuxta quas aut continuus est motus, aut intercisus aliqua ex parte, alias singulares ex harum diuisione genitas. Nam continuus, aut est æqualis, aut inæqualis. Docuimus enim, qua ratione æqualis fiat, & inæqualis inæqualitas. Aequalis itaq; uel remittatur celeritas, uel increscat à primo modis sex necesse est: uti paulo antè declarauimus. Inęqualis sunt plures differentiæ, pro pulsus magnitudine longa, uel breui, uel moderata. Namq; duobus digitis si motus occurrat, sex differentiæ existent: si tribus, quatuor & uiginti: si quatuor, septuagintaocto. At quemadmodum si occurrat duobus digitis, erunt necessario sex differentiæ: si tribus, uigintiquatuor, duæ illæ superius deliniatæ tabellæ planum faciūt. Iam quanam ratione, si quatuor etiam, octo & septuagin-

ta fient, assequeris, si prius perspexeris, quatuor rerum quarumlibet, quarum ternas singulæ differentias assecutæ sint, coniugationes necesse esse numero ut octoginta una sint. Neque est difficile hoc inuentu, modo noris, eorum quæ tres differentias habent, coniugationes esse uigintiseptem. Si iam quartum accedat, cui tres sint differentiæ, unam & octoginta numero ratio postulat esse. Quibus si tres, quæ creant æquales pulsus, eripias: reliqui quidem septuagintaocto erunt. Itaq; ex ante descriptis duabus tabellis constat horũ uigintiquatuor quosdam primis sex futuros similes. Atq; illorũ octo & septuaginta, his uigintiquatuor. Præterea, ut in illis, & item quoque in his duæ erunt sectæ: ut hi conuenire existiment inter tabellas, illi secus.

De differentijs motus interrupti. Cap. XVII

Restat nunc, ut differentias recenseamus motus interrupti. Erunt autem primæ quatuor: quarum singularum complures. Atq; quatuor in hũc modum. Aut primus & tertius digitus motum sentiunt, non secundus autem & quartus: aut primus, & tertius, & quartus, at non secundus: aut primus, secundus, quartus, non tertius tamen: aut primus atque quartus, secundus & tertius minime. Cum primus & tertius duntaxat sentiunt, nouenæ in singulis generibus differentiæ fiunt pulsuum. Vbi uero primus, & tertius, & quartus uigenæ septenæ. Totidem, cum primus, secundus, & quartus. Cum primus & quartus, nouenæ. Atqui singularum apertus est numerus ex uijs rationibusq; ante traditis. Hæc est iam etiam inæqualitatis diuisio, quæ diuersis in partibus fit. Commiscentur porrò uarijs modis ambæ inter se primæ differentiæ, ut non iam diuersas tantum partes, uerum etiam singulas teneat inæqualitas. Iam uero si quis unius generis cõgruas differentias cum alterius confundere uolet, nec id laboris, dum omnes connexerit, deprecari, operam non luserit. Equidem censeo, nisi hæc obiter, quæ hactenus sunt tradita, percurreris, id nullo te negocio consecuturum. Hac ratione inæqualitates motus in una distentione omnes didiceris.

De inæqualitate quantitatis distentionis in diuersis arteriæ partibus. Cap. XVIII

At uero inæqualitas quantitatis distentionis, diuersas quidem arteriæ partes occupans, cum animaduertitur crebro, tum percipitur facillime & interrupta & continua, æqualiter & inæqualiter. De quo genere, qui Decurtati uocantur in una distentione, sunt: & illi etiam, qui ab aliquibus Innuentes & Circumnuentes appellantur. In una uerò arteriæ parte, non recipiat huius generis inæqualitatem unus pulsus. Quòd prius, q̃ finem motus attingat, nequaquam liqueat magnitudo. Cæterum quò innotescat, hoc unum pulsuum genus requirit finem. Nam uehementiam, dum mouetur arteria, atq; celeritatem & duritiem, horumq; contraria & media cognoscas. Magnitudinis & paruitatis differentiam, nisi iam moueri arteria destiterit, non posis. Nam simul

A ut destitit, quantus est pulsus, apertum est. Antea incertum erat, quousque moueretur. Qui fieri igitur potest, ut una efficiat pars inæqualem in hoc genere pulsum? Qui enim, quò cognoscatur, qui sit, postulat motus exitum, hic in motu etiam num quo modo perspiciatur?

Inæqualitatis uitalis uigoris differentiæ. Cap. XIX

Inæqualitas uerò uitalis uigoris eandem distributionem ac inæqualitas motus habet. Nam aut eandem partem, aut distinctas tenet. Eandem tribus modis, aut interrupto motu, aut perpetuo, aut Dicroto. Distinctas bifariam, uel continuo motu, uel interciso. Singulorum præterea horum generum totidem sunt singulares differentiæ, quot motus. Quin commisceri etiam positas una in parte inæqualitates necesse est, ut illas quæ
B in diuersis fiunt.

De inæqualitate corporis arteriæ. Cap. XX

Sed inæqualitas corporis arteriæ, ex qua pulsus aut mollis, aut durus redditur, in una quidem non potest parte fieri, in diuersis fieri duobus modis uidetur, nõ aliter ac inæqualitas motus, & contentionis: ut aut continuus motus sit, aut intercisus. Quo fit ut & differẽtiæ huius generis sint eædem, atq; prædictæ illorum. Verum arteriæ pars una non potest initio esse distentionis mollis, dura in fine: aut contra primo dura, in exitu mollis. Quare hactenus quidem ab hoc pulsuum genere duriciei & mollitudinis duo genera dissidẽt priora motus & contentionis.

C *De inæqualitate ab infusa materia in cauitatem arteriæ.* Cap. XXI

Porrò pulsuum genus, quod efficit infusa materia in arteriæ cauitatem, in quo plenus & uacuus est, easdem habet quæstiones, ac superius, quod quantitate constabat distentionis: uidebitur enim hic quoq; obtinere diuersas partes posse in uno pulsu inæqualitas, eandem non posse. Sed quærit genus totum hoc pulsuum prolixam orationem, neq; est huius loci: In commentarijs De pulsibus dignoscendis explicabitur. In hoc etiam lõgiorem tractatum opus est ad tertiam notionem plenitudinis. Cuius cum alij quidem, tum Archigenes author est. Proinde hoc quoq; in aliud tempus reijciamus. Tantum tamen hic adijciamus, inde ad reliqua proficiscamur. Quia euidentius in arteriæ sede febris calor, qui sit, quàm si aliam tangas partem, cognoscitur: ideo quibusdam probatur inter alia hoc etiam genus pulsuũ referri, quo caloris noscimus qualitatem: cuius quidem generis æqualitas & inæqualitas uersantur in una distentione. Ac inæqualitatis erunt differentiæ, prima, tum quæ diuersas partes, tum quæ singulas tenet. Quas iterũ si ex prædictis uijs & rationibus seces, alteræ particulares plures.

D

De inæqualitate à sede arteriæ. Cap. XXII

Aliud genus est uno in pulsu inæqualitatis, nec ullum dictorum pulsuum amplectitur hoc quod ab sede arteriæ proficiscitur. Si quidem est, cum partim eius dextrorsum, partim deflectatur sinistrorsum, alia etiam pars sursum, alia deorsum: quod

quod accidit aut in duobus locis, aut pluribus. est autem hoc in speciem finitimũ distentionis inæqualitati quantitatis: quæ ut sunt distinguenda, in libris De pulsibus dignoscendis explicatur.

De pulsu Vndoso & Vermiculante. Cap. XXIII

Aliud item inæqualitatis unius pulsus genus est, quod uocatur undosum. quod quale sit, abunde declarat ipsum nomen. Nihil causæ est tamen, quin, quò res euadat apertior, aliquid & nos dicamus. Non uidetur simul arteria in ea inæqualitate distendi uniuersa, sed primo prima eius pars, deinde secunda, mox tertia, ab hac quarta. Neq; id temere tamen, sed cum eleuatione quadam undosa, altera unda semper priorem excipiente. Neque uero ab interrupto motu quid hoc genus absit, ullius est negocij deprehendere. Nam prioris B partis arteriæ distentionem, secundæ consequit̃, ut interueniat pars à motu libera nulla. Verum propemodum quieti similis est undarum finis. at non reperias tamen ullam partem prorsus quiescere. Nam quæ motus connectunt in alto, ueluti undosos æstus, non illæ quidem prorsus immotę, sed breuem certe quendam retinent motum. A Vermiculante hic pulsus magnitudine differt, attamen maximum undosum si fingas perpetuo minui, tam pusillum inuenies aliquando redditum, ut undosus sit, an uermiculans iam, non explices. Neq; enim qualitas eos, sed quantitas disiungit. Est utriq; tamen quiddam commune, atque speciebus eorum omnibus: aliquid etiam proprium utriusq;. Commune, unde nomen uterque inuenit, undoso, exurgere quasi undas in arteria alteram ab altera: Vermiculãti, uermis assimilem esse gressui: quod ipsum etiam animal in modum undarum mouetur: ut Democritus quodam loco dicit, ubi de ijs uerba facit, quæ in modum undarum progrediuntur. Initium fluctuationis perspicuum est superne esse, & ad arteriæ fines terminari: Atq; hoc est commune. Differentiæ uero eorum hoc modo speciatim fiunt: quibusdam rectà fertur unda, quibusdam in obliquũ deflectit: quidam etiam breui longitudine habent insignem altitudinem, sunt contrà qui longiores altitudinem humilem. Aliqui lati, nonnulli angusti. Alij etiam pari celeritate præditi, alij secus. Et contentionis etiam hæc unda plus, illa habet minus. Interim simul omnium est istarum differentiarum inæqualitas. Sed enim de nulla alia commemoratarũ inæqualitatum, id est nomen sortitus, & habent utrique hi tum undosi, tum uermiculãtes, ut tales sint ex sola distentionis inęqualitate quantitatis, præterea nulla. Vna enim hæc inæqualitas, adiuncto sibi ut partium motus alter anteuertat, alter cunctetur, huiuscemodi pulsus gignit. Quo fit, ut hos constituant, inæquales quantitate in diuersis partibus, & illi qui non habent omnes simul partes motas. Attamen hæc inæqualitas haud dum est sola inuenta, ut prior arteriæ pars præ cæteris uideret̃ moueri. Cum aũt incidat, omnino aliarum cum illa aliqua quæ ante cõmemorauimus complicata est. Nam quod dicit Erasistratus, semper

A priorem moueri prius uideri, sensus non probat. immo uerò longe aliud. Ille adductus suo dogmate in re aperta mentitur: sicut alia item multa multi commenta, qui pro placitis propugnant, pro testatis prodiderunt, quæ ne per somnium quidem uisa unquam sunt.

De pulsu formicante. Cap. XXIIII

Iam uero ut undoso pulsui succedit uermiculans imminuto: ita formicans uermiculanti, cum motibus amissis multis in unum eumq; prorsus paruum terminet. Quocirca nec inæqualem omnino dicas: quanquam esse ex genere uerisimile est inæqualium, sed inæqualitas, ut est parua, fugit. Nomen inuenit hic Formicans à similitudine, quæ sibi cum animãte est formica, ut quidam uolunt, paruitatis: ut alij, speciei motus: ut hic sit nominatus eadem ratione ac Vermiculans & Caprizans. Cum illi enim à similitudine motus, quæ ipsis cum animalibus, quorũ habent cognomen, intercedit, sunt nomen sortiti: tum ipse hic Formicans. Sunt qui propter utrumq; sic aiunt appellari eum, & quòd paruus est, & ob speciem motus. Nos de his non cõtendemus, at Formicãs, qualis sit, explicabimus. Est mire paruus, quo haud est minor alius, iuxtaq; languidissimus planè, ac creberrimus: non tamen, ut quibusdam uisus est, celer. At in libris De dignoscendis pulsibus hoc demonstrabitur. Nunc si reliquam partem differentiarum pulsuum in una distentione inęqualiũ addiderimus, ad alios nos conferemus.

De Vibrato & Conuulsiuo pulsu. Cap. XXV

C Supersunt autem Vibrati & Conuulsiui, qui hactenus quidẽ sunt inter se similes, quòd unum locum arteria non tenet, sed sursum agitur atque deorsum naturali sede deserta. Distant tamen uel hoc ipso, quòd non adeo is affectus in conuulsiuos cadat, in uibratos magnopere, & admodum perspicue. Iam etiam quatenus ex terminis utrisque retrahi contendiq;, & conuelli uidentur conuulsiui: uibrati, omni isto uacant. Ad hæc magna frequenter est uibratis distentio, parua semper conuulsiuis. Et partes arteriæ quædam superiora petere, quædam demitti uno eodemq; tempore aperte in uibratis conspiciuntur. Conuulsiuis uero id perpaucis & obscure accidit. Breuiter sentias ueluti fidem quandam intensam in pulsu conuulsiuo: quæ illi res cum nullo alio conuenit. In uibratis nihil tale animaduertas. Maxime enim iaculis motum eorum, quæ magna ui emissa, celeri impetu uibrantur, assimiles. Nam ita crebram illam & inæqualem cõcussionem appellant, qua quidem conuulsiui carent. Omnes autem hosce pulsus, qui præter quinque illa prima genera in una distentione inæquales sunt, duorum accessio horum constituit, quæ sunt: genus inæqualitatis in arteriæ sede, & cum maturius aut serius motum partes auspicantur. primum quidem horum illum, qui inæqualis, quòd sedem partium commutet, est, hoc ipsum solum. Cæteros cum hoc, tum aliæ quædam inæqualitatum adiunctæ differentiæ primorum quinq; generum. Compositæ

sitæ enim tam notiones horum, quàm generationes sunt, Vndosi, Vermiculantis, Vibrati, Conuulsiui. Formicans autem inæqualis quidem, ut diximus, est: non uidetur tamen.

De pulsu Caprizante. Cap. XXVI

Et qui pulsus Caprizans ab Herophilo est appellatus, est ille de inæqualibus in uno pulsu. compositus item est, utriusque expers, quæ primis quinque generibus adiuncta erat, inæqualitatis. Verum ubi motum arteria interpellat quapiam in parte, tum potissime existit, non semper. Neque enim uniuersum hoc genus caprizans est pulsus: cæterum ubi motus à quiete alter celerior primo & uehementior fit. Ei siquidem soli ex similitudine, quam cum animalibus habet capris, attributum hoc nomen est. Quippe quæ hoc modo uidentur salire, quasi geminum quendam motum facientes: quòd ubi aliquantulum sese extulerint, & speciem desiti alicubi motus præbuerint, alterum motus nec opinatum impetum capiunt, priori longe citatiorem ueluti in seipsas insilientes.

De inæqualitate crebritatis, raritatis, & rhythmi in diuersis pulsibus. Cap. XXVII

Nunc de inæqualitate crebritatis & raritatis, rhythmique agemus. Collectiuas dicunt tantum esse eiuscemodi inæqualitates: ita enim quæ ex pluribus pulsibus conflatæ sunt, appellant. Primum de his dicemus, quæ aceruatim fiunt: deinde ad eas descendemus, quæ in uno pulsu. Atque hic unam exempli gratia sectam de his, quæ de crebritate sunt, quæ scilicet est clarissima, sumamus, quæ ex ictuum censet interuallo hoc genus pulsuum effici. Vbi ergo omnia ordine æqua sunt interualla per omnes pulsus, æqualem hunc dictitant esse. Sin partim maiora, partim minora, inæqualem nimirum esse in crebritate & raritate. Rhythmum iam etiam eodem modo ex proportione temporis ictus ad interualli tempus constantem, cum deinceps maneat eadem, æqualem iam dicunt esse. Qui primam proportionem si uariet, esse inæqualem: quomodo si interuallorum, quas quietes uocant, mutuentur, magnitudines, inæqualitatem crebritatis raritatisque fieri. Hæc sanè rectè dicunt. atque ab ista secta proficiscenti ad alias æqualitatem perspicere licet & inæqualitatem utriusque generis: quæ complures, quod diximus, complectitur pulsus, quam collectiuam uocitant.

De inæqualitate crebritatis, raritatis, rhythmique in uno pulsu. Cap. XXVIII

Inæqualitas uero illorum in uno pulsu, quam neglexerunt omnes, non perinde iam est aperta. Sed ut præsens lucubratio ne quid desideret, faciam hæc etiam, ut quoad eius fieri poterit, clare explicem, sermonis hinc inducto initio. Partes arteriæ aut omnes unà motum exordiūtur, aut partim earum maturius, partim tardius. Si iam moueri omnes simul cœperint, mox motæ minus æquis temporibus iterum distentionem alteram simul incœperint, duorum generum in uno pulsu inæqualitas erit: quòd sit illa quidem cognita, ut secunda distentio cœpit, non tamen in secunda

A continea tur. sicut nec ipsum rhythmum, nec genus crebritatis & raritatis. cum & hęc ipsa fiant in uno pulsu, tamen omnino desiderent, quo cognoscantur, secundum: quòd quidem ante huius initium, prioris nequeat finis cognosci. Iam incognito fine, nec crebritatem ualeas, uel raritatem, uel uero rhythmum assequi. Quare ad inęqualitatem constituendam, quam diximus, nil mirum est, si secundæ distentionis principium expectetur. hac tamen de causa, non est collectiua nominanda. Scilicet prius, quàm altera distentio finiatur, statim in eius principio cognoscitur, ut nec altero nobis pulsu sit, nec tertio, nec reliquis opus. atque sic in prima sola fit. Itaque diximus, si uniuersæ partes cœperint in prima & secunda distentione moueri, nec habeāt per tempus motus, generari duorum generum inæqualitatem: unam crebritatis & raritatis, inæqualitate interuallorum: alteram rhythmi, proportione temporis ictus ad interualli. Tempus enim partis, quæ præter cæteras prima motu deficitur, minimū est: maximum postremæ. media proportione, inquantum aut à prima, aut à postrema absint. Contra ac tempora motus, quietum tempora, longiora sunt in illis, quæ primæ à motu desistunt: in illis, quæ postremę, breuiora. Quare tempus motus, quem habuit pars, quæ motum prima desiit, minimum cum maximo tēpore quietis eiusdem partis comparatur. Et ultimæ tempus, quod maximum erat, omnium motus temporum, ad minimum confertur quietis eiusdem partis. Et item rhythmus in singulis commutatur, quatenus proportio temporis motus ad quietis tempus non eadem in omnibus manet. Quòd uero si prior distentio ex omnibus simul partibus moueri cœperit, sed non pari in omnibus tempore: deinde altera distentio motum auspicata sit non unà omnium partium, sed prius quidem eius, quæ prior quieuerat, atque eò prius, quò prius quieuisset: secundo motum eius, quæ secunda, atque ita deinceps: inæqualitas quidem ita rhythmi fiet, crebritatis & raritatis non item. Nam quies cum omnibus æqua sit, differentiam in crebritate & raritate efficit nullam. Non respondebit tamen motus tempus tempori quietis. Siquidem motus non erat omnib. par tempus, quietis erat. Nec ergo idem omnibus rhythmus. Quòd si cum moueri arteriæ simul omnes partes cœperunt, non item simul omnes alteram distentionem ordiantur, neque priorem terminauerint simul, sed ne quies quidem in omnibus æqua sit, binas in eo necesse est differentias esse. Nam crebritatis & raritatis in alterutra differentia inæqualitas fit, at non rhythmi tamen necessario. Possunt enim omnium partium tempora motus quietum temporibus respondere. Et si hoc, erit item rhythmus æqualis. Sin autem eadem in omnibus partib. proportio non constet (sanè enim potest etiam hoc fieri) simul perdetur rhythmus. Iam uero ubi unà omnes partes moueri cœperint, motæque æquo sint tempore, si alteræ distentionis non idem om-

B, C, D

nes initium partes ordiantur, sed quædam maturius, quædam inceperint serius: nõ rhythmus iam æqualis erit, neque crebritatis raritatisqꝫ differentia. Hanc enim impares quietes inæqualem efficiunt. Rhythmum uero proportionum commutatio, cum æquo tempore partes omnes motæ sint, non æquo tamen quieuerint tempore. Tot sunt inæqualitatis utriusqꝫ uno in pulsu generis differentiæ, cum omnes unà partes arteriæ distendi inceperint. At ubi hæc primo, illa secundo distendi cœperit, si omnes simul quieuerint, ac deinde distentionem unà alteram auspicatæ sint, inæqualitas in altero tantum genere necesse est sit rhythmi. Quandoquidem ęqua omnibus partibus erũt interualla motuũ. sic inæqualitas in hoc quidem genere nulla erit. Et si cũ tempore quietis, quod sit par in omnibus partibus, impar tempus conferatur cuiusqꝫ partis motus, diuersis proportionibus cuiuslibet rhythmum partis conficiet. Quòd si alteram distentionem arteria iuxta orsa sit, atqꝫ priorem: ut in utraque distentione eadem pars prior altera pari interuallo incipiat, idqꝫ in omnibus partibus sit constans, ac illę unà desierint priorem distentionem, non potest non esse in utroqꝫ genere inæqualitas. Nam omne tempus quod est ex motu & interuallo conflatum, omnibus est æquabile arteriæ partibus. Sed motuum proportiones, quòd totum tempus in æquas partes non distribuatur, nõ respondent quietum proportionibus. Etenim partium, quæ moueri primæ cœperint, tempus quietis excedet earum tempus, quæ tardiores inceperint, interualli uero minus erit. Contrà partes, quæ cœperint posterius, tempus habent motus minus, quietis maius. Quare simul inæqualis rhythmus necessario erit singularũ partium: & quatenus tempora interuallorum differunt, etiam crebritatis atqꝫ raritatis coniũgi cum ijs inęqualitatem est necesse. Si uerò altera disten-

A tio perinde, ac prior fecerat, initium motus partium sit orsa, id est, si eadem utrobique pars incipiat moueri, hęc primo loco, illa posteriore: nõ sit autem prioris finis distẽtionis in omnibus æqua, duæ erunt differentiæ. Potest enim & longe quidem quiescere prius, quæ prior est pars motũ auspicata, potest etiam posterius. Nam si tanto quieuerit prius, quãto cœpit, fiet ita æqualis in utroqꝫ genere pulsus. Sin multo prius, atque est auspicata, quieuerit, duorum generum efficiet inæqualem pulsum. At si quæ prior cœpit, desistat posterior, duorum generum omnino inęqualitatẽ creabit, siue multo tardius, siue paulo quieuerit. At uero si neqꝫ prioris distẽtionis initium ex omnibus simul partibus fiat, neqꝫ secundæ, est cum rhyth-

B mus possit æqualis esse, & uero etiam crebritatis, & raritatis genus. & siquidem ita motuum tempora cum quietum temporibus sint partita, ut eadem sit proportio in omnibus, fit æqualis rhythmus. Si uero tempora sola paria fuerint quietum, ęqualitas erit in altero genere. Sed hęc infrequentia sunt. Inæqualitates uero sunt permultæ. Nam omnes possunt simul partes à motu cessare, & nõ simul. ac cum non cessant simul, hæ prius, illæ posterius. iam etiam uel lõge prius, uel lõge tardius. At quæ & quot hac ratione differentiæ fient, ex superioribus inuenias. Quo me oportet breuiorẽ esse. Itaqꝫ si cõmonuerim, quod institutũ erat, esse demonstratum, habere suas etiam unũ pulsum inæqualitates tum in genere crebritatis & raritatis,

C tum in genere rhythmi, finem hic iam primi libri faciam. Nam quæ in una nos secta, quæ in ictum & interuallum pulsum partitur, exempli gratia retulimus, nullo negocio ad alias traducamus. Possumus enim perinde per omnes etiam illas in generibus his duobus, de quibus modo dixi, inæqualitates pulsus unius demonstrare.

ARGVMENTA LIBRI II

Quamplures ex recentioribus medicis omnia conari definire, quæ tamen se nequaquam definire ignorant. De pulsu pleno & uacuo. An prima pulsuum genera, uel generaliores differentiæ, uel primæ eorũ qualitates sint primo dicendæ. Dilatationis quantitatem inter prima pulsuum genera esse, atqꝫ de differentijs, quæ in hoc genere consistunt. De differentiæ nomine affert in medium nonnulla.

ALITER ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI

1. Vsus huius libri, quod nihil in eo propemodum nisi obiter doceat: & aliorum duntaxat errores reprehendat. 2. De nominum usu. 3. De definitionum usu contra sophistas. Homonyma nõ posse definiri. Galeni contentio cum quodam sophista de

D pleno pulsu, quem Galenus utpote homonymum simpliciter definire nolebat, &c. Contra sophistas uarios & non constantes sibi, qui Galenum arguebant tanquam male differentias uocaret & genera pulsuum, quæ sic nominare solebat: & contra eosdem non recte dici ab ipsis octo qualitates pulsuum. Quod Archigenes etiam generis, speciei, & differentiæ uocabulo usus sit. Hæc & huiusmodi, ut in superiore argumento apparet, tractantur in hoc capite nimium prolixo: facile autem à studioso lectore in plura secabitur.

GALENI DE PVLSVVM DIFFERENTIIS LIBER SECVNDVS.

Vsus huius libri. Cap. I



NON eundẽ usum hic liber pollicetur, ac primus: sed quam ueratrũ rationem habet, uel scammonia cum pane & carnibus, eandem, quæ nunc dicemus, cum superioribus habent. Nutrire enim mẽtes illa sanas, hęc resecare prauas sententias ualent, ut morbos quosdã. Tamẽ dum errores detegunt, simul bene dictis firma fides constituit. Quare hãc utilitatẽ si propositæ disputationi addas, inueneris cõpendij nonnihil adiunctum.

De nominum usu. Cap. II

Est autem primum mihi cum Sophistis res de nominibus usurpandis. Græcorum nanq; nos institutũ (etenim apud eos alti sumus) tenemus: elaboramusq;, ut clarissimis semper nominibus sensum interpretemur. Neq; nos tamẽ scilicet in eos querimur, qui hoc floccipendunt: imò uero si uel singula uoles uerba usurpare barbare, modo ut interpretationis lucẽ ne offendas, nihil laboramus. Nam linguæ qua inter nos cõmentamur, hoc nomine utimur proprietate, quò mentẽ alterius assequamur. atq; ut clarissime quisq; mentẽ suam potest significare, ita sermone cẽsemus eum uti optime. Nostrum id est institutum, modestum sanè, & humanum. uerum interpellant Sophistę: qui sicut mutuo de nominibus cõtendunt res ipsas negligentes, ita & nos semper agitant contumelijs, & illudunt, nisi ipsorum uocabulis utamur. Qui si uniuersi unam linguam constituant, eamq; ut nouam monetam rogatione ferant, conemur fortassis Græcæ linguæ obliuisci, ediscere autem ab istis promulgatam. Quin ne si barbaram quidem linguam aliquam statuerent utendam, ut ijs morem ubiq; geram, dubitem discere. Quando uero Græcam nullam integram linguã, nec etiã semel barbaram, sed cõfusam quandam ex omnibus, quasi carycam, aut si qua caryca uaria magis, & absurdior fieri potest, componũt: atq; pro suo quisque uoto partim ex Phœnicia & Syria, partim ex Aegypto & Thracia, aut aliũde contrahũt, inde Græcorum cõmiscent nominibus, nec ijs sanè integris & legitimis, cæterũ uarie corruptis: equidẽ, quid agam, me hercle non habeo: qui neq; eas linguas possum ediscere, neq; adducere illos, ut unã addiscant linguam Græcam: nec posteaquã horũ neutrum obtineo ab illis, tertium possum, & quod est unum reliquum, ut in qua sumus lingua educati, hac ut utamur, permittant. Atq; hoc quidem habet tantum malum usus uocum.

De definitionum usu. Cap. III

Alterum de definitionibus longe hoc est atrocius. Sunt enim qui ne olus quidem citra definitionem mihi uideantur empturi, idq; cum nec per transennam dialecticam uiderint: proferuntq; ut

A tales solẽt, & in talibus enutriti, ex nominibus aliquod illis pręclaris, ex media petitis Syria uel Cilicia, atq; definiri hoc imperant, id quod nõ audiuit fortasse quisq; homo Græcus. Hoc si hic ut peregrinum & barbarum ignorat, ille iam ridet, cauillatur, exagitatq;, & puerum & adulescentẽ appellat. Sępe etiam nomen, quod in mediũ adductum est, Græcum quidem est, at nõ, ut est rei cuipiam assignatum, ita accipiunt miseri Sophistæ, moxq; definitionẽ poscunt. Hic si qui forte Græcus pro consuetudine Græcorum definiat, tantum abest ut assentiantur (sanè enim tolerabile hoc sit) ut irrideant etiam, & illudant. Atq; hic secundus malorum modus est circa definitiones. At uero tertius, eorũ est, qui non in nomine iam & significatione, sed in ipsa errant re: cum dialecticę quispiã peritus, horũ definitiones aggreditur, aut nõ plenas, aut superfluas, aut nõ distinctas, aut obscuras, aut prolixas, aut falsas, aut omnino definitiones nõ esse probare: subito tanq; insani, acerbe Dialecticam accusant: ac tum frustra ijs & cum incõmodo uidetur in omnibus rebus artibusq; coli. Quare frequẽter, hercle obstupui, cum instamus, ne cum definitionibus omnia conẽtur neq; docere neq; discere: & illi non adducuntur. Atq; cum definitiones damus, & postea, quantum falluntur, aperimus: ibi nihil conducere aiunt definitiones: neq; id uno die aut altero interposito, sed in pũcto temporis (ut est in prouerbio) mutata testa, modo definitionem positi nominis quærunt, modo esse definitiones inutiles confirmant. Quartum iam istorum in hisce rebus peccatum est, quòd non omnium nesciant esse definitiones: simulq;, ut qui id ignorant, definire studeãt cuncta, & inter se altercentur uociferenturq; nequicquam de rebus, quę definitionem non recipiunt. Quintus porrò lapsus in definitionibus, quiq; præter cæteros est singularis, antea quàm homonymiam explicauerint, unam faciunt eorum, quæ uaria significant, definitionem: quasi uero non rerum sint, sed nominum definitiones. Me certe unus aliquando de his præclaris Sophistis nihil factum est propius quàm ut enecaret. Cum enim in hunc modum posuisset, Quid est plenus pulsus? subieci uariæ significationis nomen esse: quare nec definitionem unam habere, nisi distincta homonymia sit. Nondum hæc dixerã, cum ille, nescio, inquit, quid nugeris. satis est mihi, si de te disco, qui plenus sit pulsus. Dialecticas mihi istas nugas, quæ medicinam contaminant, mitte. At nihil me, inquam, audiuisti unquam laborare, ut in dialectica definirem. Enimuero idipsum, inquit, absurdissimum est, q neq; definire audetis, & dialecticis nobis nugis non desistitis obstrepere. Sed dic, loquere, respõde, quis plenus est pulsus? Non potest fieri, inquã, prius quàm homonymiam explicauerim. Hic ille exclamabat, rursusq; homonymiam aiebat, atque

immensas nugas adesse, quæ medicinam labefactassent, ac nos perdidissent. Immo non nos, inquam, sed uos, qui definire cuncta uultis, perdiderunt. Ecce autem, inquit, etiam conuitijs nos incessit. Non magis, inquam, ꝗ tu me. Ibi ille exilijt, manus illaturus. Sed hic hominem, qui aderant, represserunt. Ille ubi superbe insultasset, discessit. Senex autem quidā de illis, qui adhuc remansissent, barba ad pectus promissa, atque cætera mire tetricus (hæc enim nunc grauitas habetur) tacete, inquit, pueri. absq; tumultu agite. finite sociū nostrū aperire nobis, quid dicat. Ego hominem intuitus, quid uero, inquā, rogas? Id, inquit, ipsum, de quo disputatis, de pleno pulsu. Vis igitur, inquam, nō properare nimiū, ut te assequar? Tardus enim natura sum, & festinantes nō consequor facile. Age, inquit, nihil properauero. Ergo concedes, inquā, mihi, ut exēpli gratia nonnihil ex omnibus uobis in cōmuni interrogē? Nam qui uolet, respōdeat, licebit. Permittit. Ego, ut hoc dedisset, quid est lingua? quærebam. Mox respondet quidam, instrumentum animalis gustui dicatum. Alter sermoni dicatum dixit. Tertius quidam, gustui & sermoni attributum. Quos ego respiciens, etiam calcei, inquam, & tibiæ ligula, instrumentum est animātis gustui & sermoni dicatum. Cum ad hoc obticuissent, & senex ille austerus, multo redderetur austerior, iterum orabam ut unum adhuc simile liceret quærere. Ille admodum quidem grauiter hoc & ægre, tulit tamē. Ego uero ne cunctationem meam non ferret, ueritus, festinabundus proposui. Quid est canis? Cum hic ex corona quidam responderet, animal quadrupes latrabile. Itaque marinus, inquam, canis animal est quadrupes latrabile: & sydus itē cœleste: denicq; morbus faciei. Ad hæc senex, ut asinus, aureis iam concutiebat. Cæteræ coronæ aliquid uidebamur dicere, uolebātq; omnes, ut quo tandem hæc spectarēt, quæ exquisiueram, expedirem: quandoquidem à primo statim quæstionem exempli gratia sequentium receperam instituturum. Vbi sileret, & mihi aures darent, Tandem uos, inquam, animaduertere puto, accedere ad definiendum ante, ꝗ homonymiam distinxeris, quanta sit offensio. Neq; enim nominum sunt, sed rerum definitiones. Quando igitur ab uno nomine res indicantur multæ, necessario erunt totidem definitiones, quot sunt res. Age sanè, linguæ nomen est unum, at tres sunt significationes, & sua cuiq; est definitio. Contrà fit, ut duo unius rei nomina, & uero non raro tria sint: ut hic, ensis, gladius, mucro: definitio uero una, nō perinde ac nomina, tres. Semper enim numero rerū respondet definitionū numerus. Quare ubi multis nominibus res cōtegatur una, caue postules multas definitiones: neq; cum unum sit nomen, sed significationes multæ, unam definitionem flagites. Pro numero enim rerum, definitionū semper rationem subduces. Proinde si nomen plenum uni rei subiectæ seruit, tum eius, si proponatur, potest definitio dari. Si uero Archigenes omniū sanè minime denotare nomen plenum unam rem admi-

A sit, nomenq; uarie posuit, atque multas in eo complexus est significationes, non sumus nos insimulandi, qui ab definiēdo deterreamur, sed princeps scilicet eius turbationis. Nam proximos medicos inuenio aliquos, ubi declarare, quis status sit arteriæ tunicæ, statuerunt, nomine pleni ibi & uacui uti. Alios, ubi materiā in capedine cōtentam, cuius hi quantitatem significari per ista nomina, illi qualitatē, alij utrunq; ducūt. Verū Archigeni hæc scilicet sola, nō satis faciūt. Adiūgit enim significationē facultatis spiritus. Vnde relinquitur non unam pleni pulsus fieri definitionē posse: sed eius, qui quantitatē, uel qualitatē, uel utrāq; infusæ substantiæ significat, aliæ definitiones faciendæ sunt: aliæ eius, qui uim spiritus: illius, qui qualitatē tuni-

B cæ, aliæ. His ego expositis tacui: quia quod instituerā, confectū mihi erat. Illi cōmentationē instabant, quando semel instituerā, ut persequerer. Illis igitur usus sum rogātibus. Quæ hoc loco non debeo omnia referre: quod eorū maximā partem & cōmodissimā sum expositurus in libris De dignoscendis pulsibus. Quod ad institutum refert, non prætereo. Nolo definiri omnia: neq;, cum multas protuleris significationes, facias unam definitionem. In quod Archigenes De pleno pulsu incurrit. Quare cum ipsa est eius obscura definitio, tum de corpore ne arteriæ dicat, an de substantia, quæ in eius cauitate continetur, diuinare nō habeo. Videtur enim nomen definiuisse, non rem. Omnino enim si rerum duxisset rationē, plures faceret defi-

C nitiones. Sed nomē illum spectare solū, uel ex eo perspicias, quod statim initio libri de pulsibus, Octo dicit qualitates pulsibus comitari, magnitudinem, uehementiā, celeritatē, crebritatē, plenitudinem, ordinem uel perturbationem ordinis, æqualitatem uel inęqualitatem, rhythmum. Namq; plenitudinis si nomen de cōpluribus rebus dicitur, miror quî octo etiā maneant. Age enim, si septem illis alijs qualitatem corporis arteriæ addas, & infusionis quam uocant, & etiam ipsius spiritus: ac decem iam esse omnes qualitates pulsuum dicas, quid tibi respōdebimus? Aut hercle si in duo mēbra partiens infusam substantiam, unam quantitati huius, alterā assignes qualitati qualitatē. Adeo in nominibus Archigenes, non distinguendis si-

D gnificatiōibus uidetur permanere. Ac par est iam prouerbium proferre plebeium illud quidem, nō à proposito tamen alienū. Cum aqua, inquit, suffocet, quid insuper sorbebimus? Nam si ita Archigenes labitur, ad quem adibimus? Quis huius nobis errata corriget? Etenim nō in his tantum uidetur, sed (si id quod est dicendum est) in alijs offendere passim. Veluti quod nulla duritiei & mollitudinis facta mētione inter primas octo qualitates, postea de ijs agit. Primo enim de magnitudine, secundo loco de uehemētia, tertio de plenitudine, quarto de duritie tractat. Quod si compositam aliquā ex simplicibus eam faceret, defendere hominem possis, si recte initio dicas prætermissam, ubi de simplicibus dūtaxat meminit: sed mox iure in compositas relatam. Nunc quarto eam loco statuit

tuit mediam, quantum potest maxime, inter simplices qualitates. A Quam exponens quidnã sit, occursum dicit solidę uel dissolutę arterię. Vnde certe de simplicibus illam esse uult. Hæc igit Archigenes mox ab initio recensendis primis qualitatibus errata cõmisit, quas ne demonstrare quidem, cur tot sint numero, uoluit. uerum ita temere sermonem effutijt. Octo dicũtur qualitates pulsibus comitari, αἱ διηχημέναι quidẽ apud puros. Ego uero quid sit ipsum διηχημέναι conijcere planè nequeo. Neq; enim nomen hoc apud quenquã inueni græcũ. Quo minus, cui Archigenes rei tribuat, perspicio: idq; quod de sua ipse lingua librũ non cõscripsit, ut fecit Chrysippus de nominibus, quæ in dialectica finxit. hac enim sola uia eum assequeremur. Tamen ex tota oratione pro eo uoce διηχημέναι B uti eum suspiceris, quod apud omnes est peruulgatum & creditum. Quanquam ne id quidem suspicari planè potes. Nam non apud omnes ait, sed puros, quos ne ipsos quidem, qui sint, scimus: etsi scito scilicet opus erat, ut disceptemus, an credendũ ijs citra demonstrationẽ sit, nec ne. Apud Aristotelẽ certe lemmata audiui probabilia, quæ omnibus hominibus, uel plurimis, uel sapientibus probantur. Hic an puri pro sapientibus accipiendi sint, me quidem præterit. Multo certe præstaret aliquam apponere, si non firmam demõstrationem, at rationem sufficientem sermoni de octo qualitatibus, ut ne quis initio statim, quasi in Moysi & Christi scholam impingat, leges audiat nulla constitutas demonstratione, idq; ubi minime deceat. C Nam cum dicere de omnibus pulsibus (quod ex ijs, quæ ante scripsit, conijcias) instituisset, quot sint nulla nos rationali methodo uoluit inducere: sed disciplinã instituit empiricam, octo apud puros dicens peruulgatas qualitates esse. Quid si quasdam illarũ negligẽtius puri præterierint, statim'ne erũt nec ipsa quidem sua natura plures? an quæ puris placẽt, hæc satis est retulisse pro ueris? idq; cum incertum sit, quinam isti sunt puri: utrũ qui literas didicerint, uel primas disciplinas, an cordati, uel prudentes, uel sapientes. ut remittamus, q; ex negligẽtia qualitates appellauit principes & generales pulsuum differentias. Magnitudinis quidem & paruitatis certe differentia qualitas non est: nisi tricubitale etiam in qualitate pones. D Equidem quantũ putarem. Sed & de magno & paruo non paruam scio disputationem extitisse; utrũ quale significẽt, an ad aliquid, an (id quod res habet) ad aliquid in quantitatis prædicamento sint, nullo tamen pacto in qualitatis genere: uti nec rythmus, nec ordinis perturbatio et ordo, nec æqualitas & inæqualitas: quæ item ex genere ad aliquid manifeste sunt. Nam etiam commune genus existimare magnitudinẽ magni & parui pulsus, uehementiam uehementis & languidi, celeritatem celeris & tardi, & crebritatem crebri & rari: itaq; deinceps in sequentibus, plenitudinẽ pleni & uacui, duritiam duri & mollis, quis negabit maiorem in modum esse absurda? Quòd si uno auet nomine totum genus complecti, quin hoc in ordine & perturbatione ordinis, in æqualitate & inæqualitate sustinuit? Aut si in his cõmune prædicamẽtum non desiderauit, quæ erat necessitas, cur requireret in alijs differentijs? aut si in alijs ausus semel est Græcorum præterire institutũ, quid crebritatem de crebro dixit & raro pulsu, æqualitatem autem dicere de æquali & inæquali non fuit ausus? Hæc ego, quemadmodum sibi cõstent mutuo, libenter didicerim. Nam hæc, ut si suspiciat Græcorũ morem, illa, ut si contemnat, & perturbet, scribit. In uno ergo primo genere quia uim sibi muniuit, ostendit in alijs omĩbus eandem rationem habiturum: sed in audacia non permansit. Oportebat uero à primo aut nihil consuetudinem imminuere, aut perpetuo audacẽ esse. Nam qui magnitudinem pulsus generatim affirmauit dici: etenim paruum etiam habere suam magnitudinem: deinde etiam uehementiam confirmauit generatim, atq; non solum de uehemente, sed & de languido dici: qui fit, ut statim in plenitudine labascat scribens sic? Pleno pulsui & uacuo est cõmune quoddam genus, hoc nonnunquam plenitudo uocatur. Nam in hoc genere Nonnunquam addidit, quod superioribus non adiecit, quasi reprehendens iam ueterem dictionis usum confusum. Nam si illi quis obijciat, qui apud Gręcos est educatus: Quæ bone uir in uacuo plenitudo inest? Quid hæc designas in communes Græcorum dictiões prẹter omnem morem? Vt hoc declinaret, addidit, Nonnunquã uocatur. Enimuero nos rogabimus: quando autẽ? ubi? à quibus? Hoc enim uult illud, nonnunquam. Ille uero librũ producere Græcorũ, ex quo usum illum cõfirmet, habebit nullum. Tantum fortasse homini istis erit dicere, apud nautas, institores, caupones, & balneatores. Nam ad istos semper testes confugiunt, ubi de nomine quęratur. Quæres de nobis. Quid tibi, tanti ne Græcorum est usus, ut nemini permittas de eo ne latum unguẽ discedere? Non equidem, dicam, me hercle, & per omnes deos. Immo si uel βέκος uoles panẽ appellare more Phrygum, nostra nihil refert. tãtum me hoc primum doce idioma linguæ tuæ, ut assequar: neque dixeris, uocat. Omnino enim quæram ex te, apud quos? Certe quidem non apud Græcos. Sed forsitan dicũt, uocetur. At si cũ hoc dixeris, hiscere me amplius audias, capitis me damno: Nunc hic uocatur, dicis, mendacijs usum Græcorum onerans, illic nõ absolute, sed addito nonnunquam: ut in plenitudine. Nam quid tandem ais, hæc nonnunq; plenitudo uocatur? Verum de plenitudine quidem hæc, cum labasceret iam scripsit. De duritie non etiam labans. Scilicet deiecti iam uictiq; prorsus ista uerba sunt. Est autem mollitudinis & duritiæ pulsus commune quoddam genus, quæ durities, si receptum sit, uocetur fortasse. Neq; hic amplius ausus est addere. Hoc nonnunquam durities uocatur. Tametsi nihilo erat plenitudo duritie præstãtior, ut quod ausus illic est, hic uereretur. sed quod dixi, paulatim labentibus similis est. Atqui maioris erat strenuitatis, puto, præcipitem ruere, non

labi pedetentim: neq; nobis neq; sibi negocia facessere. Quae durities, inquit, si receptum sit, uocetur fortasse. A quibus fortasse si receptū sit? à tuis fortassis hęredibus. Siquidem nos quēadmodum monetam qualibet in urbe tesserā esse scimus emptionis & uenditionis, quam qui adulterant, in hos Legislatores animaduertunt: Sic linguarum insignia multa esse scimus, quarum tueri, quam quisque elegerit, uolumus, Nos defendimus communem linguam, quam uocant: siue una ea Atticorum est (multas em̄ sumpsit Atheniensium lingua mutationes) siue omnino alia quępiam. Nam alio in loco de hac re meam sententiam aperio. Et hanc studemus linguam seruare, neque in eius leges quicquam committere, neq; monetam inducere uocis adulterinam, neque deprauare. Qua si mecum cupis colloqui, primum eam fac addiscas. Sin alia quapiam uteris, idipsum demōstra. Nam si de Graecis est, sane nec illa nos fugit. Siquidem & Ionum, & Aeoliorum, & Doriorum reuoluimus scripta. Sin autem nulla harum, sed est barbara aliqua, id ipsum dic: tantum ago, eam ut serues integram & puram, quaecunq; illa sit. Nec tria mihi ex Cilicia uerba affer, quatuor ex Syria, ex Galatia quinq;, Athenis sex. Equidē tot linguas ediscere nequeo, ut homines intelligam adeo multarum linguarum. δίγλωττος, id est, duarū linguarum peritus olim aliquis dicebatur, quod habebatur miraculū, homo unus duas callēs linguas. Tu multas nos uis ediscere, cum ediscere te oporteat unam, tam propriam, tam uero cōmunem omnibus, tam etiam facundam, tam deniq; humanam. Quod si linguarū uoces barbararū aduertas, perspicies plane, alias porcorū linguas, alias ranarū, uel graculorū, uel coruorū repraesentare turpes & inhonestas uel ipsa figura linguę, labiorū, totiusq; adeo oris. Aut enim ex intimis fere faucibus non aliter ac qui stertunt, loquuntur, aut labia distorquēt, sibilantq;, aut ubiq; uocē intēdunt, aut nusq; prorsus, aut maxime hiant, & linguam iactant, & os aperire nequaquam ualent, linguamq; habent ociosam, nec facile motam, atque quasi uinctam. Et tu iucundissimā negligis humanissimamq; linguam, ea porro elegantia atq; gratia: ex multis autem importunis & absurdis cōgeris nomina? Vnam longe erat procliuius ornatissimam addiscere, quàm sexcentas deprauatas. At non tantū ipsi repudiant, sed & nos cogunt, in qua creuimus & instituti lingua sumus, hac dimissa, ediscere suam. Quid tu, non uis bone uir addiscere linguam graecam? Barbare, ut uelis, sonaueris. Tantum, ut ego permitto pro tuo tibi arbitrio loqui: sic mihi ut doctus sum, concede, ut dicam. Patrē habui, qui adamussim teneret graecam linguā, itemq; doctorem & paedagogū graecū habui. In his altus uocabulis sum, nescio tua. Nec mercatorū mihi, aut cauponum, aut publicanorū usum nominū adduce. Nō usus sum ista hominū natiōe: à puero in ueterū uixi libris. Atq; hęc dico, nec ulli dixi tamen unquā, uel heus tu barbare sonas, uel soloecismum committis, uel parum bene & proprie appellasti. Imò

A loqui, ut uolunt, omnibus per me quidem licet, ut etiamsi gubernator dicat, uerbi causa, hūc pes, nil laboro. Phauorinus haec & Dion, non ego reprehendo. tantū sermonē uolo intelligere. Qui si me quando perplexum habet, ibi necessum quaerere mihi est, quid interpretari nomen uelit. Si aperit sensum, taceo: neq; incuso, uel exprobro, quòd à consuetudine desciuerit Graecorū. Vna duntaxat sum cura capiēdi sensum sermonis: istis hoc, ut uidetur, nō satis est: sed cum nos utamur Grecorum nominibus, tum nos illi primum accusant: atque nunc dialecticos agunt, nunc physicos quosdam, aliàs oratores, nōnunquam grammaticos. Varijs enim modis nos diuexāt. Deinde cum quis in longiorē cum ijs disputationē necessario deductus,
B imperitiam detegat omnium, quae, quasi nossent, iactabant: statim sui ipsi obliti, quae initio esse utilia defendebāt, haec ipsa accusant. Quis est de istis audacibus, qui nobis non insultet, quādo differentias dicamus pulsuum generū tot esse: male differentias cōtendens nos dixisse, & multo etiā peius generum? Nos autem, ut inanem contumeliam istorum uitemus: age qualitates, dicimus, eas uocaueris, aut quomodocunq; cordi tibi sit. Neque em̄ de nominibus nos, sed de rebus disputamus. Nam quot pulsuum sunt prima genera, nosse refert, ne iam in prima forte diuisiōe genus integrū praetereamus. Hi ne haec quidē dicere nobis permittunt, sed statim os obturant, ac rei totius confirmant, non nominis esse ignorationem. Inde ea
C nos in se cogūt dicere, quę diceremus inuiti. Mox conuicti, primum nō de re, sed de nomine quaeri: deinde nominibus usurpādis ipsos offendisse, nō nos, indignissime ferūt, & inutilem uocant, uelut de somno excitati argutam illam & anxiā de nominibus sedulitatē. quasi uero aliud nos à primo dixerimus aut cōtenderimus: ac non ipsi initium introduxerint istarum ineptiarum. Octo dicis tu qualitates pulsum comitari? Dabo tibi hoc, qualitatis te nomine ordine & recte usum. de eo uerbum non faciam. Ostendam non esse octo. Haec de re quęstio est, ad quam ego egregios hos sophistas prouoco. Isti quò hinc sese expediāt, dum ego disputo, nomen aliquod prehendunt. Cum iam in utrisque coarguti sint, rebus simul & nominibus,
D stomachantur. Erat uero praua de rebus sententia abijcienda, & nominū utēdorum, quēadmodum illis per nos potestas est, & nobis item facultas ab illis danda. Sed non permittunt. Quare & ego de uoce illorum pauca necessitate adductus dixi. Ac nunc etiam orabo, ut deposita de nominibus contentione, concedant nobis Graecorum instituto loqui: addiscantq; male octo se qualitates dicere. Neque enim omnia prima genera pulsuum qualitates, ut demonstrauimus, sunt. Quomodo igitur, inquiunt, dicendum est? Hoc, non quò discāt, quaerunt: sed ansam ut habeant controuersiae. Tu ergo respondebis, differentias dicendum esse primorum generum pulsuum: aut sic certe, differentiarum pulsuum prima genera. Illi, qualia genera, necessario rogabunt, & quae, & quales differentias

rentias? Tu etiam ad hoc illis responde in hũc modum. Primum quæso audi, quòd generũ: inde audies, quòd primorum: postea, quòd differentiarũ. Atq; quòd generũ, hinc cognosces. Dicitur quidam magnus pulsus, & ei cõtrarius paruus, ac quidam inter utrunq; medius, moderatus in hoc genere. Et hercle est, qui longus uocatur, est qui breuis, & latus, & angustus, & altus, et humilis, & qui horum medij sunt moderati. Horum tibi quos cõmemorauimus, unum esse pulsuum genus censes qualecũq; tandem? Innuent scilicet audace & cõfidente uoce: tu caue hac re cõmoueare: sume & recita Archigenis illis librum & primum quidem inscriptionem capitis quæ sic habet: De magnitudine pulsus. Deinde initium tractatus sic ad uerbum scriptum: Magnitudo pulsus generatim dicitur. obtinet enim magnitudinẽ et paruus pulsus & magnus. Tum paulum reuoluito librum, & rursus ex tractatu De uehementia hoc caput recita: Igitur genus est uehementia. Eius species, uehemẽs pulsus, & languidus, & medius. Iterum librum aliquantum reuolue, ac principium recita tractatus De plenitudine, quod est huiusmodi:

B

Plenus pulsus & uacuus commune habent genus. hæc nonnunquã plenitudo uocatur. Ac paulisper intermitte recitationem libri, atq; dic istis: nihil nouare nos, sed sequi Archigenẽ. Est enim omni in pulsu commune plurium differentiarum genus: ut hoc loco sunt ab Archigene tria hæc genera commemorata, magnitudo, uehementia, plenitudo. Tum quartum dic deinceps eum scribere genus, duritiẽ, atq; caput recita, quod ita habet: Mollitudinis est & duritiei pulsus commune genus, quę durities, si receptum sit, uocetur fortasse. Clarius iam etiã in tractatu De ordine & perturbatiõe ordinis, æqualitate & inæqualitate, genera dicens harum differentiarum nomen non sortita, hoc modo orditur: Herophilus, qui generatim pulsuum protulit alias differẽtias hoc pacto: Magnitudo, celeritas, uehemẽtia, rhythmus: non coniunctim, sed speciatim ordinis meminit, & perturbationis ordinis, atq; æqualitatis, & inæqualitatis. Vnde curiosiores illum, qui generibus in partitiõe species opponat, reprehẽdunt. Hæc ad initium tractatus. Inferius, cum non Herophiliiam opinionem exponit, cęterũ tradit suã ipsius sententiam in capite de ordine & perturbatione ordinis quid ait? Citius enim affirmauerim genus esse sine nomine. Hoc autem quid sibi uult? ꝗ magnitudinis & paruitatis cõmune genus magnitudinẽ appellauit: uehementiæ & remissionis, uehementiã: plenitudinis & uacuitatis, plenitudinem: duritiæ & mollitudinis, duritiam: celeritatis & tarditatis, celeritatẽ: crebritatis & raritatis, crebritatẽ. At ordinis & perturbationis ordinis mente quidem concipit, sed nomẽ nõ potest amborũ tale exprimere, quale magnitudinis & paruitatis, magnitudinẽ. Neq; enim ut illic paruo pulsui magnitudinẽ ait suppetere, & hic dicere audet in inordinatũ cadere ordinem: neq; uero etiam in inæqualem æqualitatẽ. Quare nec genus horũ cõmu

C

D

A

ne nominatur æqualitas. Itaq; nomine ait uacare harũ genera differentiarũ. Genera ergo pulsuum differẽtias nõ nos modo, sed Archigenes esse dicit, sed Agathinus, sed qui de pulsibus commẽtati sunt, pene omnes. Vbi ergo ab illis dissidemus? quòd uocabulis nos magis utimur proprijs. Nam cum quandam Archigenes magnitudinis qualitatem dicat esse, alteram uehementiæ, tertiam plenitudinis, quartam duritiei, & quasdam præterea celeritatis atq; crebritatis, magnitudinis qualitatem nos quãtitatem distentionis nominauimus. Neq; est enim commune magnitudinis & paruitatis genus magnitudo potius, ꝗ albedinis & nigritię, albedo. Sed si harum est color genus, quodnam magni sit & parui genus, quærendũ est. Nã aut quãtitas est, aut ad aliquid, aut coniũcta cũ ad aliquid quantitas. Neq; enim sumus nescij multis generibus esse commune ad aliquid. Siquidem albius & nigrius sunt in genere coloris, & qualitas color est. Iam superius atq; inferius etiã in genere ubi. maturius item & tardius in genere quãdo. Et uero etiã alijs in pluribus generalibus prædicamentis ad aliquid uersatur. Quid igitur admiratiõis habet, si & in prædicamento quãtitatis locũ habet? Sanè nihil mallẽ, si quidẽ fieri posset, ꝗ certo termino quãtitatẽ distentiõis appellare, sicut in multis pedale, cubitale, bicubitale, & eiuscemodi uocamus. Atqui quando eiuscemodi ex his quæ insunt nihil inuenimus, ꝗ proxime ad certa accedimus. Nam cum teneamus quidem pulsum moderatum absolute, & moderatũ ad singulos nos: excedentes modum, & qui infra modum sunt, damus operam, ut clare nominemus, atque sic interim dicimus: aut si cum nemine loquamur, nobiscum certe cogitamus: Hic pulsus aliquãto est moderato maior. Aliàs, non paulo hic pulsus moderato maior est. Idem etiã sic dicimus, bene maior moderato, aut satis maior: aut etiam absolute, hic magnus est pulsus, uel hoc modo, pulsus hic satis magnus est, uel hercle, admodum est magnus hic pulsus: aut cum longius etiam intelligentiam protendimus, maiorem in modum dicimus magnum esse, aut deniq; maximũ. Nam omnes hæ dictiones moderato maiorem denũtiantes, maiorẽ excessum & defectum ostendunt. Quare optime ualeas moderatum, qui requiritur, ostendere, modo moderatum cognoscas. In ipso enim maiore ꝗ est mòderatus, satis est quinque facere, aut certe sex differẽtias. Eum, qui excedat omẽs, qui nobis animaduertendus etiam est, nõ secus ac moderatus, maximum uocabimus. Qui medius est inter maximum & medium, magnum simpliciter. Iam interponẽdi huic & illi utrinq; bini alteri: unus paulo maior moderato, alter, qui magno paulum concedit. Alius iam, qui magnũ superet: alius, qui proximus sit maximo. Hæc adduxi, ut demõstrarem magnum & paruum, ut uideantur esse quammaxime prædicamenti ad aliquid, quantitatem significare. Quocirca nos, qui de luce discipulorum laboramus, ex quantitate distentionis omnia diximus illa nominata esse: simulq; usum eos nominũ

doce-

docemus, nec perturbamus, cum in paruitate dicamus magnitudinē inesse. Nam si uel idiota sis, & primarum disciplinarū imperitus, quiduis potius, quàm hoc concedes. quas si antea attigisti, profecto millies offendisti scriptas apud Græcos, magnitudinem & paruitatem, esq; ad cōcipiendum assuetus, magnum habere magnitudinē, atq; paruum paruitatem. Equidem noui quendam, qui olim Archigenis mihi De pulsibus librū interpretaretur, qui paruo credebat nullam suppetere magnitudinem. Nam si, inquit, cuipiam adsit paruitas, etiam eidem aderunt ambæ. Hic ego cum conticuissem, quantitatem, inquit, aut tale aliquid paruo cogitetis suppetere, magnitudinem nequaquàm. Hæc ego, quia ut parū recta non ualeo calumniari, neq; instituendos tyrones uolo importune cō-
B fundere: quādo homonymum est magnitudo, & de his quæ bifariam dicuntur, satius esse dicēdum duxi, distentionis quantitatem multas differētias pulsuum complecti. Nam eum scio paruitatis esse apud Græcos usum, ut quoddam accidens & inseparatum à paruis. Itaq; Plato etiam species efficiebat magnitudinis & paruitatis: ac harum uicissitudine magnum & paruum generabat ratione. Atq; his siqui om̄ibus præteritis, magnitudinem paruis pulsibus aliquam de altera homonymorū significatione det infrequentiore: at quomodo longis iam, & breuibus, & latis, & angustis, humilibusq;, & altis (cum eiusdem sint generis cū magno & paruo) suppetere dixerit magnitudinem? Nam longus est, qui longitudine naturalem exce-
C dit. Latus, qui latitudine. Altus, qui profunditate. quorum intelligitur nullus in tribus dimensionibus arteriæ, citra quas nulla constet magnitudo. Siquidem quantitas unius dimensionis, non magnitudo, sed longitudo est, ex qua aliquos longos & breues uocitamus, non magnos uel paruos. Neq; uero ita lineam unq; appellamus, sed aut lōgam, aut breuem. Verum enimuero illa demum, quæ trifariam corpora dimensa sint, magna dicimus & parua. Atq; adeo ipse Archigenes magnitudinē esse pulsus ait, tumorē assurgentis arteriæ. Atqui magnitudine linea caret, quæ solis trifariam dimēsis cōuenit. Proinde om̄es clare, uel de illius sententia à magnitudinis genere, qui ex una dimensione nomen sortiti pulsus sunt, reijciun-
D tur. Quare aut peculiare faciat deinceps genus, ut magno & paruo magnitudinē: aut nisi faciat, non magni tantū & parui quærat cōmune genus: sed etiam longi & breuis, lati & angusti, alti & humilis, cæterorūq; adeo in ijs moderatorū. Verū, præter quantitatē, quod de omnibus dicatur in cōmuni, nihil habebit. Atq; ita euadet quoq; clara doctrina & distincta. Nam quis est tam plumbeus, ut nō assequatur, cum dicitur, quantitas arteriarū distentionis? Vbi quantitatem unius dimensionis demonstrare uolumus, hæc usurpamus nomina: eum qui superat naturalem longitudinē longum: qui inferior est ea, breuē appellamus. Simili modo qui iusta latitudine est latior, latum: qui ei cōtrarius est, angustum. Atq; proportiōe horum

altum & humilem in profunditatis dimēsione. At uero quantitatem in trinis dimēsionibus ad hunc modum uocamus: maiorē in modum undiq; ultra moderatum auctum, magnum: & omni ex parte diminutum, paruum: qui modum seruet prorsus æquum, moderatum hunc appellamus. Cum uero à proportione tres illæ dimensiones discedunt, atq; aliqua uel aliquæ illarum imminuūtur uel exuperant, quatuor & uiginti nascuntur differentiæ pulsuum. quas nos, quò uigintiseptem esse obtinētium tres dimensiones pulsuum uniuersas differentias ostenderemus, cum prædictis tribus in tabella proposuimus. Nanq; referre hoc uisum mihi horum est, qui iam primum ad commentationem addiscendam de pulsibus appulerunt, omnium tenere eorum singulis in generibus numerum: id quod priores neglexerūt. Sed his sane uenia danda est. Quid enim cum istis lucteris, qui omnino cōciderunt? Archigenem uero qui nō iure accusem? quem ad ea oportebat inueniēda, dialectica uti. ille ubi minime decet, illic male eam ostentat, obtundens tantū discipulos, nihil interim docens. Atqui præstabat parata diuidendi cōponendiq; uia & ratione, numerū per eam omnium differentiarū pulsuum inuestigare: non tamen ostentare eos, qui iam senes demum ad discendum sese cōferunt, sed ne indicare quidem hoc ipsum tyronibus esse rationem & uiam, qua constat tabella. Nam his qui humanis studijs non sunt instituti, nequicq; dicas. Qui illis imbuti sunt, prius ex rebus ipsis, quàm tu admoneas, rationem illam & uiam cognoscant. Qui ergo factum est, ut nemo istorum quisquā diuidendi uideatur ratione usus ad numerum cuiusq; generis differentiarū ineundum, neq; ad inueniēda prima cōponendi, et quidem quum Dialecticis solis utendi facultas detur harum uiarū rationūq;, interim ab indiuisis & numero infinitis ad primū illud ascendentibus omniū genus per genericas ac speciales medias differentias: interdū ab illo rursus per easdē medias ad infinitū pergētibus. Sed horū est ausus nullus ulla cōstituere uia et ratiōe numerū uel primorū generū, uel ab his distributis proficiscentiū differētiarum. Verum nos quidem hoc effecimus, & quasi uia progrediētes uigintiseptē pulsuū reperimus, qui tres habent dimensiones, & eorū nouem, qui unam, unum commune genus, quātitatem distentionis arteriæ. Quòd si etiam cōtractionem est tactu cognoscere, & in hac quoq; erunt scilicet totidem differentiæ. Sed de hac re in libris De dignoscendis pulsibus disceptabimus. At uero Archigenes (nam hunc secundum Herophilum quidem appellauerimns primum, inclamātes Homerum,

Vnicus ille sapit, reliqui uolitāt uelut umbræ.)

nō in nominibus modo uidetur, sed longe etiam in rebus prius perplexus esse. Quo fit ut passim se non percipiat secū pugnare. Discas id ex his ipsis uerbis: Sūt porrò alij pulsus, hiq; nec medij, nec magni, nec parui ex magnitudine cēsentur, uel ex magnitudinis dimensionibus. Mox subdit: est em̄ pulsus cū longitudine arteria distenditur insigni,

sed

sed latitudine angusta, & humilius est sublata: uocetur longus. Alter, cum lata quidem distentio, sed humilis & longitudine breuis occurrit: appelletur latus. Tertius, ubi admodũ attollitur, angusta tamen & longitudine est breuis, est autem hic rarior: uocetur altus. Hic erat illi de ijs propositũ dicere, qui unam habent dimensionem, remotis reliquis duabus. Sed de instituto argumento abductus est, quòd de illis etiam scribat, qui tribus dimensionibus intelliguntur. Nam eorũ primum non longum modo, uerum etiam angustum et humilem fecit: neq; id tantũ intelligentia, sed & uerbis. Nam quid ait? Cum longitudine arteria distẽditur insigni, sed latitudine angusta, & humilius est sublata. Nam latitudine angusta, angustũ pulsum significat. Et humilius sublata, humilem. Inde secundum, non latum tãtum, sed etiam humilem & breuem fecit, tam intelligentia quàm uerbis. Eodem tertium modo, non altum solum, uerumetiam angustum & breuẽ. cum sint hi tres de his, qui trinis dimensionibus dicũtur, uigintiseptem, quos in tabella proscripsimus. Scriptus est autẽ, qui hic primus relatus est, in tabella nonus, hoc pacto. Longus, angustus, humilis. Qui hic secundus est, primus uigesimus est in tabella descriptus in hunc modũ. Breuis, latus, humilis. Tertius hic, in tabella est uigesimusquintus, qui sic scriptus est. Breuis, angustus, altus. Quare aut initium de ijs sermonis immutet, ubi magnitudinem dicit eorum spectari: aut magnitudinis certe dimẽsiones simpliciter tradat pro magnitudine: aut quando appositum est, ex dimensionibus magnitudinis, ne in magnitudinis amplius differẽtijs eos numeret. Nam quid quærit, utrum de his illos esse, qui trinis simul dimensionibus æstimantur, an de illis qui tantum una? Vtrobiq; est em̃ defectus. Si eos, qui trinis sunt dimensionibus, accipimus, cum omnes prætereuntur unius dimensionis, qui nouẽ numero sunt: tũ alij desiderantur octodecim, qui trium simul sunt dimensionum. Ita enim nouem tantum uideatur mẽtionem fecisse: trium, qui primi cõmemorati sunt, magni, parui, medijq; inter eos. Deinde trium, quorum hic meminit. Ad hæc trium aliorum, qui his sunt oppositi, quos postea adducit. Ad hæc superflue hoc orationi additum est, ex magnitudinis dimensionibus. Sat enim dicere absolute erat ex magnitudine. Contrà si de his, qui una dimensione æstimantur, scriptum ab eo accipiamus: Primum, alienum sit reliquorum binorum in singulis meminisse: Deinde, non iam octodecim, cæterum quatuor & uiginti illos ex tabella reliquerit: Tertio, male uideatur dicere ex magnitudine censeri eos: cum non ex magnitudine sit dicendum, sed ex magnitudinis dimensionibus: siquidem tumor, ut ipse asseruit, est magnitudo. Quanquam non solũ longitudo per se, sed nec profunditas uel latitudo est magnitudo: cęterum, ut etiam appellatur, dimensio. Neq; sanè perinde est magnitudo & magnitudinis una dimensio. In utrunq; igitur incurrit planè Archigenis oratio, quòd nec distinctè nec distributè dixit, sed intelli-

A gentia ueluti ambigua. Cæterum in quam ille partem potius acceperit, si diuinando oportet pronũciare, uel id audebo. Equidẽ uoluisse dixerim hos describere, qui una dimensione intelligũtur: idq; adeo ipsum initio innuisse, cum dicit: uel ex magnitudinis dimensionibus: sed in narrando offendisse, uti toto in libro, & animo conturbato fuisse & attonito. Nam quòd hominem lateret esse septem & uiginti eos, qui tribus simul dimensionibus intelliguntur, maximum est argumentũ crassa ratione minimeq; distincta de illis statuisse. Nã eius esse hoc institutum, & ab hoc illum deflectere inuitum, ex suprapositis liquet. Nam quid tandem mox subdit? Etenim cum etiam binæ aliquæ sæpenumero dimensiones cõcurrant, ut simul &

B breuis sit & humilis, uel breuis & angustus: Atq; in alia coniugatione, longus & latus, uel longus et altus: profectò hinc planum est eos illum, quos diximus, una tantum dimẽsione accipi uelle. Hos siquidem binis dimensionibus duntaxat scribit, tertiæ statum prætermittit. Nam quid dicit? Etenim cum etiam binæ aliquæ sæpenumero dimensiones concurrant, ut simul & breuis sit & humilis. Nã in hac oratione, qui breuis simpliciter sit, cognoscendum est, & qui humilis simpliciter, alioqui nos fugiet breuis simul & humilis. Quin nec longus pariter ac latus, nisi ante utrunq; separatim commentere, erit clarus. Primum enim longus seorsum est intelligendus, deinde seorsum ipse etiam latus, postea illorum intelligentiæ cõmittendæ unà sunt. Ac tum dices deniq; longũ simul

C & latum. Quapropter fit, ut à se ipse quidem confusus manifeste dissideat. Nam longum non satis habuit dicere, cum longitudine arteria distenditur insigni, fieri: etsi hoc unum sufficiebat: sed superflue addidit, sed latitudine angusta, & humilius est sublata. Rursus latũ parum erat dicere, cum lata quidem distentio: uerum subijcit, sed humilis & longitudine breuis occurrit. At si hæ mihi sunt Archigenes notiones obseruandę, quî longũ eundem & latum intelligam, quod subdis, fieri? Nam à longi notione tu ipse latitudinem disclusisti, & à lati longitudinem, ut sic dicam. Atqui hæc inter se pugnant planè: cum primo loco à longi notione abstrahat latum, retineat secundo. Non aliter in lato & alto. Primum à reliquis duabus dimensioni-

D bus separat longitudinem, deinde seruat. In has ille omnes offensiones nominibus exponendis, eo quod in ipsis reb. multo ante lapsus sit, incidit. In nulla enim disciplina uidetur usus ratiõe uel diuidendi, uel componendi. Ne dicam illi usũ uenisse, q̃d uulgo solet, & indoctis: ut naturæ frequenter compositionem in prima, & simplicia dissoluere conetur. frequenter autem, quando separatim nil horũ, uel solum potest esse, resistat, & se ad cõpositionem recipiat. Rursus quando indigestam compositio nec distinctam obtinet disciplinã omninoq; plebeiam et rudem, ni in prima dissecta sit, à diuisione nesciat manum abstinere, inde ad compositum iterũ diuertat: quod intelligẽtia nequeat distinguere singula simplicia. Atque hunc orbem repetens

repetens & uolutatus semper inter extrema, intelligẽtijs ambigat, nec ulla ratione his se pugnãtijs possit explicare. Omnino, qui Dialecticum se facit, hoc uolo meditatũ plane esse, ut quicquid aggrediatur, si sit compositum redigat ad prima notione & simplicia: non quò separatim unquam & sola appareant (nã hoc effici non possit) sed quòd mente sola concipi possint, nec cogitando hęc cũ ulla coniungamus differentia, quibus sunt necessario alligata. Nam ut simum hominem intelligimus, & aquilum: neq; magnus is sit, an paruus: albus, an niger: corpulentus, an gracilis, quærimus: sic altum quendam intelligimus pulsum, non desiderantes longitudinem, uel latitudinem eius cognoscere. Quapropter qui nullum aiunt longum simpliciter pulsum se complecti animo, (nam omnino eum aliqua præditum esse latitudine & profunditate) rudes sunt primarũ disciplinarũ: quas didicisse eos et in illis tritos oportebat esse, atq; ad nos tum deniq; se conferre. Quia enim solus non possit longus consistere, cõtinuo nec intelligi cõfirmãt solum posse. Quin ergo nec simum hominem cogitent separatim, nec aquilum, nisi eius norint omnia reliqua, magnus sit an paruus, corpulentus an gracilis, niger an albus, Græcus an Barbarus, malus an bonus, ualens an ęgrotus, iuuenis an senex. Quid hoc autem? nónne importunum est, longum se quendã & altum & latum simul fateri intelligere, ac uno nomine magnum appellare: longum non posse seorsum, & solum concipere? Quasi uero non eadem ratio sit cum toto pulsu magni, ac longi cum magno. Nam ut longus separatim et solus stat nullus sine aliqua profunditate & latitudine: ita neque magnus est ullus pulsus, nisi simul, celer, uel tardus, uel uehemens, uel languidus sit, uel particeps aliarum sit differentiarum. Immo uero, ut cogites omnibus differentijs arteriam moueri, separatim non possit unquam moueri. Quis enim extra corpus arteriam etiam conspexit pulsare? Omnino itaq; est in toto corpore, & neruo alicui incumbit, isq; qualitatem habet & quantitatem: subijcitur porrò uenæ, & hæc est qualitatis & quantitatis particeps: circũijciuntur iam corpora illi multa. atque omnia, hinc progressus, sine quibus cõsistere pulsus non ualet, recenseas. Sed uir prudens, si hæc exaudiat differentẽ, de assistentibus aliquem rogauerit. Næ iste scilicet ludit, uel insanit, qui hæc nugetur. Quid, quæ sine alijs esse nõ possunt, nónne mera fatuitas est, & magna uanitas, ne cogitatione quidem repræsentari citra illa profiteri? Nam lõgum quidẽ pulsum, nisi aliqua coniuncta sit profunditas et latitudo, non esse posse, nemo causam dicit. Atqui hoc non erat propositum: sed an ne intelligi quidem possit absque illis. Nam hoc siquis dicat, artes imprudens euertat omnes, atque adeo omnem in uita usum nominum. Etenim curandi artem qui unquam uestrũ pleuritici Dionis didicit? Nemo uero. Omnino nõ in homine pleuritico, sed in commentatione specierum & generum artes positæ sunt: primũ pro ipso affectu certis sumptis distin-

A ctionibus. Siquidem uel ad clauiculam dolorem, uel ad præcordia pertinere cogitamus: neque hic Dionem usquam, uel Theonem unà cõcipimus. Deinde superiorem statum & præsentem spectamus. Abundantia laborat pleuriticus, aut contra defectu humorum: bonos succos habet, uel malos: atq; utrunq; scilicet, núncne primum, an iam pridem: & si iam pridem, utrum à uictus ratione, an sua sponte. Neq; hic quidem usquam Dion uel Theon. Neque uero etiam ubi de temperamento ægroti agimus, Dionem necesse est, uel Theonẽ appellare, aut animo concipere, aut aliquo modo desiderare, Nam ea ratione Geometriam sustolli, quid attinet referre? siquis se nec lineã, nec superficiem dicat concipere, quòd carere solido corpore
B non possint. Quid cunctas res mundi, quæ à se diuelli mutuo non possunt, an ne absurdum, si ne intelligi quidẽ separatim admittas? Sed eam importunitatem nunquã ferret Archigenes: immo contrà facere ille semper aduertitur, deducẽdis singulis in prima & simplicia. Verum deflectit ab instituto interdum, & aberrat inuitus: quòd parum, ut equidem censeo, sit exercitatus. Certe in re proposita, quod dico, perspicias nõ obscure. Etenim cum etiam duæ, inquit, aliquæ sæpenumero dimensiones concurrant, ut simul & breuis sit & humilis, nos uero separauimus hos, qui binis intelligũtur, ab illis, qui singulis dimẽsionibus: tum quòd hos, qui trinis dimensionibus intelliguntur, qui sunt uigintiseptem, prius docere nõ possem, quàm
C singulas dimensiones intelligere separatim assuefecissem, nũc augeri, nũc minui, nũc moderatas esse et in naturali statu persistere: tũ quòd multa nos ex una dimensione cognoscere possumus. Nã ut certam rem demonstrare magnus pulsus solet, ita etiam altus solus, non simul cum ipso alijs dimensionibus animo conceptis. At uero pulsus binarũ dimensionum, nec ad uiam & rationẽ quicquã faciunt eorum, qui trinis simul dimensionibus intelligũtur, & à diuidendi sunt methodo abducti. Unde etiam disciplinam habent, quæ nulla arte constat, frustra tironem detinentes: ut siquis ita doceat, pulsum dicens esse aliquem magnum simul & celerem, alium magnum simulq; uehementem, alium itẽ celerem & uehementẽ: itaq; progressus,
D binos copulet: quod ne ipse fecit Archigenes: ut quod nullius sit artis, nulliusq; propè rationis & usus. Quando enim ex omnibus differentijs nos uolumus constitutum intelligere, & ars requirit ut cognoscamus, & propositæ rei totã naturã perspiciamus, tunc in simplices reducimus differentias, ꝙ absq; eo exacte compositum nõ intelligamus. Nã nisi totã rei naturam in unum complecti, atq; in una differentia & simplici ualeas cõsistere, nulla erit ars, nulla uia uel ratio, nulla etiam utilitas. Quamobrẽ nos primum pulsuum uniuersam naturam deduximus in differẽtias, quę ipsam constituunt: atq; hãc quantitatis distentionis appellauimus, illam qualitatis ictus, aliam qualitatis tunicæ, aliasq; ordine cõmemoratas. Deinde in his ipsis rursus simplices requisiiuimus notiones, ut quã

habet ratione differentia quātitatis distētionis ad totam pulsuū ex omnibus cōflatam naturam, ita aliud reperiamus similiter habens ad hanc ipsam. Nā hoc genus ut uniuersam pulsus naturam conficit, ita idem iterum dimensionē efficit quālibet. Sed binas cōcipere dimensiones, nihil refert nec ad totū pulsum absoluendū, nec ad unam quantitatē distentionis. Vnde superuacaneū de ijs sit sermonem habere, & nos ordine prætermisimus. Cōtrà male Archigenes eū ueluti dilacerauit, & sex duntaxat cōmemoratis coniugationibus, alias uiginti unam numero præterijt. Siquidem differentiæ uniuscuiusq; dimēsionis sunt omnes omnibus aliarum copulandæ: ut in unaquaq; binarū dimensionum copulatione existant nouem differentiæ, omnes uigintiseptem. Adscribam unam, postea de reliquis etiam licebit discere.

1	Longus	latus
2	Longus	moderatus
3	Longus	angustus
4	Latus	moderatus
5	Moderatus	moderatus
6	Angustus	moderatus
7	Breuis	latus
8	Breuis	moderatus
9	Breuis	angustus

In hac ergo tabella longitudinis tres differentias complicantes cum tribus latitudinis, nouem effecimus differentias. Altera erit eodem modo tabella cum tribus longitudinis differentijs cōiunctas profunditatis tres habens. Tertia præterea, in qua profunditatis tribus tres copulabuntur latitudinis. Neq; est obscurum, quin singulæ tabellæ nouenas complectentur cōiugationes. Itaq; omnes uigintiseptem sint. Iam igitur est apertum, horū, qui bini intelliguntur, pretermisisse Archigenem permultos, ut etiam aliorū. Nos autem hos omisimus ob causas, quas exposuimus. Sed tradidimus eos, qui singulis dimensionibus intelliguntur, numero nouem: atq; eos qui trinis simul, quod in tabella descripsimus, septem & uiginti. Quorum fecimus omnium commune genus, non magnitudinem, uerum quantitatem distentionis, explicamusq; pulsuum differentias quasdam nomine, aliquas definitionibus. Neq; enim nomina omnes sortitæ sunt: & imponere, ab re ducimus, noua: quando definitiones commonstrare nihilo sanè secius ualent. Equidem non multo peius existimem, sed multo etiā docere nominibus definitiones melius, quòd, ut alia omittā, pleraſq; etiā differentias in alias plures, ut in magno pulsu demōstrauimus, diffindūt. Quippe cuius rursus sex concipias differentias, & definitione explices: si quendam ex illis maximum & conceperis & uocaueris eum, qui à moderato distat quamplurimū. Aliquem simpliciter magnum, qui inter maximum & moderatum medium locum tenet, ac inter utrunq;, alias duas differētias statuas licet, unā paulo moderato maiorem, alteram quæ paulum infra maximum sit. Nam huiuscemodi diuisionem, neminem fugit, qui operam, uel studiū in operibus artis posuit, magno usui esse ad præsagiēdum. Etenim in calido, frigido, sicco, humido, breuiter omnibus quæ ad artem pertinent, in minima facultas diuidendi, & paruorum excessuum obseruatio, uiri est cum prudentis, tū uero experti in operibus, nihilq; potius ducentis quàm scopum artis in angustum quammaxime cogere. Non tamē in principio institutionis ea est sumenda diuisio. Nam discipulis ea res minus doctis non parum confusionis afferet: Docti unum ex commemoratis intelligent. Quę causa fuit, quamobrē nec eorum in primo commentario meminerimus: sed ne nunc quidem dixerimus, nisi omnem pulsuum, qui ex quātitate nominantur & intelliguntur, statuissemus aceruum ob oculos ponere. Siquidē excessus pulsuum, qui una dimensione intelliguntur, & defectus à principio potes diuidere, ut in magno demonstrauimus. Nam moderati soli, singulis generibus singuli sunt & indiuisi. Alij plures diuisiones recipiunt, sua quidem natura infinitas. Quod enim genus maiorem, uel minorem excessum & defectum obtinet, infinitas necesse est habeat differētias. At nō ad sensum tamē sic habet: sed ut ad illos te melius, uel peius exercitaueris, ita modo uel minutulas differentias percipere poteris, modo insignes tantum. Siquidem & uocis musicus excessus nō ad tonum & semitonum tantum, sed & ad elementum ipsum usq; & minimum sonum satis assequitur. Idiota nec duorum excessum tonorū potest exaudire. Nam nos quidem, ut nunc est, nostrum sensum exposuimus. Assequimur in moderati excessu & defectu cuiusq; generis differentias pulsuum sex. Sed tyronibus primū unam, aut alteram satis est de illis sentire, & discernere à moderato illas posse. Deinde certe, si hac in re uersentur diu, primū in duas partes fortasse eas partiri, deinde in tres & quatuor poterūt. Hęc ideò omnia, ut multorū pulsuum esse declararemus unum genus, disseruimus. Refert tamē etiam suo nomine ea cognoscere. Nosq; his, qui in disciplinis profectum iam fecerunt, hæc dicimus, quibus scilicet solis dictauimus. Ergo esse quoddam genus pulsuum, qui in quantitate distentionis consistunt, satis ostensum est. Iam de primis esse generibus (memini enim hoc quoq; recepisse demōstraturum) hac potissimū ratione perspicias, si in singulis perinde alijs generibus coneris cōmentari, atq; nunc in hoc fecimus. Id quod in hunc modum maxime feceris, si in singulis tractandis cōsideres, ecquod supremum genus esse possit & huius generis, quod est quātitatis distentionis, et eius quod cum illo proponitur. Age enim quandoquidem celer quidā est, & tardus, & moderatus in arteriæ motu pulsus: atq; horum commune genus qualitas est motus (quod in cōmentarijs de dignoscendis pulsibus demōstramus) ecquod inuenire commune genus ualeamus qualitatis & quantitatis, attenden-

dum nobis est. Si nequeamus, in prima referemus A genera, tum quantitatem distētionis, tum qualitatem motus. Sed quando & qualitas corporis arteriæ aliud genus sit pulsuum: scilicet in quo mollis sit, & durus, & moderatus in statu arteriæ tunicæ, uidēdum est rursus, quodnam horum sit commune genus: huius dico, de quo nūc egimus, & illius qui in distentionis quantitate consistit. Si nihil reperiatur, ex primis etiam est hoc cēsendum. Nam quòd exercitatum requirit in prædicamentis horum commētatio, apertum puto esse: ut cum, quæ in quæstionem uenerunt, in unum ambo prædicamentum cogātur, non commune tamē ullum genus habeant, ne communitas nos prædicamenti moueat, ut plærosq; qui serò ad literas se cōferūt, & inexercitatos pseudodialecticos, ubi prædica- B mentum sit commune, genus etiam reperies hic cōmune existimare esse, ut qui distinguere homonymiam non ualeant. Sanè sic habet in qualitate mòtus, & corporis arteriæ. Prædicamentū est qualitatis cōmune utriq; generi, tamē genus nō item ambo ullū obtinēt cōmune. Nā per homonymiā utrunq; non synonymiā qualitas dicitur. Neq; eñ eadē est in ambobus qualitas, sicut in albo & nigro, atq; frigido & calido. Cæterum motui peculiaris est qualitas, & diuersa, & corpori arteriæ peculiaris, diuersaq;. Scilicet nō generis sunt eiusdē motus & status corporis arteriæ. Verū de his inferius fortasis amplius agetur. De pulsuum nunc genere in quantitate, qua ratione animaduertendum est, liquet: primorúmne generum, an secundorum sit. Nam à genere motus, corporisq; arte- C riæ planè distat, siquidem quātitas à qualitate dissidet. Atq; idcirco etiam à genere uigoris, in quo uehementes quidam & languidi sunt pulsus. Etenim qualitate hi uel ictus, uel uitalis roboris constāt. Et uero à rhythmo etiam, & à genere ordinis & perturbationis ordinis, æqualitatis & inæqualitatis. Quæ quidē prædicamento ad aliquid attribuuntur uniuersa. Hoc iam superest, ut illud comparemus cum genere crebritatis & raritatis. Nam hoc constituere quantitas uidetur temporis quietis. Sed sub idem sic rursus prædicamentum reducentur, genus ambobus tamē nō erit idem. Nam genere toto quātitas dimēsionis corporis à quantitate abest temporis. Ac nullum esse apertum est D in pulsibus genus altius quantitatis genere distentionis, ut nec aliorum quoquam commemoratorum. At meditatum oportet prius esse, qui assequi hæc uolet, ad prædicamenta. Nam scitum est Arcesilai dictum: Nemo uellus portat ad fullonem. Ordo est enim, ut lanificij, sic institutionis disciplinarum. Nec legere quisquam prius docet, quàm syllabas omēs didicerit: nec syllabas ipsas prius, q̃ uocis cuncta elementa. Neq; ualidas luctas, ante simplices & leues: neq; has ante, quàm probe sit frictus: immo ne id quidem, nisi præcesserit more athletarum unctio. sed omnium horum aliud primum est, aliud secundum, aliud tertium in omnibus artib. Sic etiā in dialectica, ante q̃ quis ad prima se & ueluti elementa exercitauerit, insequenti-

um nō ualeat assequi demonstrationem. Sed hæc hoc loco satis de his sunt. Restat ut de nomine differentiæ dicam. Primum in nomine nos nihil ostēdemus innouare. Deinde, quid apud autores significat, interpretabimur. Nā noui nos nihil designare primus est Archigenes testis: qui in hūc modū in principio scribit tractatus De ordine & perturbatione ordinis, æqualitatis & inæqualitatis:

Herophilus, qui generatim pulsuum protulit alias differentias hoc pacto: Magnitudo, celeritas, uehementia, rhythmus: non coniunctim, sed speciatim ordinis meminit & perturbatiōis ordinis, æqualitatisq; & inæqualitatis. Hoc loco aperte Archigenes non modo differentias esse in pulsibus, sed & aliquas generum esse, quasdam specierum memorauit. Neq; initio hoc tantum fecit, oblitus autem postea est in toto sermone: millies enim nominis meminit differentiæ & generum & specierum, rectissime sentiens sciensq;, differentiarum quasdā genericas, quasdam esse specificas. Ac harum etiam ipsarum has magis genericas, illas specificas magis. Quare paucula faciamus ut capita eius ascribamus ad confirmandum propositū. Primum hoc ex eodem De ordine & perturbatione ordinis tractatu: Quidam sanè æqualitatem acceperunt in certis tantum differentijs. Equidem in omnibus, in quibus ordinem. Mox addit, Inæqualitas est, imparitas pulsuū in aliqua succedentium ei differentiarum. Perturbatio uero ordinis, cōturbatio dispositiōis tēporaria in aliqua pulsus differētia. Bis in hoc quidē capite scripsit differētiæ nomen. Paulo post: Neq; aperuerūt ne de his quidē, an qui omī in differētia sit par, sit æqualis dicēdus. Inde rursus: Et qui est absolute ordinatus, hic nobis erit par magnitudine, uehementia, celeritate, rhythmo, & si qua alia eiuscemodi differentia, dispositus attenditur in omnibus esse. Sed aliqua ex parte, qui in una horum differentia dispositus uidetur esse, uel duabus, uel pluribus. Hoc rursus loco nomē differentiæ bis appellauit. Cui annectēs sequentem orationem, primum sic dicit: Nam illa integra & omnium differentiarum absoluta paritas. Interim sic: Et inæqualem pulsum eū, qui prorsus uel una differētia est impar, uocamus. Interim hunc in modum: Nonnunquā alia per tres, ut dixi respondent. Vehementia uero, quasi quotidiana est, cū sit æqualis & par deinceps, aut alia quæpiam reliquarum differentiarū, aut alia. Huic subdens proximam orationem dicit: Cōuenientibus pulsibus & simul omnibus differentijs, & una uel pluribus. Postea: Interim sunt alia omnia ordinata, aut certe æqualia: una autem aliqua differentia, ut magnitudo: uel duæ, uel plures semel inordinatæ sunt. Post hæc in exitu tractatus: Accipienda sunt enim, inquit, quæ retuli, de celeritate & tarditate, deniq; de omni pulsus alia differentia. Atque hæc ex hoc tractatu adducta sint. Quid enim plura cites? Digrediamur iam ad alium, ut ne ex uno loco testimonia uideamur capere. Ascribamus igitur capita ex insequentibus, atq; etiam ex præcedentibus. Ac sequitur quidem hic titulus: Quæ sit

uno

uno in pulsu inęqualitas. Statimq́ scribit ab initio tractatus in hunc modum: Sunt enim plures differentiæ inæqualitatis, puta in uno pulsu. Inde: Frequenter autem cum hisce differentijs, & cum magnitudinis coniunguntur inæqualitatibus. Mox: Alia porrò est differentia in magnitudine unius pulsus inæqualis. Hæc ex hoc tractatu proferas. Porrò ascribamus his pauca adhuc, ex ipso initio libri. Vnum quidem est caput hoc tractatus De pulsus uehementia: In uehementia autem eiuscemodi inuenias præterea alias differẽtias. Alterum iam: Hunc in pulsus languidi differentias referas. Et inde aliud: Quidam non remissus quidem, sed quasi impeditus, & intrò uergente prędítus grauitate, repressus, & demersus, differentia erit uehementiæ pulsus. Postea ubi de plenitudine agit, interim sic scribit: Numerus tot differentiarum. Interim sic: Differentia tantum ad accumulatum simpliciter æstimetur. Rursus in tractatu De crebritate & raritate in hunc modum scribit: Nonnulli uidentur turbare differentias. Et ad finem totius tractatus: Habes celeritatis & tarditatis differentias. Rursus ubi agit, qui sit pulsus per par & non par: At enim non est hæc peculiaris pulsus differentia, sed species eam complectitur, uel rhythmi, uel ordinis. Sed satis iam de differentia, ne imprudentes forte à proposito aberremus. Nam Archigenis si de pulsibus uelis totum librum reuoluere, alterum ex eo librum conficias de nomine differentiæ. Nam nũc quidem ne ex quinta parte quidem hæc excerpsimus: ac multa protulimus capita, nõ adeo quò de nomine differẽtiæ laboraremus, sed ut significationem esse uariam ostenderemus. Etenim genera non raro differentias appellauit cum prima, tum secunda: & species item generum: ac quæ neque genera, neque statuit species esse, quæ quidem differentiæ sunt solæ, etiam uocauit has differentias, quæ Pseudodialecticis res imponit. Nam quando differẽtia cum apud alios Græcos, tum apud priscos philosophos de tribus his, quæ modo memoraui, accipiatur, de generibus & speciebus communius: sed de illis, quæ in diuisionibus reperiuntur, quę nec species sunt nec genera, peculiarius: huius isti tantum significationis meminerũt, communi omnino neglecta. Enimuero agitati Nemesi suis ipsorũ scitis non cõstant. Quæ me res induxit, ut non ex alijs autoribus de nominum significationibus admoneã, quæ mihi de omnibus promptius sit mutuari, q̃ de Pseudodialecticis his. Nam qui exposituros nominum notiones recipiunt, & dialecticæ hoc commẽtationis principiũ constituunt, cum non exponunt, sed ferunt nõ aliter ac leges, hoc nomine sum solitus istos appellare. Nam Archigenes quidem, sat scio, omnia citius subeat, q̃ differentiæ nomen attribui speciebus quoq; fateatur. Etenim ut prætercam alia, uel secta eorum ciuitatem prius, quàm placitum, ait esse prodendam. At tu, si dum leges illi ferunt, sileas, nec resistas quicquam, inde de re quapiam facias potestatem differendi, cum suis ipsi statim decretis pugnant. Quod sanè pro auo huius eorũ se-

A ctæ frequens est Chrysippo. Nomina eñ sanctius ille sciscit, quàm Atheniensibus de appendendis numis Solon suis tabulis: confundit autem ipse ea primus. Et si quæras de successorib. eius sciti, Cur non permanet ipse in suis decretis, Abutitur, inquiunt. At licet cedò abuti, nec qui hoc admittũt, peccant? licet, inquiunt. Nam quid dicant aliud, ubi in puteo (ut in prouerbio est) sint oppresi? Qui autem alijs hoc hominibus minus permittunt? An uni Chrysippo istuc, eiusq́ facere permissum est æmulis? At quã quæso ob rem? quòd terra sit natus scilicet, Atticus de Codri familia & Erechthei? Atqui si quidem illorum sit nepos, nõ adulteraret quasi nummum aliquem antiquæ institutum uocis. Nunc uero, quod quis ferat? neq; B Athenis natus nec altus, sed ex Cilicia heri ac nuper adueniens, prius quàm probe Græcam uocẽ didicerit ullam, Atheniensibus studet legẽ de nominibus ferre, pica Sirenem imitans: ut picam, non graculum dicamus, uel coruum, uel quippiam aliud quicquam ex his quæ uerius dixeris in tam audacem. Sed Chrysippi in linguam Atticam contumelias posthac fortasse detegemus. Archigenis delicta hæc, quæ nũc in manibus habemus, mire confitearis aperta esse: qui ueretur dicere prima genera, et primas differentias, genericasq́ differentias, & genera differentiarum. tametsi frequentia apud Græcos hæc sint nomina, ab Herophilo uero & Herophilijs propè omnibus millies prolata: sed omnibus commune nomen com- C mentus est qualitatis. Atqui differentiæ nomẽ potest omnibus assignari, qualitatibus, quantitatibus, relationibus, uno uerbo uniuersis. Nã ab eo quod differat alterum ab altero, nomen differentiæ factum est & conceptum. Differunt autẽ quædam statim primis generibus prędicamentorum, ut homo, album, bicubitale, dextrum. Nam unum illorum est substantia, alterum qualitas, aliud quãtitas, aliud ad aliquid. Quædam subiectis generibus sub his, ut album & triangulare. Color enim illius est genus, huius figura. Hęc rursus ambo prędicamento subiecta qualitatis sunt. Itaq; albo primum prædicamentum cum triangulari conuenit. Est enim utrunq; qualitas: cæterum generis sunt diuersi, hoc figurarum, illud colorum. Alia iam D specie differunt, cum non differant genere: ut album & flauum. Genere sunt enim eadem, nam colores sunt: sed speciei habent quandam differentiam. Nam species coloris, ut nigrum, rubrum, cœruleum: ita album, & flauum sunt. Iam alia differunt indiuiduo, & uno numero: uerbi gratia, album quod ostendi potest ab hoc albo, quod potest ostendi, peculiari quadam distat differentia: sed eidẽ speciei tamen subditum est albo. Et idem eorum etiam genus color est, atq; commune prædicamentum qualitas. Adeo quodlibet à quouis, alterũ ab altero prorsus aliquatenus differt. Quando igitur differentia à differendo est appellata & inuenta: differre autem tum indiuidua, tum species, tum genera inueniũtur subalterna, & semel omnia, quæ aliquo modo sunt: etiam differentia o-

portet in omnibus sit, quę sunt: non item qualitas. Male ergo prima genera Archigenes differentias pulsuum uocauit qualitates. Nos recte atque ordine cũ hęc, tum alia omnia differentias. Quare etiam uniuerso operi titulũ fecimus De pulsuum differentijs. Quid iã superest, quod produximus? nihil, nisi ut ueterum medicorum aliorumq; autorum usum nominis differentiæ declaremus. Nam superior quidem oratio ipsius testimonio Archigenis fidem fecit, neq; ex omnibus tamen eius libris, ne ex illo quidem de pulsibus toto. Quod si alia opera inspicias Archigenis, etiam febriũ differentias reperias hominem appellare, & morborum, uictuumq; atq; uti millies in his, quas memo-

A rauimus rebus, nomine differentiæ. Quòd si aliorum medicorum usum, & omnino Græcorum ascribam, res mihi tã fore uidetur prolixa, ut libros cõficere maximos posit. Omnium ergo primum sit, ut quisq; excerpat. Nam se statim autorum uocabulis assuefecerit, minusq; nobis exhibuerit negocij ad insequentẽ disputationem. Etiã duæ cuilibet ad manum sunt lucubrationes nostræ, & De Atticis nominibus, & De medicis. Potest fieri, ut de Ionicis quoq; conscribam aliquãdo: ut, quæ de dictione & omnino de nominibus quæruntur, discas ex illis. Nunc seriem orationis persequamur, atq; hunc librum quidem hic finiamus. In sequentibus addamus reliqua.

ARGVMENTA LIBRI TERTII

De pulsu uehementi & languido. Quòd qui cõfusè & indistinctè de pulsibus scripserũt, sermonibus de significatis miscuerunt aliquando quidẽ dignotiones, aliquãdo causas, interdũ aũt & prænotiones, & sic deinceps unumquodq; aliorũ. Quod hi eosdẽ cõmiserunt errores, & de cõtrarietate languidi pulsus. De plenitudine & uacuitate pulsuum. De pulsuũ duritie atq; mollitie.

ALITER.

Cap. I. Contentio de rebus uel necessaria, uel iusta, uel condonanda est: de uocabulis aũt, nihil horũ: & alia multa pasim per totum hoc caput contra nominũ contentionem: Et cõtra Archigenem eiusq; similes, præsertim pneumaticæ & stoicæ sectæ medicos, nouis & obscuris nominibus utentes, qualibus multas pulsuum differentias Archigenes temere & imperitissime confinxit. Vehemens pulsus quomodo dignoscatur & quibus ex causis fiat, & quid significet, potius q̃ de nomine eius inquirẽdũ. Archigenes, Magnus, Herophilus, Athenæus Asclepiades, quid de uehemente & languido pulsu eorumq; causa senserint: & ubi dissentiant. II. Contra Archigenem eiusq; sectatores, qui grauem & leuẽ pulsus quosdam nominant: Quòd isti seipsos intricent, homines tũ hic tũ in alijs artis partib. imperitissimi simul & pertinacissimi. Nomẽ dũtaxat esse grauẽ pulsum, rei uero nihil. Contra Archigenis imperitiã, nominum abusum, & obscuritatẽ, dũ pulsus uocat graues, leues, impeditos, repressos. III. Cõtra reliqua, quorũ magnus est numerus, delira pulsuũ nomina apud Archigenem: ex quibus connitentẽ ictũ ab illo uocatum Galenus do-

B cet non alium esse q̃ uehementẽ cũ humiditate: & quas ob causas (ut cibum, balneum, exercitationes, & iram interdum) eiusmodi pulsus fieri soleat: Et quomodo diuersi modi à cibo pulsus fiant. Deinde quòd idem διηγκωνισμένον pulsum uocet, non alium q̃ qui ualde uehemens sit, cum aliud nomen cuiuis rei in excessu q̃ ipsi simpliciter minimè conueniat. IIII. Causæ istorum errorũ: ac de ordine & methodo suorum de pulsibus librorũ. Anacephalæosis, siue reditio ad scopum, de uehementis pulsus nomine ac dignotione: Et q̃ illũ contentum uocare mallet. uehementia enim præter cõtentionem seu uim (quæ si digitis premas arteriã in renitendo percipitur in hoc pulsu) celeritatẽ quoq; significat. V. De pleno & uacuo pulsu, contra Archigenẽ Vacui acceptiões metaphoricæ: ut de uino & lana. διάκενον quid uocẽt. Aerẽ nõ esse uacuũ. Vacuum dici, uel simpliciter & uere, quale nusquã in rerũ natura est: uel ut conceptaculũ aliquod, idq; rursus bifariã, uel uacuũ quidẽ omni alio corpore, distentũ uero & turgidũ aere, uel non distentũ eo sed in se considens. At quia simpliciter uacuũ nihil est: restat ut aut paruum pulsum, aut aereum uocemus uacuũ: itemq; contrarios ijs plenos, C magnum & ὑγροφανῆ. VI. De duro & molli pulsu ad finem usq; libri, & alia quædã obiter: ut primũ de usu metaphorarũ: Saporũ nomina pulsibus attributa. Cõtra Archigenẽ de duro & molli, quidq; ea á ualido & imbecillo differãt: Mollis definitio & symptomata: Dura per metaphorã quæ dicãtur, & quid proprie durũ: Duri accidẽtia multa: Tactilium qualitatum coniugationes.

GALENI DE PVLSVVM DIFFERENTIIS LIBER III



CONTENTIO nobis de rebus, cuipiã necessaria fortasse uideatur esse, alij iusta esse, alicui etiam cõdonanda. Nam ut ait Poeta Tragicus:

Si amor sapientiæ atq; honesti singulis
Iuxta placeret, nulla foret mortalibus
Contentio ambigua.

Nunc quia non uidetur omnibus idem, neq; honestum, neq; sapiens esse, neq; etiã uerum, necessario existit scilicet contentio, ut uere philosophus dixit. Etenim si uel maxime sint, inquit, definita, non tamen scio: sed est in omnibus opinio: ex opinione hac par est nasci cõtrouersiam. Vt uero sen-

D tiũt illi, qui scientiã firmã esse & cõstanter cognosci posse ducunt, sed non facile inueniri: qui eam non assequitur, huic est habenda uenia. At de nominibus pugnare, nec ullum hic modũ facere, & multum elaborare, solidosq; implere libros maximos hisce præstigijs, nec necesse esse, nec par, nec uenia dignũ mihi uidet. Nã rerũ cũ sit ea obscuritas, ut, si uel in triplũ hæc uita nostra prorogetur, ne tunc quidem exacte nos omnia cognoscamus, & hac adductus re dixerit Hippocrates: Vita breuis, ars longa: quomodo, qui in his, quæ ab re sunt, tẽpus suũ ponit, importunitatis propulsabit uitiũ? quasi uero tam ei multum superet temporis, ut & hũc ei liceat cumulum addiscere, & necessaria pe-

ocium

ocium indagare. Quid? hoc nonne faciunt, qui eiusceemodi conscribunt, ut & Archigenes in libro De uehemẽte pulsu? Est uero prolixa oratio, nec conuenit omnem hic ascribere. Nihilo minus qui eã requirit, ex opere De pulsibus legat. Nam quartũ est à principio caput, quod orditur in hunc modum: Vehementiam pulsus non esse in simplicibus qualitatibus cõfirmat Magnus. Proinde quasi hoc De uehemẽtia caput legeris, quæ sentio, aggrediar dicere. Miror em̃ non hoc modo, ꝙ de nomine certat: nam hoc quidẽ delictum plerisq; propè non medicis tantum, sed philosophis iam solenne est: uerum quòd ne id ipsum quidem percipiat, sibi de nominibus esse litẽ. Quapropter cum arbitretur, puto, de re disputare, extendit orationem, quæ præter alia absurda etiam scripta obscure librum alium quærit, neq; eum paruum, qui ipsam exponat: ut perpetuo hęreamus scilicet de asini umbra ambigentes, neq; tantũ in dialectica nobis sit profectum, ut quæ de nominibus perspiciamus, quæ de ipsa sit re quæstio. Siquidem, ubi pulsus aliquis sit uiolẽto occursu, ut impellat tactum & euertat, si, qua ipsum ratione dignoscas, queris, & præterea causas, à quibus proficiscit̃, & quid denunciare is pulsus solet, de re tum commentaris: sin autem, quo sit appellandus nomine, de nomine. Quò igitur intelligamus, de nominibus laborare, operam esse ludere: ipsas uero res considerare, artes augere: uocemus illum pulsum Dionem. Inde dicamus, quemadmodum exacte dignoscatur, hoc est, si comprimamus arteriam, non leuiter attingamus. Deinde robore fieri uitalis facultatis, ut in commentarijs docemus De causis pulsuum, Postea signum in morbis salubre esse, & alia quædã. Etiam quas iudicationes solet promittere. Nam quando in quatuor partes sit omnis distributa De pulsibus commentatio: in partem de differentijs eorum, de cognoscendis ijs, de causis, & quartam de præsagatiõe per eos: ut pulsum ualẽter pulsantem, appellemus Dionem, illorum nihil labefactatur. Siquidem quatenus ab alijs distat, perspeximus, siue Theõ, siue Dion, siue quid aliud uocetur: & quomodo dignoscetur, & à qua gignitur causa, ac quid significat. Disputet iam licet in Magnum Archigenes contaminantem & eum fortasse consuetudinem Græcorum in nomine, at tantum certe intelligentem, controuersiam ferè cum ueteribus sibi de nomine esse. Nam quæ sunt Magni uerba? Debent igitur magnitudinem pulsus insignem habere, & plenitudinem: uelociterq; digitis occurrere, si proprie uocare uehemẽtẽ pulsum uelit. Probe igitur hoc nouit Magnus, non sibi de re, sed de proprio uel non proprio nomine concertationem cum medicis esse. Apertissime hoc etiã inferius declarat. Nam Demetrium uult, cui libros hos de inuentis post Themisonis memoriam dicauit, simul etiam hoc considerare, nempe qui, cum philosophus etiam esset, et quod proprium nomen esset, & quod secus, exactius teneret. Atq; eius hæc sunt uerba: nihil enim causæ est, quin ipsa uerba ascribamus Magni: Qua ra-

A tione ergo rectè in simplicibus differentijs hũc statuit, tu mihi expedi. Nã ad te pertinet magis proprietatem uerborũ iudicare, & ex nominibus conijcere significatorum substantiam. Postea clarius etiam facit hisce uerbis. Equidẽ de mea sententia hactenus non discedo. Tantum dico, uehemẽtiæ nomen significare non simplicẽ differentiam pulsuum, sed cõpositam ex magnitudine, & celeritate, atq; plenitudine. Proinde hoc etiã loco de nominis significatione disceptare se agnoscit. Omnino sanè, si omnem disputationem euoluere uoles, quam in tertio libro Inuentorum post Themisonis memoriam tradidit, sentire animaduertas ipsum de nomine quæstionẽ esse. Fortasse cuipiã ergo ueniet in mentẽ designationem mirari Magni:

B Etenim non mutatas oportebat nominum significatiões, siue recte ijs, siue secus prisci medici sunt abusi. Nam meditationem indagare, quæ ad artis opera interest, non solum Magno non est uertendum in uitiũ, sed nec cuiquam, qui facultatẽ eam habet: siue hodie sit is, siue à sexcentis annis nascetur. Verum de nominibus pugnare, quibus tantarum rerum est proposita commentatio, alienũ est. Sed si hæc mireris ac reprehẽdas, facis tu quidem probe, cæterum institutum te uidetur istorum hominum fugere. Nam his omnibus qui Pneumatici uocantur, sententiæ Stoicæ placent. Proinde ut Chrysippus eos de nominibus contendere, quorum in philosophia usus est, assuefecit, nec in medicis ipsi nominibus hæc dubitant facere. Iam Zeno uero Citiensis prius etiam nouare sustinuit, &

C præterire Græcorum usum nominum. Quare nihil habet admirationis, si eo deuenerunt contentionis de eis proximi philosophi & medici. Sed quid habes, quod de ijs mireris: si neq; de nominibus se animaduertunt digladiari? Quemadmodum nec Archigenes, alioqui prudens, noluit, cum hoc ipsum ostẽdisset in nomine uehementię Magnum nouo exẽplo uti, tum accedere deniq; ad utiliora: sed sursum atque deorsum id loci uersatur, cum in alijs offendens, tum quod ipsa uerba non semper Magni profert: quæ cum sua sint scriptura multo apertiora, immutat. Iam uero aliud maius crimen hac de nominibus curiositate committunt propè, qui post Herophilum de pulsi-

D bus scripserunt, omnes. Nam cum debuissent, uti paulo ante nos diuisimus, & ipsi item diuidere, tum seorsum de pulsuum differentijs, seorsum de dignoscendis ijs, separatim etiam de eorum causis, separatim iam de præsagatione per eos docere: omnia simul (mirum) confundunt atque conturbant, ac partim eorum semel omiserũt, partim leuiter attigerunt, nonnulla ab re & præter modum extenderunt: alia temere coegerunt, ut si unum sint, in unum, cum multum intersit inter illa. Atque hoc ipso in capite de uehementia Archigenes, ubi scribit, si per se æstimetur, manifeste apparere sua sponte uehementiam uigorem esse, ut dixi, arteriarum motus: cum causam explicauit uehementiæ, ipsam putat se aperuisse uehemẽtiam. Nam si quidẽ hoc Archigenes est uehemen

tia, da mihi eius causam. At non poteris: aut eundem iterum dicere cogeris uigorem. eritq; uigor tibi motus arteriarum simul & causa uehemētiæ, & ipsa uehementia. Ita multo scripserunt rectius, qui antecesserunt Archigenem, de pulsibus: quorum aliqui renisum, alij uiolentiam, alij robur, nōnulli impulsum occursus arteriarum uocitarunt, uehemētiam. Nec hoc quidem ipsum latet Archigenem. Nam quid ait? Sunt quibus in tactus ictu uidetur posita esse. Vnde & ictum quidam arteriæ illam appellant. Mox haud scio quomodo putat illorum se sententiam premere: ubi sic scribit: Apparet uero per totam distentionem firmitas impetus. ex qua si obijciamus digitos, etiam firmior occurrit ictus: qui non ad finem distentionis, sed etiam ante eum fit. Hæc eius sunt uerba. Iam attendendum est, nihil eum efficere contradicendo. Nam quid ad rem facit, si etiam ante finem distentionis qualitas ictus fiat manifesta, nequaquā ictum arteriæ esse uehementiam? Nam hoc si illi ante Archigenem dixissent, uehementiam nō esse renitentem ictum, qui in fine distentionis fit: recte contradiceret, ac ipse subijceret, iam ante finem etiam apparere occursus uiolentiam. Sed quandoquidem dixerunt absolute, renitentem ictum esse uehementiam: stultum sit iam ante etiam finem distentionis animaduerti talem demonstrare. Verum demus hoc, quod contendit Archigenes, uigorem & robur esse quoddam uehementiam, sed uim ictus non esse uehementiam, rogemus eum, quæ sit causa uehementiæ pulsuum. Neque enim idem uehementia est & uehementiæ causa. Nam illa quidem aperta est, & omnis medicus in ægroto quærit. Et si non omnino fuerit imperitus, statim pulsum cognoscit uel uehementem, uel languidum esse: causa non perspicitur statim tamen. Vnde fit, ut de ea nihil conueniat. Siquidem Herophilus uitalis facultatis robur arteriæ affirmat causam uehementis pulsus esse. Athenæus uitalis uigoris uim. Asclepiades utrunque deridet, & uigores & facultates, eaq; dicit omnia esse inania nomina: at causam uehementiæ ad copiam refert & subtilitatem spiritus, ut etiam Erasistratus scilicet. Nam nec hic quicquam tunicis ipsis arteriarum uigorosæ facultatis asignat: sed cum spiritum ualenter cor exprimat, huius per arterias transitu renisum ait in ictu gigni. Sed quo hæc afferimus? cum Magnus, qui se quoque esse Pneumaticæ sectæ fingit, aliter dicat ac Archigenes, ictus fieri uim. Verum ea dissensio non est huius loci. Tantum referamus tamen ad rem præsentem, robur ictus in tactus impulsu, repulsu, subuersioneq; positum esse, omnibus est in professo. At à qua causa fiat, controuersum est. Ridiculum uero est, ubi disceptatur, quid sit nam quispiam pulsus, nō hoc docere: sed à quo fiat tradere. Nā quid sit clarum oportet esse: à quo gignatur, ratione inuestigare. Planum est ergo, nec quid inter pulsum uehementem intersit & causam, quæ ipsum constituit, probe Archigenem tenere. Quapropter in uigore motus arteriarum, uehementiam statuit:

A cum hanc causam debuisset uehementiæ dicere esse, & illam in ictus qualitate positam esse ac uiolentum quendam esse & renitentem occursum. Nam quod confundat res, nec quicquam distincte doceat, ex illis, quæ infert, cernas, cum pulsus instituisset definire. Nam quid ait? Vehemens ergo pulsus est, qui maiorem uigorem habet motus, & impetuosus est. Languidus, qui remissum habet uigorem, nec incitatum ictum. Neq; enim dixit simpliciter, uehemēs ergo pulsus est, qui maiorem uigorem habet motus, sed addidit, Et impetuosus est. quod mediusfidius non intelligo quid significet. Nam poeticum est nomen impetus, apud Græcos ῥοῖζος dictus, non ciuile, neq; etiam uulgare est: nec quid denotat, ostendit. Verū grāmaticis si habenda fides est, enarrātibus, quod est

B apud Poetam de Cyclope,

Impetu is ad montem cōpellit adire bidentes: celeritatem motus impetus significat. At non hoc sane Archigenes ipse uoluit quando in Magnum disputat. nisi oratorem agit: frequenter reprehendit, quæ non intelligit. Sed mihi quidem non fit uerisimile. Quid tandem igitur est, quod significare uult impetus, nisi celeritatem: num uim ictus? Atqui ita duorum rursus fecerit definitionem, causæ efficientis & effectus, ac maior erit hęsitatio: utrunq; ne horum seorsim esse uelit uehemētem pulsum, tum uigoris magnitudinem, tum uim ictus: an simul ambo. Nam siue utrunq; seorsim, siue simul ambo, non recte: quòd nequeat, ut

C ostēsum est, causa eadem esse cum suo effectu. Etenim quod dicit maiorem uigorem motus habere uehementem pulsum, obscurum est. Nam quid uel hic dicat, equidem non assequor: utrum à maiore uigore & robore uehementem pulsum fieri, an maiorem uigorem esse uehementem pulsum. Nam priore significatione, non quid sit uehemēs pulsus, cæterum à quo fiat, explicatum sit. Altera rem obscuram & controuersam inter sectas docet. Vehementem uero pulsum oportet, siquid aliud, esse de rebus sensibilibus. Atqui uigor non est sensibilis: aut omnino apud omnes sit testatus: quando sunt, qui se, à nomine uigoris quid significetur, cum intelligant pulsum uehementem sentiantq;, plane affirment non assequi. Quidam no-

D men agnoscunt, sed negant esse. Adeo non idem est uigor motus & uehemens pulsus. Siquidem hic sensu percipitur: ille non modo sensus latet, sed ambiguus est & prorsus obscurus. Quid ergo, quod de uehementi pulsu docuit, & obscurū est, & omnibus significationibus falsum: de eius contrario quod scribit lāguido, apertiúsne est atq; uerius? Potest em̄ fieri, ut oppositio aliqua superiorum nobis sensum aperiat. Cedò ergo eius uerba. Languidus est, qui remissum habet uigorem, nec incitatum ictum. Hic manifeste quidem magno uigori remissum opposuit. (Par erat uero nō hunc, sed paruum opponere, aut male in uehemente magnum dixit.) Impetuoso uero, non incitatum ictum. Iam si, quidnam non incitatum sit, caperem, fortaßis impetuosum intelligā: nunc impetuoso

petuoso hoc ipsum multo obscurius est. Itaq; neutrum interpretatur alterũ. An enim pro tardo accipiendum sit non incitatum, an pro imbecillo, an molli, an facile subuerso, an dissoluto, quid coniјciam nõ habeo. unum quidẽ certe mihi quiddam profectum hoc modo arbitror, qualitatem etiam illum ictus ad notionem uehementię assumere: tametsi à primo, cum refelleret Magnum, solum uigorem dixit arteriarum motus. Hic autem etiam non incitatum dixit ictum. Atqui cum illis paulo ante pugnabat, qui in tactus plaga eum ponunt. Equidem hæc omnia attoniti esse, nihilq; certi, quod diceret, habentis duco. Tu siquidem sentis aliter. at proxima non dubito, si non ipse sanè sophista es etiã, sed medicorum operum studiosus, quin meras nugas dicas. Porrò caput hoc Archigenis huiuscemodi est: In uehementia autẽ eiuscemodi inuenias præterea alias differentias. Remissus occurrit ictus, & leuis: quem obtusum pulsum nunc nonnulli uocitarunt. Alius grauis ille quidem, cæterum remissus: hunc in differentias lãguidi pulsus referas. Quidam non remissus quidem, sed quasi impeditus, & intrò uergente præditus grauitate, repressus, & demersus: differentia erit uehementiæ pulsus. Atq; in uehementi quidam fuerit ictus connitens, humidius impellens tactum, qui maxime à cibo recẽte efficitur. Alius est male fractus potius, uelut mouente in angulũ redacto. Alius uero, qui in affectibus quibusdam & in carnis superfluitatib. apparet. Hæc per deos utrum miracula dices, an deliramenta? Vitã quidem pro artis prolixitate breuem, hic scilicet non breuem facit, sed planè corrumpit: qui tanto oneret eam aceruo falsæ meditationis.

11 Vnde nobis ergo rursum hi adsunt pulsus grauis & leuis? Quin hanc initio prodidit differẽtiam, cum diceret octo pulsuum qualitates esse? Nam ut magnitudinem, celeritatem, uehementiam, & reliqua: quò minus grauitatem quoq; adiungeret, quid causæ erat? Vnde hęc denuo noua tragœdia? Grauis pulsus qui est? quot põderum? Archigenes explica nobis. Quod ni facias, nomina tantum scripseris, rem dixeris nullam. Est quidam uehemens pulsus, ut illi tradiderũt, qui monstra non prodiderunt, in ictu renitẽs. Cognoscas, si premas arteriã, nõ leniter palpes. Causam alius aliã facit, aliã etiã uos uigoris Pneumatici uim cõtentionis. De grauitate mihi itidẽ expedi, naturã, ratione dignoscendi eius, causam. Nã ridiculosissimus sis, cum qui uehemẽs pulsus sit, qui celer, qui magnus, exponas & definias: quos etiã citra definitiones intelligamus, nisi semel simus Græcę linguæ rudes: grauis uero hic pulsus qui sit, quẽ nouũ inducis nobis, nõ exponas: sed si nomẽ scripsetis tantũ, arbitreris aliquid te consequutũ esse. Enimuero nõ est hoc dicere, sed blaterare. Si igitur uis, ut dixit Comicus, esse Garrire doctus, uerũ ineptus dicere: alia erit ratio. Quòd si nõ garrire uelis, sed dicere aliquid ac docere, quonam sensu, quaq; ratiõe in notitiã ueniemus grauis huius pulsus, demonstres fac nobis. Equidem certe ne

A lapidis quidem ualeo grauitatem uel ligni cognoscere, nisi manibus sustollam, uel humeris imponam, uel appendam collo. Num igitur etiam manibus nostris arteria est ægroti libranda, aut attollenda ut cognoscamus ita demũ pulsuum grauitatem? aut quid imperas Archigenes? His quidam ab illius schola senex nonagenarius: Heus tu fili, respondit, remissus & segnis & tardus & cunctãs pulsus erit. Rursus hic requisiuimus. Quem tu nam remissum pater appellas? tardúmne, an rarum? Nam non assequimur. Qui postquam aliquantisper conticuisset, tardum respondit. Sanè quidem de segni, inquam, te non rogarim, quem plane etiam dices tardum esse. Immo etiam cunctans, inquam, tardus mea sententia est. Hinc se-

B nex cum ex omnibus his quatuor nominibus rẽ declarari unam animaduertisset, tarditatẽ pulsus, stomachari cœpit, rixariq;. Atq; primum quẽ cũctantem appellasset pulsum, non in tarditate motus dixit, sed in quietis longitudine esse positum. Nam cũctari esse, incipere tardare. Deinde remissum & segnem ueluti imbecillum esse. Nam remitti, fatiscere, & imbecillum esse atq; debilem, idem denotare. Tum illi subieci. Nil laboro. Etenim si iterum ac tertio eandem rem enarrare uoles, dabimus tibi. ueritatem nos indagamus, non litigamus contentiose. Age cunctãtem, inquam, de quietis magnitudine accipiamus, & remissum segnemq; de imbecillitate. Proinde grauem pulsum memineris te remissum confirmasse esse & se-

C gnem, & tardum, & cunctantem. Cumq; de significationibus explicatius cuperem discere, primo planè præter unum tardum nihil demonstrabat. Nunc autem remissum & segnem diximus quasi imbecillum esse: cunctantem de quietis longitudine accipi, tardum, tardum adhuc manere. Quare hoc quoque mihi denuo responde, an rarum esse languidum dicas. Verum, inquit. Quid autem diu quiescentẽ, nónne hunc etiam dices rarum? Innuit. Igitur ex confessis, inquam, efficitur grauẽ pulsum languidũ pulsum simul & tardum esse rarumq;. Conticuit ad hæc senex sanè cũ magna grauitate. Verũ si hoc, inquã, sic habet, nõ erit qualitas distincta ab ijs, quas omnes in ore habet, illa grauitatis: sed nomen concursui trium qualita-

D tum attributũ. Quandoquidem simul languidum & tardum atq; rarum esse dicimus grauem. Quid dicas, inquit, non intelligo, & rixas concitas inanes. simulq; cum dicto discessit, oculisq; nos acerbis intuitus est, ac stomachi plenis. At paucis diebus apud ægrotum quendam cum hoc ipso præsente sene, tum alijs multis magni nominis medicis, cũ de symptomatibus, quę teneret ęgrotũ, omnes attoniti essent, uentris fluxum prædiximus. Mox illi, unde id prædiceremus, requirebant. quibus respondimus, Vellus ad fullonem nemo portauit. Innuentes ijs, multum abesse ipsos, ut hoc intelligerent, qui ne leuissima quidem scirent. Paucis post diebus de sinistra nare præsagiuimus sanguinis profluuiũ. deinde etiã parotidas, postea alia atq; alia tũ prædiximus, tũ curauimus, quorum illi

illi erant imperiti. ubi cũ illi instarent, ut ex qua re eas cõmentationes prænunciatis & obitis, aperirem: perpetuo silui, nec quicquã illis responsi dedi: sed uobis ipsis dico Comici illud:

Vt ligna tortuosa nunquam corrigas,
Virides nec arbor uetus, aliò si transferas,
Produxerit stolones.

Citius enim Moysi asseclæ & CHRISTI decedant de sua disciplina, quàm qui sectis sunt addicti & consecrati, medici & philosophi. Itaq; ego moriens statui magnas & importunas ineptias lucrari, de nulla re cum illis disputando. Egoq; in eo sum, & ero. Et hos libros cum certo sciam, nisi uni forte aut alteri, qui singulari ingenio sit, doctrinaq; utatur & meditatione, & præ his omnibus insania liber sit illa circa sectas, nemini propemodum fore usui: attamen scribo, simul nec indocte ludens, & præsidio obliuiosæ senectuti ut dixit Plato, commentarios mihi ipse comparans: simul familiarium etiam quorundam precibus gerens morem. At de insigni imperitia atque etiam contentione hactenus est satis. Iam ad institutum redeamus. ac ostendamus illis, qui id ualent assequi, nomen tantum esse grauem pulsum, rem uero nullam. Nam si ut ex Archigenijs nostra memoria sapientissimus, cum ad eum exponendum compelleretur, sumebat: languidus erit & tardus & rarus. Si uero talem pulsum ostendere dicant à repletione naturam onerari, atque eo hunc esse appellandum grauem pulsum, eadem opera non grauem modo, sed & crudum uocent, & frigidum: ut qui non secus atque repletionem, cruditatem humorum possit & frigiditatem arguere. Itidem certe biliosum quoque & pituitosum pulsum non dubitabimus appellare: si semel apud nos sit receptum, causarum illos efficientiũ ad eos esse nomina transferenda. Quare quod semper testor, quia apud illos non distinctum est, peculiariter de differentijs pulsuũ opus, separatim de dignoscendis ijs, priuatim de eorũ causis, priuatim etiam de præsagatione: eò in has ineptias impelluntur. Ac Archigenes quidẽ in primo omniũ genere pulsuum magnitudinis, de causis eos efficientibus, uel præsagatione per eos uerbum nullum fecit: sed differentias docuit huius generis pulsuum, nomenq; earũ cuiusq; tradidit: pauca quidem nonnullis locis de dignoscendo inferens: sed ne id quidem sciens, ut inferius demonstrabimus. At uero de secũdo genere uehementiæ, ubi agit, tres simul tractatus confundit, nõ tantum de differentia & dignoscendo, sed & de causis eorum efficientibus disserens. Vbi de plenitudine, confusior est etiam. Deinde quando de rhythmo tractat, pauculum asper sit dignoscendi meditationis, in prima ferè perstitit. In solo uero tractatu De ordine & perturbatione ordinis, æqualitate & inæqualitate, primam partem de pulsibus commentationis seruare synceram potuit, nec dignoscendi rationem hic, neq; præsagationem ex ijs, imò nec causas attigit. At quo loco de graui & leui (ut uocat) narrat, inter alia, etiam id mirifice scripsit ad hunc modũ: quem

A obtusum pulsum nunc nonnulli uocitarunt. Qui quæso erat dicendum? in qua illi nam nati Scythia? ut cognoscãt nomen obtusum ultra languidum nihil significare. Græci ἀμαυρὸν illud, hoc ἀμυδρὸν appellant. Ambo enim eidem rei tribuunt Græci: sed apud eos τὸ ἀμυδρὸν est frequentius. Ita duobus his pulsibus graui & leui Archigenis muneribus tantum est profectum, ut prolati temere sint: & nullum habeant, quo dignoscantur, uestigium. Qui consequuntur, longe adhuc absurdius conflati sunt. Nã quæ sit differentia pulsuum, quæ grauitatem obtineat intrò uergentem, me sanè præterit. Quæ me res de integro coegit ex illius discipulis quærere, quodnam sit ænigma. Qui cum intricatius & absurdius responderet ipso autore, animaduerti planè, esse homines, qui

B quæ non intelligunt, suspiciant. quo Archigenes cognito, mihi uidetur de industria scripta sua obscurare multis locis. Equidem quoties uergentis intrò grauitatis mihi in mentem uenit, nõ possum me à risu abstinere. Apertum est enim aliam, quæ foras uergit, grauitatem esse. Atque hæc cuti scilicet hominis grauis est, altera ossib. Alioqui quomodo una foras, altera diceretur intrò uergere? Quid iam? impeditã, & repressam, & submersam appellare pulsus aliquam differentiam, nónne interpretes etiam desiderat? Quænam impedita est? Sanè quæ tardius, ac par est, mouetur, impedita est: & quæ rarior iusto est, tum quæ intermittit, & quæ deficit: Præterea omnis inæqualis & inordi-

C nata, arhythma etiam, ad hæc iusto minor, atq; languidior, omnino hæc scilicet in impeditis sunt. Nam impediri quidem causam potius, quàm differentiam pulsus denũciat. Repressa uero utrum ipsa quoq; languida est, an parua? aut quid tandẽ à demersa uult differre? Siquidẽ demersam dixeris paruam aliquam esse.

III At enim tardi prorsus nos fortasse sumus: Archigenes, qua est prudentia, tantum non ipse Mercurius. Ergo eum par erat, ut, quasi deus sit, homines doceret, operam dare: non ut nomina tantum conscriberet, sed, quod in clarioribus fecit, & indicia quibus dignoscamus, ascriberet. Verum si omnino studuisset apertis indicijs eos discernere, non tã inania uerba fudisset imprudens.

D quasi uero non possimus nos item alios uerbotenus plures fingere: & iure quidem, primum subuolantem pulsum. Nam qui illi magis demersum licebit dicere, quàm subuolantẽ nobis? & hercle natantem alium. Iam glutinosum etiam quẽdam, & friabilem dicam. Præterea nigrũ, splendidum, purum, turbidum, horrendũ, hilarem. Quinetiam βλιτυριζόμενον pulsum dixero, et σκινδαψιζόμενον, si nomina tantum requiruntur. Sed enim τὸ βλίτυρι, aiunt, & τὸ σκινδαψὸς planè nihil significat, Archigenis clara sunt nomina. Quid tu bone uir dedita opera nugaris? Etenim τὸ βλίτυρι pulsationem quandam significat, & τὸ σκινδαψὸς non tantum serui, sed etiam instrumenti cuiusdam est nomen. Sed quid (dices, ni fallor) hæc ad pulsus? Quid uero, quę tu profers nomina, ad illos faciũt,

cum

cum illa, quæ paulo ante recensui, tum preruptus, A stridens, humidus apparens, sopitus, resonans, pa tefactus, resolutus, intentus, inualidus, defixus, perflatus, in angulũ redactus, intectus, expulsori us, põderosus, sonorus, laboriosus, decumulatus, accumulatus, fodiens, suboccultus, lacerus, proter uus, & qui tetrice recedit, & qui arteria cũ tractu occurrẽte, atq; id genus nominũ immensus nume rus: quę separatim et sola aliquid significãt: sed cũ pulsib. nihil ipsis cõuenit: sicut nec qd dicit humi dius impellere quendã pulsum. Nam hoc rursus loco Archigenes à pulsuũ doctrina deflectit, cum humiditatis meminit, rei illius quidẽ ad præsagiẽ dum cõducentis, at non ex pulsuum cõmentatio ne. Miscuit ergo illum cum connitente uelut ipse uocat, ictu, qui à uehemente pulsu nihil distat, ac B differentiã quandã se hanc fingit aliam docere, cũ non alia sit, cæterũ uehemens pulsus cũ humidita te. Deinde ignaro speculationis huius imponit, quasi mirificum quid sit, quod ascripsit, qui à cibo potissimũ recente efficitur. Nã connitẽs ictus, in quit, cum humiditate ab humidiore cibo potissi mum recente fit. Hic subest aliqua Archigenes ra tio, dicisq; uerũ: indistincte tamen & cõfuse, itaq; obscure. Nam sic erat dicendum: ex cibis recenti bus, uehemẽs generatur pulsus cum humiditate. Atqui hũc quem alium, ac uehementẽ pulsum di cas, & aliud quiddã, quod omnino pulsus non est. Iam etiã importune hoc loco tractas de cõmenta tione, quæ tractatui cõmunis est de pulsuum cau sis & de præsagatione per eos. Sanè pręstabat illic C retulisse, à cibo qui fiat pulsus. nosq; Archigenes dicimus, non sic, ut nunc tu negligenter, sed adhi bitis proprijs distinctionib. Neq; enim omnino fit à cibo quidẽ omni uehemens cum humiditate pulsus: sed moderato quãtitate, et qualitate humi do. Nã copiosior cibus non uehementẽ pulsum, sed inæqualem ex languidis & uehementibus me dijsq;: neq; humidũ efficit siccus. Proinde humidi tate alimẽti cum humidior aliquando euaserit cu tis: neq; enim ex eo semper, sed inest aliqua discre tio. Etiam moderatũ quantitate cum cibum exci piat uehementia, humiditatem pręstat nequaquã proferre, quæ per se quidẽ pulsus nunquã immu tat: sed mentione cibi moderati facta uehementẽ dicere ex eo pulsum oriri. At hoc, etsi uerum sit, D tamen præcipue ad commentationẽ pertinet pul suum causarum, deinde ad præsagia. Sed de his nõ institueras agere. Quòd si confuse datur facultas simul & intempestiue scribendi, non tantum à re cente cibo scito eum pulsum, sed & à balneis in terdum, & ab exercitationibus, iraq; generari. Est enim cum ex his generetur. Atque quomodo ge neratur, & qua ratione, si exposuisse tantum ha beamus satis, nihil ad docẽdum nobis profectum est. Sin distincte explicemus, recesserimus ab in stituta lucubratione. Quare inanes istas nugas mittamus. At si quam nobis aliam potes differen tiam pulsuum, ac scimus, tradere: trade. neque tantum nomina profer, sed significationem etiam eorum, & totius modum dignoscendæ rei. Cæte rum rursus, ut hæc omittamus, ijs mox adiungis in angulum redactum pulsum cinctũ relinquens, & implicatum, & progressum, & digressum, et cal citrantem, & geniculantem, & uentrem impeten tem. Nam quæ est ista nominum lex, quędam uo care in angulum redactum, & præterire cæteros? Quin in angulũ redactũ, inquit, quasi indignantẽ pulsum uocamus. Iã male præteris quasi tristantẽ, irascentẽ, & succensentem. Extra iocum, inquit, nã ualidum sic appellamus. Serio ago bone uir. tu uero, cũ ualidus dicendus sit, in angulũ redactum uis nos dicere. Nam ualidum si diceres, qui sit hic ualidus, te rogẽ: & qua illũ ratione dignoscamus. Nempe uehementem quidẽ, ubi, cum premimus arteriam, renititur: & contrariũ illi languidũ, cum obscuratur prementibus nobis, dignoscimus. Va lidi uero, si etiam explices rationem dignoscendi, fructũ tulerit aliquẽ tua doctrina. Si minus, etiam nomen hic modo, rẽ tradideris nullã. Vbi magna ui, inquit, subuertat tactũ & impellat. Atqui sub uertebat & uehemẽs. At minus, inquit, quàm hic uiolenter. Ergo magnopere uehementem appel las ualidum hunc & in angulũ redactum pulsum? Scilicet, inquit, hoc ipsum. Igitur iam etiã magno pere uelocẽ, faciundum est nobis, ut nõ uelocissi mum, sed aliud quid appellemus: & magnopere magnum, non maximum, sed alio nomine, itaq; reliquos. Quòd si illis hoc satis est, si uelocissimũ dicant & maximũ, tardissimum, rarissimũ, creber rimumq;: quin hic quoq; sufficiat uehementissi mũ dicere. Neq; est ducendũ, finitimam aliquam uehementiæ memorari aliam differentiam. Nam quocunq; in genere fiant, non excluduntur aug menti accessiones genere. Neq; enim admodum album, aliud ac album est: neq; admodũ nigrum, quicquam est pręter nigrum. Itaq; nec admodum uehemens, aliud est atq; uehemens.

IIII Quare sunt hæc omnia mera deliramenta: quæ necessario consequuntur, quòd isti ordine non distinguant, ac digerant, nec notionem singu lorũ pulsuum, nec causas, quæ eos efficiunt. Nãq; quod sæpe iam diximus, qui ueritatem spectat, de bet ab ipsis rebus ingressus, quot hæ sunt & quæ explicare, deinde nomina ipsis ponere, mox de ijs dignoscendis agere, ab his de causis, postea de præsagatione: id quod nos fecimus. Atq; in hoc opere pulsuum differentias persecuti omnes su mus. In opere De pulsibus dignoscendis, quo pa cto in quaq; harũ applicatis digitis, exacte debe ant sentiri. Inde lucubrationem De causis compo suimus. Secundum hanc De præsagatione. Sed hoc loco agimus de prima, quæ quid referat ad ar tem colendã, primo in libro explicauimus. Nunc summam faciamus de uehementia disputationis. Pulsus est quidã, qui tactũ subuertit, id est, ualde & cum renisu quodã pulsat. Hunc siue uehemen tẽ, siue robustum, siue quicquid uisum est uocare, hoc constituto dignosci scito eum, ubi plurimum digitos infigimus, non leniter palpamus. Causa e ius, facultatis robur pulsus efficiẽtis. Proinde si de medicis uocabulis primo omnis nostra potestas

sit

A sit instituendis, robustum eum pulsum, non uehementem appellemus. Nunc quia à plurimis iam pridem uehemens est uocitatus, nomen nihil mutamus: tametsi uulgo non simus nescij uehementiæ nomen actioni semper tribui forti simul & citatæ. Siquidem luctæ uocantur uehementes, quæ cum uigore simulq; uelocitate fiũt. Et homines similiter ubi robuste simulq; cito operantur, uehementes appellantur. Et hercle genus leonũ appellant omnes uehemens, quoniam huius quoq; robustam actionem atq; citatam conspiciũt. Quam obrem si mihi nomen sit instituere liberum, simplicem pulsuum qualitatem renitentium & euertentium tactum, uim, uel robur, uel uigorem appellem, uel quid tale aliud. Quę uero ex hac est & celeritate conflata, uocem uehementiam. Nunc B uero quandoquidē uehementiæ nomen maxima pars medicorum usurpauit pro una de primis differentijs, esse illud statui non uitãdum. Atq; ea re pulsantem robustius pulsum, nominaui uehemẽtem: imbecille, languidum. Neq; quicquam interest, robuste dicas, an ualẽter, an uiolenter, an contente. Huius causam, mouẽtis arterias robur dico facultatis esse. dignosci, si digitos alte infigas. Nã cum ita attrectes, ualidus pulsus uidetur ualidior: ꝙ acrius digitis prementib. resistat. At imbecillus adeo nonnunquã concidit & deijcitur ab illis, ut priuatum pulsu hominem putes.

V Verum in sequẽtibus lucubrationibus de his tractabimus. Hic mihi finis esto huius disputationis. Nam ad decãtatam illam mihi certum est plenitudinē me conferre: in qua omnes sudarunt me C dici proximi, nec minus nobis certe negocij exhibitura, non in hoc quidem solum opere (nam hoc quidem feras) sed multo plus, ubi de dignoscẽdo differemus. cuius fatemur quidem esse euidẽtem notionem, sed notitiã eius repræsentari negamus sensui ullam. uerum de ea dignoscẽda post hac dicemus. De notione nunc, quam etiam sunt qui cõturbent, uerba faciamus. Itaque à rebus ipsis exordiamur. Aut arteriæ corporis erit quædam qualitas plenitudo, aut infusæ substantiæ. A nominibus hinc maxime incipias. Plenum dicimus dolium uini esse, & plenum farinæ culeum. Sic etiam theatrum, sic curriculum, uel curiam esse plenam hominum dicimus. Et contra uacua. Haud aliter D uentrem, & os interdum dicimus plena esse, interdum uacua.

Os tibi sit plenũ Thyrsis mea melle decorum.
Atq; fauis plenum, Aegiali tibi carica in escam.

In summa quoduis uas, quod quidem internã habet ullam capedinem uel plenum uel uacuum dicimus esse: cum eius ab alio corpore uno uel pluribus capedo occupetur, plenum: uacuum, si præter aerem contineat nihil. Ita proprie omnes mortales & primariò uocant. Hinc iam quidam, ad suas artes qui traducunt, non iam proprie utique neque prima ratione, sed secũda & allegorice, hic lanam appellauit plenam, uinum ille, alius aliud, usu quisq; rem æstimans. Nam quod perseuerantem eum & constantem habet, hoc plenum uocant. Vt qui uinum gustarunt, cum diutissime sentiant qualitatem perdurare. Nam si abeat ex templo & pereat uel qualitas, uel uis, uel utilitas, uacuum illud uocant. Et uero sic sermonem quoque aliquando falsum uacuum appellant. Non tamen cum hominem aliquem dicãt uacuum, metaphora iam utuntur. Nec item cum graciles homines corpus habere uacuum carne dicant, & crassos plenum: sed intelligentiam in his uasis seruant & contenti, in quibus (ut exposuimus) proprie & primariò plenum & uacuum recepta sunt. Iam alia corpora διάκενα, hoc est, fistulis inanibus cauernosa dicunt, non κενὰ, id est, uacua: ut spongiam, & pumicem. Namq; aerem non numerant corpus, sed regionē quandam, & locum uacuum ad excipienda corpora appositum. At non qui ratione quicquam sunt de aere commentati medici iuxta ac philosophi, uacuum eum prorsus esse putant: sed quidam in quorum etiam nos sententia sumus, unum esse corpus undiq; sibi continuum, quod nusquam habet quicquã intextum uacui. Alij multa corpora in uacuo parua & prima committi, concurrere & repelli: non connecti tamen, nec confundi. Sed enim uacuum pulsum ita non queas appellare, ac uulgus dicit uere uacuũ. Quippe tale nõ sit quicquam in orbe, imò ne per excellentiam quidem. Nam cum nullum existat omnino uacuum in mundo, qui sit per excellentiam quicquam uacuum? Quare uacuũ relinquitur ut uocemus, quomodo culeum, uel utrem, uel calathum, uel saccum, uel omnino quodlibet uas. Quòd si ita accipiamus, bifariam talem pulsum interpretabimur: uno modo, ut dolium, ubi aerem cõtineat tantum: altero, ut utrem, uel culeum, uel aliud tale, ut non possint tunicæ considere: quemadmodum inflatus uter uino manet perpetuo uacuus, sed aeris plenus. quem si tamen euacues, ut undiq; considat planè, ibi fit uacuus. Itaq; arteriã esse, aut eo modo uacuam dicemus, ut quæ aerem cõtineat: ut quanquam sit plurimum inflata et distenta, uacua sit tamen appellanda. Aut nõ sic, uerum ut de utribus retulimus, quando & aerem ijs exhaurias: Prima quidem significatione erit pulsus talis, qualem Erasistratus eum natura semper asserit esse, Altera: nihil à paruo differet. Nam tertiam significationem, nec Archigenes, nec Agathinus, nec Magnus, nec Athenæus, nec alius ex Pneumaticis medicis agnoscet ullus, cum pauca inquam corpora arteria cõtineat, regionē autem uacuam plurimam. Nullam enim in mundo reperiri existimant talem: unitam uero sibi totam substantiã. Restat ergo sicuti diximus, ut aut paruum pulsum, aut aereum uocemus uacuum. Itemq; cõtrarios ijs plenos, magnum, & eum qui humidam speciem habet, ὑγροφανῆ Græci appellant.

VI Sed hos scilicet infusæ substantiæ ratione: cuius quidem maxime ratione appelles proprie uel plenũ uel uacuũ uas, pulsus plenos aut uacuos dixeris: At aliter arteriæ corporis ratiõe, id est, eius tunicarũ: quas rectius sanè duras et molles, nõ plenas uoces, uel uacuas: quòd similare corpus (nisi

per metaphoram, quę ab disciplina ableganda est artificiali) quod uacuum uocetur uel plenum, sit nullũ. At si nomina propria suppetant, his uti nos par sit. Si non, definitione præstet singulas res explicare, quàm à metaphora nomina mutuari: siqui dẽ docere instituas, non obtundere. Tamen apud eum quidem, qui iam rem didicit, quo cõpendiosius explices, nominibus à metaphora sumptis & abusu, nihil est causæ, quin rem exprimas. Verum omnium doctrina prima rerum artificialium, quò aperta sit & distincta, propria nomina quærit. Ergo arterię corpus, hoc est, eius tunica, aut iusto durior est, aut mollior, aut moderata certe & in natiuo statu. Nec uero in hoc ipso iam, uel aereã quandam dicemus, uel humidam contineri substantiã. Vnum est enim, quod undequaq; sibi cohæret, nisi foraminibus quibusdam præditum sit ualde minutis. quę tamen omnino complectantur etiã necesse est uel aeream substãtiam, uel humidam, uel halituosam: uel consideant undiq;. Verũ quæ consederunt, instar sunt nulla plane obtinentium foramina. Quæ humorem uero, uel uaporẽ, uel aerem continent, mollius reddunt corpus arteriæ. Itaq; eodem reuoluimur quod dicebamus à primo, aut durã esse arteriæ tunicã, aut mollem. Nam qui intercurrit sermo, nullam demonstrat tertiam naturam aliam, sed duarũ cõmemoratarũ diuersas generationis causas. sed hæc res, quam dico, nihil ad institutũ pertinet. Equidẽ uel omnes libẽter exposuerim durorũ et mollium generationes, si id mihi ullum fructũ posset ad præsens institutũ ferre: idq; dabo operã, ut, quantũ facere posim, breuissime explicẽ. Quãdo omnia corpora ex terra, aqua, aere, & igne cõflata sunt: in quibus exuperat, uel terrestre elementũ, uel aquosum frigore concretum, non possint ea non dura esse. In quibus igneũ, uel aereũ, uel humidum elementũ excellat, non concretum, mollia hæc omnia esse. Et item si foraminibus sint prædita uel meatibus, si superior ibi sit terrestris substantia uel aquosa concreta, facit necessario ad totius corporis duritiem. Sin subtilis, uel humida, sed non concreta, ad mollitiem. Quæ cum sic habeant, iure iam de illis quæsierimus, cui nam potissimũ rei subiectæ asignent nomen plenitudinis. Sanè enim aut duritiem uocant plenitudinem absolute, aut aliquã de cõmemoratis eius differentijs. Differentiæ erant, cum uel siccitas excellit terrestris, uel concretio humida, siue sanè meatus quosdam subiecta res habet, siue non habet. Similiter uacuitatẽ, utrum mollitiem uocent, an quam eius differentiã. cuius quidẽ erant etiam differentiæ in excellentia aut substantiæ subtilis, aut aquosæ inconcretæ. Verũ nullam cõmittent ut respondeant harũ. Nam ita nihil profecto esse plenitudinem aliud ac duritiam statuerint, & uacuitatem nihil aliud ac mollitudinẽ. Recedunt uero ab hac ratione omnibus modis quidam impudentius, nonnulli sanè uerecunde. fuga honesta quidem illa ad spiritus recipit se facultatem. Nam quemadmodum uini, aiunt, qualitas dicitur plenitudo, sic spiritus quædã est plenitudo. Atqui cum

A iam hic petimus, uini quam plenitudinem appellent, ut declarent: non posse dicunt rem explicari. Quomodo igiť cedò, audetis nominare, quod explicari nõ ualet, aut discere de uobis nos speratis? Nam si nec docere rem ualetis, nec explicare oratione, qui tandem aliquid discamus de scriptis uestris, aut iudicemus? Enimuero en uobis, inquiũt, in ægrotis ostẽdo plenum pulsum. Proinde recte feceris, mihi crede, siquidem exprimi oratione nequeat, sed mõstrari, si nihil de eo cõscripseris, rem autẽ nudam ostenderis nobis. At & scribis, ut si explicare posis, & ostendere non uales: siquidẽ doctrina constare citra interpretationẽ in ostendendo nulla potest. Admouere igiť me digitos iubes scilicet arterię, inde subijcis: En tibi plenus hic pulsus est, quem nunc sentis. At hæc, si simplex accidat & una pulsibus qualitas, recte dicantur. Nunc

B quando uariæ hæ uel uestra sententia sint, occurrant porrò aceruatim omnes, absq; interpretatione, non potest fieri, ut iam ullam ex illis intelligamus. Atqui iam tango, ut uis arteriam: sed quia, quid tu ex accidẽtibus eius uoces plenitudinem, me latet, nihilo ergo ex tua ostẽsione intelligo clarius rem, ac nuper, cum ostẽderes nihil. Distendatur sane, cum admoueã pulsui digitos, plurimum in longitudinem & circulatim: si stringam etiã & premam, uiolentius in tactum incurrat: uideatur præterea durus & uelox. Et si uiolentũ eius occursum putem plenitudinem appellari, quid an non res ostensioni accidat absurda? Nam quẽ ante di-

C dicimus uehementẽ pulsum uocare, hunc iam obliuiscimur, ac discimus appellare plenum. Quare aut aliud symptoma distentionis arteriæ adduce, cui plenitudinis me iubes uocabulũ tribuere: aut si nullum præterea sit aliud, nomen inuehis pulsibus, rem doces nullam. Nam si tibi hoc satisfacit, si rem dicas nõ posse explicari oratione, dabis certe mihi quoq;, ut dicam alias esse præter illas, quas uos recensuistis, qualitates pulsuum, quę in distentione arteriæ aduertantur, numero tres, male à uobis neglectas. Si me rogetis, quas nam has? nominibus proprijs exprimi dicam non posse: sed metaphora, si uultis, audebo docere. Nam ut uocem quandam albam esse, aliquam nigrã dicimus: sic pulsum etiam quendam album dixero esse, quen-

D dam nigrum. Atq; hanc primã statim qualitatem à uobis esse prætermissam. Alteram porrò, ex qua uel dulcedo aliqua eorum, uel amaritudo conspicitur. Esse aũt per metaphoram accipienda etiam hęc nomina: quòd exprimi oratione res non posit, demonstrari posit tamen. Ecce tibi pulsum ostendo hunc amarum. Iam tertia qualitas est, non illa quidem uerbis expressa, sed quæ tamen posit monstrari. Voco eam, ut eam describam, acerbitatem. Nam in gustu ut animaduertimus acerbũ succum, ita in tactu arterię occursum quasi acerbum. Qua si quis uia insistat, uel triginta dicat, nedum tres pulsuum differentias esse præteritas. Et hoc mihi præter cætera fac attendas, esse saporem, qui proprie acerbus appelletur: plenũ uinum proprie nullũ. quod si sic quis appellet, metaphora utitur,

quemadmodũ superius exposuimus. Sane omnibus hominibus à proprijs nominibus potestas est transferendi: à tralatitijs autem alias ducendi metaphoras, non item. Neq; enim hoc est permittendum, ne poetis quidem: nedum his, qui scientiam aliquam & disciplinam profitentur. Quare à saporibus transferenti ad tactũ nomen acerbũ, quod à saporibus proprie incepit, ignoscendum est. At si à plenitudine, quæ in gustu est, ad plenitudinẽ uelis traducere, quæ percipiatur tactu, parum legitime sane facies transitum. Quin etiam qui ducit alteram à prima metaphora, licentiã is superat poetarũ. Nam hoc si semel concessum sit, hercle etiam tertiam ab secunda audebit, & quartã à tertia, atq; quintam à quarta facere metaphoram, ut planè enecẽtur, quos obtundunt. Tametsi nec à proprijs licet quibuslibet temere nec Poetis trãsferre. Imò si uel Pindarus sis, & Oceani folia dicas fontes, nõ collaudere. ac multo minus cum, Veracẽ autẽ super incudem fabricare linguam, aut aliud quid tale dicas. Sed enim nihil ita loquacitatem efficit, ut qui designat quicq;, & temerarius est in illis, quæ ignorat. Nam differẽtias cuiusq; rei, quot sint qualesq; specie, uiri est inuenire logicam nauiter meditati. Deinde nomina eis instituere, oratoris partes, aut uerius dialectici sunt. Vbi ergo homines, qui nec logicam speculationẽ exacte tenent, nec interpretari ualent, ad res aspirare, quæ superant ipsorũ facultatẽ, audẽt, cum ipsi uerba funditant, tum reprehensores impellunt, licet maxime studeant breuitati, in eandem orationis prolixitatẽ: id scilicet, quod mihi nunc usu uenit. Siquidem à mea perpetua breuitate diuellit ipsorũ me numerus erratorũ. Tamẽ faciam etiam hic, ut sim, quantum possum, breuis. Quod quidem assequar, si generalia peccata atq; cõmunia omnium reprehendam, & singulorum priuata prætermittam. Communia & generalia hæc sunt: utrum certam qualitatem arteriæ tunicæ denunciet plenus pulsus, an contentæ substantię quantitatem uel qualitatem, an innati spiritus (nam & hoc sunt ausi quidam dicere) aut facultatem quandam aut qualitatem. Ipsius enim corporis arteriæ qualitates, quod paulo ante demonstraui, neq; plenitudo uocari, neq; uacuitas: sed duritia et mollitudo iustius debuerunt. Ipsius uero infusæ quantitatem substantiæ, recte quidem plenitudinem uoces & uacuitatẽ. At inter has nihil interest & magnitudinẽ paruitatẽq;. Quòd si non quantitatem, sed qualitatem substantiæ contentæ in illis denotari à nominibus istis dixerint, haudquaq; appellauerint proprie. esse tamen cõfirmauerint quandam differentiã, sed eam sensui incognitã: ut in libris De dignoscendis pulsibus ostendemus. Spiritus uero plenitudo & uacuitas sola longe etiã minus percipi potest. Nam si quis causam eam in ostendendo sumat, roboris eius uehementem pulsum statuet signum, et imbecillitatis languidum. Qui autem hæc posuerit, de secta erit pneumatica. Quare uel hic, quod liquet, nec cõmunem notionem, nec sensus affectum ad cognitionem peruenientẽ proferet, sed suum pla-

A citum colet. Atqui non est in explicanda rei notione, neq; in dignoscenda ea admittendum placitũ: sunt enim cõmunia omnium, sed in solis causis referendum. quod nos faciemus in cõmentarijs De causis pulsuum. In quibus, ut causas, quę pulsus uariant, omnes referamus, placita attingere cogemur. Hoc loco contrà, nullum debet oratio, uel leuissime attingere decretum. Hæc duco hic de plenitudine & uacuitate sufficere, quarũ in libris De dignoscendis pulsibus ampliorem mentionem faciemus. Et etiã quæ longissime nugatur de ijs Archigenes, in examinando eius libro De pulsibus explicabimus. Nam ita à primo statueram, ut quatuor his lucubrationibus essem cõtentus, quarum iam mentionẽ frequenter feci, primæ huius quam B nunc in manibus habemus, alteræ de dignoscẽdis pulsibus, tertiæ de causis, quartæ de pręsagatione. Verum quia alij me multi, ut in librum Archigenis De pulsibus scriberem, induxerunt & impulerunt, atq; demonstrauerunt, modo bene illum dixisse, alicubi etiã offendisse, reddiderunt hanc nobis compendiosiorem narrationẽ. Nam hic à singulis separatim discedemus, ac ipsa generalia post hac persequemur, non perinde ut in secundo ante hunc. Etiã hoc ipso in libro, quo loci de uehementia dixi, ut errata declararem, ipsa uerba citaui Archigenis. Quare ad disputationem iam de duritia & mollitudine digressus, faciam ut hic quoq; istos ostendam in nominibus esse lapsos: quam ob rem in dignoscendo etiam præsagiendoq; sunt allucinati. C Nam cum una significatio sit propria utriusq; nominis, miror è metaphoris hos metaphoras ducere. Nam quem fugit ferrũ, lapidem, lignum, dura nos corpora uocare. Oleum uero, uel lac, & aquam mollia. Arbitrũ enim omnes nos homines habemus duri corporis & mollis, tactum. Hunc cum obiectis applicamus, quę illũ offendimus recipere, & quasi subeunti cedere, mollia appellamus. Contrà quę uim afferunt cuti nostræ, & protrudunt, si hæc cedens urgentia in se recipiat, dura illa uocamus. Nam omnino si cedat, & deijciatur ab urgente, quod concidit, imbecillius omnes: q̃d deijcit, ualidius uocant. Nam hoc modo ualidus uentus non nos tantum prosternere & deturbare solet, uerumetiam arbores maximas, atq; naues. D Et etiam nos ipsi, æs, ferrũ, lapides, ligna, & si quid his sit durius, si modica sint mole, facile diruimus. Atq; hactenus distat à duro ualidum. Hoc enim, ut modo diximus, exturbat pristina sede & euertit, si quid attingat, Durum, sed non ualidum, non exturbat quidem, sed subit rem molliorem, excauans, suffodiens, cogensq; eam. Atq; hæc Plato etiã dixit dura esse, quibus cedit nostra caro: Mollia, quę carni. At multo hęc Aristoteles elimatius, qui non, quod cedit, uocat molle: sed ei addit, modo, quod in seipsum, modo, quod loco non mouetur. Siue enim sic dicamus, Molle est, quod in seipsum cedit: siue hoc modo, Molle est, quod cedit, nec de loco migrat: ordine definierimus. Iam si etiam simul utrunq; addamus, ut in secundo libro Aristoteles de generatione & interitu fecit, ac molle

molle dicamus esse, quod cedit in seipsum, nec migrat: adhuc definiemus apertius, ꝙ duobus proprijs symptomatibus ob oculos ponamus molle. Etenim tum in seipsum cedit, tum loco non mouetur. Vtrunq; autem soli accidit illi. Nam cedere quidem commune symptoma est mollis & imbecillis. at in seipsum, solius est mollis: ut non in seipsum, imbecilli tantum. Itemq; ut in uicinũ locũ migratio proprium infirmi est, ita non demigrare unius mollis. Proinde quod cedit in seipsum, nec migrat tamẽ, omnes uocant molle. Et id, quod eò illud adigit, durum. Neq; sunt, ut aliorum quorundam nominum, diuersæ significationes, si proprie appelles, non allegorice, mollis & duri. Omnino enim ea peritissimus omnium in distinguendis significationibus exponeret Aristoteles. quomodo inferius hoc in ipso secundo libro De generatione & interitu differens de humido & sicco, utrũq; docuit hoc uarias significationes habere: at nõ durũ & molle, nec illo in libro multis dixit attribui, neq; uero alio in ullo. Nec etiam Plato. Cæterum nominis unã utriusq; ambo illi uiri repererunt significationem: siquidem proprie, ut diximus, non utaris allegorice. Metaphora enim immensum significationum numerũ suppeditabit, non horum tantum nominum, sed et significationum aliarum omnium. Adeoq; Plato ipse ait in Sophista, Duros mihi narras & obfirmatos homines. Neutrum corpori quidẽ uocabulũ tribuens, nec durum, nec obfirmatum: uerum animo eiusq; præsertim moribus. Ad eundem modum uinũ dixeris durũ, per metaphoram quidem: & uocem duram, studium etiam, & uitam: præterea institutum, legem, uentum, aquam: si aut sæuum, aut solitarium, aut morosum, aut triste, aut concoctu, aut superatu difficile, aut eiuscemodi quid aliud ex metaphora uoces. At durum corpus, quod proprie & primarie appellatur, renititur, & nihil tangẽti cedit. Eodem uero modo hominem durum uocant, qui est suis moribus obsequens, & difficilis, atq; ubiq; repugnat. Legem etiam duram & iudicem, qui à uenia danda sunt omnino alieni. At uinum durum, cum fortis sit qualitate, & uiolenter uerberet uel caput, uel sensum gustatorẽ. Iam aquam duram, quę non facile concoquitur, tardeq; in corpus permeat, & diutissime secundum præcordia subsistit. Et quicquid aliud, quod durũ uocamus, non quidem proprie uel primariò, sed per accidens, & à quadã traducẽtes similitudine, eo pacto appellamus. Quia uero multa corpori duro accidunt, unumquodq; eorum metaphoras suppeditat, nihilo magis idcirco tamen prima est negligenda significatio & propria. Tangibile est etenim durum, ac durities qualitas tangibilis. Cum ad gustũ iam, uel olfactũ, uel uisum, uel auditum deriues in oratione nomẽ, ibi auditorem oportet similitudinem cum propria recordari. Etenim examen hoc est metaphorarum, rectè sint, an secus sumptæ. Nam apertam quæ similitudinem illustremq; habeant, probamus. Obscuras & tectas repudiamus omnes. At neq; quicquam norunt aliud recẽtiores medici probatæ in-

A terpretationis, quò illis fit ut nihil sit obscurius: neq; sciunt metaphoras, nisi in tempore, non esse usurpandas. Sed enim si obscura sint duntaxat scripta istorum, minus fortasse culpes. Nunc quando ipsam rerum ueritatẽ, quas aggrediuntur docere, ineptis istis metaphoris labefactant, acerbius eos iure reprehendas. Cum uero eò insuper quis deueniat stuporis, ut cũ prima & peculiarissima nomina suis assignet rebus, accipiat per metaphorã significationes, qui feras? Nam uocem albam ex metaphora intelligas, cęterum colorẽ albũ etiã æque ex metaphora non accipere potes. Nã hic nisi proprie albus dicatur, quid iam aliud ex illis, quę proprie dicuntur? Sic etiã hominẽ acerbũ uocamus per metaphorã: uinum uero acerbũ non item per

B metaphoram, sed primariò & proprie. Nam ut, si quis uinum Theræũ acerbũ uocet, mox reprehensus sit, perperã censere, qui uinũ dulce, quod prorsus abest ab omni acerbitate, sic uocet: ineptus uideatur, si ea se significatione dicat usurpasse acerbum uinũ, qua homines interim esse dicimus acerbos, perinde ac iniucundos. Ita si quis tangibile aliquod corpus appellauerit durũ, ac eo modo uocabulũ uelit interpretari, quomodo uinũ dicit̃ durum, hic sanè parũ mihi sapere uideatur. Nam posteaq; omnes qualitates tangibiles sortitę nomina sunt, ex metaphora stultũ est alia illis accõmodare. In olfactu quidẽ non omniũ qualitatũ sunt nomina, ubi translatitijs nominibus permittas uti. In tactu omnibus sua nomina sunt, id quod quodam

C loco Aristoteles docuit, atq; nomina eorũ ordine omnia exposuit. quę ipse quoq; narrabo. Calor, frigus, siccitas, humiditas, grauitas, leuitas, durities, mollitudo, lentor, friabilitas, asperitas, læuor, crassities, tenuitas. Itaq; exprimi tãgibiles omnes qualitates possunt, & corpora non secus ijs prædita. Quippe horum pariter septem sunt oppositæ cõiugationes, & nomina quatuordecim. Prima est oppositio calidi & frigidi. altera sicci & humidi. tertia grauis & leuis. quarta duri & mollis. quinta lenti & friabilis. sexta asperi & leuis. septima crassi atq; tenuis. Quare insulsi nihil obsecro nugeris, nec uocabulis latinis & omniũ cõmunibus domo abs te imponas significationes: sed corpus arteriæ uel durũ uel molle primo dic & præcipue. at pul-

D sum, eius statũ denunciantẽ non proprie nec primo, sed per accidens durũ uel mollẽ uoces licet. Siue enim ipse arteriarũ motus pulsus est, non proprie dixeris, si motũ appelles durũ. Siue is, quem tactui nostro infligit, ictus, siue sensus ictus, nihilo magis hic proprie et primariò durus dicitur: sed denominatur, scilicet duri corporis durus pulsus, Illud uero solum non aliunde denominãtes, neq; per accidens aut per metaphoram aut abusum appellamus durum, cæterum proprie & primariò. Proinde ubi quis pulsum durum aut ex qualitate spiritus dicat repræsentari talem, aut ex proprietate caloris, aut alia de re, quæ enunciari uerbis ualet, non doceri tamen: rejciemus eum, qui ista nugetur & garriat, quod etiã facit Archigenes in suo De pulsibus libro, & in secundo De signis febris.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI.

Nullum definitionũ esse usum cum res ipsæ notæ sunt. A De pulsus definitione, atq; de ea plures ueterũ opiniones. Nõ esse necesse per definitiones doctrinas tradere. Illis qui artes ingrediuntur definitiuam doctrinã nequaq; usui esse. Aduersum Erasistratũ, Herophilum, Zenonem, atq; alios quamplures ueteres de pulsus definitione. Quòd omnia uelle definire sophisticæ doctrinæ munus peculiare sit.

ALITER.

Caput I. De argumento & usu primi libri huius Tractationis de pulsibus: quodq́; solus is lectu necessarius sit: cæteri uero tres cogentibus amicis contra recentiorum medicorum duntaxat inanem loquacitatem conscripti. De difficultate definiendi, & quàm temere ad quælibet definienda recentiores quidã ferantur, quem morbum philoristian uocat. Pulsus claram & notam significationem esse de arteriarum motu, & eo qui per inflammationes fit, & in temporibus per quosdam capitis dolores. B II. Pulsum uarie definierunt. De cordis uentriculis dissensio. Arteriæ an sua spõte pulsent dissensio. Definitionum duo prima genera, unum nominis seu notionis, alterũ essentiæ: & alia duo inter hæc media, quæ utroq; participant. Motus naturalis, qualis pulsus est definitiones quædam proponuntur. Contra scepticos. Aliæ atq; aliæ pulsuum definitiones pro quaq; secta, Erasistrati, Asclepiadis, Galeni. Herophili & Erasistrati discipulorum de pulsus definitione contentio. Veteres non definitionibus docuisse, sed significationes nominum declarasse. Plura contra definitiones, & quòd essentiali definitione ad tradendas disciplinas non opus sit, & nominis definitio rem cognoscenti superuacanea, &c. III. Heraclidis Tarentini descriptio pulsus. IIII. Alexandri Philalethis definitiones. V. Demosthenis Philalethis definitiones.

VI. Bacchij definitio pulsus. VII. Aristoxeni definitio: Vide etiam capite 10. VIII. Zenonis definitio pulsus. IX. Chrysermi definitio. X. Heraclidis Erythræi definitio: & iterum de Aristoxeni definitione. XI. Agathini definitiones. XII. Archigenis definitio. XIII. Magni definitio. XIIII. Athenæi definitio. XV. Asclepiadis, eiusq́; discipulorum definitiones. XVI. Moschionis Correctoris definitio. XVII. Erasistrati discipulorum definitiones.

GALENI DE PVLSVVM DIFFERENTIIS LIBER QVARTVS.



VANTVM ad artis opera cõplexus sit utilitatis primus liber, diximus initio statim secundi libri. Etenim quantus sit uniuersus numerus pulsuum, declarauimus: atq; nomina, quæ quidẽ nomina sunt, recẽsuimus: iussiq́; illũ, qui ad C cõmentationis huius uoluerit cõmoditatem aspirare, opus reuoluere De pulsibus dignoscendis, quod secundum hoc est quatuor libris explicatũ: ab illo De causis lucubrationẽ quatuor libris: deniq; ad Præsagationem ex ijs institutam pergere: quæ quatuor etiam libris continetur. Nam quę in hoc opere De differentijs pulsuum à primo libro disputaui, & hercle quæ nunc institui scribere, propter recentiorum medicorum inanem loquacitatem disserui, amicorum, quibus equidem multum reluctatus sum, precibus adductus. Satius enim statuebam esse nequaquam inania & superuacanea attingere, nec uolentem nolentem cum nugatoribus pugnare nugis. Sed enim quidam audacia D sunt intoleranda: qui nescij cum sint, quantum in definiendo insit difficultatis, temere tamen definiunt non pulsus tantum, sed alia cuncta. tametsi definitionũ sit nullus usus, ubi res sint & ante definitiones apertæ. ut in pulsus nomine, quod intelligunt etiam omnes mortales, nedum medici. Nam ubi manum protendentes ijs porrigunt carpum, medicoq́; iubent pulsum tangere, est uero tum arbitrandũ pulsus eos nomen ita usurpare, ut si σκινδαψὸν diceret, aut rem aliquam designantes eam uocem proferret? Equidem rectius dixerim, rem eos certam intelligere, illiq́; assignare nomen pulsus. Vtrum iam ita proferunt pulsum, ut Hippocentaurum, & Sirenas, uel Scyllam; an rei certæ, quæ extat, nomen tribuunt? Rectius est hic quoque dicendum, si quid sentio, certæ rei, quæ reperiatur, eos attribuere nomẽ pulsus: atq; hanc rem esse arteriarum motum. quas quidem moueri omnibus hominibus, dum uiuunt, conspiciunt omni in parte corporis, ubi certe insunt. Iam in partibus etiam inflammatis pulsum quendam se aiunt animaduertere. Ad hæc tempora pulsare per febres urentes, & à potu meri largiore, præterea in quibusdam doloribus capitis, maxime à solis ardore profectis. Quæ cum sibi inuicẽ declarant, non requirunt multa uerba, quibus scatent iuniorũ medicorum libri cum præclaris istis cõfutationibus, quas inuicem instituunt de definitione pulsus, & de singulis eius differentijs: ut uehemẽte, magno, pleno, æquali, ordinato, & reliquis: de quibus amplius in illis disputaui cõmentarijs: quibus enarro pariter et examino Archigenis De pulsibus librũ. quando etiam cum alijs medicis iunioribus hunc ipsum τῆς φιλορισίας, id est definitionum studij morbus est depastus, ut nouam in re noua uocem usurpem. Etsi isto malo Archigenes esset indignus, in colenda arte uir non ignauus. Sed ut psora & lippitudine, qui propius accedũt, quidam corripiuntur inuiti, sic ad istas definitionũ nugas uir ille illectus est: tametsi ad artem colendam præter cæteros ille contenderet. Quòd ergo quæ maxime ignorant, hæc affectant, breui illis ostendo, iubeoq́; ut nomen quorumlibet ponant. Deinde uersiculorum ab ijs numerum requiro, quanto uelint interuallo percurrere definitionẽ eius, qua de re agitur. Sanè, quanq; mire stupidi sunt, pungit hoc tamen illos specimen. Nam singulis de nominibus, singuli libri conscribi possint. Verum ut hęc similiter de omnibus peragamus: sint porro uersiculi amplius mille. At nũc indignã rem uidear subijsse,

qui

qui inducat, quò illorum inanes nugas detegam,
De pulsibus mihi aliquid proponere.

Pulsum uarie definiuerunt. Cap. II

Sit ergo hoc ipsum primum atq; clarissimum,
pulsus. In quo si demonstrem, in quam inciderunt
loquacitatẽ, simul de alijs apertus erit sermo. Pul-
sum igitur motum definiuerũt arteriarum esse. In
quos disputantes aliqui, primum peccatum esse
in definitione contendunt, quòd præteritum sit,
& cordis. Nam in hunc modum definitum opor-
tebat. Pulsus est arteriarum & cordis motus. Alij
nõ cordis aiunt, sed arteriosæ cordis partis adden-
dum esse, ut hæc sit definitio. Pulsus est arteriarum
motus, & uentriculi in corde arteriosi. Aut hercle
sic. Pulsus est arteriarum motus, & arteriosi uentri
culi cordis. Quos rursus insimulant alij, qui uolũt
male dictum esse, pulsum esse motũ absolute: esse
scilicet prętere a arteriarum alios motus, et cordis:
ut qui concoquit sanguinem in illis cõtentum, &
attrahit eum, apponitq;: præterea qui excernit re-
crementa. Quare definitioni adijciendum aiunt
fuisse speciem arteriarum motus: ut propria illo-
rum, & non multorum motuum sit cõmunis. Ita-
que hanc definitionem instituerunt. Pulsus est ar-
teriarum & cordis distentio atq; cõtractio. Cuius
quidem etiam definitionis tot fuerunt correctio-
nes, quot superioris: cum ei quidam adiungerent
cordis: alij nõ simpliciter cordis, sed arteriosæ par
tis cordis: nonnulli arteriosi uentriculi, puta sini-
stri. Sunt enim qui & hoc annectãt, ut tot existant
definitiones. Pulsus est arteriarũ & cordis disten-
tio contractioq;. Pulsus est arteriarum & cordis ar
teriosæ partis distentio & contractio. Pulsus est ar
teriarum arteriosiq; uentriculi cordis distentio &
contractio. Pulsus est arteriarum & sinistri uentri
culi cordis distentio contractioq;. Iam cum omni-
bus his bellum est aliæ uirorum cateruæ, qui non
tantũ hæc, sed & membranas cerebri confirmant
pulsare. Sunt qui etiam cerebrum. Alij utraq;. Ali
qui primariò cerebrum, membranas per accidẽs.
Cõtrà alij nec membranas censent, nec cerebrum
pulsare primariò: cæterum ad arterias hoc pertine
re, atq; per accidens ad illa. Nã attolli illa unà cum
arterijs aiunt, quas habent frequentes. Quamob-
rem si cum illis tantum attolluntur, & nullam ipsa
obtinent facultatẽ eius, quem cõmemorauimus,
motus, nihil superiores definitiones amplius ac-
cessionis desiderant. Quòd si quam, ut arteriæ, ob
tinent facultatẽ peculiarem, cerebri & eius mem-
branarũ in definitione erit necessaria mentio, atq;
tota definitio hæc erit. Pulsus est distentio & con-
tractio cordis & arteriarum atq; cerebri & eius
membranarum. Sin autẽ alterum modo illorũ ea
est facultate, eius faciemus unius mentionem, at-
que uel hunc in modum definiemus. Pulsus est di-
stentio & contractio cordis & arteriarũ cerebriq;
membranarum. Vel sic. Pulsus est distentio & con
tractio cordis, arteriarum, cerebriq;. Ac similis u-
noquoq; in genere cõmemoratarũ definitionum
accessio fiet. Nam quibusdam satis, ut dixi, fuit di-
xisse: Pulsus est distentio & contractio cordis &

A arteriarum. Quidam non ita absolute, sed uel arte-
riosi cordis uẽtriculi, uel sinistri, uel partis arterio-
sæ eius adiecerunt. Iam cuilibet harum definitio-
num, hi cerebrũ, illi membranas, alij utrũq; adiun-
gent, existetq; definitionũ numerus non paucarũ.
At uero de cordis uẽtriculis est non minor illis di
sceptatio. Quia aliqui dextrũ non arbitrantur pul
sare: Alij pulsare quidem, at non primo & per se,
sed unà cum illo qui spiritualis uocatur, moueri.
Proinde qui sinistri uẽtriculi cordis, aut arteriosi,
aut quoquo modo aliter appellent, fecerint men-
tionem, ab illis hi dissidebunt, qui etiã putant dex
trum pulsare. Alia præterea maior dissensio medi-
cis iam olim de arterijs fuit. Nam eas quidam ex se
ipsis dicebant pulsare, ingenita præditas perinde
B ac cor ea ui. de qua Praxagoras natione est. Alij
pulsare quidem: nam ipsam distendi tunicam ea-
rum, contrahiq;, non secus ac cor: sed facultatem
non habere, qua hoc agunt, innatam, sed cordi re-
ferre acceptam. in qua opinione Herophilus est.
Erasistratus neutrum probat. Cõtendit enim pul-
sare contra ac cor arterias. Illud, cum distenditur,
repleri eo, quod comitatur uacuatum: Arterias,
cum replentur, distendi. Repleri autem immisso à
corde dicit spiritu. Simul itaq; fieri utrunq; est ne-
cesse, distentionem & repletionẽ ipsorũ. Verũ al-
teram antecedere alteri rationem causæ obtinen-
tem, in corde distentionẽ, repletionẽ in arterijs: ut
cernitur & in externis rebus. Folles fabrorũ, quia
distendunt, proinde replentur. Sacci, culei, utres,
C ꝙ impleant, idcirco distẽduntur. Quare definitio,
quę totam rei essentiã est ob oculos positura, nihil
debet eorũ, quæ illi præcipua sunt & propria ma-
xime, omittere. Sed quandoquidem controuersia
de essentia est, necessario sua erit cuiq; sectæ defi-
nitio. Proinde est Erasistrati discipulis ita definien
dũ, ut Erasistrati peculiare placitũ in pulsuũ essen-
tia appareat. Herophili asseclis, ut peculiare Hero
phili. alijsq; similiter omnibus, definitio sigillatim
efficienda est suo placito constans. Sed hoc uero
ipsum, qui sciat, est illorum propè nemo. Iam illo
est operæprecium magis scire, definitionũ esse ge
nera duo prima. alterum, quod planè rei notionẽ
explicat: quam, qui ponunt nomen, habent. Alte-
rum est, quod docet essentiã. Virtus est sua utriq;
D definitioni. Illi quæ notionẽ explicat, ut omnibus
sit testata, qui eadem utunt lingua: & ad rei essen-
tiam ne aspiret. Huic, quæ essentiã docet, ut ei quę
notionẽ subijcit, consentiat: non sit tamen cum ea
eadem. Itaq; hoc tibi primũ sit indiciũ hominum
inanium & uanorum, ubi eos rei propositæ affer-
re unã definitionẽ audias, Nã sunt, in quibus non
iam duas, sed tres præstat, uel quatuor facere. Pri-
mam, quæ eiusdem linguæ omnibus hominibus
sit confessa. quæ quidẽ de rei essentia nihil statuit,
sed in nuda limitatur notione. Alteram iam, quæ
aliquantum recedat de notione, atq; nonnihil ac-
cedat ad essentiam. Ad hæc tertiam, quæ amplius
cũ de notione, tum de essentia aperiat. Postremo
quartã, quæ doceat totã essentiã. Atq; hanc quidẽ
ostẽdendũ est ad tertiã referri, quam rursus ad se-

secundam, atq; illam quoq; ad primam. Prima ue- A ro debet ex seipsa habere fidem, res perspicuas explicans manifestansq;. Vnde definitionē eam Aristoteles nominis appellauit: ut si definitionē diceret nomen interpretantē. Alterā definitionē (quidam essentialem uocauerunt) definitionem dicit esse, quae quid sit, explanat. Nā quae sit cuiusq; definiti essentia, hanc dicit docere. Propria uero accidentia eius unà cōplecti definitionē notionis. Putat aliam praeterea esse definitionē, quae essentiam rei doceat. Sed quid orationem produco tantis de rebus, quę cōmentaria flagitauerunt duo, tertium & quartum, quae in Aristotelis librum secundum conscripsi secundorū analyticorū. In ipso tibi pulsu hęc faciam, ut sigillatim, quàm potero breuissi- B me, ob oculos ponam. Qui uero uersatus prius est in illis cōmentarijs, facilius, quae paro dicere, assequetur. Quibusdam in partibus cutis percipimus motū quendam, non modo si attingamus, sed interim oculis etiam. Hic in omnibus ualentibus motus multis corporis partibus cernit, de quibus est carpus manus. Atq; palàm quidem animaduertimus quiddam de profundo ascendere, & nos ferire. Ab ictu interdū aperte id recedere, inde requiescere. Interdum à primo statim species repraesentatur requiescentis, ac deinde ascendentis iterum ferientisq;, atq; mox recipientis se rursus atq; quiescentis: idq; iam inde à natiuitate hominis ad obitum usq; facientis. Eum motum omnes homines pulsum appellant. Hunc qui breuibus poterit interpretari, optime definitionem ille notionis effe- C cerit: modo ut praetereat nihil, nec quicq; addat superflui, ultra quae cōmemoraui modo. Nā si quid etiam pusillum addiderit, siquidem additio sit inutilis, inaniter garriat: Si uero sit utilis, discedat ea re ab notione ad rei essentiā. Vt si dicat, talem motum arteriarū esse pulsum. Ea enim definitio, non motum tantum, sed & quorum est, declarat. cum aperte sentiat quidem uulgus, esse talem in corpore motum: sed nō corpus ipsum cognoscat, quod mouetur. Quòd si quis non solum sic leuiter arteriae uiderit detracta cute externam figuram, sed tunicas etiā quot sint & quales perspexerit, hic praetergressus notionem est: & longe uero etiam illo priore magis, qui foris eam tantum uiderat. At ue- D ro si facultatem quoq; repererit, qua pulsant arteriae: atq; motus utrum principium ab se ipsae habeant, an à corde: Ac si ab hoc, qui tandem, spiritualem'ne materiam immittēte in uasorum internam cauitatem, an facultatem quandam per tunicas illarum: Ad haec qui usus demū sit earum motus: is planè tenebit scilicet uniuersam essentiam pulsuum generationis. Verumtamen ista quidem nequeas definitione uniuersa complecti. Neq; enim uolunt definitiones, quibus illae sunt cordi, adeo esse immensas. Vnde fit, ut nulla pulsuum sit definitio prorsus essentialis: aut praelōga erit. Addidi Prorsus, ꝙ cum illorum, quae ad essentiam pertinent quidam ex proximis medicis alij aliud adiecerunt, essentialem arbitrantur se definitionē pulsus explicauisse. Vbi praeterea in eo maxime peccant, ꝙ solam definitionem protulerunt, quam uocant ipsi essentialem: nec ante dederunt definitionem, quae explicet notionē. quam, ubi de his egimus, arbitram nos definitionis essentialis ostendimus. At huius etiam ignoratione merito pronunciant quod stulte in mentem ipsis uenit. Quare de integro exordiamur ab notionis definitionibus, quas, praeter quod perspectum est omnibus hominibus, nihil demonstrauimus explicare. Talem autem inuenio nullam proditā, ne ab Empiricis quidem, quorum erat praeter caeteros hisce uti definitionibus: quas artifices isti & experientes in nominibus nec definitiones dignantur, sed descriptiones & illustrationes uocare. Ac fiant quidē descriptiones tales. Motus spontaneus, qui in partibus est quibusdam animalium sanguine praeditorum, quiete interpellatus. Quinetiā si naturalē dixeris eum motū, uel non uoluntariū, uel citra appetitionem, nihil refert. Si item ad paruas partes cutis fieri, aut non diuturnū esse, in descriptione colligas, integriorē intelligentiā reddas. Iam si etiā declinaueris sophistarum calumnias, appones motus nomini Sensibilis. Quanq; hercle stultū potius timorem istae additiones, ꝙ probatā fiduciā arguunt. Nam motus nomen omnes homines illi solent tribuere, quem aperte sensus animaduertit: quandoquidem illos, quos ratione perspicimus, argumentum est quoddā probabile, quod semper adesse omnibus corporibus, licet non uideantur moueri, demonstrat. Iam ipsum nomen hoc Sensibile duo denotat, rem sensui repraesentari iam nunc, quo tempore dicatur: Alteramq; etiam, quae licet non sentiatur in praesenti, possit tamen: quomodo lapidem in alto dicimus sensibilem quantū in ipso est esse, nimirum ꝙ de natura sit sensibilium. Sensibilis ergo motus, quem quibusdam in partibus corporis per totam uitam animaduertimus, pulsus appellatur. Hic quiete, ut diximus, interpellat. quod cautius quidem medici putant dici, ꝙ distentione & cōtractione constare totū motū. & quidē nihil est apertius, ꝙ motū in altum latum & longum extendi in gracilibus ac magnū pulsum habentibus. Porrò alij his timidiores, peculiares affectus sentire se tactos aiunt, pronūciare ueriti rem externam ullam esse, quò illos scepticorū & haesitantiū, qui uocantur, induxit institutio. Quare ab his discedamus. Fortassis enim nec hoc, ullū se percipere motū, dicere sustinebūt, si istis haesitatoribus credunt undequaq;. Sunt quidem certe nōnulli in his, qui ne suos quidē ipsorū affectus probe fatent se agnoscere, quos uocāt iure ἀγροικοπυῤῥωνείους, hoc est agrestes Pyrrhonios. Ad illos uero nos conferamus, qui non dissimulanter motum uidere se putant cuiusdam subter cutem corporis in longum, latū, profundumq; extensi, quando alijs sunt commodiores: atq; admoneamus eos discissa cute uel de industria nostra, uel casu aliquando, ut attendant, quid sit, sub ea quod moueri uidetur. Sanè enim uas aperte cernent assimile uenae, nisi quatenus duplicem tunicā, & longe robustiorē habet, quam arteriā uocamus. Clare etiā, quod obscurius

uidebant

uidebant antea, perspicient, hoc uas in circulū distendi. Haud aliter denudatum moueri cor conspicietur, ac cerebrum etiam: ut audeant dicere tandem, motum, quem impulsiuum generatione animaduertunt, in corporibus fieri, quæ commemorauimus. sed primóne & per se cordis dexter uentriculus, an unà cum sinistro motus, iisdem atq; illemodulis pulsare uideatur, nolet inquirere, qui primo transitu ab notione uulgari progressus est ad essentiam. Nec secus in pulsu, qui in cerebro animaduertitur, indagare deprecabitur, utrum primo id & per se agat, an unà cum suis arterijs attollatur multis illis ac ingentibus. Qui autem hoc est audacior in decernendo de pulsibus, istud addet etiam. Integram definitionem pulsus facias, si superioribus coniungas usum eorum generationis: quem in commentario nos De usu pulsuum, innati caloris esse diximus tutelam. siquidem sciat, qui eam definitionem facit, quo fiat pacto, ut natiui caloris mediocritas seruetur: utrum ꝙ motu uentiletur, an ꝙ frigidi aeris cogatur occursu, ut digerat difficilius: an ꝙ fumosis purgetur atq; fuliginosis excremētis. Facere præterea ad animalem procreandum spiritum ostendimus substantiā quam spiritualem habent arteriæ. Iam & ad essentiam pulsuum pertinet: utrum cum arteriæ distenduntur, tum accidat ipsas materias allici: an ubi considēat. Atq; de excretione alicuius ex arterijs, eadem est ratio. Siquidem attrahi demonstrauimus, cum distenduntur: & cum contrahuntur, excerni. Qui uero de secta sunt, quam Pneumaticam uocāt, in contractione putant attrahi, in distentione excerni. Alius porrò his definiendo pulsu causam eius efficientem addet: de qua in quęstionem uenit, uitalis ne sit, an animalis facultas, an omnino ne facultas quidē, ut asserit Asclepiades. Quare definitionē, quam uocant, essentialē, quæ est oratio essentiam rei docens, planum est genus explicaturam esse, et differētias, & usum generationis, causam item efficientem, ad hæc materialem aut instrumētalem, aut quoquo modo uelis appellare. ut genus, aut motum, aut actionē, aut affectum arteriarū. Differentias, quòd per distentionē & contractionem, quodq; citra uoluntatē. Vsum, ꝙ innati caloris nomine, uel spiritus uitalis generandi, aut hercle etiā animalis. Causam efficientē, ꝙ uis sit quædam cor distendens & arterias, aut uitalis, aut animalis, aut utraq;. Materialem & instrumentalem, conformationem arteriarū ad actionē, quam memoraui, declarare appositā. Ita suā quæq; secta rationalis sortietur definitionē. Namq; pulsum dicet Erasistratus motum esse arteriarū per distentionem & contractionem, quem facultas efficit uitalis et animalis, ad implendas arterias spiritum continentes uitalem. Asclepiades, motum esse arteriarum per distentionem & contractionē, quæ spiritu implentur, cum extenuantur: cum considunt earum tunicæ, euacuātur. Nos uero dicemus, actionē esse pulsum peculiarem, præcipue cordis, deinde arteriarum, quę distentione & contractione mouentur à facultate uitali, quò caloris natiui mediocritas re-

A tineatur, generetur autem in cerebro spiritus animalis. Atq; ad modum harum definitionū, qui de alijs sectis sunt definient pulsum, ubique pro suis quisq; suppositionibus. Proinde si perfecte definiant, consenserint mutuo: sin angustius, uel latius, uel aliqua ex parte minus bene, non conuenerint. Huius habes argumentum maximū, ꝙ Herophili discipuli, qui quidem pulsum aggressi principes sunt definire, inter se disceptarūt: tum uero etiam, ꝙ cum his Erasistrati discipuli digladiantes (nam floruerunt ambæ hæ scholæ ab Herophili obitu) aliam etiam pulsus definitionem instituunt, dissidentes & inter se mutuo & ab discipulis Herophili. Nam ueteres quidem relictis definitionibus docebant, significationes declarantes nominum, qui

B bus utebantur, ea interpretādi forma, qua Homeri dictiones grāmatici, aliorumq; antiquorū omnium explicant. Nam in hac interpretatione quod haud dum liquet, ex altera declaratur. Vt in dictione πίσυρες. Nam hoc in uersu, πίσυρες ἐριαύχενες ἵπποι, nondum quid significet, constat. Sed ibi. Ἔνθεν τέσσαρα μὲν σάκε' εἵλοντο, δούρατα δ' ὀκτὼ, καὶ πίσυρας κυνέας: explicatū est. Cum enim essent, qui armarentur, quatuor: tum scuta illos quatuor accepisse dicit, tum galeas etiam quatuor. Hoc modo, quando legimus apud ueterem aliquem medicū, solam pulsare inflāmatam partem, aut motum tantum in inflāmatione arteriarū, appellare eos pulsum: in corpore aūt sano hoc uocabulo uti nunq;: non omnem motum arteriarū colligimus, sed aut

C magnum & uehemētem, aut quem ipse potest ægrotus animaduertere, pulsum uocari. In hunc modum uidetur & Erasistratus pulsus nomen usurpauisse. Sed enim ubi legimus rursus Aegimij de palpitationibus librum, quem hic pulsum nos uocamus, palpitationem ab illo inuenimus appellari. At uero Herophilum contrà, uideas statim à principio libri De pulsibus, à palpitatione pulsum separare. Videtur enim omnem uir ille motum arteriarum, quem habere nos à primis uitæ temporibus ad mortem usque perspicimus, pulsum appellare, ex quo præsentem statum cognoscimus, præscimusq; uenientem: nec pulsum, qui in corde est, uel in cerebro, uel in membranis eius requirimus. Sic præcipua pulsus est omnibus huius

D ætatis medicis notio, quam nunc explicauimus. Nempe hanc, ut modo dixi, desiderant. quod hanc sequitur, omne iam cauillationibus plenum est. Quo minus eiuscemodi res definiendæ sunt, nec seipsum debet quisquam conijcere in definitiones, de quibus nec inter ipsos conuenit dialecticos: & quæ ut omnibus numeris absoluas, usum magnum postulant. ne dicam nihil opus esse ad tradendas disciplinas definitione essentiali. Definitiones, quas uocant, notionis, his, qui iam rem cognoscunt, sunt superuacaneæ, ignorātibus non necessariæ, ꝙ doceri certe pluribus uerbis possunt apertius. Nam sensum qui rei significatæ à uocabulo angusta potest & aperta oratione accurate complecti, doctor sit hic quidem pręstantissimus. non tamē qui abest ab illa perfectione, malus est:

nec uero qui minus probe interpretatur. Nam ita aperte rem ob oculos ponere, ut Lysias & Demosthenes oratores fecerunt, primum sit. non contemnendi sunt tamen, qui nunc in iudicijs causas agunt. Equidem nihil obsisto illa facultate praeditis, quin clare simul & compendiose, quae singulis nominibus denotantur, declarent ignorantibus. Quippe qui hoc uideor ipse agere: sed quòd inanem ibi laborem subeas, ubi omnes iam cognoscunt, quod instituis declarare. Omnino uero apud Tyrones cuiusuis disciplinae ne proferendae quidem definitiones essentiales sunt. Verum ubi ab notione exorsi, ad essentiae eos notitiam deducamus, hic iam prompte memoriae gratia rem uniuersam limitata complecti oratione fuerit cōmodum. Quare quicunq; medici & philosophi initiatis primum cuiuspiam disciplinae initium faciunt docēdi ab essentialibus definitionibus, ut eloquētissimi sint, ut clare interpretentur, obscuri euadunt tamē. ꝙ assequi auditores, quae amplā explanationem, quò intelligantur, quaerunt, cum restrictis haec definitionibus referuntur, nequeāt. Longa enim oratione prius rei, qua de re agitur, aperienda essentia est: quò cognita iā & perspecta breuibus tandem uerbis accipiatur. Haec ergo, quia iure exprobro illis semper, qui definitionibus omnia docere conantur, huc exempli gratia ueni: qui re ipsa declaraui multis locis, quodcūq; quis ponat nomen, solidum librum esse faciendum, ut declaret, quomodo sit res, quae ab illo significatur, definienda. Itaque de pulsus definitione agamus de integro, ac qui recte definire uisi sunt eū, hos nominatim appellemus. Ergo huius curiositatis discipuli Herophili, ut dixi, principes fuerunt. quibus successerunt de Erasistrati familia nō nulli. Secuti sunt, qui Pneumatici uocantur, & ex Methodicis quidam. Quos omnes si appellem, duobus erit, non uno libro opus. Quia uero certum est mihi, hanc uerbosam inanemq; disputationem uno uolumine limitare, tot sufficiet definitiones recensuisse unà cum earum autoribus, quot liber sit capiundis: Nam ex his iudicium etiam de alijs facias licet.

Heraclidis Tarentini descriptio pulsus. III

Nam Tarentinus quidem Heraclides Empirico descriptionem dignam faciēs, Pulsum, inquit, motum arteriarum esse & cordis. Atqui non latet nos, qui sunt in Empirica secta, nequaquam de definitione laborare, sed delineationibus ac descriptionibus utuntur. Ita definitiones illi eas appellant, quae breuibus notionem subijciūt rei, nec nomen rei proferunt. Atq; hanc ille homines putat notionem de pulsus nomine habere, quos protendere manum interdum uidet ac tangendam praebere medico. Cum uero quem ἄσφυκτον, hoc est, priuatum pulsu dicamus, hoc nomen designare illum arbitramur, qui ita est affectus, ut nullus motus ulli corporis parti insit cuiuscunq; arteriae. Si quis alius est motus in arterijs augendis, nutriendis, implendis, & uacuandis, hoc non laborat, ꝙ fugiat id genus motuū omnes nostros sensus, quod quidem assequimur ratione. Quo adducti stirpes omnes, qui de natura commentantur, perpetuo confirmant moueri, atq; adeo cuncta alia uel durissimos lapides. Etenim & ab his defluit perpetuo aliquid. Quidam has concerni etiam ex aere autumant. Quare hunc motum non modo adhuc uiuenti, sed demortuo etiā homini, ut placet Physicis, qui de horum natura tractant, oportet adesse. Itaq; non moueri arterias male dicemus demortuis, & non pulsare in quibusdam uideri adhuc superstitibus. Quòd si omnes sic loquantur, motum constet nos eum & appellare et intelligere, non ratione perspectum, ceterum qui apertam notitiam praebet status. His adducti rationibus cum Tarentinus Heraclides, tum Empirici nonnulli alij pulsum descripserunt esse motum arteriarum & cordis. quando hoc plane uidebant, non secus ac arterias moueri. Cum his pugnant quidam Dogmatici, qui nolunt aestimari solo sensu motum, sed interim & ratione. Nam soli, lunae, stellis omnibus motū ab omnibus mortalibus tribui. Neq; enim tantum spatium uideri citra motum ab oriente ad occidentem obire, tamen motus eorum non apparere. Quare, inquiunt, si nihil aliud, hoc certe Empiricorum definitioni oportebat adiectū, motum arteriarum cordisq; sensibilem esse: debebantq; dicere, Pulsum esse motum arteriarum & cordis sensibilē. Huic definitioni quidam intercedentes motus sensibiles in corde & arterijs confirmant non tantum, qui pulsent, animaduerti, sed & qui palpitent. Itaq; comprehendendi etiam hi erant in pulsuum descriptione: siue absolute dicāt, arteriarum & cordis esse pulsum motum: siue adijciant sensibilem. Sunt qui conuulsiones tremoresq; narrent. Quippe hos quoq; interdū motus in arterijs fieri & in corde praeter naturā quidem. Quamobrē addi definitioni uolūt naturalis, atq; totam eam efficiūt eiuscemodi: Pulsus est arteriarū & cordis motus naturalis. Ab his dissidēt, qui pro definitione Tarētini propugnāt: qui in arterijs negāt & corde tales unquā motus existere, ad neruosa aūt corpora pertinere. At cōuulsionē tremoreq; in solis fieri neruis equidē cōprobo. Palpitationē uero insidere perspicue etiā in cute cernas: clare aūt etiam in carnosis partibus, quae particulae sunt musculorū. Etiam in timore & angore plane cor uidetur palpitare. Iā contentio de affectibus his nō parua Herophilo aduersus praeceptorē suum extitit Praxagorā, qui in affectus arteriarū aggregauit palpitationē, & tremorē, & conuulsionē: ac nō genere cōfirmauit à motu earū pulsante differre, caeterū magnitudine. Nā cū in natura sua cōstant extra omnē casum, fieri pulsum: aucto uero praeter naturā motu, primū effici conuulsionē, deinde tremorē, mox palpitationē, magnitudine inter se omnes hos affectus distantes. Quāobrē initio statim Herophilus operis de pulsibus magistri sui euertere sentētiam molit: uerū, quod solenne Herophilo est, obscura oratiōe: quā ipsius discipuli mutātes apertius scripserūt ijs in lucubratiōibus, quas de Herophili secta conscripserunt. Quòd si referre hic ipsa uerba Hero

Herophili uelim quæ in principio libri primi De pulsibus fecit, aut quæ attulerunt eius discipuli, requirant integrum librum, qui hæc accurate persequatur: cum uel nulla de his facta mentione integer meus liber extat, De tremore, palpitatione, conuulsione & rigore. Mihi uero hoc quoqꝫ loco satis sit numero definitionũ explicato, quæ in præsentem quæstionẽ conuehi possunt, ita præterire. Tantũ dicam, cũ ualemus, cordis & arteriarũ motus, quando illa distenduntur undequaqꝫ, rursusqꝫ in se considunt, obeuntur. Sin autẽ ægrotemus, ut palpitans, ut concutiens, uel conuulsiuus, uel tremulus motus arteriarũ appareat, quid noui est, si pulsum uocemus modo conuulsiuũ, modo uibratum, interdum palpitantẽ, interdũ tremulũ? Quinimo uocare quendã solemus uibratum pulsum, qui aperte identidẽ conspicitur, cuius in libro primo huius operis declaraui naturã. Sic uel hac ratione apposueris parum recte definitioni pulsus, naturalis. De sensibili uero, posteaqꝫ hoc quoqꝫ additum nõnulli uolunt: quod sæpe apud Aristotelẽ refertur, operæpretiũ est meminisse. Nã rem ille uir cumulate nonnunqꝫ persecutus, addendũ ei dicit aliud quiddã ob sophisticas cauillatiões, externi, quod uideatur semper ad definitionem facere. Ac ego ferè pulsum describo, arteriarũ esse & cordis sensibilem motũ, maxime quòd ἀσφύκτους appellemus, hoc est, pulsu priuatos, quibus motus non sentitur: tametsi ille incolumis sæpe sit, quod ad suam pertinet essentiam. Neqꝫ enim uiuerent, si omnis perijsset motus cordis & arteriarum.

Alexandri Philalethis definitiones. Cap. IIII

At Herophilius tamen Alexander Philalethes cognomine, quò istas calumnias declinaret, definitionẽ duplicẽ pulsus fecit: alteram ex ipsius rei propria natura, quam ut in subiectis appellat: alterã ut in consideratione. Ac pulsum ut in subiectis, esse cordis ait et arteriarum contractionem atqꝫ dilatationem citra uoluntatẽ, quæ apparere possit. Illam ut in consideratione, ictum ex arteriarũ perpetuo citra uoluntatem motu ad tactum, & interuallum quod ictum excipit. Porrò confirmat hæc rationibus, ut putat, probabilibus quinto in libro Placitorũ. Quod etiã fecit Heraclides, ubi librum confutat Herophili de pulsibus. Multis aũt argumentis Philalethis definitionẽ, qui eius memoriã secuti sunt, oppugnauerunt, quibusdam illis mire leuibus, ac planè cõtentiosis: aliquibus plus & minus probabilibus. quæ quidam de illius familia cõfutauerunt, multaqꝫ uerba ultro citroqꝫ facta sunt. De his ergo summatim paulo inferius fortasse pertractabo. Ascribã tamẽ prius Demosthenis definitiões, ut erat eius doctor, Philalethis cognominati.

Demosthenis Philalethis definitiones. Cap. V

Hic tres reliquit de oculis libros apud multos cõmendatos. Qui quidem etiam pulsum iuxta ac Alexander diuidit, dicitqꝫ illum pro subiecto, esse cordis & arteriarum distentionem, uel contractionem naturalẽ, quę ualeat apparere. Alterũ, ex quo cõsiderationes instituimus, cordis uel arteriarũ ad tactũ ictum naturalẽ, interuallumqꝫ quod ictum

A excipit. Hic in definitionibus coniunctione utitur disiunctiua, uel, arbitratus copulatiuã, &, ꝙ ex ambobus constituitur, tantum definire, utrunqꝫ uero separatim non definire. Est aũt eius sententia, arteriarum motum per se solum esse pulsum. Et cordis item per se solũ esse. Etiam utrunqꝫ simul pulsum. Ita solam distentionem uocari pulsum, & contractionem, & utranqꝫ simul. Inductus est sic pulsum appellari, ꝙ ex distentiõe magnus uocatur, & paruus, uehemensqꝫ, & languidus, celer, & tardus: Ex cõtractiõe rarus, atqꝫ creber. Proinde ubi pro subiecto partes pulsus exponat, distentionem & contractionem uocat. Cum uero pro consideratione, ictum & interuallũ: sensu putans contractionem non posse percipi. At uero magna hic denuo B contentio medicis fuit, non iam de nomine tantũ, uti multæ superius: nec uero anxia & inanis, ut pleræque illarũ: uerum quę ad caput ipsum & summam pertinet cõmentationis. Equidem cum meo instituto expenderẽ citra pronunciationẽ tamen, ut alia, quę apud medicos sunt cõtrouersa, sic hoc q̃qꝫ, per multos annos hæsitatio mea non potuit explicari. tandem aliquando reperi causam eorũ dissensionis. Quare unũ de hoc solo librũ scripsi, primũ De dignoscẽdis pulsibus ubi explicatũ est, qui cõtractionẽ pulsus sensibilẽ obtinent, & qui nõ. Vnde uniuersa disputatio illius libri ad eos planè dirigitur, qui ex ictu pulsum & interuallo putant constare. Nã sunt qui etiã absqꝫ distinctione definitionis pro subiecto ab definitione pro cõsiderationi- C bus absolute dixerũt pulsum ex ictu & interuallo conflatũ esse. Atqui, ut dicatur ex distentione & cõtractione cõstare, quæstio existit quædã de quietibus, & quã à distentione ante cõtractionẽ, & quã ante distentionẽ à contractione cor molitur & arteriæ. Quòd etiã si quando cordis nomẽ præteream, solas aũt cõmemoraremus arterias, interpretandũ est de illo dici eadem. Quemadmodũ si de corde quid referamus, omissis arterijs, accipere oportet dictum de illis idem. Eandem habet perplexitatẽ, in respiratione quies duplex respiratoriorũ instrumentorũ. Quiescunt enim & thorax & pulmo id temporis, quod intercedit inter ingressum spiritus & exitũ. Atqꝫ pro tempore quidẽ harum quietum raram appellant, uel crebram respiratio- D nem. Veruntamen non similiter hę quietes dignoscuntur, atqꝫ pulsuum. Perspicuæ enim semper in respiratione sunt. At quietes in pulsibus quidã dixerunt nullo posse modo dignosci, quidam solam externam, quam quidem & nos uocamus sensibilem, at non in omnibus tamen pulsibus. Itaqꝫ ut respiratio crebra & rara in signis est magnis, ita etiã pulsus creber atqꝫ rarus, ut disces in præsagatione ex ijs. Quietes autẽ partes ne totius respirationis sint & pulsuũ, in controuersia est, Etenim non primo, sed per accidẽs, qui in ea opinione sunt, in partibus numerant harum functionũ, quietes. Nam in inspirationibus quidẽ expirationibusqꝫ perspicuo operari instrumenta respirationis. In pulsibus distento & cõtracto corde quietes interpellantes has actiones instar esse quietis, quæ illis suppetere

etiam in defunctis cernitur. Quemadmodũ etiam A
qui pulsum asserunt actionem esse arteriarum & cordis, uel motum arteriarum & cordis, uel distentionem & contractionem arteriarum atq; cordis: omittere quietes uidebuntur, non paruum ad præsagiẽdum momentũ. Rarus itaq; & creber pulsus cum æqualitate sua & inæqualitate, cum perturbatione ordinis & ordine sunt huius generis, qui nõ parua nuntiant. Itidem intermittẽs pulsus, & intercurrens, ex eodem hoc genere, futurorũ sunt non parua signa. Ergo si definiẽdo pulsui uoles orationem de quietibus inserere, partes ne habendæ illę sint pulsuũ, an secus: ꝙ si partes sint, utrũ primæ & per se, an per accidẽs: multum profecto temporis in eo pones. Verum quod in alijs fecimus, ut, cum progressi usq; ad detectã ubiq; loquacitatem essemus, ad aliud transiremus, idem nunc faciemus, reuersi ad Alexandri & Demosthenis, quas de pulsibus fecerunt, definitiones. Sanè uidetur, si nõ uerbis, at sententia cũ doctore suo Demosthenes consentire. Nanq; functionẽ Alexander pulsuũ citra uoluntatem esse dixit: hic naturalem. Et ille, quæ possit apparere: hic, quæ apparere ualeat. Nec uero aliter in definitiõe pulsus pro subiecto, cum magistro uideas Demosthenem sentire. Eodem modo in definitione pro considerationibus. Constat enim, ictum dicas an percussum, nil interesse. Nec etiam, citra uoluntatẽ dicas an naturalem. Nam eo tantum, ꝙ coniunctionem Vel in definitione intulit, ante diximus à præceptore eũ dissidere, quaq; id ratione fecit. Deinceps iam, quas attulerunt alij Herophilij, attendamus definitiones.

Bacchij definitio. Cap. VI

Bacchius quidem alijs in auscultationibus pulsum dicit distentionem & contractionem esse, quæ simul fiat in omnibus arterijs. In hãc definitionem disputarunt cum contumelia Erasistratij, postulare ab suo errore institueẽtes. Siquidẽ illorũ est opinio cor primũ præ omnibus arterijs distendi atque cõtrahi, immisso aũt in arterias spiritu ab illo, simul atq; impleantur, distendi: primũ ipsi cordi uicinas, deinde quę has cõsequuntur, mox his proximas: atq; ita cõtinẽter ad extremas omniũ arterias motum penetrare, omni ipsis arterijs facultate uacantibus tum peculiari, tum à corde ipsis suppeditata, cuius se ipsę ope distendãt ut cor, cõtrahãtq;. D
At Herophilo in arterias placet, quia sunt cũ corde cõtinentes, per tunicas influere ab illo uim, cuius ope perinde atq; cor, dũ distendũtur, ex omnibus partibus, unde possint, attrahunt, quod impleturũ suam capedinem sit: dum contrahuntur, reddunt. Itaq; eas simul uno tempore omnes uideri distendi & cõtrahi. idemq; constitutũ ac cor utriusq; motus seruare. Erasistrato aũt consentaneũ est, nõ una uideri cor & arterias distendi cõtrahiq;. quod res ipsa aperte negat. Quo minus Erasistratij probe Bacchium accusarunt id asserentem, quod res ipsa monstrat. Illi contradicerent melius, qui solorum naturalium pulsuũ contendunt institutam ab eo definitionem. Nam cum ægrotat animal, apparere interim non simul pulsare omnes arterias.

Aristoxeni definitio. Cap. VII

Quod Aristoxenus Herophilius non solum reprehendit, uerum etiam genus pulsuum in definitiõe desiderari, ex eius uero diuisione aliquid dictũ de distentione & contractione esse. Nam pulsum ille dicere uult functionẽ arteriarũ esse. Scilicet primũ hoc genus esse. Deinde quia functiões arterijs pręterea aliæ sunt (crescunt enim & nutriũtur) addit peculiarẽ. Ita hęc est tota definitio. Pulsus est functio cordis & arteriarũ peculiaris. Sanè genus rei, quamcunq; definiamus exprimendũ in definitione esse ante alia, recte Aristoxenus dixit. At quia quoddã eius est genus continuũ (ita enim uocant ante quod nullũ aliud intercedit) quoddã aũt uno uel altero intercedente, aut etiã omnium supremum: quodnã genus, non parum quæsitum est, cęteris in definitione sit pręponendũ: supremũ ne genus, à quo amplius nullum est generalius, an cõtinuum, an aliquod etiam, quod inter hæc intercedat, ubi sit utroq; manifestius. Quamobrẽ merito quidam contenti fuerunt continuum & proximum genus pulsuũ motũ dixisse. Sed enim quòd motus uarij sunt (nam latio, & alteratio, auctio, tabes, adhæc generatio interitusq; uidentur motus esse) quemnam uelint motũ esse pulsum, par erat aperire. dixerint sanè lationem. Deinde quia multas habet latio differentias, addendum erat, quam lationem uelint esse efficientiũ pulsus instrumentorum. Superne aliquis à primo genere exorsus, si dialecticos sequi uolet, definiat pulsum cordis & arteriarum functionẽ esse, quæ motu lationis obitur, distentis illis contractisq;. Erit fortasse, qui his quietes censebit addendas: ut certe uoluerunt quidã. Alij contra detrahunt, quasi quæ per accidens, non primo fiant. Verum in Aristoxenum hęc sufficiunt, qui cum dialectice uoluit definire, leges præterijt ipse dialecticas. Volũt enim isti, qui uenditant definitiones, à primo nos genere exordiri, deinde per media progredi, itaq; facere definitionem. Equidem exemplum fortassis adducerem istiusmodi definitionũ, nisi Platonis extarent duo libri, quos habent omnes in manibus: in quibus docet nos atq; exercet, ut ex diuidendi uia & ratione faciamus definitiões. Titulum dedit horum librorum alteri Sophista, alteri Ciuilis.

Zenonis definitio Cap. VIII

Sed ad Zenonis nos definitionem uiri Herophiliorum nemini secundi conferamus. Hic pulsum dicit esse partium arteriosarum mistam ex contractione & dilatatione functionem: ex qua eundem omnibus in partibus ordinem consonum fuit esse, siue æqualibus illa, siue inæqualibus temporibus absoluatur. Itaq; functionem ille dicendo mistam esse, non genus modo dixit pulsuum: sed & proximam, ut credit, differentiam. Vbi præterijt, quòd motu functio obeatur, eoq; lationis. Meminit autem lationis specierum, uel differentiarum, distentionis & contractionis. Neq; enim obscurum est dilatationẽ pro distentione eum accepisse. At non male mistum dixit esse motum, non simplicem, neq; unius formæ. Siquidem ex contrarijs partibus

partibus constat, ut motus in respiratione. Etiam A
illud liquet, alteram partem illum nolle compositi
huius motus appellare pulsum, cæterum pulsus
partem. Nam qui putant, quia magnus pulsus ex
distentione denominatur, continuo distentionem
etiam totum appellari pulsum, hi non animaduer-
tunt, interdum ex his quæ accidunt partibus, to-
tum inuenire cognomen. ut hic, simus homo, aqui
lus, cesius, χαροπός, id est flauidis oculis, caluus: in
alijsq; permultis à partium affectu cognomen to-
tum mutuatur. Iam cum alij Herophilij propè om
nes uel arteriarũ, uel cordis, uel horum amborum
distentionem & contractionẽ appellent pulsum:
hic non cordis & arteriarum, sed partium dixit ar-
teriosarum, quęstione, quam dixi superius, quę de
corde est, adductus. Exoritur enim animantis ma- B
xima arteria ex cordis sinistro sinu. Huius sinus
corpus non esse simile arteriarum corpori, uel illi
fatentur, qui arteriosum eum uocant. Nam ut ner
uosum appellamus aliquod corpus, quod tamen
distat à neruo: sic arteriosum hunc sinum uocaue-
runt, substantia planè diuersa præditum ab arte-
rijs. Verum non obtinent ab aduersarijs, ut rectè
uel arteriosus uocetur: quod eadem natura sit ac
dexter, qui est carneus. Quocirca cor quidam in
musculis posuerunt: quorum errorem alio loco
deteximus. Id autem ut dicere auderent, similitu-
do eos corporis substãtiæ induxit, quæ illis est. Re
præsentat enim ita ut maxime corpus cordis du-
ros musculos. Et uero etiam manifestè utroq; sinu
uidetur pulsare, & dum in corpore adhuc est, & C
cum exemptum est, aliquantisper. Quinetiã quòd
pulsum naturalem tantum Zeno definiuit, meri-
to & in eo est culpatus. Nam eundem in omnibus
partibus esse ordinem motus arteriarum, in ualen
tibus quidem uerum est: in affectis fit cum falsum
sit. Insimulat porrò Aristoxenus Zenonẽ, ut mul-
tos alios de additione superuacua hac, cum dicat,
siue æqualibus illa, siue inæqualibus absoluatur
temporibus. Siquidem communem notionem &
generalem pulsuum non complecti nec hoc, nec
aliud prorsus quicquam eorum, quæ ex diuisione
rei, quæ definienda est, proficiscuntur. Nam homi
nem qui animal esse dixit, inde ei addidit differen-
tiam pedestre, postea bipes, non opus habet etiam
differentiam ipsorum hominum ut addat: ut hæc D
sit definitio, Homo est animal pedestre bipes. In
qua artifices, artiũ rudes, sapientes, & indocti con
tinentur. Solorum enim hæ hominũ quidem sunt
differentiæ: inutiles illæ tamen, quod ad propriam
definitionem attinet: quòd sufficiat, uel animal pe
destre bipes dicere, uel animal rationale mortale.
Neq; enim quæ definienda res proponitur, est, ut
dixi, partienda: sed genus eius, atq; hactenus diui-
dendum, donec ad id quod propositum est perue-
niamus. Cuius si exactè notio completa sit, defini
tioq; abunde essentiam declaret, inutile est, quic-
quid deinde addatur, maxime si ex diuisione eius
rei adijciatur, quæ definiẽda est. Nanq; quod com
mune est omnibus pulsibus, id debet in definitio-
ne proferri: quæ est res, per quam pulsus cõcipiun
tur, & dicuntur: non per quam certi quidam pul-
sus. Nam si quam attingat differentiam definitio,
subiectam propositæ rei, reprehendendi cuius an
sam præbebit, non rectè prætermissas cęteras esse.
Nam sicut Zeno adiecit, Siue inæqualibus tempo
ribus absoluatur, temporis pulsuum scilicet subij-
ciens differentiam: ita alius addet magnitudinis,
alius uehementiæ, erit qui crebritatis, alius nume-
ri, deniq; omẽs differẽtias reliquas alius atq; alius.
Quamobrẽ iure illi definitionẽ Zenonis nimium
exuberantẽ & superfluã consciderũt. Habuissent
etiam, si libuisset, illa obijcere, quæ dialectici pro-
diderũt de definitione, in qua dictio abundat. De-
monstrant enim uiri illi dictionis accessionem, de
re, quæ definitur, detrahere, ut, hominem si dicas
esse pedestre animal geometriæ peritũ. Nam geo-
metræ qui nõ sunt, nõ erunt homines. Nunc quan
do confutationem huius definitionis, quàm por-
rò possit produci, aperuimus: transeamus à Zeno
ne ad Chrysermum, cuius hæc est definitio pulsus.

Chrysermi definitio. Cap. IX

Pulsus est dilatatio & contractio arteriarũ, exur
gente undique tunica, & in seipsam rursus consi-
dente ab animali facultate atq; uitali, comitãs per-
petuo tam sanitatem quàm morbũ, ad sensum de-
prehendi potens. Videtur enim hic etiam uir præ
terijsse cor, & tunicæ arteriarum circularem ele-
uationem & cõcidentiam pulsum appellare, quas
pleriq; distentionem & contractionem uocaue-
runt. Quod uero prætermiserunt quidam de fami
lia Herophili, hic addidit. Ab animali enim & uita
li, inquit, facultate hunc arteriarum motum profi-
cisci: superfluo illud additum quidem, si definitio-
ni, quã uocant, notionis assignes. quod tamẽ non
abundat his, qui definitiones essentiales postulãt.
Nam rerum, quæ positæ in generatione sunt, defi
nitio causam complectẽs efficientem, optima ha-
betur. de quibus est pulsus, qui, ut cæteri motus,
dum fit, est. At rectène, an secus ab animali & ui-
tali facultate effici dixerit pulsum, non paruam ea
oratio quæstionem habet. quam quidem, qui om-
nia uolet ubiq; dicere, præsenti lucubrationi inse-
ret, etsi rem non necessariam. Nam quæ rei expo-
nunt essentiam definitiones, placita consequun-
tur definientium: quæ confutari priuatim debent,
non eorum nomine negocium definitioni facessi,
ut non legitime factæ. At ubi ueritas illorum agi-
tur, illic uerbosa hæc disputatio locũ habet. Quod
si quis uitio uertendum ducat, quòd in unam am-
bas definitiones cõfuderit, & notionis, ut uocant,
quæ posita est in communi intelligentia: & essen-
tialem, quam uocant, quæ essentiam rei aperit: re-
ctè sanè accusabit: & uero etiam complures defini
tiones, quas retulimus, isti crimini ostẽdet affines
esse. Nam omnis disciplina ab aliqua notionis defi
nitione ducere initium debebat. Ab illa uel paula-
tim ad essentiales progredi, aut repẽte ad eã, quæ
adamussim explicet rei propositę essentiam. Equi
dem initio statim dixi huius libri, qualis esse no-
tionis definitio debeat: quales item, quæ pedeten
tim ab illa recedunt. Quo est hic minus nobis inhę
rendum

rendũ, quod cum hoc declaratũ ante sit, tum alia etiã omnia, quę in definitione Chrysermus posuit.

Heraclidis Erythræi definitio. Cap. X

At Erythræus Heraclides clarissimus eius discipulorum, parum uidetur magistri definitionem probare. Distentionem enim dixit & contractionem arteriarum atq; cordis pulsum esse, à uitali & animali facultate plurimum ualente effectũ. Nam quod distentionē dixit pro dilatatione uerbo tantum dissidet ab illo, non re. Quòd uero de illa detraxit, Comitans perpetuo tam sanitatem quàm morbum, in re dissentit. Omittit hoc enim pro superuacaneo, sicut illud, Ad sensum deprehēdi posse illum motum arteriarum & cordis, tametsi perpetuo in sanitate apparere pulsum ad eius pertinet notionem: nec non in plerisq; ægritudinibus, at non in omnibus. Illud uero Ad sensum deprehendi posse motum eorum, declarauimus antea, quam requirat discretionem, eo loco, ubi definitiones Alexãdri & Demosthenis examinaremus. Demit præterea, Insurgente undiq; tunica & in se ipsam rursus considente: quòd illa scilicet per distentionem & cõtractionem, significentur. Ad illud uero quod dixit Chrysermus à uitali & animali facultate effici pulsum, adiungit Heraclides, Plurimum ualente. quatenus alia etiam quædam facere ad generandum pulsum cum ipse cõfirmat Herophilus, tũ omnes qui ab eo sunt Herophilij nominati. tametsi reprehendat Aristoxenus & hunc & Apollonium Murem, qui etiam addit Plurimũ ualente. Neq; enim, inquit, quod erat commune cuiuslibet naturalis functionis, par erat, ut proprium pulsibus attribuere. Reprehēdit etiam undiq; tunicam arteriæ circulatim dilatari in definitione dictum esse, nõ modo, ut Heraclides tanquam superuacaneum: sed quod etiam pulsus quidam nõ naturales arteriæ distentionem non æqualem moliuntur, ueluti sui partem. Sed uero calumniatur hunc planissime. Nam si ipse in definitione Chrysermus poneret, Aequaliter, iusta sit eius obiectio subijciẽtis præditos pulsus motibus inæqualibus. Verum quando simpliciter dixit, Insurgente undique tunica, & in seipsam rursus considente, nullus crimini relictus est locus. Omnino si id agebat, ut Chrysermũ reprehenderet, præstiterat orationem ad illos pulsus deflectere, in quibus in modum fidis uidetur tensa arteriæ tunica. ubi fertur sursum deorsum arteria, non distenditur tamen. Nam hoc dixerunt quidam ad declarandum eum pulsum, non ab re illi quidem, parum tamen ad absolutam notitiam. Atqui ut prorsus non distendantur nec cõtrahantur uiuo adhuc animali arteriæ, planè fieri non potest. Quo minus autem animaduertatur hoc arterias habere, fieri potest de breuitate distẽtionis, et adiuncta ijs arterijs uibratione. Diximus itaq;, tum contentarũ fidium arterias speciem habere, attolliq; atq; demitti, non distendi tamen & contrahi aperte. Sic ne hac quidem ratione mendacij postulet Chrysermum de circulari distentione & contractione arteriarum, qui non de sensibili eorum motu definitionem, sed de essentiali sub-

A stantia pulsus fecerit. At cui etiã hæc cordi est uel ipsi legere, quæ illi uiri scripta reliquerunt: uel in commẽtarios referre, Erythræi septimum librum legat de Herophili secta, Apollonij uigesimũnonum, Aristoxeni tertiumdecimum. Mihi quidem satis est, si in singulis dissensionibus capita orationum prodam, itaq; aliò me conferam. Nam & sic fiet tandem, ut totum librum conficiam. Sed fuerit non incongruum, si hoc apponam. Ipse Aristoxenus, qui Alexandri Philalethis fuisset discipulus, & priorum se omnes, ut putabat, definitiones coarguisset, atq; hanc confirmasset esse optimam: Pulsus est functio cordis & arteriarum peculiaris: idem postea tamen, nihil causæ est, inquit, quin etiam talem definitionem faciamus. Pulsus est cor-
B dis & arteriarum functio peculiaris, mista & citra uoluntatem. Hanc etiam extollit definitionem, ut priore clariorem. Illi compendium tribuit & artificium. Ducit enim sępe inuoluntarios motus habere tamen aliquid uoluntarij. quod quidem, nõ obscurum est, quàm multis implicatum sit controuersiis & quæstionibus. Sed de istis cum utraq; secta disceptat hic & reliqui Herophilij. Ab ipso autem Herophilo dissidere in eo uideatur, quod pulsum esse existimat functionem arteriarum & cordis: & partes eius statuat distentionē & contractionem, nonnunquam etiam quietes. Nam si undequaq; Herophili placita tueatur, cõtractio sit functio arteriarum, dilatatio in proprium statum & naturalem earum corporis reditus. Nam eius hæc est sen-
C tentia, quemadmodum distenta in demortuis cernitur tunica arteriæ, & in uiuis item ex seipsa distentam esse. In contraria opinione est Asclepiades. Hic uir cor et arterias arbitratur distendi, cum spiritu implentur in ea influente per subtilem contextum, qua prædita intus sunt. Vbi iam in eorum os repletorum nihil influat amplius, ibi recedere tunicam in priorem suũ statum illum naturalem. Atq; hęc obiter subire quęstio sophistis potest, qui sermonem in immensum uolunt producere. Et ut uerbosam materiam tibi hic paratam habes, ita si quę Philonides Siculus scripta reliquit in libro medicinę decimo octauo, in manus accipias: quorum etiam Agathinus breuibus meminit ei obijciens: primũ quod male pulsum asseruit in solis arterijs
D fieri: deinde quòd Bacchium parum rectè secum coniungat: magnum certe cumulum loquacitatis hac ratione addideris orationi. Primum enim epicheremata sunt cõmemoranda, quibus adductus arteriarũ solarum Philonides pulsum arbitratur, deinde illa refellenda. Tertio Bacchium demonstrabis in hunc modum locutum in auscultationibus: Pulsum esse contractionem & distentionē omnium arteriarum. In compendio uero pulsuũ sic ad uerbũ scribit: Pulsus, & omnis pulsus affectus arterijs duntaxat & cordi accidit. Rursus paulo post: Nam pulsus, quod dictum est, dilatatio est arteriæ, uel arteriosæ partis cordis. In primis hoc tibi fac hæreat, hactenus solorũ ferè Herophiliorum nos commemorasse definitiones. cum etiam Erasistratij multas & Asclepiadij fecerint. Etiam hercle

Athenæi

Athenæi Attalensis asseclæ, quos Pneumaticos uocant, etsi non ita multas definitiones, tamē non parum multas fecerunt. Agathinus quidem certe, de quo paulo ante feci mentionem, quanquã improbet istos, qui omnia definitionibus student docere: ipse tamen librum conscripsit De pulsibus, ubi singula quę ad pulsum pertinent nomina cum proprijs definitionibus rerum interpretatur. Cæterum alias quidē prætereo. Nam hoc in libro unius pulsus statui definitionē memorare. Certe quidem demonstraui ego multis in locis, librum De singulis differentijs pulsuum posse, non secus ac hunc, confici: si magnũ pulsum definias unà cum his, quæ ei ex quantitate distentionis sunt coniuncta. Et si paruum unà cum adiunctis ex hac: atque hocmodo omnes alios. In pręsentiarũ, ut dixi, de solo pulsu statui summatim uerba facere.

B

Agathini definitiones. Cap. XI

Hic ergo Agathinus, qui eos accusat, pulsum qui uolunt omnino definire, tamen in loquacitatem & ipse incidit inanem. atq; etiã liquido in eo offendit, quòd homonymum pulsum putarit esse. Alio enim loco ait: Cordis & arteriarum motum dicimus pulsum esse. Aliàs: Sensum illum, quem in inflãmationibus ægrotus percipit. nam & hunc ait pulsum per homonymiam uocari. Quinetiam solam arteriæ distentionē nominari pulsum: quando uel magnum, uel uehementem eum dicimus esse: qui in contractione non fiunt. Et uero etiam Athenæum ait censere contractionem quoq; pulsum appellari. Quam significationem iubet Herodotum attendere. Huic enim uiro suum librum nuncupauit suo quidē discipulo, sed qui apud Romanos in medicina exercenda clarus fuit. Sed con flatum ex compluribus distentionibus appellari pulsum dicit. Ad hæc non solum ex distentionibus constitutum, sed et ex contractionibus. Quid, inquit, si etiam qui proprius est carpi, uocetur pulsus? Equidem existimo, inquit, pulsum dici etiam euidentium arteriarum motum. Ab his omnibus palpitationis secundũ pręcordia meminit, ecquid hãc quoq; par sit appellare pulsum. quam quidem habeant nonnulli deliri. esse autem crassæ dorsi arteriæ. Quem si motum, inquit, uocamus non pulsum, uerum palpitationem: erit iam quidam arteriarum motus, qui nō pulsus, sed palpitatio appelletur. Qua etiam significatione Aegimius Heliensis inscripsit librum De palpitationibus, in quo tractat de pulsibus. Sed hoc rursus loco obrepit aliud argumentum his, qui sermones student ducere, si disceptent, an Aegimij ille germanus liber sit: aut utrum cæterorum Aegimius scripserit De pulsibus primus, an alius ante illum. Hoc uero omnino est friuolum, illud fortasse non inane censebitur, tametsi est inane, indagare, unum ne à pulsus nomine, an multa denotentur. Videtur enim etiam Archigenes in eo cum præceptore sentire, multis modis putans pulsum dici. de quibus sermonibus quò aliquis cognoscat, ad genera eum in species & differentias partienda necessarium est meditatum esse. Nam propriarum & communium signi-

A ficationum nominum hæc una est uia inueniendi. Itaq; multis mihi locis uidētur, etiam qui illustres in dialectica sunt, lapsi esse, qui totidem esse generalium nominũ significationes sunt arbitrati, quot in ijs singulis contineantur propriæ species. Hoc inquam, si quis putauerit nomen animal non rem unam significare. Aliter enim dici animal immortale, aliter mortale: & rationale aliter, expers rationis aliter: & ferum etiã, mansuetumq;: ad hæc gregale, & solitarium. & id genus reliqua. Proinde si hanc disputationem persequare, discipulumq; exercites ad multa exempla, ut statim quod multis commune est, cernat, et quod unicuiq; proprium, non parum impendes temporis. Tamē nisi tali institutione, pulsus uocabulum nō ostenderis unam rem significare, ut animalis, etsi ex utriusq; diuisione quàm plurimæ prodeant differentiæ. Itaq; hic iam perspicias etiam longitudinem sermonis, qui integrum item librum requiret, si exponere uelis, unde inducti illi pulsum multis modis putãt dici: & quid sit, quod ijs imposuit. De quibus ego non nihil etiam in primo commentariorum, quæ in librum Archigenis de pulsibus conscripsi numero octo, dixi. Hic satis erit, sicut antea, si unam sermonis prolixitatem demonstrem, qui ei habebitur, si quis talia persequi omnia uelit. Nam uidetur Agathinus, etsi incuset illos quàm uehementissime, qui pulsum conantur definire, ex suis ipsius uerbis, nũc functionem arteriarum & cordis eum putare esse, nunc motum arteriarum & cordis, nonnunquam distentionem & contractionem arteriarum & cordis, non quò inter se hæ definitiones pugnent, sed quod una est, ut dicam, generalior, aliæ contractiores.

C

Archigenis definitio. Cap. XII

Etiam Archigenes, qui commentationem putatur de pulsibus confecisse, in unius initio prægrandis libri definitionem hanc scripsit. Pulsus est cordis & arteriarum distentio atq; contractio naturalis. Addidit hanc dictionem naturalis ad definitionem Agathini, ob causam quam ante explicaui. Ex distentione atq; contractione ut partibus arbitrantur constare pulsum pneumatici omnes: actionem putantes utrunq; motum esse, cum Herophilus & Asclepiades sentire aliter uideantur.

D Herophilus de distentione & contractione arteriarum peculiarem quæstionem instituere prolixiorem. Nam subinde putabis eum & distentionem & contractionem censere actionem esse: ferè tamen unam contractionem. Asclepiadis uero, qui nullam ducit facultatem esse, abs qua cor & arteriæ moueantur, uaria est oratio, cum in alijs functiõibus naturalibus animalibusq; omnibus, tum in hac. Dicas enim interim statuere eas illum ne actiones quidem esse, quanquam hoc consequens est suppositionibus ipsius: interim uero functiones esse ponere, ueluti abutens nomine, aut consuetudini concedens. At uero familia Athenæi, ut dixi, omnis utrũq; motum in functionibus habet, & distentionis & contractionis. In qua etiam nos sententia sumus: neq; tantum de arterijs & corde,

sed etiam de thorace. Quippe quem etiam demonstrauimus agere distendendo & se contrahendo. Distinguo autẽ tum in thorace, tum in arterijs lationes in medium statum ab extremis; quæ nunc citra actionem, nunc cum illa fiunt. Horum si iam demonstrationes in hunc sermonem cõijcias, hac de re ad longitudinẽ tibi multum proficietur. Ad hæc si nominũ uarietatem, qua in definiendo sunt usi, & hercle quas adduxerunt probabiles causas, recensueris: deinde quemadmodum eas quidam reprehenderunt: postea quomodo dicta sua defenderunt, alius hinc orationi accedet friuolæ prolixitatis cumulus.

Magni definitio. Cap. XIII

Magnus uero non distentionem & contractionem, sed & in molem eleuationem & concidentiam sensibilem, cordis eorumq́;, quæ illi afficiuntur similiter dixit pulsum esse.

Athenæi definitio. Cap. XIIII

At ipse sectæ illorum princeps Athenæus pulsum definiuit motum, per distentionem naturalem & inuoluntarium spiritus eius, qui in arterijs est & in corde: quiq́; ex seipso & in seipsum mouetur, unaq́; cor mouet & arterias. Vbi non essentialem modo definitionem fecit, sed addidit & causam. quemadmodum definiri dialectici uolunt ea, quæ dum fiunt, sunt. Et compendiosius etiam, pulsum dicit esse manifestum perspiratum, ad sensum quantum in ipso est deprehendi potentem, cordis & arteriarum. Iam Athenæi etiam hæc est definitio: Pulsus est distentio & contractio cum perspiratu cordis & arteriarum. Si cui autem cordi est, hisce definitionibus confutandis confirmandisq́;, longissime de ijs orationem extendat licet. Iam uero alij quidam de pneumatica secta definitiones pulsus fecerunt aliquantulum, ut dixi, uariantes. Quo minus eas commemorare statui: quòd perstringere quàm breuissime orationem studeam.

Asclepiadis, eiusq́; discipulorum definitiones. XV

Asclepiadis etiam discipuli fuerunt inter se discordes. quòd definitionibus quidam Asclepiadis aliquid adijcerent, alij detraherent, alij conuerterent. Nam ipse Asclepiades quidem pulsum dicit esse distentionem et contractionem cordis & arteriarum. Hic multi eius discipuli addunt, quæ non semel, sed identidem in una inspiratione fiat. ut tota definitio hæc sit: Pulsus est distentio & contractio cordis & arteriarum, quæ non semel sed identidem in una inspiratiõe fiat. Sed decepti quidam sunt ab eo, quòd in libro suo De respiratione & pulsibus scripserit in eum modum ista uerba: obliti orationis, ubi hoc scripsit. Nam demonstrare instituit, quæ simili modo fiunt in respirationibus & pulsibus, & quæ alio, diuersoq́;. Ac ubi diuersitatem declarat, ista commemorata uerba sunt scripta: quò respirationem separaret à pulsibus, quibus hoc est ascriptum: quæ non semel, sed identidem in una inspiratione fiat.

Moschionis Correctoris definitio. XVI

Alij porrò quædam adiecerunt præterea, de quibus Moschion est cognomine Corrector: q̃

A Asclepiadis scripta quædam corrigeret, non ubique cum eo sentiens. sicut nec cum Herophilo Alexander. Ego uero simul ut Moschionis definitionem narrauero, recedam ab schola Asclepiadis. Pulsus est motus peculiaris cordis, arteriarum, uenarum, cerebri, ambientisq́; hoc membranæ: quę in una inspiratione non semel, sed identidem fiat. Atqui non puto desiderare te interpretem horum, quæ definitio habet, si quid memor es hactenus dictorum.

Erasistrati discipulorum definitiones. Cap. XVII

Quare sit operæpretium fortasse transire ad Erasistrati discipulos, qui inter se non minus ac alij discordauerunt. Siquidem hoc quidem mireris, non tantum diuersarum sectarum medicos, sed illos etiam, qui unum uirum sectarentur, dissensisse plerosq́;. Quosdam etiam duas & tres definitiones conscripsisse. ut Apollonius Stratonis filius, unam hanc. Pulsus est dilatatio arteriæ, quę superimpletione fit spiritus à corde emissi. Alterã hanc. Pulsus est arteriæ dilatatio & contractio, à facultate quę illis adiuncta est proportione. Ac tertiam aliam. Pulsus est dilatatio, quæ facit, ut tactum arteria feriat. Atq́; hanc definitionem tertiam æquipollere definitioni pulsus in consideratione positi nuper ab Alexandro allatæ, nemo est qui nesciat. Prima autem quam scripsit essentialis est, consentiens Erasistrati sententiæ. quandoquidem putat arterias, ut superius etiam memini, ideo distendi, quòd compleantur spiritu à corde suppeditato. C Nam superimpletionem uolunt nos, non impletionem dicere, ne quis omnem in cõtractionibus existimet spiritum euacuari. Secunda definitio facultatum etiam mẽtionem facit. quam alij rectius Erasistratij fecerunt, qui pulsum esse dixerunt distentionem & contractionem arteriarum & cordis, quam uitalis facultas & animalis efficit. Nam ipse Erasistratus in commẽtarijs de febribus aperte affirmauit etiam animalẽ esse in corde, nedum uitalem facultatem. Nonnullis illorum satis fuit dixisse pulsum cõmunem actionem esse cordis atq́; arteriarum. Quidam anxie magis distentionem arteriarum cordi contrarium esse pulsum affirmauerunt: quando attollitur cor, eodem tempore contrahi arterias existimantes: & cum illud contrahitur, tum distendi arterias. D At uero Apollonij prima definitio solam declarat distentionem esse pulsum, quam dilatationẽ appellauit, his uerbis: Pulsus est dilatatio arteriæ, quæ superimpletione fit spiritus à corde emissi. Erasistratus uero uidetur non naturalem arteriarum motum appellare pulsum, uerum motum duntaxat in inflammatione. Id quod eius uerba arguunt in primo commentario de febribus. ubi uocat motum arteriarũ, quem naturalem nos pulsum appellamus. Quem uero in inflammatione ille immutationem dicit habere, pulsum uidetur uocare: non censens scilicet cuiuis arteriarum motui esse pulsus nomen attribuendum: sed soli ei, qui ab affectu in inflammatione à naturali statu deducitur. Cernis igitur uerborum copiam, qua abundabis, si cuncta hæc persequare,

& quæ in se Erasistratij mutuo, ac quæ in alios disputarunt, commemores: & quæ item illi responderunt his. Cum igitur capitibus ego tantum recensendis librum iam totum confeci, idq; multis etiam præteritis illorum definitionibus: quid? qui exequi omnia uelit, nonne tres libros atque adeo quatuor habebit conficiendos? Fac uero confectos esse, & adolescentem quempiam, qui in nugatorem incurrisset præceptorem, qui omnia dicere uelit, nihilq; præterire eorum quicquam, quæ tradiderunt medici, longo tempore illa & summo studio edidicisse: postea congressum apud ægrotum aliquem esse cum alio adolescente de alio magistro rationem docto cuiusque pulsus dignoscendi, & quid denuntiare solent: utrum dices commodi aliquid inuenturum ad præsagiendum de ægroto: aut utrum nomen assecuturum apud ægrotum & præsentes. Nam alter adolescens, qui pulsus sit definiendus, multis uerbis aget. At morbus periculo ne uacet, an cum periculo sit: & diuturnus ne erit, an breui iudicatio sit expectanda, plane nesciet. Alter adolescens exacte hęc præsentiet prædicetq; præsentibus, sed eum ratio definiendi pulsus fugiet. Hæc autem aperte declarabit contentio, quæ ratio docendi utilis, quæ inutilis sit. Verum ut est in prouerbio, Dulce bellum inexperto: sic isti uidentur mihi, qui omnia uolunt definire, prorsus quæstiones ignorare, quas dialectici de ratione definiendi instituerunt. Nam definitione quidem significationem explicare propositi nominis, siquidem propositam rem non omnes plane assequantur, non dico conducit, sed necessarium est. Necessarium etiam, ubi quis uel uersutia de industria, uel imprudens præ stupiditate significationes commutet nominum, tribuens alijs rebus ea, ac omnes homines. Si absque utroq; horum sit, omnino res definitione non est aperienda, quod suum ipsam nomen abunde declaret. Nam definire plane quidq; uelle ad sophisticam disciplinam pertinet. Mihi quidem hæc licet dicere, qui frequentissime in quæstionibus improuisis feci periculum. Nam de quauis re ad definiendum proposita dici demonstraui posse totum diem. Quare non quo uerbis deficiar ad definiendum accommodatis, in abundantes queror. Sed cum probaui omnium me ad eam loquacitatem esse instructissimum, humanitatis duxi esse, si artibus insudantium haberem rationem, ueritatemq; aperirem. non quod pleriq; faciunt scioli, qui suspici, quod sciunt, quærunt: & uero etiam ampliores se ipsi apud alios putant fore: sed quæ cognouissem, semper distinguerem utilia ab inutilibus. Omnes enim (cum à paucis discessum est) qui artes tradunt, nugis omnia referserunt. de quibus hoc est, quod hactenus tractauimus. Nam peruasit philoristiæ & definitionum studij morbus non medicos tantum ac philosophos: sed oratores etiam, & musicos, grammaticosq;. Quibus ego, si sapiant, omnibus uno de pulsibus exemplo medicinam sane præsentem feci. Quod si quando ocium multum sit uisum omnes persequi & dijudicare controuersias de definitionibus, ne id quidem facere dubitabo. Siquidem inutiles quidam dictitant illas esse. Alij utiles illas quidem, sed de ratione disceptāt definiendi. Sed iam libros etiam de his duos conscripsi, tertium & quartum commentarium in secundum librum Aristotelis de demonstratione. Cui libro titulum multi indiderunt Analyticorum secundorum: sicut & libro De syllogismo, priorum Analyticorum.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI PRIMI.

De difficultate cognitionis pulsuum. Qua ratione pulsus sint cognoscendi. An pulsuum contractio percipi posit ampla disputatio. Vtrum cognoscatur pulsuum dilatatio. Quantum ignoretur de motu constrictionis & dilatationis pulsuū. Ratio quietis pulsuum cognoscendæ intus & extra.

ALITER.

Caput I. Partitio & argumenta librorum suorum omnium de pulsibus: & quibus in partibus medici, in quibus philosophi elaborarint: Postea de difficultate dignoscendorum pulsuum. Quæ consideranda in distentione, quæ in contractione, quæ in secundo pulsu. Galeni in arte de pulsibus scrupuli. Arteriam distendi, nō ascendere & descēdere. Galeni diligentia & industria circa pulsus dignoscendos, & artem de eis tradendam. Manus quomodo cuiq; pulsui admouenda sit. II. De quatuor elementis siue principijs dignoscendorum pulsuum. III. Contractionis inuestigatio Galeni. controuersia enim erat apud medicos an contractio pulsus sentiretur. IIII. Declaratio contractionis per alia uasa uel instrumenta, ut folles, uesicas utres. V. Primum sentimus affectus corporis nostri, deinde illa quæ eos induxerūt. Et in quibus cōtractio sentiatur aperte, in quibus non. VI. Pulsus, qui apertam & sensibilem contractionem habent, quibus in sanis & ægrotis insint. VII. Quomodo sit applicanda manus artetiæ ad contractionem percipiendam. Anacephalæosis prædictorum. VIII. Initium distentionis, & finem contractionis, non sentiri. (Multum spatij inter cutem & arteriam interpositum, quod cum in crassis carne repletur, pulsus fit paruus, &c.) IX. Quanta pars distentionis & contractionis non sentiatur. Et hactenus (inquit in fine capitis) de primis quæstionibus, & ueluti elemētis disputatiōis. X. De quietibus dignoscēdis.

CL. GALENI DE DIGNOSCENDIS PVLSIBVS LIBER PRIMVS.

Hermano Cruserio Campensi Interprete.

Partitio commentationis de pulsibus, & quibus in partibus medici, in quibus philosophi elaborarunt, postea de difficultate dignoscendorum pulsuum. Cap. I



De pulsibus commentationem in quatuor partes sumus partiti. Prima specierum & generum illorum differentias recenset. Altera, quæ est hæc ipsa, quam nunc in manibus habemus, agit de ijs dignoscẽdis. Tertia causas aperit, à quibus quisq; generatur. Quarta & postrema, quid denuntiare solent, medicis sane præ cæteris honoratissima: quo fit, ut reliquas partes huius nomine tractent: & philosophis, qui scientiam naturalem inuestigarunt, non plane neglecta. Quamobrem merito omniũ prima pars iuxta ad medicos & ad philosophos pertinet, sed secunda & quarta medicis est peculiarior, ut tertia philosophis. Quocirca magnopere utriq; in tertia elaborarunt: quod hi omnibus eam præponerent, illi proximam statuerent summæ parti. In quarta non perinde quidem ac in hac, eo quod soli de ea medici scripserũt: plus tamen ꝙ in reliquis laboratum est. At in prima sophistis plus satis: medicis qui magis artis opa spectant quàm nugas, satis inter disputandum laboris fuit. Reliquam secundam partem nec philosophorum (neq; enim ad tertiam, sed ad quartam faciebat) nec medicorum præter Archigenem, idq; plane leuiter, attigit quisquam. Flagitat autẽ hæc non prolixam quidem orationẽ, sed tempus alijs simul omnibus longius. Nam cum tactu nobis opus est exercitato, ut paruam etiam exacte differentiã sentiamus, tum non est in manu nostra eius exercitatio. Nam adaptandorum usum, & instrumentorum, & uero dissectiones, usumq; fasciarũ, & laqueorũ, preterea reliquas chirurgias medico necessarias, citra tuam operam fortasse discas. Et sane multa ipsi non obimus, sed res ipsas molimur imitari, quod etsi ad summam non perducat nos, at eo plurimum progredi tamen, & prope finem licet aspirare. In exercitio uero ad pulsus quid inuenias, quod caprizantem, uel uermiculantem, uel omnino quenquam referat minus frequentium, non uulgaris tamen rei indiciorum? Nihil hercle, ne quod accedat quidem. Ad naturã uero eorum alius alio præstat oratione declarandam. Vt exerceas autem te ad quempiã facillime simul & exacte dignoscendũ, nisi ipse tuam operam naues, nihil reperias machinæ à medicis ita commentum, ut in cæteris fecerunt operibus manu obeundis. Itaq; cum ob id tempus requirit longum, tum pro A pter absolutam naturæ rerum scientiam. Nam si figuli, pictoresq; faciẽ, si caupones & coci gustum, olfactum unguentarij, auditum musici, tametsi artis habẽt ubiq; promptam materiam, multos non dies dico aut menses, sed annos, ut accurate artem caleant, meditãtur: ad tactum exercendum quantum scilicet censeas temporis medicum quærere: cui plurimi uno tempore affectus arteriæ sunt attendendi, non ut figulis solæ figuræ, aut ut pictoribus colores: sed primũ distentionis quantitas, deinde qualitas & tempus motus, tum mouẽtis eam uigor facultatis, postea ipsius tunicæ arteriæ status. Hæc simul atq; illa attollitur, omnia sunt cognoscenda. Quinetiam caloris qualitatem occur- B sus arteriæ motu excitatus apertius manifestat. & etiam æqualiter an inæqualiter illa quæ memorauimus omnia, una in parte & in diuersis fiãt. Atq; in distentione hæc consideranda sunt. In contractione sane similia illis, præterea tempus inter utranq; medium, quo quiescit, duplex illud, unum à distentione ante contractionem, alterum à contractione ante distentionẽ: & horum mutuã proportionẽ, temporis motus ad tempus motus, temporis quietis ad tempus quietis, & utriusq; simul ad utrunq;, quæ sunt uniuersa ante alterum arteriæ C ictum cognoscenda, confecto iam primo pulsu. Nam cum iam alter inceperit, cum ipsa prima sunt attendenda, quæ declarata in primo sunt: tum uero quò æqualitatem eorum & inæqualitatem perspicias omnesq; differentias, quæ in illo sunt exposita, cum ijs quę in hoc, conferenda sunt: inde tres, quatuor, quinq;, atq; adeo multi deinceps pulsus sunt uidendi, ut ordo tibi atq; confusio sit explorata. Quid hæc, quãtæ censes esse omnia exercitationis? Equidem, ut uerum dicam, ad exactissimam quidem & absolutissimam cognitionem requiri totam humanã uitam putem, ut autem tantã asse- D quaris, quantam nunc parauimus nobis, non sex menses tantum, quibus uniuersam medicinã profitentur sapientissimi se isti methodici tradituros, sed annos permultos. Mihi quidem certe, ut primum medicis cœpi operã dare, primis adhuc ætatis temporibus mirifica cupiditas incessit artis de pulsibus cognoscẽdæ, atq; inde usq; in hanc diem, eam cõmentatus, haud dum mihi omnem artem uideor assecutus: Siquidem multos annos etiã dignoscerẽne tactu clare contractionem arteriæ esset, incertus eram. Quin hærebam etiam, an Archigenes, Herophilus, Agathinus, omnisq; prope natio empiricorum uera dicerent: tantum aberat, ut plane scirem, posset ne tota sentiri, an pars aliqua, eaq; quanta. Iam in distentione de similibus perinde implicatus tenebar, cum tamen hæc fundamenta sint, & ueluti elementa totius de pulsibus artis:

quibus

quibus incognitis, nihil esset præterea quicquam quod cognosci certo posit. Tantum sensu noueram dignoscere, distendi arteriam, non ascendere & descendere, quod confirmant isti, qui empirici uocãtur, probari, atq; id esse uerum. Neq; enim distentionem, sed ictum tantum percipere tactum: ascendentis ne cuiuspiam, an distenti, non item animaduerti. Hoc quidem multis annis propè solum assecutus sum. Postea unum etiam, uehementem pulsum. Alia me omnia adhuc fugiebãt. Itaq; in profunda hæsitatione multos annos uolutatus, nihilo magis indagare destiti. sed cũ acrius etiam atq; etiam in id incubui, tandem aliquãdo species contractionis tactui aperte repręsentata est. Deinde cum in meditatione diutius immorarer, nõ speciem adhuc obscurã, sed clarissimã notitiam eius non concedentẽ distentionis notitiæ consecutus sum. Postea quid cõmemorem ꝗ alia sum cito assecutus. Omnia eñ ultro se offerebãt, & planè posthac perspicua erãt, ut cum in summis tenebris lux subito splendida eluxit. Quòd si quis hæc accipiat ut uera, & non ut fabulam, magnũ fructum capit, ne eum desperatio subeat inueniẽdi, quæ indagat: neq; eo deterreatur ꝙ multis etiã annis inquirendo nihil dum profecerit. Nam quidam in quærendo clam inducitur habitus, ususq; comparatur, qui progreditur pedetentim, neq;, dum absolutus sit, unquã cœpisse apparet. Simul atq; completus est, cumulate fert omnium exhaustorum laborum ꝗ citissime fructum, adeoq;, ut rudius dicam, cũ ipsa usura. Iam cum posteris nostris non mediocre momentum accesserit promptitudo nostra atq; industria in hisce rebus, qui non dubitauerim uel ipsos affectus tactus aperire oratiõe: breuiore tempore ad artem se exerceant pulsuũ, & minore cum labore. Faciam enim, ut præter alia, uiam muniam, qua uotum assequaris potissimũ. liceat tantum ab immensa diuitiarum atq; gloriæ siti, quæ nunc dominatur, mortales abducere. Neq; sanè quicquã erit profectum hac lucubratione, si ueritatis studiosos desiderabit. Quos scilicet hactenus desiderabit, dum uoluptas superior sit & regnet, honestas aũt nulli curæ, nullo numero sit. Neq; enim uoluptuarios hæc cõmentatio, sed egregie nauos industriosq; quærit. At talis quotusquisq; est? Sed enim, ut dixit Heraclitus, unus mihi instar est mille. Profecto libentius cum uno illo egero, ac cum istis mille, qui unum uel etiam nullum ualent. Nam nõ numero ueritas, sed sapientia æstimatur. Ergo ad unũ hunc uerba nũc facimus cupidum ueritatis, quisquis ille siue nunc sit, siue posthac existet. Primum multa ad sensum pertinentia, fieri nõ posse, ut uerbis non explanentur. Deinde, tametsi non posit fieri, nihil eo tamen causæ esse, quã ob rem nostræ te diligentiæ pœniteat. Nam si minus undequaq; accurate sermone ad eorum notitiam, propius tamen quàm nihil aspiraueris. Nam quis tandem faciem cuiuscunq; hominis depingere oratione exacte posit? Haud sanè quisquam. tamen seruos fugitiuos quotidie ex notis faciei proclamãt. Adeóque fuit, cui hoc esset satis tantum exaudisse.

A Quadratis humeris, niger est crispoq; capillo.

Atq; ego cum prius dulce Falernũ, quàm Romã profectus essem, nunquam gustassem: tamen me, cum est primum oblatum mihi, non fefellit, ꝙ signis deprehenderẽ id, quæ legeram. Quidã etiam meus familiaris uinum, quod crescit in Lydia dulce (Caryinum uocatur ab incolis) facile cognouit hoc duntaxat à me admonitus, dulce uinum Creticum, & quod Scybelite appellant, colore repræsentare, & dulcedine crassitieq;, præterea mirificã quandam iucundissimamq; astringendi uim præter illa habere. Huiuscemodi nos quoq; signa recipimus pulsuũ dignoscendorũ tradituros. Ad hæc manus quanã ratione erit cuiq; pulsui admouenda. Siquidem hic firmius infigenda est, illic lenius
B applicanda; ut in uehemente & languido pulsu. Nam illum, nisi premas arteriam, non dignoscas: hunc tantum abest ut cognoscas premendo, ut semel etiam, si ita facias, uideatur immotus. Nec uero magnorũ simul & languidorũ pulsuum, quos Lethargici habent, cognoueris magnitudinẽ, nisi admodum attingas molliter. Quòd autem à turgidis & magnis, & duris, uehementibusq; altos oratio discernere posit docere, si magnum dicam tibi hunc esse, qui increuit ex æquo in tres dimensiones, in longitudinem, latitudinem, profunditatemq;: Turgidum autem, qui in duas tantum, latitudinem, & profunditatẽ: Altum qui in unam tantum altam: Et durum uiolentũ ictum efficere qualitate arteriæ tunicæ: Vehementem uitalis robo-
C re uigoris: haud dixeris prudentem uirum, atque nauum, omnino ab his initijs ingressum non posse dignoscendorum illorum confirmatam scientiam parare, modo ad principia & ueluti elementa artis huius probe exercitatus sit, De quibus nos primo loco dicemus, deinde congruo ordine ad reliqua progrediemur.

De quatuor elementis dignoscendorum pulsuum. Cap. II

Sunt hæc quatuor. Omnium primum, quod empiricos diximus contentiose potius quàm uere asserere, ictum se tantum sentire, distentionem autẽ ignorare arteriæ, Quocirca pulsum quidam de illis definiunt, memoriam affectuum tactus ex arteriarum motu. Nam non ex distentione arteriæ, sed ex motu dixerunt: nulla de re alia quàm
D quod distentionem se negant sentire. Verum ratione, inquiunt, constituas eam licet, non percepit tamen eam tactus. Contra uero debebant omnino dicere, si id tantum agebant, ut cõtenderent: tactum arteriæ distentionem sentire: sed uerè ne distendatur, hoc se non planè scire. Nam confirmare non percipi, mentientium est de sensu. Etenim si istos roges, quis tandem conuulsiuus pulsus uidetur, quid aliud respondeant, ac intentæ utroq; arteriæ quasi fidis quendam occursum illum efficere tactui, quæ ne pristinam quidem sedem planè retineat, sed sensim sursum deorsumq; iactetur? Iam etiam si de uibrato requiramus, fatebuntur hũc quoq;, si quidem illis certe tactus affectus non exciderunt, fieri cum deseruit arteria suam regionem. Nam in ijs pulsibus sursum ferri arteriam

atque deorsum sentimus plane. Quinimo pulsus inæqualitatem eam, in qua arteriæ quædam partes editiore loco appareāt, quædam humiliore, si nescire se dicant, experientiæ deprehendentur inanes, quam semper uendicant. Neque enim de illis hoc est, ratione quæ ostenduntur: cæterum tactus id percipit dilucide, in cuius quærenda causa medici, qui uocantur dogmatici, dissentiunt mutuo, dissensuri etiam in eo, an percipiatur, nisi ea sit rei euidentia. Quinetiam est cum magnitudine inæqualis pulsus fiat in una distentione, cum eius partes quædam plus, quædam minus distendantur: qui non fieret, nisi distendi arteriam reuera uideremus. At intelligo producere illis me ingeniosius fortasse sermonem, quàm aperte agere. Nam satis hoc sit dixisse, longum uel breuem, altum uel humilem, latum uel angustum, magnū uel paruum, crassum uel gracilem, & præterea horum medios fieri non posse, cum non omni ex parte distendi arteria conspiciatur, quoniam solum fieri motum arbitrantur: tantum uel altus uel humilis fieret, uel eorum medius, alius nullus. Igitur qualis conuulsiuus pulsus est, qui est infrequens, tales contendunt, qui negāt sensibilem distentionem esse, semper omnes uideri. Reuera enim in conuulsiuo, aut nequaquam sentitur distentio, aut parum & obscure, arteria in fidis modum sursum deorsumque iactata. At uero quod tradit Archigenes hominum gracilium in partibus non carnosis oculis cerni arterias distendi & contrahi: apud homines quidem uerecundos recte dicitur: apud impudentes uero, neque de rebus apertissimis laborantes, secus. Etenim uel conspici negabunt hoc, quod quidem eorundem sit illorum hoc quoque inficias ire. Aut si etiam annuant, oculis uideri dicent arteriam distendi, tactu non item: Atqui de hoc quæstionem esse. Quare nō ad uisum sermonem deriuemus: uerum propositis his, quæ tactu percipiuntur, placare homines conemur. Atque, ut uerum dicam, non tam istorum nomine, quàm ut ueram traderem rationem dignoscendi tyronibus huius meditationis, affectus sensibiles, memini pulsuum manifestam distentionem arteriæ obtinentium, & obscuram, de quibus conuulsiui sunt: præterea, ut pulsuum, qui in quantitate positi distentionis sunt, ne confundant considerationem: sed semper in memoria habitis tribus dimensionibus contendere præsentem pulsum cum superiori ualeant, in tribus ne dimensionibus illi, an in eorum aliquibus uel aliqua respondeat. Nam qui ex distentionis quantitate uigintiseptem pulsus constant, quos in tabella libro primo de pulsuum differentijs proposui, hac maxime ratione cognoscas, si dimensionum quantitatem singularū teneas memoria. Porrò autem tum hæc ipsa, quæ nunc commemorauimus, tum reliqua quæ posthac dicenda sunt, omnia precedere ille liber debet, ut initio statim huius libri admonuimus. Itaque prius huc qui se conferat, quàm illa edidicerit, errat planissime. Atque hoc sit in toto sermone constitutum. Nunc quod instituimus, exigamus, aperte distentionē arteriæ à tactu, non ictum

A modo (quod, qui cum omnibus disceptant, affirmant empirici) animaduerti. Quare adducti rationibus meis contrà ac prius dicant (ni sophistæ certe & arguti gestiant haberi) arteriæ animaduerti quidem abs tactu distentionem, tamen itáne reuera habeat, se hæsitare. Sane enim hæc consentanea magis sint cum eorū secta: Aut quam ob rem cum omnibus alijs in disputationibus quod cernunt, constituunt, de natura uero hærent: hic nō faciunt idem? Atqui si hoc faciant, non est quod dicant, distenditur fortassis arteria, sed non est conspicuum. Verum è diuerso, fortassis non distenditur illa, tamen percipitur. Siquidem consentit hoc cum illis, qui quod cernunt tantū, & nō quod cohæret cum placito suo, ponunt. Siquidem quod cōspicimus, B ubique locorum, ut dixit Timon, ualet. Qui fit igitur, quo minus nūc, quod cernitur, ualeat? Atqui, siquidem ualet ubique: nunc certe pro principio aperte dilatari arteriā sumpto, cum scilicet non conuulsiue moueatur: inde dissentiamus fortasse inter nos, an fidem illi nos habebimus, illi non habebūt. Fortassis hic quoque, si suam illis autoritatem subijciamus, ad cōcordiam in communi ineundam autores fuerimus. Quidnam igitur uolūt? nihil aliud quàm singula euidentia conspici, & scrupulum habere maximum, an qualia uidentur, etiam sint: deinde an omnino etiam sint. Sumpserint sanè & id à nobis confessum, nihil enim illis denegatum uolumus. Quin nec ecquid omnino sit sol, luna, terra, nec an mare, neque an uigilemus: sed ne an C sapiamus quidem, uel uiuamus, nec quicquam nobis prorsus, qua sit natura, cōstare. Equidem haud sciam, hac quam desiderent maiorem hæsitationem. Obtinuerunt hanc à nobis libentibus, supersedeant hoc labore orationis, ut demonstrent. habeant suam naturæ ignorationem, ac abunde fruantur licet. Tantum respondeant nobis rem non sanè prolixam, An simul de usu nos rerum ad uitam pertinentium hæsitare uelint: neque, ubi solem perspicue oriri cernamus, obire solita nos negocia, si dies sit: an in grabato conquiescere, dubitantes nox ne etiam sit, an dies. Nec, cum nauem conscenderimus, an simus in alto, hoc agere: sed nihil credentes, audere in mare prosilire, quasi id fortassis mare, fortassis nō sit. Neque, ubi in portum ex D alto inuehamur, appelliturque nauis ad terram, omnesque uideamus in terram exire, fidem dare sensibus usque ad ipsum usum: cæterum intus nos continere hæsitantes, & dubitantes, dicentesque: Potest quidem, ut uideatur nobis terra, nec sit tamen. Atque omnia illa ipsis illis autoribus ad experientiam usque fidem habent: at de natura in dubitationem adducuntur. Quin hoc nos scilicet ipsi uolumus: ut eis pro certis utamur. Quod uero excedit usum, superfluum dicimus esse. Quamobrem si quod cupimus, nobis dant: de quo amplius diffideamus, inuenio nihil. Quod ad naturam pertinet, de eo scilicet inquiunt. Desine quæso. nec de eo uerbum unquam faciemus, si uoles. Immo uel ad fœdus feriendum te adhortauerimus, & procedant posthac, si uultis, non minus nobis, quàm

alijs mortalibus, qua res, qua uerba: quādo uos etiam ipsos animaduerto elaborare, nequid de illis, quę omnibus hominibus testata in uita sunt, euertatis. Proinde sicut illi negocia obeunt, & item nos obeamus: nec curiosi simus ulla in re, quæ aperte conspicitur: sed statim credamus, & assentiamur. Vt si quis annunciet ab imbribus, qui deciderunt, fluuium auctum euertisse pontem. Hic quispiam de uobis præsto, ita uetet absolute, ab imbribus, qui deciderūt, dicere, sed qui uisi sunt decidere: neq; fluuium, sed qui uidetur, & apparet: neq; auctum, uerum qui uidebatur auctus esse: neq; diruisse pontem, sed uideri diruisse: quis hūc sanum dicat? Quid igitur, quando cum cæteris omnibus mortalibus alio modo disputetis, negocia solis nobis facessitis? cum ijsdem utamur sensibus, tam in arte medica, quàm reliqua in uita. Et utrem, uerbi gratia, & uesicam, culeū, atq; fabrorū folles, quid distendi dicitis ac contrahi, uideri prætermittitis: arteriæ uero soli innocenti estis molesti: atq; in ea de apparentibus scrupulū inijcitis: quominus absolute pronuncietis, distenta est, & distēditur, contracta est, & contrahitur: sed uidetur distendi, uere'ne distendatur, me latet? Desistite per deos tandem aliquando inanibus nugis artem onerare uel sua sponte longam. Si ociamini, & uitam non labefactare, sed esse usui instituistis, artemq; non interpellare, sed augere conamini, rebus hanc commodioribus contentionem reseruate. Multa offendetis in medicina, quæ magnæ sint quæstionis, huc conferte uim uestram, hic ingenium ostendite, & dubitationem de rebus euidentibus tandem abijcite, quando nihil ea re profectus sitis facturi. Cōpellemini enim, uelitis, nolitis, euidentia pro certis habere, aut ne hiscere quidem uobis potestas erit. Nam cū, siue quæramus, siue non quæramus, idem consequitur usus: nequicquam inquiramus. Sunt uero permultæ aliæ hominibus qua sensus, qua rationis meditationes, hic elaborate, in his tēpus ponite: Res autem euidentes citra scrupulum pro ijs, quæ esse illæ uideantur, numerate. Facite itaq;, ut mihi arteriā concedatis in longum, latum, & profundum distēdi: postea iam dispicite, an sentire contractionem, nec'ne possitis. Vos uero, ut nec hoc, nec aliud inquireretis quicquam: sint ne omnino res euidentes, in dubiū uocastis. unde uobis suppeditat magnus quidem uerborū aceruus, non potest labefactare tamen, neq; conuellere usum euidentium. Nos igitur contra faciemus ac uos. Omnibus, quæ dilucide cernuntur, utemur citra ullam hæsitantiam, & credemus talia esse, qualia uidentur: Quæ obscurius, hæc in quæstionē uocabimus, atq; partim ratione, partim sensibus, partim etiam amborum ope aggrediemur eruere. Verum horū uiam inueniendi alio loco amplius tradimus. hic tantum, quod ad institutum nostrum interest, referemus.

Contractionis inuestigatio Galeni. Cap. III

Nam cum Agathinus dicat, arteriæ non posse contractionem sentiri: Herophilus autem cōstantissime, ut de re sensibili disserat: res hercle plena

A erat difficultatis uni præ altero accedere, præsertim quorum tantum uterq; studij cum ad alias partes medicinæ cōtulisset, tum ad artem de pulsibus augendam, & uero etiam rationem multis annis sensumq; mire exercitasset. Itaq; operæpretiū esse duxi, ut primum tactum ad paruam differentiam sentiendam assuefacerem: ut si quando nobis ipsis manifeste contractio appareret, alium ne testem desideraremus: deinde ut ueterum scripta reuolueremus. Nam si plurimi hanc atq; probatissimi sentiri cōfirmarent, ne si quamdiutissime quidem cōmentantibus haud dum uideretur tamē nobis sentiri, desisteremus, & deponeremus spem inueniendi: Sin autem nullus alius, aut plane pauci, ac leues hoc assererent, nobisq; in hoc incumbenti-

B bus nō dignosci uideretur posse: abijceremus iam tum eius spem inueniendæ, atq; non sentiri posse fateremur. Ergo cum familiam inueniremus Herophili prope omnem sentiri affirmantem: nationem autem Erasistratiorum partim annuentem, partim euntē inficias: ac tertios illos ab Athenæo Attalensi, de quibus Agathinus erat, inter se eodem modo dissidentes: nihil nos sane ex ueterum scriptis quidem cōsecuti opis sumus, quòd numero & dignitate, qui affirmarent & negarent, propemodum æquarent. Itaq; apud me adhibitis præceptoribus considerabam, qui etiam se negabant ipsos in apertam cognitionem uenisse unquam contractionis. Iam hæc etiam nonnullos ratio, ut fit, mouebat, ac ijs probabatur omnibus, ut rece-

C dentem tactus arteriam sentiat, fieri non posse. Quippe aut motum ipsum in distentione, aut con iunctum cum eo ictum nos sentire. Atqui neque ictum iam nos, ubi recipiat se illa, contrahiturq;, neq; sentire motum. Scilicet ea illum, quæ cōsuetudinem habent secum adeuntq; ac contingunt, non quæ discedant, dignoscere: Alioqui ad remotorum aspirare notitiā posse, si hoc sit ei semel concessum, quæ non tangantur, sentire. His & talibus me uerbis facile in suam sententiam adduxerunt, ut qui testem à se, ut iactabant, tactum haberent: Neq; enim contractionem sentiebam arteriæ. Sic nihil factum est propius, quàm ut ab illa me remouerem, ut ea, quæ sentiri non posset: nisi mihi tandem ueluti ex assidua collisione ignis incen-

D sus & elucens clare ueritatem monstrasset: ut alios iam testes non quærerem, nec arbitros, sed mihi ipse satisfacerem. Sed rem omnem explicabo hinc adeo exorsus, unde meipsum ratio duxit. Quādo corpora tangentia partim leniter sese mutuo tangunt, palpitantia tantum: partim uero urgent, impellunt, euertuntq;, itaq; quod fortius est & durius, ueluti subit imbecillius & mollius, alterum autē cedit, euerriturq;, ac ueluti amplectitur id quod urget: discessus eorū mutuus non potest eodem modo effici. cęterum quæ in superficie tangūnt, discedunt subito. At quæ cedente molliore longius progressa illud ueluti intrant, non reuertunt item subito: sed quanto à primo occursu progressa penitius urgebant, tantum illis discedentibus sensibile superest. Tempus nanq; intercedet

A inter primum impetum discedendi, & extremum finem, secūdum quem non discedere amplius, sed subsistere iam dicentur. Quo tempore toto paulatim discedente altero, paulatim etiam alterius remisso pressu, utriusq; sentietur motus. Iam si hoc accedat, ut quod ab imo mouetur, feratur sursum: & quod tangit, superne incumbat: præter quod pressus ei quod incumbit detrahetur, etiam accidet ei, ut ueluti subsidat. quia quòd prius excipiebat & sursum impellebat, nunc defertur.

Declaratio contractionis per alia instrumenta. Cap. IIII

Horum, si rem oratio tibi parum clare repræsentat, in uesicis, utribus, follibus, & id genus instrumentis omnibus periculū facias licet. Nam in omnibus inuenies, ubi languidus est tangentium concursus, ibi paruo spatio fieri discesionem. At alterum si ualidius fit, quanto spatio impellebatur infirmius, tanto mouebitur scilicet, ubi se, quod urgeret, recipiat. At uero si ex inferiore loco etiam premens ascendat, longe tunc procliuius sanè, & citius comitabitur infirmius fortius, socio ad persequendum adiuncto momento ad inferna. Poteris autem si humida materia uel aere, utrē, uel uesicam, uel simile uas impleueris, leniter attingere, auferendis ac rursum admouendis digitis: deinde etiam trudere, & impellere prorsum, amouendis hic quoq; uicissim applicandisq; digitis. Profecto alterum discessum, cum tantum palpaueris, clarissime animaduerteris momento tēporis fieri: Alterum à pressu, nunquam citra aliquod spatium. Preterea in priore nihil moueri cōspexeris, siue admoueas digitū, siue remoueas. At uero in altero moueri, non modo si imprimas digitum, sed et si retrahas. Age iam compares arteriā digito, & uasi corpus, quod arteriam cōtingit: ac eo, quod arteriam contingit, de loco suo nihil moto, arteria mota accedat & recedat. Ac nunc occurrat arteria corpori, quod foris eam tangit, quasi cōtrectet palpetq;: quod in languidis pulsibus usu uenit. Nūc nō contrectet tantum, sed & in altum impellat: ut in uehementibus. hic in priore occursu necesse est, ubi arteria contrahitur, hoc posis dicere, recessisse illam ab eo, quod eam foris tangebat: hoc non posis, nunc recedere. Tempus enim ea cognitio postulat: discedunt autē subito, quæ leuiter sese corpora tangunt, momentoq; tēporis, quod nequeas attendere. Sed in altero arteriæ occursu, in uehemētibus pulsibus, à quo fit, ut tactus noster repellat, prius recedere sentimus, deinde recessisse iam dignoscimus: id quod non sensus etiam animaduertit, sed mens ibi ex eo, quod affectus abijt ipsius sensus, colligit, quod tum recederet, nunc recesisse. At leuiter attingentis animaduertere discessum non posis, discesisse etiam ibi conijcias.

Primum sentimus affectus corporis nostri, deinde illa, quæ eos induxerunt. Cap. V

Porrò autem non accedentis, uel recedentis, uel prementis, uel tangentis, uel repulsi primum nos sensum habere, sed affectum corporis nostri, neminem etiam esse puto, quem fugiat. Sentimus enim ab impresione uehementium pulsuum carnem nostrā unà cum ambiente illam cute impelli. huic autem est adiuncta moti & prementis cognitio. Quin etiam recedente arteria sentimus in ipso corpore nostro motum. Siquidem intrò cōpressa, siue ea cutis est, siue carnis pars, arteriam discedentem comitatur, pristinam sedem, qua deiecta erat, occupans: simulq; fit, ut in recessus cognitionem ueniamus. Nam sentimus primos omnium affectus corporum nostrorum: Deinde, quæ hos induxerunt, foris obiecta. Quare cum recedit à premendo arteria, quia secundum partes nostras attingentes eam motum sentimus primum in uehementibus pulsibus, ea dicimus ratione contractionem etiam occurrere sensui. concesso scilicet, ut quæ affectus nobis creant, sensibilia appellemus. Atq; pressus inæqualitas prementis annunciat reditum. Neq; enim uel robur uel motum eius quicquam erat, quo cognosceremus, nisi pressus inæqualitate. B Nam uehementibus pulsibus ubi digitos inijcimus, primus occursus admodum impellit parum tactum, ab hoc etiam atq; etiam ad finem usque comprimit magis. Vnde sanè motus arguitur et robur eius quod repellitur. Mira enim res est, quo nam modo languidi pulsus, ut sint maximi, non parui tantum, si premas, uideantur, uerum etiā omnino sensum fugiant. Quòd siquis leniter esse illos tangendos ignoret, fortasse abolitum homini pulsum dicat esse. qui quidem mentiatur inde, quòd non recte eos tetigerit. Contrà C plane uehementes, quo ipsorum deprehendatur robur, requirunt, ut qui tangūt, digitos ualide infigant. Repelli enim hoc tibi tum magis uidebunt, quò eos urgeas magis. Vnde etiam contractionē omnes uehementes pulsus sensibilem habent: languidorum uero nullus. Atq; inter uehementes alius alio magis: prout maior uel minor sit uehementia, aut pro magnitudine & paruitate, aut pro duritie & mollitie, aut pro celeritate & tarditate. Nam qui maximus simul, & uehementisimus, durusq; sit (quatenus coniungi cum magnitudine durities ualeat) atq; non uelox, hic apertisimā habet contractionem. Omnes alij, quatenus plus uel minus de illorum aliquo habeant adiunctum, hactenus facilius percipientur, uel egrius. Addidi D mus autē eò in cōmiscenda duritie & magnitudine, quatenus ualeat: ne adducatur quis, posse unquam fieri, ut idem simul pulsus tum maximus & uehementisimus, tum euadat durisimus. Neq; enim coniungatur, sicut cum uehementia magnitudo, ita cum duritie. In maximos enim & uehementisimos pulsus subinde incurras. At durisimos eosdemq; maximos nunq; reperias, ac ne duros quidem pariter & maximos: cæterū qui inter durū & mollē medius est pulsus, ac natura moderatus, cum maximo connexus frequenter inuenitur. Etiam durum simul ac uehementem non raro eundem cernas: adeoq; durus idemq; uehemētisimus nonnunquā existit. at uehementisimum et durisimum nunquam eundem inuenias. Neq; etiam qui maximus, & idē uehemētisimus, tardisimusq;

simusq; sit. Sed maximi & uehementissimi, plurimum etiã celeres sunt: sin minus, at non tardi. Atqui si idem posset pulsus uehementissimus fieri, & maximus, & durissimus, & tardissimus, appareret in talibus pulsibus omniũ apertissima contractio. Quæ quando non potest mistio fieri, uehementissimus adhuc, & maximus, qui neq; mollis neq; uelox sit, clarissimam adducet contractionẽ. Claram etiam uehemẽtissimus certe, & magnus, & durus. Et etiam uehementes simul, & magni, & duri, quorum minus quidem quàm superiorum, manifesta adhuc satis tamen contractio est. Preterea his minus, sed euidens tamen contractio uehementis, magni, & mollis. Manifesta adhuc uehementis simul, et moderati magnitudine et duritia. Sed hoc habet obscuriorem contractionem, non tamen quin possit dignosci, magnus, & moderatus in reliquis duabus differẽtijs. Imò uero qui tribus differentijs est moderatus, perspicuam adhuc contractionem habet. Verũ non facile uehementis, & parui contractio cognoscitur, qui omnino etiam durus est. Ac parui, duriq;, sed uigore moderato etiam est obscurior. Iam si paruus, nec durus sit, & moderato robore, ut deprehendatur is, sensum flagitat probe exercitatum. Atq; præ illo, qui paruus et mollis, uigorisq; moderati sit. At languidus pulsus, neq; cum magno cõiunctus, neq; cum paruo, apertam obtinet contractionem. Omnino is cum maximo nunq; cõmiscetur, nec uero cum durissimo: cum magno fit cum cõmisceatur, sed semel eum mollem oportet esse. Quòd si cum duro coniungatur, is necesse est sit minimus. Quare qui exercitare tactum uolet ad manifeste sentiendam contractionẽ, hoc in primis scire debet, quod præteritum ab antiquis est: non cuiusuis pulsus posse cõtractionem sentiri: nec quorum possit, perinde omnium esse clarã. Ad hæc distinctiones, quas tradidi modo, memoria sunt tenendæ: ut ne, ubi sentiri nequeat, inuenire auens, deinde deposita spe, omnem tandem, ut non sensibilem, relinquat: neq; ubi possit sentiri, non aperte tamen, hos primo aggrediens, cum horum desperet inuentionem, tum alios eum planè pigeat inuestigare. Verum in quibus apertissima cerni contractio solet, ab his initium sumat, atq; manũ, ut præscripsimus, applicet, cum memoria propositorum, quę tradidimus: planè uel uehementẽ, uel non languidũ certe oportere esse, qui sensibilem tangentibus sit repræsentaturus contractionem. Atq; hoc habere fixũ debet & certum. Ad clariorẽ autẽ notitiam, non parum magnitudinem referre: Accedere item à duritie nonnullã opem, & hercle abs tarditate etiã. Proinde nec in languido unq; pulsu sentiri contractionem, nec in uehementi non sentiri: idq; magis & minus clare, prout ipse uitalis, ut uocãt, uigor maior sit uel minor, & pro distentionis quantitate: ac pro qualitate arteriæ tunicæ, & motus.

Pulsus, qui apertam contractionem habent, quibus in sanis & ægrotis insint. Cap. VI

Quare ut studiosi absolutam exercitandi uiam habeant, non solum generale præceptum explica-

A uisse cõtenti simus, à quibus nam initium ordiendum est tactus in cõtractione indaganda exercendi: sed etiam quibus hi insint in ægrotis & ualentibus, deinceps aperiamus. Nam hoc si etiam didicerint, minori negocio uotum arbitror assequentur. Ac de sanis quidem, qui moderato sunt corpore, & natura temperata, in flore ætatis, maxime uere ex anni temporibus, regionemq; incolunt temperatam, robustiq; sunt, & omni mœrore, metu, saturitate, motu uacui, hi pulsum uehementẽ & magnum omnes habent. Qui si moderate se exercitauerint, fotiq; sint modicis balneis, uel uini non permultum hauserint, uel irati sint, uel operam strenuam aliquam nauauerint: non magnos iam & uehementes tantum, sed quàm maximos uehementissimosq; pulsus habebunt. Iidem si laborent
B syncera tertiana, uel ardente miti & simplici, aut qua alia magnopere calida & ueluti feruẽte febre, præterea diariarũ aliqua, quæ ex bubone hoc est glandularum inflammatione proficiscuntur, & ex ardoribus, modicisq; lassitudinibus, maximos etiã tum & uehementissimos pulsus habebunt. Porrò si quædam horũ, quæ retuli, eos teneant, quædam non: uehementes quidem & magnos uel tum obtinebunt, non perinde tamen. Exempli gratia. Si cuius iuuenis, qui sanus sit, non tamẽ corpore moderato, sed uel pinguis uel gracilis, loci incolæ frigidi pulsus tangas, uehemẽtes eos, & magnos inuenies, at non similes tamen prioribus. Verum enimuero in ijs omnibus, in quibus pulsus adhuc
C manet uehemens & magnus, si, ut iussi, tangas arterias, senties contractionem: clarissime autem in illis, quibus maximum esse & uehementissimum diximus. Atq; si sit uehementissimus, facere maiorem eũ sic in tactũ impressionẽ, itaq; manifestiorẽ esse eius impetum, superius explicauimus. Quin etiã, si maximus sit, hac facillime uia cognoscas: si tantũ intelligas in cõtractionibus solere arteriam descendere, quantum in distentionibus ascenderit. Quod si est, nõ potest maximis interuallis non ferri uterq; motus, sursum, dum distenditur: dum contrahitur, deorsum: ita ut ille quamlongissime sursum currat, hic recedat. Diximus autẽ nos sentire recedere arteriã, non recessisse. Itaq; ut maximũ recessus spatiũ et tempus erit, ita eius erit aper-
D tissima cognitio. Quod fuit in causa, cur dicerem esse primam tactus exercitationem, non in uehementissimis tantum, sed & in maximis simul pulsibus subeundã, qui non perinde moueantur uelociter. Diximus etiã nõnihil ad contractionẽ percipiendã facere duritiẽ: cuius tamẽ illic causam præteriuimus: quã hoc loco, nihil causæ est, quin ascribamus. Nam ad uim ictus magnopere refert durities quoq; arteriæ tunicæ. Id etiam in rebus extra corpus positis aperte perspexeris: si æquis uiribus uel lapidem cuipiam durissimũ impegeris, uel lignum, uel aliud, quod molle sit. Sanè multo citius & magis prematur necesse est ab lapide, & euertatur quod impetũ sustinet, q̃ à ligno. Iam q; uiolentiæ distentionis semper respondeat contractionis sensus, hoc cõtractiones clarius dignoscẽtur, quo

uiolentioribus succedant distẽtionibus. At nec facile magnus pulsus cõmiscetur cum duro, & affectus, in quibus congrediuntur, in opere De causis pulsuum, & in opere De præsagatione per eos explicabimus. hoc loco tantum satis sit tyronibus exempli gratia didicisse, quibus ualida facultas uitalis est (quam eandem quidam medici uitalem uigorem appellant) sed in uictu offendunt, & nonnullis in alijs, in primis in uini intempestiuo potu, his tales pulsus accidunt. Itaq; in his, ita ut in prioribus, aperta est arteriæ contractio. Iam etiam tarditatem, quantum tempus auget recessus, tanto ostensuram esse manifestiorem motum, ne id quidem collectu est difficile. Quam ob rem & hæc usum ad cognitionem aliquem præstat. Ac qui debeat pulsus esse, qui sensibilem contractionem est redditurus, abunde declarauimus.

Ratio applicandæ manus arteriæ in contractione. Cap. VII

Deinceps quo modo sit applicanda manus, nobis inquirendum est, an perpetuo super arteriam, an subter, an aliquando hoc modo, aliquãdo illo: & utrum comprimẽdo, an palpando, an applicando tantũ, an interdũ hoc modo, interdũ illo, ut natura pulsus ferat. Nam nec de his quicq; maiores nostri explicarunt. Nos autem his inquirẽdis quæ ratione & usu consecuti sumus, in medium proferemus. quò, si sufficere quidem uideantur, omnibus suis partibus & numeris doctrina à nobis sit absoluta. Sin minus, complurium quidem & utilium inuentorum certe ope, alius atq; alius, quod reliquum est, inuenerit. Itaq; si comprimendo applicemus tactum, nulla differẽtia sensibilis ex manus super arteriam uel subter applicatione inueniatur. Vel si palpando tantum ueluti suspensis digitis, ne tum quidem ullam animaduertamus differentiam. At tertius applicandi modus, qui medius est inter compresionem & palpationem leuem, ne obiri quidem potest, si inferne tangas arteriam. Siquidem liberare oportet tum manũ omnibus uoluntarijs motibus, & ueluti languidã admouere. Quod si fecerimus, ne arteriã contrectet, ũ grauitate depressa, delabet. Proinde hoc modo attingendi superne tantum licebit, inferne nunq; tangere. In eo autem frequenter contractio multum aperte patet, sæpe etiam obscura existit, non tamen quin exercitatis animaduerti posit. In uehementibus & magnis nec uelocibus manifesta est. In moderatis per omnia hæc dicta genera, obscura. Nam si uehementes & magnos nec ueloces pulsus comprimamus, fore manifestisimam omnium contractionem, nuper diximus. Quorũ causas ex ijs, quæ de illis narrauimus, facile inuenies. Nam quatenus tactum ab arteriæ distentione accidit repelli, hactenus recedente ea sensibilis contractio fiat necesse est. qui repellitur, si compresseris, maiorem in modum in pulsibus quidem cõmoratis. Sin palpaueris tantum, perinde ac nihil. At in manus applicationibus medijs inter illas, quas fieri quasi remissa manu diximus, moderate repellitur. Quo magis contractionẽ comprimendo, quam tantũ attingendo senties. Nec minus si

A inferne tangamus quàm si superne, quòd perinde utrobiq; arteriæ contractionẽ tactus sequatur. At enim manus, quæ tangat, non modo prompte sentiat oportet, uerũ etiã mollis sit. Nam sic demũ facile consequatur, ut motus uel minimos animaduertat. Nam hoc sanè quemadmodũ natura est cõparatũ, ut alio alius uideamus melius deteriusq;, & audiamus, ita etiam tangere nos, equidem fugere neminem puto. Huc iam si status quidam mollis accedat carnosæ digitorum naturæ, promptius & magis in occursu arteriæ euersa, interuallo maiore, dum contrahitur illa, fore ut ablegetur, nec hoc puto ante dictorũ memori obscurũ esse. Nec uero etiã, cum per longius fertur interuallum, clarius sensuram esse cõtractionẽ, hoc fugit quenq;. B Quare molliorẽ manũ duriore, si reliquorũ æqua sors sit, ratio dictat exactius contractionẽ sentire. Itaq; si summam orationis fecerimus, aliò transibimus. Quandoquidem inter medicos cõtrouersia est de arteriæ contractione, quorũ pars eam sentiri confirmat, pars non sentiri, ostendimus nos non perpetuo sentiri: ubi primũ pulsus, in quibus sentitur aperuimus, deinde status, in quibus illos indagabimus pulsus. Deniq; qui sentire planè contractionẽ cupiat, quomodo tangere ille debeat, qualemq; esse manum conueniat applicandam.

Initiũ distentionis & finẽ contractionis non sentiri. Cap. VIII

His constitutis, deinceps erit explicandum: totam'ne sentiamus distentionem atq; contractionem, an pars nos utriusq; fugiat. Et si fugiat, quæ C hæc sit & quanta. Atq; huius etiã instituemus orationis initium à motu distẽtionis. Ac primum nobiscum repetemus, sæpenumero in multis ægrotis, quibus pulsus parui sunt languidiq;(quales habent præ cæteris ij, qui syncopa corripiuntur, & qui de uita decedunt propè omnes) quosdam medicos motum aliquantisper sentire, alios haudquaquam. Secũdo loco, prout accurate & sedulò, uel segniter atq; negligenter tangit, eundẽ medicum interim motum sentire, interim non sentire. Proinde cum eandem arteriam, quidam medicus non pulsare, alius pulsare etiamnum dicat: atq; idem frequenter medicus eodem tempore, pro diuersis manus applicationibus uicisim contraria dicat, partem motus fugere constat tactum. Dices præ- D clarisima natura præditum, & manum rectisime applicantem, experientemq; totam sentire distentionem. At hũc quomodo inueniemus? Quis nobis humanam naturam spondebit eam integritatem sensus assecutam, ut nihil illam ne subtilisimum quidem prætereat? Ego quidẽ certe nec exteriorum corporum horum, quæ licet præter ullum impedimentum ipsa tangas, iactem cõsumatam notitiam esse: nedum corporis, quod adeps, membranæ, cutis munit crasior ipso subinde corpore arteriæ. Quòd si quis tã sit audax & arrogãs, ut dictitet in distentionibus arteriæ primũ se motus cognoscere impetũ: libẽter de isto quæsierim, qua nam ipse hunc manus applicatione deprehendat: utrum leuiter palpando, an premendo, an nulla ui admouendo. Sanè si de magnis ille sophistis

fortè sit, qui in arti nauanda opera hactenus uersati sunt, ut, omnino an homo febricitet, ignorent, uerborumq; iactatione ipsam ueritatem superẽt: ne iste scilicet nec an plures sint applicandæ manus rationes, nec an inter se illæ mutuo distent, nouerit: nostraq; stomachũ illi fecerint, nec ullo modo me sustinuerit audire. Verum enimuero uti alia, quę ante tradidimus, ita hęc ueritatis studioso, etiam si solus sit, dictemus. Nempe media applicatio, quæ citra ullam uim fit, hactenus motum sentiet in pulsibus certe non languidis, quatenus uisus: in languidis uero sentiendis etiam uisui concedet. Altera, cum premimus, in languidis supra primam motum arteriæ obscurabit: in uehemẽtibus præ cæteris percipiet. At tertia, qua ueluti suspendimus manũ, motũ sanè quambreuẽ sentiet. Sed hæc faciamus quoq;, ut demonstrationibus cõfirmemus, ab rebus euidentibus ingressi. Quid uero clarius hoc sit, quàm omnes arterias nec uisu nec tactu moueri uideri: sed eas duntaxat, quas cutis cõtegit, neq; ea crassior? At sub carne abditas, aut sub alijs corporibus, occultũ habere motum: nisi quando magnopere intabuerint, quibus sunt illæ subiectæ, corpora, itaq; sentiantur? Imò uero quarum sentiẽ motus, quò sunt arteriarũ nudiores partes ipsi subiectæ cuti, hoc uisui clariorem motũ tactuiq; repræsentant. At maximæ quidem arteriæ, quæ secundum dorsum sita est, cuius fugit pridem motus, simul atq; contabuit animal, ad abdomen motus apparet. Vnde liquet, leuiora corpora arterias facile, ubi distenduntur, unà secum sustollere: grauiora ægrius: pręgrauia uero nõ mouere prorsus. Quod dico multo animaduertes manifestius: si arterijs præditis illustri motu foris corpus aliud subtile ad cutẽ imponas: ut folium, membranam, linteum, panniculum, aut aliud tale quid: scilicet unà cum arteria distenta moueri cernes. Si iterum priori tantundem apponas, iam multo amborum obscurior motus erit. Si uero tertiũ addas, adhuc longe obscurior: Itidem si quartũ & quintum, tandem impositorum motum omnino abolitũ putabis. Iam si uehementior pulsus sit, pluriũ onus corporum feret. Sin minus uehemens, pauciorum. Quòd si nequaq; sit uehemens, potest, ut nullo onerari corpore sustineat. At uero si præterea languidum esse finxeris, non modo foris cuti corpus impositum non mouebit, sed nec ipsam interdum cutem. Id quod sic constat habere. Nam arteriæ, q̃ fuerit uigor robustissimus, tam maxime cutẽ conspicies moueri. Contrà, cum remissus multum uigor fit, planè non moueri uidebis. Cum igitur arteriæ ualidior motus etiam multorum externorum onus corporũ, nedum cutem secũ mouere ualuit: languidior autem tantum cutem, & qui sit multo hoc imbecillior, ne cutem quidem: quid habet admirationis, si alius etiam hoc infirmior existat, qui neq; membranas, quæ arterias cõtegunt, neq; adipem subuehere possit? At quis tanget hunc motũ tactus? nempe nullus. Neq; uero ad hæc illud respondeant, cõprimendam digitis cutem esse, quæ arteriã tegit, ut pulsui non satis ascendenti occur-

A ramus. cum in his quorum sentitur motus, sed languidus tamen, si cutem comprimas, semel pulsus consistat. Quid iam illa cedò arteria fiet, quę ne cutem quidem potest mouere, si digitis eam insuper degraues, an non reliquam partem motus etiam amittet? Ne multis: non mihi scire isti uidentur arteriarũ sedem, quæ ex dissectione perspicitur: qui primam distentionis partẽ sensibilem putant esse: cum cutem ex illis attingat nulla. Imò si quæ admodum uidentur conspicuę esse, eiq; propinquæ, has uelis excoriatas utrinq; inspicere, multum cernes spatij inter cutem & tunicam arteriarum interpositum. Etenim temere hoc natura unum condidisset, quæ tamen citra rationem molita nihil est: si instrumentum creasset, quod in omnem partem

B posset distendi, neq; locum ei, ubi moueretur, attribuisset ullum. Atqui aliter res se habet, & longe quidem. Siquidem monstrant dissectiones cingere arteriam regionẽ satis amplam: quam caro, ubi plus iusto auctum corpus sit, insidens, ne distendatur, interpellat uas, quantũ solet. unde fit, ut crassis paruus pulsus sit: quòd longitudo eius imminuatur, & latitudo fiat limitatior, cum à multa carne constringatur. Ascensus item ubertate corporum incumbentium depressus inhibetur. Illorum uero, qui gracili corpore sunt, alioqui robusti, insignem latitudinem & longitudinem pulsus habet, insignem etiam ascensum. Ac magis etiam in his, quibus cutis remissa est, perspicuum interuallum est inter eam & arteriæ tunicam. Nam eius,

C qui in statu illo est, si uehemens pulsus, aut non languidus certe sit, poteris membro conuertendo, atq; interim supino, interim prono figurando, differentias, quas nunc retuli, arteriæ dimensionũ manifeste premendo assequi. Nam longitudine et latitudine pronam figuram attendes præstare, altitudine & tempore supinam. Causa utriusq;, cutis est remissio: ut quæ in supinis manus figuris superne incumbat, & decidat in arteriam: in pronis deorsum uergat, & depẽdeat, plurimumq; distet. Quamobrẽ in supinis figuris, cum distẽditur arteria, in obliquũ ex altioribus circumfluens complicatur, & quasi rugas agit: atq; hic in magnum aceruum collecta, magnitudini pulsus in his maxime partibus obsistit. In pronis uero, quia minime

D deprimit, nec interpellat arteriæ motũ, nihil quoque de pulsus detrahit magnitudine. Quin ergo hic plus in profunditate item distendi pulsus uidetur: aut si non amplius, at æque ut in supina figura? Quòd scilicet sub latitudinis lõgitudinisq; incremento latet profunditas. Et alioqui, cum, cuius hæc omnia nomine cõmemorantur, longiori tempore uideatur, quantũ ad cõspectum, arteria moueri, quæ in artus locata superioribus regionibus est: simul intelligitur maior in altum etiam ascensus fieri. Quod enim in ascendendo longius tempus uidetur ponere, hoc facile uisum inducit longiore se spatio profectum esse. Atqui hoc uehitur per æquale spatium, ut uult quidem ueritas, quomodocunq; locata arteria sit: sed quia prior nimirum in supinis figuris motus sub cutem fuit dissi-

patus

patus, tempus auctum distentionis, quantum uisus iudicat, speciẽ simul auget profunditatis. Atque hæc quidẽ euidentia exempla, aliaque id genus declarant distẽtionis primas partes effugere aciem. Quantum autem hoc in motu à uisu sentitur, tantundem etiã in non uiolẽta tactione in uehementibus certe pulsibus. Nam in languidis quidẽ subinde minus. Siquidem in cõspicuo est non esse eo attingendi modo primas distentionis partes sentiendas: Ac ne si palpes quidem leniter uelut suspensa manu. Restat igitur, si modo posit, ut manibus cum pressu applicatis sentiri primæ partes distentionis posint. Atqui non in omnibus pulsibus posse, sed siquidem posint, tum in solis uehementibus, si quam memoriam habemus superiorum, planè testatum est. Ac hoc quidem hactenus B ductum est, eo quòd aliam manus applicationem nullam in confesso sit, nec alium pulsum (si à manus applicatione, quę pressu in uehemẽtibus pulsibus obitur, discessum sit) distẽtionis initium offerre sensibus posse. A qua tamen uideamus, an id quod præstari uidetur posse, planè sit uerũ, an uerisimile tantum. Equidem uel in his latere nos censeo distentionis principium, sed non perinde tamen, atque aliis in pulsibus: uerũ esse, quod fugiat, quàm minimũ. Id intelliges, si cum animo tuo cogitaueris motum, quem arteria orditur, impartiri necessario primum corporibus, quæ illã cingunt, deinde uniuersæ cuti, tum digitis nostris denique. Quamobrem non potest in illa distributione motus nihil poni temporis. Et si hoc uerũ est, necesse C est motus initium lateat. Imò etiam (quia tactus quietẽ percipit, quæ postque consederit arteria ante distentionem fit, multo illa quiete longiorem, quæ ab distentione prius, quàm confideat, fit) recte putes hoc eò cõsequi, quòd interni motus nos aliquæ prætereant partes. Neque enim hoc obscurum est, si initium deprehendi distẽtionis non potest, quin contractionis quoque incognitus finis sit. Etenim ampliorem nunquam aut maiorem motum in contractione sentiat arteria. Pręclare enim agitur scilicet, si parem liceat ac in distentione sentire. Testes huic rei illi sunt, qui planè illam negãt percipi posse sensu, quorum numerus late patet, uirorum sanè in artis cõmentatione non contemnendorum. Nos uero sentiri illam, & quando po- D tisimum, iamdudum docuimus. Simulque demonstrauimus, ampliori motui non esse tactũ sentiendo in contractionibus, quàm in distẽtionibus: nisi fiat, ut quantitas distentionis, uel cõtractionis incidat in mutationem. quod quidem in collectiuis inæqualitatibus usu uenit. Age iam hoc constitutum etiã esto, sensum aliquando ob internæ quietis magnitudinem tum finem fugere contractionis, tum distentionis initium: sicque iam altera nobis quæstio recte atque ordine esto confecta. Nam quæstioni, quam de distentione, an tota sentiatur, habuimus, proximum erat de contractione similiter quærere. Sed cum tractaui de distentione, uideor mihi etiam quod de contractione erat dicendum, assecutus esse. Nam maiorem motũ si in con-

A tractionibus non sentimus, sed uel parem ac in distentionibus, uel, quod uerum est, minorem: omne autem in distentionibus non percipimus, planum est nec totum nos in cõtractionibus sentire.

Quanta pars distẽtionis & cõtractionis nõ sentiatur. Cap. IX

Porrò de duabus quæstionibus, quæ etiã restabant, ut quanta distentionis pars non sentiatur, explicaremus, & quanta contractionis, uidemur ex antedictis summam iam consecuti. Tantam scilicet partẽ ostendit oratio non sentiri distentionis, quanta inter arterię primũ impetũ motus & ictus usque ad nostrum tactum distributionẽ intercedit. Quam si speciatim dissecemus, plurimam in languidis simul et magnis, quos tangimus leuiter, reperiemus: minimam in uehementibus, quos com B primendo dignoscimus: mediam inter utranque in manus mediis applicationibus, in hisque prout uehemens erit, uel non uehemens pulsus, imparem. Iam quando tantam sentimus contractionis partem, quantam distentionis, aut paulo minorẽ: erit etiam cõtractionis pars illa, quæ non sentitur, par distẽtionis parti, aut aliquãto maior. Habes de primis quæstionib. & ueluti elemẽtis disputationis.

De quietibus dignoscendis. Cap. X

Quæ de pulsus principibus partibus dicenda erant, penè iam percurrimus. Nã duæ quæ reliquæ sunt, per accidẽs potius, nõ propriè nec per se partes pulsus sunt, arteriæ externa & interna quies. Sed quoniam quædam denunciant, de iis dignoscendis operæpreciũ est ut uerba faciamus. Ac C externam quidem quietem, tantum manu admouenda, maxime, quanta sit, percipias: aut si premere etiam libeat, in uehemẽtibus quidem pulsibus, hactenus urgendo, ut ne motui obsis. Internã autem si premas, quoad tibi per præsentẽ uehementiam liceat, ita maxime dignosces. Externã certe totam quietem, si ordine attingas, planè animaduertes. Internam, quod etiam ante dictum est, unà cum partibus, quæ nõ possunt sentiri, utriusque motus, fine contractionis & initio distentionis. Quorum causas non magno negocio etiã quilibet inueniat, si attente auscultauit superiora. Faciam tamen, ut summatim ipse quoque explicem. Nam postea quam fieri non posit, ut cognoscamus, quam pulsus externam quietem effecturus sit, si moueri ar- D teriam, quatenus potest prohibeamus (prohibemus porrò, ubi nimium comprimamus) profecto quàm magna sit externa quies, si præter quam concedit nobis præsens uehementia, premamus, non percipiamus perspicue unquam. Dices, distentionis magnitudinẽ cõpresione imminui, motũ tamen perpetuo apparere: reiici enim ab ascẽdente arteria tactum, ibique desistere primũ impelli ab ea moueri que, ubi illa simul quieuerit. Sed hoc falsum esse, si uniuerse dicatur, ac requirere distinctionẽ facile perspiciemus, si quid priorũ meminimus, cũ diceremus, arteria dum mouetur, fieri interim, ut secum incumbentia sibi corpora nõ moueat, eorũ oppressa onere. Quare nec, cum premamus, ratio dictat, tamdiu sensum durare eius motus in omnibus pulsibus: quamdiu, cũ nõ premeret uel urgeretur

retur, progrediebatur. Proinde, cũ arteria sua spõte mouetur, quiescere iam nos subinde arbitrabimur pulsus, atq; eo quietẽ ocyus ingredi, quò sensibilem motum exceperũt. Nunc quando, quantum tactum pulsus in distẽtione arteriæ impellit, tanta, cũ contrahitur, pars sentiatur: omnino, cum finis nõ sentiatur distẽtionis, nec cõtractionis initium sentietur. Qui ergo non cõuenienter tangit, quomodo dignoscere plane externã quietẽ possit? Nã quantitas pressus ad robur metienda arteriæ est: ut eatenus comprimamus, ut ne extrema motus pars sensum ulla fugiat. Vnde constat non esse in quibusuis premendũ, sed solis in uehemẽtibus, neq; hic tamẽ adeo, ut ui applicatæ manus, arteriæ superetur robur. Quare cautissimũ erit, ubi

A dignoscere externã quietẽ uoles, citra ullam uim applicare tactum: contrà internã, ni urgeas comprimasq;, non cognoscas. Nã contractioni arteriæ cõstantissime tactus adhærere debet: premere uero nisi in uehementibus, non licet. Ita liquet in his etiam solis dignosci posse internam quietẽ. immo ne hic quidẽ exacte, sed nũc multo maiorem, q̃ re uera est, nunc paulo attamẽ adhuc eam maiorem animaduertes. Necessario enim duo ei tẽpora accedunt partium insensibilium utriusq; motus, & quod ad finẽ contractionis est, & quod in principio distentionis. quę cum aliam aliàs longitudinẽ habeãt, ut ante explicauimus: neq; parem semper accessionem tempus internæ quietis habebit, neque exacte unquam dignoscetur.

ARGVMENTA LIBRI SECVNDI

De cognitione pulsus uelocis ac tardi, & quòd ad pulsum moderatum sint conferendi. In alijs omnibus dignoscẽdis pulsibus, eos semper ad pulsum moderatum esse conferendos. Quis pulsus sit moderatus in quantitate dilatationis, & quo pacto cognoscendus.

ALITER.

Cap. I. Quemadmodũ partes distẽtionis sint dignoscendæ, & simul de celere ac tardo pulsibus dignoscendis. II. Dignotio magni & parui & moderati pulsuum. Deinde cum dixisset, eum qui moderatum pulsum

B rectè cogniturus sit, rationem sequi & causas considerare debere, & contra Empiricos de obseruationis ipsorum difficultate & immẽsa longitudine quædam attulisset, rationem quandam & uiam paucis præscribit, cuius præsidio omnem facile quem experientia ostendit fructum capiamus. III. Optima natura moderatum pulsum habet, ad quem alij collati excessuum & defectuum nominibus appellatur. Contra Herophilum & eius sectatores, quòd imperiti circa pulsus & negligentes fuerint.

GALENI DE DIGNOSCENDIS PVLSIBVS LIBER SECVNDVS

Quemadmodum partes distentionis sint dignoscendæ. Cap. I



SVPERIORE commentario De partibus pulsuum dignoscendis egimus: nunc explicabimus rationẽ, qua in partibus ipsis quæ insunt, possis perspicere, adeoq; initio ducto orationis ab distentione: q; princeps hæc pulsus partium sit, & plurimam habeat cognitionis uarietatem, plurimum etiam ad præsagiendum ex se præstet usum. Nam quando complura sunt, quæ in distentionibus insunt, præter cætera est peculiaris, proprieq; ad eas, ex ratione substantiæ pulsuum, motus pertinet: Omnis porrò motus tempus habet, quo fit: & celeritatem, uel tarditatẽ: uel æqualitatem, uel inæqualitatem: ad hæc, ubi feratur spatium. Quare de his dicamus primum. Neq; enim putauit medicorum maxima pars distinctã rationem esse temporis motus dignoscendi, & celeritatis tarditatisq;. Nam si quantum tempus est, perspectum sit: statim etiã celerne, an tardus, an moderatus motus sit, planum aiunt esse. Mihi uero aliter tempus uidetur dignosci, aliter tarditas & celeritas. Neq; enim si motus sit breuius tempus, cõtinuo pulsum dixero celeriorem esse. Sanè quod illis imposuit, qui in illa opinione sunt, ego definitionem esse celeris & tardi pulsus duco: quæ si ut illi accipiunt, ita significat: non ualet: sin ut eã nos intelligimus, hæc constat: illi parum bene assequũ

C tur. Definitio hæc est. Celer pulsus est, qui pauco tempore motũ finit: Tardus, qui multo. Nam cum paucum & multum ad aliquid referantur, hi pulsuum tempora inter se mutuo arbitrantur conferri. At res se ita nõ habet. Quia motus præditi pulsus longiore tempore est nõ raro uelocior eo, qui breuius obtinet. Sanè multas res et pręclaras, quę ex præsagatione per pulsus aperiunt, nisi hoc probe dignoscas, ignorabis. At qui quidẽ nostri fecerunt periculum, cũ in ipsis ægrotis sæpe locos affectos prius declararemus, quàm partes inspexissemus: præterea unamquãq; causam & symptomata, quæ cõsequebantur antecesserantq;: his nihil, sat scio, eorum, quæ nunc narrabo, nouum uidebitur. Nam hi habuerint fidem omnium certissimã, adducti prædictorum ueritate. Alijs primo suspecta erit oratio, & temeraria uidebitur, si tot talesq;

D medicos in pulsu celeri & tardo dignoscendo lapsos dicemus. Quòd si quis sustineat, & animũ inducat, quę dicam, audire, profecto si non omnino fidem faciam illi, ab eo deducam certe, ne semel fidem uerbis meis deroget. Neq; enim quæ apud multos cõfessa iamdiu & certa habita sunt, de his facile est quempiam abducere: idq; maxime cum adeo multã speculationẽ, accuratamq; postulent. Quin si speculatione etiam ea assequaris, tamẽ ut experientia quoq; æstimes, omnino multum desideres tactũ exercitatum. Nam pulsus, qui formicans appellatur, cum sensum, quò dignoscatur, exactum quærat (quippe qui in extremam recidat remissio-

remissionem, paruitatemq;) semel lateat in tangē do rudes, adeo ut homines frequēter confirmēt, in quibus eos pulsus animaduertunt, pulsum non habere. Itaq; si hos qui celerē eum defendunt esse, refutē: & unde factum sit, declarē, ut errarint, quē nam feram iudicem? Nā eos qui ne hoc quidē dignoscere ualent, adsitne omnino hic pulsus ægro to, qua ratione, qualis sit, docebo. Quamobrē nō faciam, ut de istiusmodi speculatione narrem. Satis est enim, si operibus comprobē esse eum. Sed uero, quod initio testati sumus, quia hosce libros uulgo nō paramus: sed unū, qui instar sit mille, expectant: commentationē eius nomine scriptis mā dabimus: quæ prius ut absurda & insolentia sexcentis conuitijs cōscindentur, ꝙ incidēt in dignū. Talem uero ego in præsentia, qualis Archigenes erat, desiderem auditorem: ut ita hominem appel lem. Quid tu hæc tandem uir egregie in libro tuo De pulsibus scribis, cum de pulsu formicante his uerbis disseris? Constare mihi ex paruitate, remissione, crebritate uidetur, & uero necessario ex celeritate. Non enim extremum illud omnium satis, quid uelit, capio. Nā priora assequor, proboq; uerissima esse, & personam tuam decere. hoc uero, cum formicante cōiunctam necessario celeritatē esse, quomodo interpreteris, dubito. Nā plus ualet, ac si absolute dictū sit, non addito Necessario: tamen sit mendaciū nihilominus. sed si nihil esset adiectum, error manasse ex tactus offensione uideatur. Nunc quando additum Necessario est, rationalem præ se fert aliquam opinionem. Quæ autem hęc sit, discendū nobis erat. Equidem nullam uideo necessitatē, qua adductus imbecillum, crebrum, & paruū motū, statim putem celerem esse. Neq; uero ipsa, de qua nomen pulsus inuenit, formica celeriter mouetur: sed breues eius esse, & lāguidos motus, crebrosq; conspicimus: celeres autem nequaquā. Quam aūt harum celeritas necessario comitatur? remissionémne: imò uero mirabor, si quisquam cum cetera omnino pari momēto sint, ob uirium imbecillitatē mouebitur ueloci ter. cum plane cōtra alijs simili in sorte positis robur facultatis coniunctum, motum celerem reddat: quod in causis pulsuum ostēdimus. Quin nec crebritas causa celeritatis est. Nam quis Athenis iter Piræum crebro faciens, cōtinuo etiam currat necessario? Etenim crebræ actionis aliæ sunt causæ, aliæ celeris. Sed paruitatē fortasse dicet esse in causa, cur necessario formicās pulsus celer sit. Nā quid aliud inuenias? Habet sane hoc certam quādam rationē: sed uerúmne etiā sit, hic quærimus. Nam fieri nō potest, quin arteria, quæ breuissimo uehatur interuallo, minus consumat temporis, ꝙ cum ferretur maximo. nihilo magis tamē, qui pau co tempore motus circūscribitur, simul celeris ne cessario erit. Quid tu, quæres, nū ergo qui multo tempore fiat, esse dicis celerē? Ego uero hunc nō dico. Omnino enim non temporis modo dico rationem habendam quātitatis, sed & spatij. Cū iam motū, qui pauco obitur tempore, de me quæras, qualem dicā esse: quo responsum tibi dem, conti-

A nuo quantitatem fac spatij addas. Si supprimes, ad dam ego, atq; distincte dicam cauteq;: motus, qui breui tempore obeuntur, non esse prorsus his cita tiores, qui maiore efficiuntur. Ac si proportioni temporū, spatiorum respōdeat proportio, neuter alterū anteuertit. Quòd si uero aut tēporis ad tempus, aut interualli ad interuallum maior proportio sit, tum unū celeriorē fore, alterum tardiorem motum dico. Habes rem uniuersam: quam tu si es assecutus, recte forsitan hic finē faciam orationis. Si non intellexisti, accipe prolixius, quod paucis perstrinxi. Qui pari tempore par spatiū cōficiunt, motus hos ἰσοχρόνους & ἰσοδρόμους appellamus, hoc est, æque diuturnos & celeres. Qui uero pari tēpore maiora interualla emetiuntur, hos celeriores.

B Haud aliter qui par spatium, sed minore tēpore. Atq; exēpli gratia: stadia duo quinquaginta una hora percurrant, æque ueloces hos dixeris. Sin alter una hora hæc confecerit, alter triginta: liquet celerius se priorē mouisse, qui maius pari tempore spatiū percurrerit. At uero si quinquaginta stadia hic una hora, alter tribus perficiat, planè prior celerior est: siquidem par spatium confecit citius. Nihil hic difficultatis inest, sed posthac erit fortasse, nisi animū intendas. Nam nihilo secius attendentibus quidē illa, atq; hæc aperta erunt. Ergo faciamus in duobus motibus, alterū una hora quinquaginta: alterū horis tribus centum quinquaginta conficere stadia. quid hos, nónne æque celeres esse dicemus? Vero. Nā si ille, qui confecerat una

C hora stadia quinquaginta, tres sit horas motus, omnino etiā supra quinquaginta confecisset centū. Si itē qui tribus horis hæc percurreret, unā tantum horam fuisset motus, hic scilicet quoq; quinquaginta sola progressus esset. Sic æque erunt celeres, qui paria spatia paribus temporibus obeūt. Quare aduertendæ spatiorum sunt longitudines, & temporum, ut si, quomodo spatium spatio, ita tempori respondeat tēpus, æque celeres esse dicamus motus. Si uero spatiū excedat spatiū lōgius, ꝙ tēpus tēpus: aut tēpus superet tēpus, cū spatia sint ęqua, minime existimamus ęque esse celeres. Nam sit spatium spatij quadruplum, tempus uero temporis duplum: certum est spatij proportionem ad spatium maiorem esse, quàm temporis ad

D tempus. Itaq; alter motus uelocior erit. Iam illius esto spatium cubitorum quadringētorum, huius centum, ac tempus prioris duarum, alterius unius horæ: si iam duabus horis alter motus cubita quadringenta cōfecerit, alter centum una: constat, si priorem cētum tantum cubita moueri fingamus, hora dimidia confecturum. itaque altero erit cele rior: quòd par spatium breuiori tempore emēsus sit. Si uero secūdum quadringenta faciamus progredi, quatuor hic horas requiret. quo nomine erit priore tardior. quippe qui par spatiū percurret longiore tempore. In conspicuo igitur est, ubi spa tij cum spatio collati maior sit proportio, ꝙ temporis comparati cum tempore, eum motum necessario celeriorem esse. Contra, si prioris motus spatium minorem habeat proportionem ad spatium

tium alterius, quàm tempus ad tempus: priorem necesse sit tardiorem esse. Atque huius etiam exemplum proponam. Fac mihi prioris motus spatium spatij secundi motus duplũ esse, tempus autem temporis quadruplum. Si iam prior quatuor cubita progrediatur quatuor horis, alter una hora duo: planũ est; si duo tantũ cubita priorem fingamus progredi, duabus ea horis cõfecturũ: quo tardior altero erit, qui eadem duo cubita percurreret una hora. Et alterum, si quatuor cubita emetiatur, duabus id horis facturum. Vnde illo qui quatuor cubita, quatuor progressus horis est, uelocior erit. Siquidẽ par spatium ocyus cõfecerit. Quo quidem cõstituto, duos iam fingamus ascensũ impares pulsus. Nam hanc in primis dimensionẽ in hac disputatione quærimus, ac faciamus; si lubet, exempli gratia, esse profunditatem profunditatis decuplam, & tempus temporis duplum: nonne aperte perspicies, modo superiorum memineris, pulsum, cuius decupla est altitudo, multo fore altero celeriorem? Nam humilis si in eodem constans motu, decuplo in profunditatis dimensione increuerit, fiet ille quidem æque ac alter altus, sed tempore longe maiore, quàm ille. Inuentus igitur quidam est humilis pulsus breui tempore durans, qui alto diuturno sit tardior. Id quod est, de quo initio agebatur: aliam rationem dignoscendi temporis esse motus, aliam temporis celeritatis. At enim hęc uerbotenus fortasis finguntur, à uero autẽ absunt. Immo si iuuenis ualentis compares pulsum cum pueri formicante, decuplum ascensum offendes. Quòd si hunc ipsum excalfacias iuuenẽ uel balneis, uel frictionibus, exercitationibusúe, ac tum bilem moueas illi, & stomachũ facias, non decuplam, sed quindecuplã eius profunditatem inueneris humilis dimẽsionis pulsus in puero formicantis. Verum in puero formicans, ne sit semel tardus, subsidium ab ætate habet: at in sene formicantem, si pulsum nosti tangere, celerem non magis dicas, quàm uermiculantem. Nam hoc haud scio, an tardior clare ullus pulsus uideatur. Formicans enim, qua est breuitate, apertam cognitionẽ fugit. Vermiculans non obscure quidem est tardus: sed si quis alius, abunde perspicuus. Quid igitur inter celeres hunc quoq; pleriq; referunt, nisi consensionẽ cũ formicante studentes seruare, eos non sentiri statuunt. Nam quando in se facile hi pulsus mutuo conuertuntur, & uermiculantis facile extremus delapsus formicãtem gignit, similiter primũ formicantis incrementũ uermiculantẽ: plane illi nouum putauerunt, si eorũ alterum dicerent celerem, tardum alterum. Ac quia semel non probe celerem appellarũt formicantẽ, idcirco rẽ ex consequenti tam falsam, tam etiam plane dissonam sustinuerunt admittere, uermiculantem etiã celerem esse. Et quidem uermis eum gressui comparant, & formicantẽ item formicæ, animantiũ uidequàm uelociũ. Et simul ita cõparant, simul esse celeres contendunt, nec animaduertũt, quàm secum pugnẽt. Postquam uero in tantos se errores semel demiserunt, non dubitant etiam in stoma-

A chicis affectibus confirmare omnes esse pulsus celeres, cum ne hi quidẽ sint celeres omnes: & uero alios etiã sexcentos: de quibus alio loco dicã commodius. Qui errores sese mutuo cõsecuti sunt, ob notionẽ non distributã nec distinctam celeritatis, prorsusq; confusam. Nam cũ illi de celeri pulsu ex sola temporis existimarent breuitate, neq; etiã de eius magnitudine statuerent: quę falso illis in mẽtem uenerant, hæc in errorẽ ipsos in dignoscendo impulerũt. Sed nos clare, ni fallor, aliũ ostẽdimus breui tempore durantẽ esse, ut sic appellem, pulsum: aliũ celerem. Similiter contrarios his, alium diuturnum, alium tardum esse. Hic tu putas fortasse absolutam omnibus partibus esse disputationem, teq; manifesto cognoscere, celerem pulsum

B differre à tardo. Ego uero nihil magis in uotis habeam, quàm ut de cõmentatione tanta disputatio detrahatur. At reuera non ita habet, sed est habita oratio ad celerem pulsum & tardum dignoscendum ueluti quoddã præludium. Nam per totam hanc quidem habitam orationem duobus inter se motibus cõferendis unum tardiorẽ esse, alterum celeriorem ostendimus: nusquã uerba fecimus tamen de tardo & celeri. Sane quamplurimũ interest tardiorem dicas motũ, an tardum: necnon celeriorem, an celerem. Exempli gratia. Si quis aliquem dicat motũ tardiorem esse, quærimus quonam dicat esse tardiorem eum. Semper enim qui tardior est, alio dicitur tardior. Sin tardũ dicat aliquem motũ esse, haudquaquã interrogamus, quo

C nam: nam ridiculi habeamur. Sic si pulsum tardiorem esse dicamus aut celeriorẽ: erit omnino, qui de nobis, quonam tardiorẽ dicimus uel celeriorẽ, requiret. Sed tardum cũ dicimus uel celerem, nullus iam rogat, quonam. Itaq; celer & tardus absoluto sermone proferũtur. At celerior tardiorq; referuntur ad alterum. Sed hoc fortasse quis propte pro uero probabit. Mea uero longe alia ratio est. Adeo multę est res cogitationis deliberationisq;, cũ alijs de causis, tum ꝙ ad plures res pertinet ea speculatio. Neq; enim de celeri & tardo, uel celeriore & tardiore, distincto & definito est opus: de magno aũt paruoq;, et maiore atq; minore, alijsq;, quorum idem usus est, negligere par est. Imò attẽdẽdum est, perinde ne sit, si maiorem dicas ac ma-

D gnum pulsum, & item minorem ac paruum: an diuersæ res sub his nominibus lateant. Maiorẽ quidem semper accipimus minore maiorem, atq; minorẽ maiore minorem. Magnum uero nullo magnum, sed absolute: itemq; paruũ, nullo paruum, cæterũ absolute. Eodem modo de breuiore & breui, longiore & longo, latiore atq; lato, angustiore angustoq;, & hercle etiã de molliore & molli, duriore & duro, deniq; de omnibus alijs, quę in eum usurpantur modum, distinctione est opus. Quippe hæc consideratio penè pertinet cum ad totam medicinã, tum uero ad alias artes omnes. Etenim calidius dicimus & calidum, frigidius & frigidũ, siccius & siccum, humidius & humidum, deniq; plus & multum, similiterq; minus & parum. Vna igitur in re sermonem pro exemplo explorabi-

mus,ubi si indagando nobis quid profectum sit, ad alia tum omnia uiam & rationẽ hanc faciemus ut traducamus: sin hæreamus, ipsam etiam hanc hæsitationem trãsferemus ad omnia. Alterutrum quidẽ certe, aut uiam rationemq; inuenerimus ad multa accommodissimam, aut inanem sciẽtię eorum persuasionẽ, quæ ignoramus, deposuerimus. Age iam sumamus in manus magnum & paruũ, ut expendamus, quatenus à maiore & minore distent. Et primum de rebus omnibus mundi, in quibus quidem uersati sumus & educati, quid intelligamus magnum & quid paruum, nobis ipsis subijciamus. Simili modo quid maius & minus. Nónne maius, ut quisquã absolute dicat, non ferimus, nisi addat quo dicat maius: magnum autem absoluto sermone et ipsi proferimus, & alios citra additionem audimus? Proinde per se dicuntur & absoluto sermone magnum & paruum. Quod si est, nimirum uel substantiam scilicet denotabunt, uel qualitatem, uel aliquod aliud prædicamentũ. Atqui substantiam non significant, ut Socrates, Plato, equus, homo. Nec uero etiam qualitatem ullã. neq; figuram igitur, neq; colorem, neq; positionẽ, neq; confirmationem, & paucis nihil istius generis. Quin nec ubi indicare, uel quãdo possint, nec item situm, nec habitum, nec actionem, nec passionem. Sed in illis hæc solis sunt quærenda, quæ in prædicamento quantitatis, aut ad aliquid sunt. Atq; si, quæ nuper nostra sententia erat, non uidentur ad prædicamentum relationis pertinere, in quantitatis erunt quærẽda. Porrò plenum est difficultatis statuere, quantum intelligere utrunque oporteat: anne instar stadij magnum, & cubitale paruum. Atqui montem, etiam si magnitudine sit stadij, paruum dicimus, & formicam magnã, longe quidem cubito minorem. Dices fortasse, quod familiari cuidam meo satisfecit: quantitatem quidem ab ijs significari, non certam tamen illam, ut pedale: cæterum, ut ille dicebat, latam & indefinitam. Itaque finibus latitudinem eorum amplecti possumus, ut alia id genus, nimirum chori, ciuitatis, montis, exercitus, stagni. Quippe quę cũ quantitate incerta omnia dicantur. Possumus dicere, non tres nos aut quatuor saltatores chorum intelligere, non tamen iam mille. Nec etiã ciuitatem, si qua tribus constet domibus, nec quæ mille stadijs exporrecta est. Neq; montem, qui cubitalis sit, sed qui maior, neq; tamen qui lunam attingat. Neq; stagnum, collectionem aquæ trium amphorarum: non tantum tamen, ut uniuersam terram inundet. Nam uniuscuiusq; horum, quanquã adamussim nequeas quantitatem cõstituere, multa tamen inuenias corpora, quæ ab eorum notione utrinq; deflexerunt, hęc quòd nondum, illa quòd non amplius sint talia.

Termini magni & parui. Cap. II

Qui ergo termini magno & paruo statuantur, ut commemoratis omnibus, non est quid dicamus. Imò uero adeo intelligentia patet late magni, ut ipso etiam uniuerso mundo, uerbi gratia, si quid excogitari maius possit, hoc magni sit obtenturum nomen. Nihilo minus formica, culex, milium, & si quod hoc minus sit animal uel granum, accipiat magni nomen. Neque enim formica tantum, sed & milium & culex, magnus dicitur. Tantum ergo constat, unamquanq; rem cum eiusdem generis rebus collatam, uel paruam, uel magnã dici: absolute nihil. Atq; hoc quidem inter maius interest & magnũ, quòd maius omni minore possit maius dici: magnũ uero non quolibet maius, sed tantum cognatis. Eadẽ de minore & paruo distinctio est, necnon de celeri & celeriore, nec secus de tardo & tardiore: siquidem equus quispiã tardus dicatur, & formica uelox. Simili ratione alia cuncta uidebis appellata esse, cum in pulsuum omnibus generibus, tum per totam medicinam, & hercle per totam mortalium uitam, durũ durius, molle mollius, crebrum crebrius, breuiter alia id genus omnia, partim cum altero quolibet cõparata, partim cum ijs tantũ, cum quibus cõueniunt genere. Quid iam igitur? summam ne assecuti sumus, an uero hic etiã sermo postulat distinctionẽ? Neque enim si cum omnibus quæ sunt eiusdem generis magnum comparemus, statim sic nominamus. Neque enim simul Achilles & Aiax dicentur magni, nec Polydamas & Milo: siquidem Aiace Achilles, Milone erat maior Polydamas. Sed planè cum medio & mediocri atque moderato, quod uocant, unoquoq; in genere, ueluti cũ regula cætera arbitroq; cõferemus: tum quæ illud excedunt, magna esse dicemus omnia: quæ contrà, parua. Id quod usu uenit in omni uita, in artibus quidem utiq; maxime. Nam ad moderati omnes examen referuntur. atq; hoc suppeditare essentijs, in quibus uersantur, student. Ac multũ cibi dicit medicus sumpsisse quempiã, ubi corporis naturã nutriendi excedat. Rursus parum, ubi infra mediocritatem eius sit. Nam ea ratione Athletæ duas minas carnis parum dicimus esse. Et frequenter ægroto interdicimus cremoris ptisanæ peluim exorbere, ut supra mediocritatem. Ita magnum etiã pulsum & paruum dicimus, qui à mediocritate deflectit: atq; huius utriusq; magnum numerum esse: moderatũ unum, qui indagandus nobis & ob memoriã ponendus, omnibusq; alijs applicandus est, ueluti mensura quędam æqua ab ipsa constituta natura. Quem quomodo inuenire possimus, reliquum est ut consideremus. Nam eò tota oratio properat, cuius quidem nomine retulimus, quicquid ante dictum est. Inuenerimus autem illum, modo possimus, uia & ratione. Quippe hoc ad illud interest, ut unam uiam ad omnia moderata, unamq; rationem habeamus: nec denuo necesse habeamus quærere, quo pacto inueniẽdus sit in motu moderatus, quo pacto in quiete, uel in contentione, uel in arteriæ corpore. Ac primum hoc uideamus, utrum singuli in singulis generibus quærendi pulsus moderati sint, an plures, alius pro ętate moderatus, alius pro habitibus corporis, alius pro temperamentis, alius pro anni temporibus, alius pro locis, statibus, uitæ institutis, uel animi affectibus. Pro his enim omnibus alios

magnos, alios paruos, alios moderatos dicimus A
pulſus eſſe. Iam hos celeres, illos tardos, quoſdam
moderatos: pariq; modo in cæteris differẽtijs. For
ſitan autẽ hoc probabilius dices eſſe, magisq; con
ſonũ uſui, ſi cuilibet generi unũ aſsignemus mode
ratũ. Ergo accuratius hoc diſceptemus, atq; unũ
ſumamus genus pulſuũ pro exemplo, ſcilicet ma-
gnorũ & paruorũ: de quibus egimus ſuperius: ac
medium eorum & moderatum demus operam ut
inueniamus, ſigillatim pro ętatibus, ſigillatim pro
anni temporibus, regionibus, naturis, tempera-
mentis, alijsq; id genus omnibus. Nam hoc nihil
deſideremus ad uſum amplius, ſi inuentũ ſit; ſiue
proprium inſtituamus cuiusq; memoratorũ pul-
ſum ſcire, ſiue etiã eius à natura flexus dignoſcere.
Quod præſens nobis doctrina uidetur ſuppedita B
re. Quare etiã atq; etiam uideamus: poſsitne hoc
inueniri. Mihi quidem ſanè difficillimũ uidetur,
atq; adeo nõ poſſe fortaſſe inueniri. Ac difficultas
quidẽ in eo eſt, quòd nihil ex his, quæ commemo
rauimus, ſeparatum licet & ſolum ſumere. Nam
quando ſeparatam & ſolam cernas pulſuum pro
temporibus anni differentiam citra corpus, quod
iã ſuum temperamentum habeat, & habitum, &
ætatem, & alia, quæ diximus? Itaq; fit, ut non poſ
ſis dicere, hic ueri pulſus peculiaris eſt, ille æſtati.
Nam te quis roget, quo tu nam in corpore dicas,
in calidiore temperatura, an frigidiore: gracili, an
corpulento: iuuenis, an ſenis: in frigida regione,
an calida: & uiri, an mulieris: nec ſecus in reliquis
differentijs. Quocirca in omni natura uidetur pro C
poſitorũ corporum proprius eſſe animaduerten-
dus pulſus, & non proprius, quò ſciamus Dionis,
uerbi gratia, pulſus talis natura eſt: Theonis talis.
At hoc abſurdum ſit, non tantum quia neceſſe eſ-
ſet, qui peculiares ſingulis hominibus pulſus ſint,
ſeparatim meminiſſe, & nihil nos poſſe de quoq;,
niſi uſus nobis cum eo interceſsiſſet, cognoſcere:
uerumetiam quòd ne in ipſo Dione quidẽ, uerbi
gratia, unum hũc proprium pulſum in unoquoq;
genere ſeparatim poſſemus & præter rerum ex-
ternas circunſtantias ſumere. Nam quãdo ſumes
tandem? Dionisne hyeme, an Dionis ęſtate: & u-
trum Dionis Romę, an in Africa: iã gracilioris, an
corpulentioris? Pręterea eius, qui ocioſius egerit,
an laborioſius: durius, an lautius uixerit? tum ui- D
num, an aquam potauerit, an ſitiuerit? Neq; enim
ab his alijsq; circunſtantijs ſexcẽtis eſt ſeparatum
ſumere & ſolum corpus Dionis. Itaq; nondum ex
plicata prima dubitatio eſt. Siquidem pulſum to-
ti naturæ propoſiti corporis proprium, quem qui
dem moderatum, hoc eſt mediocrem appellaui-
mus, non ualemus inuenire. Præſtiterit igitur non
ambire hac ratione pulſuum notitiam: ſed ut præ-
ſcripſi tyronibus, in ſingulis, quas narraui, cauſis
ediſcere uariationem. Nam aliquã poſsis eius uiã
atq; rationem inuenire: quam hoc loco prius ad-
notabimus. deinde inſpiciemus, utrũ omnia præ-
ſtare queat, an aliqua ex parte etiã claudicet. Por-
rò uia ratioq; hæc eſt, ut exempli gratia unam ſu-
mamus de cauſis, quæ alterandis ſunt pulſibus, ut
exercitationem. Nã ſi conſiderandum uenit, quę-
admodum pulſus exercitatio immutet, delige ho
minem, cuius attendas prius omnes pulſus, inde
exercites, tumq; de integro attendas, quę illorum
teneas, quo deficiaris, & quantum: itaq; inueneris
quatenus poſsit pulſus exercitatio conuertere.
Haud aliter in balneis, potu, cibis, alijsq; omni-
bus, facto de ſingulis hominibus periculo, facile
alterationes inueniemus. Hæc facillima experien
tia eſt. uerum quæ ab ea experientia ineundæ ra-
tiones ſunt, non perinde faciles. Nam quod eſt in
omni experientia, id hic item, ne dum nihil diſtin
guimus, & confuſe rem tractamus, offendamus,
periculũ eſt. Quod fit bifariã, ut res nõ diſtributa,
uel diſtincta ſit: partim quòd cõmune non diſpar
tiamus in ſuas omnes partes: partim quòd alteran
tibus cauſis non attendamus, quæ præcipue, uel
primo, uel quocunq; uelis nomine uocare: & quę
per accidens ſucceſſerunt. Atq; commune non ſe
care in omnes ſuas differentias tale eſt. Nempe re-
quirit oratio ad claritatem exemplum. Si quis ex-
ercitatorum tales dicat eſſe pulſus, neq; diſtinxe-
rit, nec cui dicat nam exercitato, nec quemadmo-
dum exercitato, neq; quando, neq; quantum: hic,
eo quòd non diuiſit commune in differentias, lap
ſus eſt. Cuinam exercitato inquam, qua ętate, quo
robore aut infirmitate, quibus humoribus prædi-
to, quo corpore, qua temperatura, qua compagi-
ne corporis partium, ꝗ ad exercitationẽ conſue-
to. Scilicet in tot mẽbra diuiditur cuinã. Iam quo-
modo exercitatus eſt, in alias etiã differentias ſcin
ditur, an ualide, necne: celeriter, nécne: æqualiter,
nécne. In quibus omnibus non eodẽ modo muta
bitur. Iam etiam diuerſam eſſe pro tempore altera
tionem oportet. Neq; enim à cibo ſubire exercita
tionem perinde eſt ac ieiunum, nec perinde eſt tri
ſtem atq; hilarem, alacrem ac ſegnem, rigidum ac
excalfactum: item eum qui plus iuſto, ac qui intra
modum, uel mediocriter dormiuit. Similes immu
tationis differentiæ manabunt ex quantitate exer
citationum. Siquidem moderatæ aliter, atq; plu-
res, uel pauciores commutant pulſus. At per ac-
cidens an per ſe mutatio fiat, ita eſt diſtinguendũ:
ecquid fuiſſet excrementis plenus, & cum cœpit
exercitari, fluente in uentrẽ uitioſorũ humorum
copia uellicari cõtigit os uentriculi humorum ui-
tio, aut copia opprimi, aut euerti, ac nauſeare, eoq;
uel fatiſcere hominẽ, uel langueſcere, uel refrige-
rari, uel ſuffocari. Horũ enim alterat quodq; pul-
ſus: quos aliquis forſitã ab exercitatione exiſtima
bit profectos. Nam ſi, qui plethoricus ſit, ac thora
ce & pulmone affecto, ſimul ut cœpit uelociter
exercitari, in dyſpnœã inciderit, pro dyſpnœa ua-
riabunt pulſus: & tu putabis fortaſsis pro exerci-
tationib. Ergo ut in experiundo non fallaris, quo-
modo ſit diſtinguẽdum, etſi alio loco ſim longius
perſecutus, ſummatim hic tamen perſtringã. Om
nes cõmemoratas differentias ad tres has reduce-
mus generales. corpus propoſitũ deſignabimus
ad experientiam, cum ſanum ſit, ac nulli obnoxi-
um externę alterationi: tum exercitationẽ, qua ad

id utemur, moderatam quantitate seruabimus: atque in mutatione hoc attēdemus, ecquid casu inciderit, non ex ipsa natura exercitationis. Si enim tria hæc respicias, nullo negocio inueneris, quēad modum & quatenus aduentitia causa immutet. Itaq; si omni in genere causæ, alterationem experiundo addidiceris, utendi tibi ad dignoscēdos in morbis pulsus facultas erit, facile quantum ab externis causis alterati pulsus sunt, exploranti, quantum itē à morbo. Itaq; nihil erit, quòd labores, ut, qualis sit, qui natura moderatus est, præscias: sed si, qui sit singulis, de quibus agitur, peculiaris, teneas, quatenus mutatus hic est cū ab alijs causis, tū uero ab ipso morbo, noscas licet. Atqui nisi ad hęc usus nobis moderati pulsus erit, nequicquam eum quæremus. Qua igitur ratione aliquem magnum dicemus, uel celerē incognito moderato? Nā manere etiamnum uidetur prima dubitatio. Quid autē magnum nobis opus est, aut celerem dicto? cum alterationum nobis tātummodo satis sit meminisse, ut dicamus in hunc modum. Exercitationes moderatæ pulsus in magnitudinem, celeritatem, uehementiam, & crebritatem conuertunt. Quod dicemus alios quoq;, cum id significare uolunt, in exercitationibus dicere, magnos, celeres, uehementes, crebrosq; fieri pulsus. Nos uero primum, nō absolute in exercitationibus dicemus, sed in moderatis addemus. Nam naturam quæ corporis exercitati excedunt, pulsus in aliud uertunt genus mutationis. Deinde non ita dicemus absoluto sermone magnos & celeres, sed maiores, celeriores, uehemētiores, crebriores, aliaq; dicemus ita esse omnia usurpanda. ut pro ętatibus maximos iuuenum esse, senum minimos: eorum quorū præcipitat ætas & uergit, maiores quidem quàm senum, tamen minores quàm iuuenū. Pro regionibus eodem modo, & pro reliquis omnibus idem præscribemus, inter se omni in genere pulsus conferentes, non absolute de ijs decernentes. Ac empirico forsitā satisfaciat hæc institutio, de qua accuratius nos paulopost uiderimus. At qui primas studeat & continentes, quas uocant, causas inuestigare cuiusque pulsus, & ratione artē uiaq; tractet, huic cuiusq; generis moderatum operæprecium est nosse. Quæratur enim, cur paruus pueris sit pulsus, deinde causę nos probabiles deficiant. Nempe enim deficiemur illis, ni sedulo prius causas, quæ magnos pulsus & paruos gignunt, expenderimus. Neq; enim in pueris causas reperiamus, quę paruos generent. Atqui si uel una in re quamlibet leui causæ ratio claudicet, simul in reliquis, ubi uideatur abundare, merito titubabit. Vbiq; enim sibi, siquidē uera est, cōstare illa debet. Quo magis necessariū est nosse moderatum. Nam potest etiā pueri pulsus moderatū superare. Herophilus certe permagnū interdūhunc pulsum uocat. Quid tandē igitur, queres, paruum Archigenes illum nominat? Fortasse causam tibi dissensionis aperiā: si noueris prius, institutū probatum esse, debere ad commentandas pulsuū causas uirum, qui rationem sequatur, & cum causæ

A consideratione omnia instituat scire, pulsum moderatum tenere. Sed hoc leuius est fortasse. Dices enim nolle rationalem te esse. Quod uero paulo ante reiecimus, ut rem magnæ considerationis, nunc discutiamus: Nisi uere moderatū prius pulsum inuenerit, neminē posse empiricum diligenter obseruationem et accurate instituere. Nam posteaquam propositum est illi, non modo an mutet in celeritatem pulsus, uel magnitudinem, uel quid aliud præsens circunstantia, ut cognoscat uerum etiam quatenus alteret: Nam præsagiendi ex pulsibus, in hoc potissimum omnis usus uertitur: quatenus autem alteret, nisi naturam perspexerit, nulla ratione cognoscat: necesse erit cuiusque ægroti naturā pręsciat, modo nosse magnitudinem

B uelit pręsentis alterationis. At enim non omnium ægrotorum usus est consuetudine per sanitatem: quò experientia eam addisceret, & inde memor illius cum ægrotantibus compararet naturā. Qua igitur ratione poterit etiam experientia, quò intēdit, aspirare? An hic etiam ex communibus quibusdam præceptis erit obseruatio? At quanam ratione? quo pacto? neque enim perinde hic, atque in causis externis, alia fixa serues: unum, quod obseruas, immutes. Quippe colores, figuræ, odores, longitudines, latitudines, profunditates corporū, gracilitates, corpulentię, differentia generum, ętatum, regionum, temporum anni, præsentis etiam status, necessario omnib. adsunt hominibus. Quare quandoquidem, quin habeat hæc, reperias neminem, difficulter sub pauca illa, quæ paulo ante

C recensui, reducas horum obseruationem. In externarum causarum mutationibus, alia nobis opus est uia & ratione. Iam quàm ardua sit hæc obseruatio, cognosces, si non ratione tantum, sed & uelis experiūdo inuestigare duos uiros semper una aliqua in re differentes, in alijs omnibus conuenientes. sanè enim ægre inuenias: Vt omittam, quàm multę existant alterationū concursiones, & quantum obseruatio temporis requirat, quantā autem memoriam & quàm præclaram. Nam præter alia etiam, quæ nihil referunt ad pulsuum mutationē, obseruare empiricos quàm diutissime oportet, ut hoc saltem, interesse nihil, certo sciant. Atque hoc illud est, quod in primis iter istud à ratione et com

D pendio remotum in immensam prolixitatem temporis producit. Quod est, cur semper clamemus, ut etiam aliàs docuimus, ut obseruatione tantum artem cōstituas remota ratione, fieri minime posse. Et ut ista omnia admittant, certe, quòd nullum habeamus certum modum, ad quem excessus & defectus referamus, magnitudinem alteratiōis in ijs singulis nūquam complectetur memoria. Quî enim possit quisquā memoria hæc omnia tenere, connexis inter sese his, quę corporibus necessario comitantur unà cum quantitate singulorū? Omnino cōmissura huiuscemodi erit. Albo eatenus, lato pectore eatenus, itē corpulētō hactenus, corporis latitudine & profunditate tāta, masculo, & puero, tēpore æstiuo, in loco natura frigido, in statu sicco talis pulsus erit. Eas enim cōcursiones infinitas

finitas numero (quas nemo mortaliũ nec obserua uerit, nec cõplexus memoria fuerit, sed in disputãdo tantum comparari posse sophistæ iactent, in arte uero administranda inanes deprehendãtur, nec ulla posse facultate parari) erit contexere necesse. Iam si plus & minus in omnibus, quę narrauimus istæ inter se coniugationes different, ut certe differunt, in quã obseruationẽ disputationem conijcient, apertum puto esse. Proinde satius fortasse sit, ne hic longior sim, nec immorer in demonstrãda difficultate empiricæ obseruationis, & immẽsa lõgitudine: uerum rationem ut aliquam, & uiam tradam, cuius prẽsidio omnẽ facile, quem experiẽtia ostendit, fructum capiamus. Quęnam tandem est illa uia? Hæc est. Vbi optimam cõstitutionem inuenerimus corporis nostri, primum animaduertẽdum est, qui eius pulsus sunt, neque obiter id uel negligẽter: sed in eo statu hominem accipiemus, ubi suum proprium motum pulsus ab nulla externa causa immutati retineant. Hoc fiat, si nõ in longo ocio sit uersatus, nec recẽs exercitatus, nec uero etiã diu ieiunauerit, uel modo comederit. Aer præterea temperatus sit oportet, ipseq; omnibus liber animi affectibus, & tranquillissimam mentem habeat. Postea inuestigandæ sunt corporis uitiosæ constitutiones: tumq; primũ earum recensebis differentias: deinde quos in illis excessus repereris atq; defectus, hos ad moderatam & optimã conferes. Iamq; cum animo reputabis, primũ quãtum oporteat istarum naturarum pulsus dissidere ab optimæ pulsu, deinde ipsa experientia rationẽ hanc, si constet ueritati, explorabis. Quod cũ subinde feceris, & longo usu rationem exercitaueris & tactum, tum putabis demum certo te moderatum tenere in omni genere pulsuum, illosq; etiã, qui aliquo modo ultra hunc sunt & citra. Habes summam. Proinde quicunq; aut corporis nostri optimam naturam, aut uitiosas non nouit: aut ratione quidem perspexit eas, sed usu ut dignosceret, non laborauit, nihil huic fructus feret hic sermo. Siquidem illa prius sunt ediscẽda, postea huc ueniendum. Etenim in non paruam incidet controuersiam, quã ueteres medici de his inter se habuerunt: & proximi nõ solum inter se, sed cum ueteribus etiam. Nã nec optima natura quæ sit, inter omnes conuenit, neq; dum uitiosarũ est inuentus numerus: & signa quibus, uel optimas, uel prauas cognoscas, admodum pauci medici literis prodiderunt. Quòd si uel hæc omnia apud maiores nostros confessa sint, & ordine inuenta, deberent tamen naturas discere prius experiundo, itaq; ad artem se de pulsibus conferre. Erunt fortasse quibus longitudo displicebit huius, quã induco, contemplationis. Nos uero, si institutum meum sugillent, non offendemur. Neq; enim probatum unquam iri sperauimus omnibus, aut usui futurum. Nam cum admodum liquido & certo scirem, præter unum ueritatis amatorem, reliquos omnes pro nugis meris habituros, quæ doceo, tamen aggressus sum ad hæc explicanda, ac unum illum multis prẽposui. Porrò autem si nos ipsos quis de ægrotis ui-

A dit præterita & futura prædicere: hunc etiã puto, nisi planè sit fucus, etiam si uideatur longior, cum tam utilem exitum, tamq; præclarum polliceatur, hanc commentationem amplexaturum.

Optima natura moderatum pulsum habet, ad quem alij collati, excessuum & defectuum nominibus appellantur. Cap. III

Qui ergo ante intellexit naturam corporis nostri optimam cognoscendam esse (cuius nos alio loco indicia prodidimus) huius sciat pulsum esse inter omnes alios mediũ: & ueluti mensurã quandam regulamq; in omnibus lucubrationibus de pulsibus hũc moderatum & medium à nobis meminerit appellari. cum quo ubi alios omnes comparamus, celeres, tardos, magnos, paruos dicimus esse. At pulsum moderatæ naturæ & undequaq; B optimæ, non rectè uocaueris magnum, paruum, celerem, tardum: nec etiam durum, uel mollem, nec quoquã alio nomine, quod immoderationẽ interpretetur. Immo ut in opere De temperamentis omnium optimam temperaturam, nec calidã esse docuimus, nec frigidam, nec siccam, nec humidam, neque mollem, neque duram (quippe hasce omnes quibusdã excessibus defectibusq; constare unius illius temperatæ & moderatæ) sic nũc etiam, nec magnum, nec paruum, nec celerẽ, nec tardum, nec quicquid aliud, quod à mediocritate deflectit, pulsum optimæ naturæ uel appellabimus, uel intelligemus. Nec uero etiam ipsum hominem, in quo eum pulsum reperimus, ullo nomine, quod quidem moderationem non significet, C nominamus. Non enim crassum, non gracilẽ, non calidum, frigidum, humidum, siccum, nullo denique alio nomine: uerũ nominamus omnibus partibus corporis temperatum & moderatum. Ad quem, cum dignoscere quidẽ illum didicisti, pulsuum omnes differentiæ perpensæ caue excidãt, & ubi æstimes ad illas reliquos omnes pulsus, uel duros, uel molles, uel raros, uel crebros, uel alio nomine ad eundẽ modũ uoca. Nũc ergo quando summã consecuti uidemur esse, non sanè incõmodum erit, si dubitationem quandam necessariã excitem: quò, si nihil dum inuẽtum arbitremur, explicationem sermoni apponere conemur: quæ adducat nos, simulq; doceat, primum summam nos iam obtinuisse: deinde absolutissimã eorum notitiam, de quibus agimus, cõmonstret. Ac exordiẽ D da quidem modo dubitatio est, dicendumq;, non posse omnes, quæ in corpore sunt, arterias neque esse æquales inter se, nec æqualiter distendi. Qui enim posset dorsi arteria arterijs colli, aut alarum, & inguinũ, uel ipsa par esse, uel eius distentio illarum distentionibus? Ac multo uero magis arterijs ulnarum, atq; poplitum. Adhuc magis arterijs carporum, summi pedis, temporũ, digitorumq;. Non potest itaque pulsus unus in quantitate distentionis moderatus esse, ne si optima quidem sit natura: sed in motu, & robore, cæterisq; generibus unus esse per omnes arterias potest. Neque enim possunt, dum in natura sua constat homo, præsertim si optimam adeptus cõstitutionem sit, quędã celerius arteriæ, aliæ tardius, uehemẽtius,

languidius, durius, mollius, crebrius, rarius pulsare: sed similem cum inter se mutuo, tum cum corde motum omnes necesse est habeant: magnitudine uero ut eorum differant corpora, ita distentiones par est diuersas esse. Putabis igitur ad manum esse solutionem hæsitationis, quòd nihil causæ sit, quin, qui carporum tantum arterias semper tangat, quãtus in optimis naturis sit pulsus earum, no scat, & uero etiam quantus in alijs quisq;, si cum hoc comparetur. Et hercle, si uelis arterias etiam summi pedis tãgere, aut partiũ aliarũ corporis, distentionis retinenda quantitas est in optima quidem natura: quò posis ad hos æstimare earũdem partium pulsus, qui in alias naturas incidũt. Neq; hic quicquã consecuturum absurditatis, aut difficultatis, neq; multũ laboris in cognoscendo fore. Verũ hæc qui dicit, in libro De optima corporis constitutione ignorat demonstratũ esse, æque in magnis corporibus ac in paruis constare eam naturã posse. Quod si sciret, nequaq; neq; ipsas arterias singularũ partium duceret, neq; distentiones earũ parem possidere in omnibus optimis naturis magnitudinem: cęterum, prout magna sint corpora uel parua, ita uariare. Vnde fit, ut nondũ discussa prima sit hæsitatio: quia moderatum unũ inuenire in distentionis quantitate non ualemus. Proinde operæpreciũ est, quando hic prorsus hæremus, omnes medicos demirari, qui magnos temere appellant perpetuo & paruos pulsus: quantus autem moderatus sit, ex cuius cõtentione alios reperiemus, nõ tradunt. Videãtur enim parũ distincte illi eiuscemodi pulsum concepisse: sed referentes potius ad aliquid, magnũ uel paruũ dicere, perinde ut maiorem & minorem. Equidem etiam nostræ memoriæ soleo præstãtissimos medicos, ubi tangendo aliquo, magnum uel paruũ esse dicant, frequenter rogare, quonam illum dicant maiorẽ, aut quo minorem. Illi naturali respondent. Iterum cum quæsiui, quo illo naturali: non modo existimant non dignam inuestigatione quæstionem, uerumetiam demirantur, si cuius putem eos alius dicere, ac ipsius ægroti, quem in præsenti tetigerint. Quin hoc latere ne pueros quidem autumãt, alio alium per cõmodam ualetudinem maiorem & minorem pulsum habere. Atq; hæc quidem hi dictitant. Quid autem illi, qui his præstant, qui libros nobis De pulsibus, reliquerunt conscriptos, aliáne sint in opinione, an in eadem illa? Hi quidem certe dicunt: Veris medium & autumni efficere maximos pulsus: hyemis & æstatis minimos: quæ inter hæc tempora intercedunt, medios inter magnos & paruos. Nam uidentur mihi ne hi quidem absoluto sermone proferre magnos uel paruos, sed referre aliquò. Itaq; sunt in illis, pro anni temporibus qui adscribant, in hũc modum. Veris medium & autumni maximos, pro anni temporibus quidem, pulsus efficiunt. ijdem nec in ætatibus scribunt absolute, ut alius, magnos esse iuuenum, puerorum paruos, & senum: sed addunt hic quoq; pro ætatibus. Proinde sic pronunciant magnos & paruos, ut si maiores dicant & mino-

A res: nimirum eos comparantes mutuo, non moderato. Nam mutuo, ipsam puto demonstrare rerũ, de quibus differunt, naturam. Nã non omniũ mortalium medio uere æque pulsus maximi sint, sed cuiusq; pro sua natura. Porrò idipsum quoq; crassa ratione omnino incompositum est & cõfusum. Nugæ enim sint meræ, si censeas illi, qui biliosa, calida, & adusta natura est: aut contrà pituitosa, atque frigida, huic maximos medio uere pulsus esse. In disputationibus ita utique, & uerbotenus forsitan uideantur habere. Quòd si periculum facias, non reperiantur. Quippe calidiores & Siccio res temperamento non expectare conspicias medium uer, sed multo habere ante suos maximos pulsus: iam contrarios his humidiores & frigidiores longe ultra medium uer, ineunte iam æstate.
B Soli uero qui optimam sunt nacti constitutionem corporis, inueniantur medio uere maximos suos pulsus obtinere. Eadem in ætatibus ratio est. Inter quas tẽperatæ medio uere, intemperatæ ante uel post habent pulsus maximos. Verum nullus hæc quisquam medicus distinxit: adeo, ut si omnes homines parem statum in utroq; anni tempore haberent, ita respondent. Tametsi Hippocratis scripta neminẽ puto latere, quæ ille & quàm multa de anni temporibus reliquerit: qui aperte ostendit, nec naturas, nec ætates ab ijsdẽ anni temporibus perinde omnes affici. Quosdam enim robustiores hyems saniores q;, & in omnes partes meliores: aliquos ęstas reddit. Qui fiet igitur, ut quod commo
C dat iuxta atque id, quod officit, mutet pulsus? Quin aũt illos pudet adeo nobis nude scribere, & præter omnem distinctionem: Medium uer pulsus creat maximos? Nam ni additum sit quibusnã maximos, nihil didicerimus. Quin porrò, cum dicant: ęstate & hieme paruos pulsus fieri, hoc certe, utrum tempus reddat minores pulsus, sustinent adiungere? Neq; uero paruum scilicet peccatum dicent, si hieme putes ęstatem minores pulsus efficere, hæc uero forte maiores efficiat: uel si hiemem æstate, cum contrà se res habeat. Nam quodcunque dicas de his tribus, siue æstatem hieme, siue hiemem æstate, siue pares utrobique pulsus esse, nisi addas quibus, mentieris. Sin apposue
D ris & distinxeris pro naturis corporum, & ætatibus, unumquodq; ex tribus uerum sit, quemadmodum nos ubi de his priuatim egimus, explicauimus. At neq; seipsum quisq;, neq; sese illi mutuo potuerunt hic coarguere de multis falso decretis & confusis. quod illis nulla alia re usu uenit, præter quòd moderatũ cuiusq; generis pulsum ignorarent prorsum. Nam quamobrem, cum inter se mutuo tam decertẽt acerbe, de hoc ne uerbũ quidem faciunt, sed pretermittunt misere? Nullam sanè aliam ob causam, nisi quia nihil eorum cum intelligerent liquido, sed confuse omnia & minime distincte, unum scilicet, qui primo allucinatus est, secuti omnes sunt. & de illis, quæ nihil propè artis administrationibus nec obsunt, nec accõmodant, acriter non mutuo tantum inter se, sed cum Herophilo etiam digladiantur: idq; cum contentio illis

de

de rebus obscuris existat, quæ longam quærunt, quò declaretur, & prolixam orationem: de rebus uero tam illustribus clarisq́, ut uel solo sensu deprehendi possint, neq; scribunt elimate, neque reprehendunt errantes: nec uero siquis ueterum quicquam scripsit, quod ab sua sententia abhorreat, meminerunt. Cæterum pueri esse confirmauerunt paruum pulsum, & item senis paruum. Vtrius autem sit eorum minor, prætereunt. tametsi de utroq; Herophilus planè, si diligenter eius libros reuoluas, conscripsit. At ridiculus sim, qui hæc explicata ab illis postulem, cum ne prima quidem, nec simplicissima recte atq; ordine tradiderint. Itaq; paruum dicunt pulsum pueri: quẽ nunquam Herophilus paruum appellauit, sed modò satis magnũ, modo insigniter, uel eiuscemodi quopiam nomine uocauit. Tum quæ causa sit, inquiunt, quæ arterias moueat. & eorum, quæ de hoc scripsit Herophilus, præmittunt nihil: De præceptis uero, quę ad artis opera intersunt, recténe Herophilus, an secus tractauerit, uerbũ nullum ô dij immortales fecerunt. Atqui nónne longe prętiterat, si quòd quatuor statuit Herophilus facultates, quæ animalibus moderãtur, de hoc nihil quæreręt, nec atrociter rixarentur, uel eum oppugnarent: sed si confutatum hominem uellent, & cõuictum inanium suarum nugarum, ea proferrent, quæ refragãtur his, quæ sunt planè euidentia, idq; cum aduersus illum tãtum possint cogere testium numerum? Etenim cum illos, qui post Herophili ætatem de pulsibus sunt commentati, tum superstites penè omnes testes habebunt, pulsum puerorum minorem senum esse, atque adeo multo quidem minorem. Etiam quidam mihi nuper, ridens uniuersam quæstionem, dictitabat non dignã esse rem, de qua disputetur: lõge siquidem puerorum minores esse. quo rectius nihil de his proditum literis esse. Tales cum habeant sexcentos testes & alioqui Herophilum perpetuo oppugnẽt, ista miror quid semel præterierint, nec etiam, an hæc scripserit, sciant. Nimirum non multum de medicina laborant, sed de his duntaxat sententijs, quæ nugas accumulare in disputationibus possunt. Quare hæc tantum ex Herophili scriptis capita decerpunt, cætera repudiant prorsus. quod in causa est, cur ignorent Herophili scripta, si quæ mirifice ad artis opera faciunt, sed repugnant suis decretis. Ideoq; de rhythmis etiam, quæ prima ætate debebant in musicis ludis addiscere, hæc temere inserunt libris medicinæ. Quibus accidit, quod sero discentibus solet. Nam tacere, etiam si ad aliam artem spectet, non ualent. Rhythmus uero, quæ suppeditet signa, nemo scripsit illorum ullus. At Herophilus, qui aliam uiam, ac illi, secutus est, prętermittit quæ discenda de musicis erant, imbutis probe in arte. mox ut si ea teneant, apud eos disserit, quod medicinæ conducit ex ijs accipiens. Illi uero ut præclaram istam, quemadmodum isti appellant, τεχνολογίαν de rhythmis enarrarunt, nihil postea student ostendere, qua ratione ex illis præsagiendi quid, uel denunciandi compares facultatem. Itaq; etiam puerorum esse aiũt paruum pulsum, cõtradicente Herophilo: nec uero hactenus student perpẽdere, ut quæ apud mortales magna & parua distentio dicatur, queant assequi. Quippe uesicarum, follium fabrorum, utrium, uentriũ, uterorũ, omnium deniq; rerum, quæ prædita cauitate aliqua sunt, magnas & paruas distentiones solemus uocare. Itaq; paruum sæpe esse tumorẽ uentris dicimus, magnum etiã, uerbi gratia, uesicæ. Et paruũ utris, uentris magnum. Dicemus etiam interdum magnopere uesicam intumuisse & distentam esse maxime, utrem autem & saccum, qui uiginti eiusmodi uesicas capiant, nõdum maximam distentionem esse cõsecutos. Censemus enim, ni fallor, ad cuiusq; cauitatem corporis esse distẽtionem æstimandam, non absolute pronunciandam ad eundem ubiq; modum. Nam est certus in qualibet re modus, in quo nec contendi tunicas, quæ cauitatem ipsam complectuntur, nec remitti contingit. Ergo ubi aduertitur tensio in illis uel cauitas, tũ magnas dicimus et paruas distẽtiones esse. Quãdiu nec sensibilem etiam cauitatem cernere possis, neq; dum tunicæ laborent distentæ, modicam illam & moderatam, & natiuam corporis distentionem dicimus esse. Quid ergo est difficultatis ex his progressos arteriam intelligere, cum sit corpus & hoc concauum, habere terminos oportere motus sui in utranq; partem, nec nimium distendi (rumpatur enim) neq; in arctissimum considere: Obstare scilicet naturam tunicarum duram, quæ ægre contrahitur. Quare est quædam iusta arteriæ distentio, ut neq; contendatur, neq; laxam quã suam partem relinquat, quã esse moderatam & naturalem dicemus. Sin minus, in uno eodemq; homine dicamus necesse erit, magnos, paruos, & moderatos pulsus esse. Atqui in optima natura absurdum est non omnes moderatos esse. Et longe hercle absurdius, si idem sit pulsus magnus simul & paruus ac moderatus. Magnus, si cum minoribus comparetur: si cum maioribus, paruus: utrisq; simul, moderatus. Oportebat uero, cũ minori confertur, eum maiorem appellare: cũ maioribus, minorem: utrisq; medium. Eo enim pacto nobis uocare licet optimarum naturarum pulsus, inter se illos quidem maiores & minores, omnes tamẽ moderatos, siquid ante dictorum meminimus: cũ naturam diceremus propositi corporis spectandam esse, ubi indagare moderatũ, magnum, & paruum instituimus. Quòd si corporũ inter se simpliciter cõparemus magnitudines, maius, minus, mediũ inter utrunq; nominabimus: magnũ aũt, uel paruum, uel moderatum haudquaquã. Maius enim est, quod minus excedit. At magnũ, quod moderatum sui generis. Itaq; refertur utrũq; ad aliquid. Sed maius ad cuncta, quę cum minoribus comparantur. Magnum ad unum duntaxat eiusdem generis moderatum. Quo si maius sit, uocatur magnum. E diuerso in minore & paruo accipiẽdum est. Moderatum & mediocre esse dicendum est, quod in sua propria natura constat. Et immoderatum immodicumq;, quod naturã suam relinquit.

Quando

Quando igit̃ corpus est cauũ arteria, distẽtio eius necesse est interim proprie & moderate, ut postulat usus, cuius gratia creata ab natura talis est, præterea ut eius postulant tunicæ: interim immodice perficiatur. Ostẽdi autem alio loco hactenus eam in optimis naturis solere dilatari, quoad usus largiter impleatur, & nihil offendantur tunicæ. Proinde qui regulam uelit attendere, in magnis pulsib. & paruis dignoscẽdis, optima natura inuenta, cognitaq; unius in illa arteriæ cuiuscunq; magnitudine corporis, atq; distentionis, recordandum illi & æstimandum est arteriam hac maiorem quanto oporteat maiorem habere distẽtionem in optimis naturis. Quæ si tanta reperiatur esse, quantam fore conijciebat: sic moderatum pulsum appellabit. Sin uel maiorem hac, uel minorem: magnum, uel paruum. Arteriæ deprehendet in optima natura magnitudinem aut per dissectionem, siue ea casu, siue de industria fiat: aut colligendo ex signis, quę in libello De optima corporis cõstitutione prodidimus. Quòd si nesciat etiam quãta sit arteria præditis optima natura, pulsus quidem certe eorũ me-

A mor, si in alterum postea incidat, & colligere possit, utrum par sit maiores hunc an minores quàm illum habere arterias: cum magnitudine iam distẽtionis cõferre poterit, atq; cõiectare, an magnus, an paruus, an moderatus pulsus sit. Etẽm si, quo uidetur arterias maiores habere homo, qui cõparatur, hoc maiorem etiam habeat distentionẽ, moderatũ dicemus pulsum esse. Quòd si arteriæ magnitudo uideatur superare magnitudinem distentionis, aut sit minor, magnũ tunc uel paruum uocabimus. Si arteriæ appareat maius corpus esse q̃ pulsus, paruum: sin arteriæ minus, & pulsus maior, magnũ. Haud aliter in reliquis generibus pulsuum: ut in genere ipsius motus, in quo celeritatẽ & tarditatem dignoscimus. In genere quietis, in
B quo crebritatem & raritatem. Contentionis, in quo uehementiam & remissionem. Adhęc corporis arteriæ, in quo duritiem & mollitudinẽ. Nam per hæc omnia, tum moderatum inueniemus in optima natura: tũ immoderatos uel ob excessum uel ob defectum, non inter se, sed cum moderato comparabimus.

ARGVMENTA LIBRI TERTII

GALENI DE DIGNOSCENDIS PVLSIBVS LIBER TERTIVS

Declaratio definitionum celeris & tardi pulsus, ratioq; eorum dignoscendorum. Cap. I



ODERATVM pulsum in quouis genere intelligẽtia & cognitione priorẽ immoderatis esse, atq; arterias in corporibus optime cõparatis cũ mediocritate quadã pulsare, in superiore libro declarauimus. At quæ respiciẽda sunt indicia, et quomodo pulsibus applicãdi digiti, ut tactum exerceas ad facile prompteq; cum mediocritatem eorum dignoscendam, tum excessus & defectus, deinceps dicemus, inducto à genere motus exordio. Atq; tẽporis quantitatẽ solã moderati motus & immoderati non idoneũ signum esse, sed & per quæ uectũ interualla sit, quod mouetur, respiciendum esse, suprà abunde demõstrauimus, quo etiam loco illos confutauimus, qui definitionem perperam celeris pulsus interpretant̃: at nos tamen ipsi, quemadmodum potissimum accipienda sit, nõ aperuimus: itaq; nũc id faciemus. Neq; enim multis uerbis opus erit, quod quæ ad eã pertinent intelligendã, iam ante exposuimus. Nã etiã interest ad rem præsentẽ hæc narrauisse. Cũ ergo qui terminat pulsus pauco tempore motum nobis, celer uocetur: & tardus, qui multo: ante horũ nominũ explicatas significationes, non iniuria quidam sunt allucinati, existimãtes idẽ multũ, ac plus: paucũ, & paucius significare. Nũc quia

C ostendimus hęc quidẽ ad rem quãlibet semper referri, illa uero ad moderatũ tantũ sui generis, omnis iã sublata est difficultas intelligẽdi, quẽadmodũ celeris pulsus pauco tẽpore motũ dicamus terminari, & multo motũ tardi. Nam si hoc prius nobis cõstet, moderatus pulsus quãto tẽpore quantũ cõfecerit spatium: deinde alterius offendamus, qui par habuit tempus, minus interuallum, multo hunc tempore dicemus motum esse. Atqui nemo mirari debet, si duorum motuum, quorum temporis quantitas par sit, alterum tãtum multo tempore dicamus factum esse: nõ perinde utrunq;. Etenim si duo pueri dimissi in diuersos locos sint, et simul reuersi: alterum, q̃ iter pauco tempore absoluerit, collaudamus: alterum culpamus, quòd multo. Nam ex uiæ longitudine æstimamus, cum pau-
D cum uel multum temporis dicamus: nõ absoluto sermone. Eodem etiã modo pulsum dicemus, qui pauco tempore fit, celerem esse: ac tardũ, qui multo: definitionesq; probabimus illas, ita interpretãdo, ut diximus. Quòd si cui modus ille uideat̃ coactior, memoria repetat, demonstrasse nos, si altera significatiõe dictio accipiatur, definitiones falsas esse: detq; operam, ut alias definitiones fingat. Neque enim, quomodo definiendum sit, hic instituimus disceptare: cæterum ut rerum diligenter atque accurate notiones constituamus: ut ne si in his offenderimus, simul in dignoscendis pulsibus offendamus. Proinde quid requiratur ad dignoscendum, declaratum à nobis est. Iam si disce-

re etiam cupias hæc definire, non illa quidem fortassis incongrua meditatio sit, non ad institutũ tamen necessaria. Quo nos minus de istorum pulsuum ratione definiendi agemus. Etenim cum omnino non est necessarium, tum etiam, si cui necessarium uideatur, nihil cũ hac instituta cõmentatione est coniunctum: Verum in quarto libro De pulsuum differentijs large nos de his tractauimus. Notionis tantũ in præsenti instituimus mentionem facere. Quare seriem orationis persequamur. Nam nunc quidem; quod in ijs inuenimus, locus est dicendi, ad eum dignoscendum magnopere facere, atq; adeo, si uerum dicẽdum est, summam iam aperiam. Nec quãtitatem temporis, nec interualli respiciendam censemus: immo ne proportiones quidem illorum, de quibus uerba fecimus in superiore libro, cum celeriorem pulsum et tardiorem doceremus. Illic enim nõ potui illa prę terire, quò errorem præciderem his, qui ex solius temporis quãtitate de ijs existimãt: quæ ad dignoscendum laboriosa mihi, & longa, difficilisq; æstimatiõis & iudicij, adeoq; impossibilia propè uisa sunt. Nam celeritatẽ quidem & tarditatem, ut primum occurrit arteria, noscimus: rationẽ uero temporis ad tẽpus, & interualli ad interuallum, ut exploremus, opus nobis lõgo tempore est. Itaq; ista nihil nos morantur, ut expẽdamus ad pulsus in ęgrotis dignoscendos. Sed ut, si ante oculos quempiam uideamus, impetus motus celeritatẽ potest ostendere: ita usu uenit in arteria. Nam aut incitatum, aut remissum eius motum inuenias. Omnia enim corpora, quæ mouentur, ex locis, ubi mouẽtur semper, dignoscimus, quomodo moueantur. Quę ubi in locis remorantur, tardum esse motum prædicamus: ubi leuiter discedũt, celerẽ. Hic scio futurũ, ut quæstio se physica offerat, an corpus dũ mouetur etiã maneat aliquo modo. Atqui in commentarijs de motu, illud ita, ut quod maxime, probatur uerum esse. At tantis in præsens quæstionibus declinemus, ne implicemus nos. Quod informat tantum sensus ad dignoscẽdos celeres & tardos pulsus, hoc satis est, si dicamus: nimirũ unum motũ cedere uideri locis facile, in quibus semper fit, alium diutius inibi commorari. itaq; hunc tardum, illum celerem uocari. Nam ex locorum transitu sensus dignoscit, non ex totius motus tempore, nec separatim, & solo, nec quatenus cum quantitate comparatur. Itaq; celeritatis & tarditatis facile notitiam consequimur, non perinde consecuturi, si quãtitate temporis & interuallorum aucupatã, eorum sustineremus proportiones obseruate. Enimuero non sustinemus. Nam ut primum aciem intẽdimus momento temporis, moram nos corporis, de quo disceptatur, deprehendimus: ex quã cõijcimus transitũ. Quo fit, ut quę eminus cernimus, hæc nobis interim diutius uideantur consistere, licet agitẽtur uelocissime: unde liquet ratione nos motum colligere, non sensu deprehendere. Siquidem cum prima quæq; sensibilis pars corporis, quod mouetur, in primo sensibili loco subsistat, primo sensibili tempore, tũ immobile, quod cernimus, uidetur esse. At uero ubi prima sensibilis pars, in primo sensibili loco, quàm primo sensibili tempore subsistat breuiore tẽpore, tum uidetur moueri. Singula enim, quæ diximus, dissecari, quod ad naturam attinet, in infinitũ possunt. sensu uero si æstimes, primas certas habent & indiuisas partes. Quod planum facit, ratione omnẽ motum, non sensu dignosci. Quia uero sensui ratio coniuncta est, & mentis est transcursus uelocissimus, sæpenumero non ratione, sed deprehẽdi sensu uidetur. Nam quorum primo sensibili tempore prima sensibilis pars, in primo sensibili loco manet: horũ tantum nos motus aperte fatemur non sensibus, sed ratiõe animaduertere, ut gnomonis, umbræ, lunæ, solis omniumq; siderũ, quæ à nobis lõgissime remota sunt. Quorum autẽ, ut dixi breuius est tẽpus primo sensibili, breuissima horum mansio migratioq; uidetur. Quippe quod minus primo sensibili tempus habet, omni mora hoc putatur carere. Sed hæc priuatim præstiterit cõmentari eum, qui cũ hæc, de quibus agimus, aueat probe ediscere, tum alia in medicina multa. Nobis uero satis hæc erunt ad demonstrãdum non esse temporum & interuallorum respiciendam quantitatem, sed ipsam qualitatem motus: quæ est explicatu quidem difficilis, sed horum, quæ docuimus, ope (nisi sis prorsus stupidus & iners) non magno negocio uerum, ut homini licet, consequere. Multoq; magis, si dignoscẽdos inæquales celeritate & tarditate pulsus mediteris, originẽ ducere eos inuenias ex qualitate motus. Ac unius quidem distẽtionis sæpe initium motus planè celerius uidetur, proximum tardius, iterum finis celerior. Nec hic quantitates quasdam aut temporum aut interuallorum, sed ipsam unam motus qualitatẽ attendimus. Quo minus leuiter palpandum est, ubi genus hoc perpendimus pulsuum. Nimirũ sic extremum motus finem sentiamus duntaxat, non integrum motum. Ex quibus iam liquet eiuscemodi pulsus prorsus non oportere paruos esse, nec languidos. Neq; enim trifariam possis motum dissecare nec in paruis interuallis, nec in facultatib. imbecillis. quòd obstet illis paruitas, quæ diuidi se in sensibiles partes nõ patitur: hic impediat facultatis infirmitas, quæ concidit ad pressum. Quam ob rem nec in pulsibus lethargicis deprehenderis inęqualitatẽ, quę tamen adest forsitan. quia omnino quod dignoscatur, uult comprimi: at hoc præ imbecillitate non sustinet. Quare qui cuiq; pulsui inuenturus sit contrectationem appositam, hunc singulari prudẽtia esse, & expertũ in dignoscendo oportet. Nam si maximus pariter & uehementissimus ualidam fert compresssionẽ: atq; alius quisq;, quãtum à uehementia uel magnitudine abest, tanto minorem: primum quantum à maximo & uehementissimo recesserunt, ad unguẽ perspiciendum est: deinde ratio ineunda est, quantũ sufficiat compressiõis id genus pulsibus impartiuisse. utrobiq; ẽm offendamus necesse est, siue excedamus proportionem, siue non assequamur: quòd, ubi minus iã premamus, præteritura nos sit interni pars

motus:ubi uero amplius, externi. Itaque primũ, motum aliquando inæqualem esse nõ percipiemus, Deinde male etiam de toto motu sæpe iudicabimus, eo quod male perpẽderimus partes. Si enim uel pars eius prima, uel altera celerior sit: & nobis earum tantum altera sit explorata, non possumus, primum uniuersum inæqualem motum esse scire: deinde uel celerem uel tardum arbitrabimur eum esse, cum neuter planè sit. Siquidem cuius celeris erat pars prima, & altera tarda, hunc nec celerem absolute, nec tardum iure uocaueris. Quare (ut oratione in summam collecta aliò me conferam) in optima cõstitutione moderatus motu pulsus erat non ex interualli nec temporum quãtitate explorandus: sed ex ipsa, ut diximus, qualitate, quo pacto discedat ex locis, dicebamus animaduertendum esse. cuius memores, qui decedere celerius uideatur, celerem: qui tardius, tardũ appellemus: Repræsentari autem hoc, ut primum est admotus tactus, prius quàm totum arteria spatium confecerit. Proinde si pulsus æqualis sit, non expectamus uniuersam distentionem, sed ex parte eius facere de tota coniecturam possumus. Qui si inæqualis sit, omnẽ assequi dicebamus oportere: tactumque pro magnitudine pulsus & uehementia uarie applicare. Atque de genere motus hæc in præsentia satis sunt. Eius enim nos iterum in pulsibus dignoscendis mentionem necesse est faciamus.

De quantitate distentionis dignoscenda. Cap. II

Deinceps de quantitate distentionis agamus. Nam cum corporis arteriæ dimensiones tres sint, longitudo, latitudo, & profunditas, nullam possumus totam sentire. De longitudine apertissimum est. Vtrinque enim arteria usque ad terminum extremum pulsat. At paruæ eius parti iniicimus tactum, quanta extat ex obiecti corporis mole, quę quidem ipsa efficit, ut longus uel breuis pulsus sit: eo quod non possit attingi omnis arteriæ longitudo. Sit tamen hic etiam aliquid in qualibet corporis natura, quod elucescat sub cute, in optima natura moderatum: siquid supra hoc sit, lõgum: siquid infra, breuem reddit pulsum, qui nõ potest numero digitorum definiri: sicuti quidam, si quatuor digitis obuiet, esse dicũt longum: si tribus, medium: si duobus breuem. Neque enim corporis optimæ naturæ una est mensura. sed in una qualibet facile quantitatem assequere, unius ope, modo colligere proportionem poteris. Cum qua postea si alios homines conferas pares totius corporis magnitudine, dices uel longos uel breues pulsus habere. Eodẽ modo latos, angustos, altos, humiles: ac in tribus simul dimensionibus, magnos, uel paruos. Vbique enim ad moderatum referemus, cum alios æstimemus. At enim singulos esse in singulis aliis pulsuum generibus moderatos: sed in sola quantitate non planè unum, sed suum cuique corporis parti, antea explicauimus. Hoc tamen non est huius loci, sed uolui dicti uos admonere. Itaque ad institutũ iam par est reuerti. Institui uero docere, sensu nullius dimensionis exacte dignosci posse quãtitatem: cuius rei causa partim omnibus communis, partim sua cuique est. Primo loco communẽ exponam. Nam quando inter arterias, quæ nuda sit, nulla est: sed uestiunt eas multis locis pauciora & subtiliora corpora: multis etiã locis plura & crassiora: planẽ in aperto est, non perinde omnes arteriarum motus posse sentiri, sed illarũ magis, quas pauciora tenuioraque: harum minus, quas circumiiciunt plura ac crassiora corpora. Atque hæc communis est. Propria singularũ dimensionum: longitudinis, quòd permultum intersit, inter ueram & apparentem: latitudinis, quòd parum: profunditatis, quòd minimum. Nam cum sæpe longa tres cubitos uniuersa arteria sit, tres uel quatuor dũtaxat digiti percipiunt arteriæ motum. Reliqua pars à corporum obiectorum numero occultatur. In latitudine cum præ corporibus, quæ illam utrinque cingunt, multis illis & crassis, neque tactus ipsi corpori arterię applicari possit, neque per crassitiem illorum & multitudinem foras motus perrumpat, multis locis omnino motus perit, multis etiam in maxime angustũ cogitur: totũ uero, quia arteria nullo loco nuda est, uideas nusquam. At uero ne profunditas quidem usquã planè est nuda, ut possit saltem in ea elucere eius uniuersus motus: sed si nihil aliud, cutis certe ambit eam, per quam pulsum sentimus. Itaque tecta fuerit hęc quoque certe aliquatenus. Quæ cum ita sint optimam rationem dabimus operã ut monstremus dignoscendarum singularum dimensionum, ac de prima dicemus longitudine. Atque esse hanc cẽsendam optimam, quę motus maximam partem sentiat clarissimum est. Nam ut si sentiri omnis ualeat, primum hoc sit: ita posteaquam hoc non potest, ubi nulla pars eius, quæ quidẽ animaduerti possit, lateat, tactionem existimamus optimam esse. Quomodo autem eam possis instituere, faciam ut declarẽ: si ob oculos prius proponam, in tribus his omnes positas esse sensibilium cognitionum differẽtias: in natura, meditatione, & modo applicatiõis. Nam qui naturã habet appositissimã ad sentiendũ et probe ipsum tactum exercitatum, tum etiã sensibilibus decẽter admoueat, optimus hic explorator sit eorum, quæ intus sunt condita. Qui hoc est aliquatenus inferior, quàm maxime ab illo abest, tã pessime absolutam cognitionem consequetur. Explicabo igitur huic, qui optime natura comparatus est, & exercitatus non segniter, qua applicatione tactus ad unguem (ut homo potest) motum sentiat arteriæ: Et quia de prima dimensione uidelicet longitudine institui dicere, accommodatissimum huic modum tactionis aperiam. Omnino nõ premat, immo sæpe leniter cõtrectet, & ueluti suspẽdat manũ. Accommodatus est hic imprimis modus paruis pariter & imbecillis pulsib. Nam hos si aliquatenus premas, motus pereat magna ex parte, & sæpe uero etiã uniuersus. Nam pro quantitate pressus, & qualitate præterea arteriæ contẽtionis, modo multũ imminuitur eius motus, modo minus, est cum perit totus. Quocirca ad longitudinem dignoscẽdam summa cautio est, ut præter omnem pressum tactũ admoueas. Etenim mo

dicum

dicum pressum non grauiter ferunt quidem pulsus uehemētes:nō lædentur tamen ne hi quidem, si in tangendo nihil premas. Qui modus attingendi quando optimus est lāguidis pulsibus, nec incōmodus etiā uehementibus, caue præponas illi alium. Porrò est illud etiam explicandū, quod nō obscure aduertitur, ubi diuersas partes premas lōgitudinis arteriæ, motum nō perinde uideri in omnibus offensum, ceterum in partibus altioribus maior est noxa, minor in inferioribus. Et uero frequenter noxa non animaduertitur in uehementibus pulsibus, secus in languidis. Nam in his si inferiorem partem presserimus, luculenta superiorib. noxa datur. Superiores autem & inferiores quomodo hoc loco accipiendæ sunt, non est obscurū. Vt remotißimæ à corde partes inferiores, & uiciniores appellētur superiores, hoc in artubus quidem perquā est solenne. Non item in capitis partibus & colli. Itaq; ad omnes pertinet, ut diximus, cordi uiciniores, si premantur magnam iniuriam subiectis facere: remotiores, sępenumero nullam, quæ animaduerti poßit, si bene uehemens pulsus sit: interim tamen manifestam, in non uehementibus. Atq; de lōgitudine hæc satis sint. Nunc de reliquis duabus agamus, quas nō ita oportet duas numerare, ut, sicut in quadrangularibus & quadratis corporibus, uideas separatim latitudinem, separatim profunditatem distinctam: sed, sicut in circulo & globo, cōfusa sunt omnia: una uero quędam uel lineæ uel superficiei uidetur circunferentia, sic esse in arteria putes: cuius cernitur in dissectiōibus figura, multis locis cylindrum, multis etiam conum referre. Quomodo igitur medicis in mentem uenit seorsum de latitudine, seorsum de profunditate disserere: cum deberent, ut est, & cōspicitur ex partitionibus, unam longitudinem eius appellare, alterum circulum: ut certe multi frequenter uocant: nō perpetuo possunt tamen, nec hi, nec alius quisquam, cum de exemplis euidentibus narrāt, longitudinem & circulum tantum appellare: sed exprimet sæpe neceßitas, ut distentionem altam quandam uocent, & angustam. Contra etiam aliam, humilem, latamq;: Etenim hoc ita clarum est, ut ambigat nemo. Sic propter hæc manifesta euenta habere diuersas latitudinis & profunditatis notiones coacti sumus. Porrò sicut sensu percipimus eas differentias, ita circularem nos figuram sæpe animaduertere clare fatemur. Itaq; de utraq; iam differentia dicemus in cōmuni: qua potißimum ratione applicādorum digitorum ad eas peruenire dignoscendas queas. Neque enim in ijs dignoscendis mediocris inesse scrupulus uideatur: quòd nulla admouendi tactus ratione ualeamus sentire interuallum totum. Neq; cum leniter palpemus. nam ea extremas tantum partes sentiat motus: quæ præcedebat, ignoret uniuersam. Neq; cum premimus multū. Vt enim omittam, hoc in uehementibus tantum pulsibus permissum esse: contrà ac prior, postremam partem ignorabit interualli, tātum sentiet primam. Iam si alia utamur applicatione inter illas media, & prima pars interualli & postrema nos fugiet. Hoc uerum esse, quisq; experientia discat. Nam uehemētes pulsus si premas (hos enim premere solos fas est) nescies quanti sint: quod pereat ferè in presßibus, ut ante significauimus, aliquid etiam de ipso motu, ac interuallū nō iam ex parte, sed propè corrumpatur uniuersum. Contra si leniter cōtrectes, per quantum interualli sit motus delatus, non diuines. Habes difficultatem, quæ sic explicatur: si, ut prorsus distentionis quantitatem sensu dignoscamus, non laboremus: sed & ratione quædam poßimus nihil læsa esse existimare. Neque enim hoc nos quærimus, ut sensu omnino, quæ accidūt pulsibus, cognoscamus: sed tantum ut cognoscamus. Ergo sensum requirit quidem omnis talis notitia, at tamen non hunc solum, neque quasi semper ualeat quidlibet inuenire: sed satis est frequenter, si sensibilis affectus unus totius rei denunciet essentiam. Eadem ratio eorum est, de quibus nūc agimus. Nam si leniter palpes, aut pluribus in partibus occursum arteriæ necesse est sentias, aut in paucioribus. quo cognito, ad sensum ratio adiuncta nobis magnā distentionem suggerit esse, quæ multis partibus mouet tactū: paruā, quæ paucis. Age fac circularem eius occursum esse, quid, nónne clarum est, si insigni sit circūferentia circuli magnitudine, totā etiam crassam esse distentionē arteriæ: & uniuersam distentionē gracilem, si circunferētia sit parua? Neq; enim magnis circumscribi circulis gracilis distētio potest, nec crassa minutis, cæterum quantitati distentionis necessario respōdet circuli circūscribentis eam quātitas. Haud aliter etiā si uerus non sit & exactus circulus finis distentionis, sed quasi mutilus partim: id quod in altis & angustis, uel humilibus & latis usu uenit, ratio similiter subducitur quantitatis distentionis. Nam tum distentionis tum ascēsus fines, particulæ prorsus erunt circuli, hiq; prout appareant maiores uel minores utrinq;: uel concauiores hac circunferentia uel gibbosiores, omnino uel longiorem uel breuiorem, q̄ est exacte circularis, hanc lineam, quæ in præsentia cernitur, ostendūt. Vnde inæqualitatem nos latitudinis & profunditatis, totiusq; quantitatē distentionis æstimabimus. Age enim uideanł gibbosiores ac præruptiores obliqui occursus arteriæ, præterea cauior qundāmodo & humilior profunditate, adeo ut ne circulus quidē uideał circumferentia manere, sed ueluti recta linea esse: profecto apertū est talem pulsum latum fore & humilē. Nam motus in latū amplius exporrectus, latū merito efficiat. At motus ascēsu prohibitus, humilem. Ediuerso si motus obliqui partes longe citra mediū constiterint, ac medium ipsum satis uideał gibbosum esse: planè is pulsus erit altus angustusq;. Si semel angustus eius in latitudine occursus euadat, ut non modo imminutus esse obliquus motus, sed & totus semel uideatur perijsse, difficilis cognitu est, uel potius cognosci nō potest, quantū in his est, qualis sit pulsus. Nam nisi distinctiones adhibeamus quasdā, nō assequemur altus ne sit, an humilis, an moderatus profun

ditate. Nam omnia esse potest. Etenim si humilis A sit pariter & angustus, talis uidebitur esse: & si altus simul & angustus, eiusce modi apparebit: denique si moderatus profunditate una & angustus, talem dicas esse. Nam angustiam is pulsus prorsus ex motu inhibito in latitudinē contraxit. Difficultas uero residet in profunditate. quæ etsi ex longo interuallo, etsi ex breui, uel moderato motū ordiatur, eandem tamen leniter tangentibus repræsentabit speciē. Nam angustum motum percipient. Qua ergo ratione explorabitur? frequenter quidem etiā tactus affectibus, perpetuo tamen ratione. Primū de tactus affectibus dicemus, in quibus possis per eum manifesti deprehēdere aliquid. Licet autē in uehemētibus pulsibus, qui ut sæpe monuimus, soli pressa arteria nō labefactantur. Prom B pta ergo in illis quidem notitia profunditatis est pulsus. Nam si presseris, forsitan uel ipso tactu, si exercitatus sit, & mollis, suaque sponte exacte sentiat, in notitiā aliquā peruenies interualli motus. Sin minus, tempus certe motus quantitatē declarabit interualli. Nam si discernere sigillatim motus qualitatē poteris, in qua differentiā celeritatis & tarditatis reperimus: sigillatim etiam temporis quantitatem, ubi breues motus animaduertimus: neutra te harum, si premas, fugiet. Quòd si ambas assecutus sis, facile de interuallo cōijcies. Esto celer motus, & diuturnus: sane apertissimū est, maximo eum spatio delatū esse. Contra tardus esto, & breuis: sit utique & hic minimo spatio deuectus. Atque hoc pacto, si uehemens sit pulsus, profundi- C tatis quātitatē dignoscimus. Qui si languidus sit, nihil iam nobis sensus adiumenti adferre poterit: quòd motus in eiusce modi pulsibus pressu perditur uniuersus. quare ratione hic tota res inuestigāda est. Dicemus aūt de causis pulsuū, non omnes cum omnibus differētijs posse cōfundi. distinguemusque, quæ illę sint, & quando, & quemadmodū. Itaque ex alijs, quæ aperte sunt cōspicua, quomodo etiam aliquid de obscuris deprehēdes, inibi docebimus. Adhæc cur angustus simul & languidus pulsus altus nunquam sit. Sed de his hactenus.

De rhythmis dignoscendis. Cap. III

Posthac de rhythmis uerba faciemus. quem ordinem secuti sumus docendi, quòd cōiuncta eius cum superioribus est exploratio. Nam natura qui- D dem rerum ferebat, ut quæ una in parte pulsus maxime distentione genera consistūt, prius exponeremus: quod in commentarijs de differentijs pulsuum fecimus. uerū quia genera in una parte posita, quæ de superioribus adhuc reliqua sunt, flagitant cōmunem tractatum: rhythmorū autem genus adiūctam cum superioribus generibus habet cognitionem (ut ipse de his sermo docebit) ideo posthac de rhythmis narrabimus, de duritie & uehementia reijciemus in proximū librū: ut absolutam cōplectantur singuli cōmentarij generū disciplinam, quæ coniuncta cognitiōe sunt. Quia iam in cōparatione temporis distentionis cum cōtractionis tēpore rhythmus consistit, prius paranda separatim nobis utriusque tēporis notitia est. Hoc uero parum facile est. Nam memoriā si conseruamus eorum, quæ primo in libro retulimus: ubi quæreremus, ecquid sentire totam distentionē & contractionem possimus, an pars nos fugiat utriusque motus: sciemus quod sit laboriosum, adeoque præter omnē nostram facultatē, ut notitiam cōparare omnis harum temporis possimus. Quo loco principiū distentionis ostendimus, & finē contractionis non cognosci posse. Iam quatenus aliquid nos motus latet, hactenus etiam tempus scilicet pręteribit. Primū idest ipsum repetendū, declarandūque, idem esse, quod in primo libro quæreret, ac quod modo. Nam illic de distentione quærebatur absolute, hic de temporis eius quātitate. Proinde cum absolute quæritur, an omnis sentiri distentio possit, si qua tactum fugiat motus pars, hanc cōfirmabimus nō dignosci. In exploranda autē eius quantitate, quantū promota spatij sit, aduertimus. Ac nō ita dudum diximus, modo finis distētionis habeamus ueram notitiā, rationem nobis cum sensu coniunctā subiecturam esse eius quantitatē. Itaque possumus (ut, nisi finem motus, partē aliā nullam sentiamus) quantū habeat temporis, ignorare: tamen scire quantū interualli peruecta sit. Horū alterum in primo libro discussum est, alterum non ita diu est, cum explicauimus. Ergo iterum ad memoriam reuocemus, quod in uehemētibus pulsibus, si modice arteriam cōpresserimus, perspiciemus quidem initium motus, sed quantitatē ignorabimus interualli. Nec uero hoc prætereamus, quod initio statim secundi libri tradidimus, neque ipsam posse examinari quantitatem temporis motus, & celeritatem uel tarditatem percipi. Horum nobis in præsentia omniū opus est: quò plane & distincte perspiciamus, ecquid inter spatij cognitionē, quo fertur arteria, & tēporis intersit: & præter utranque quandā esse aliam uel celeritatis uel tarditatis æstimatricē. Siquidē prima, quam cōmemorauimus, explorat interualli quantitatē. Quantitatē altera motus tēporis. Tertia qualitatē motus. Ad rhythmum aūt dignoscendum nec primam quærimus, nec etiam tertiam, sed ipsam tantūmodo secundam. Quare instituenda manus ea applicatio est, quæ arteriæ motū accuratissime intuetur omnem. Itaque primo lib. quæ exposita sunt, cum quæreremus, possit'ne sentiri uniuersus motus, memoria repetēda sunt, sciendumque unā uirtute esse & eandē quæstionē illam atque hanc, licet diuersis uerbis ponatur. Quæ omia si cum animis nostris cogitemus, pręsentis difficultatis assequemur explicationem. Sit pulsus quidam magnus, sed languidus. Huius nequeas scilicet deprehēdere totius interualli motū, cæterū externi finis tantū. Sic etiam cōtractionis (si modo tantū possit) initium duntaxat, & recessum, præterea nihil. Proinde leniter sunt istiusmodi pulsus, ut iam dixi sæpe, palpandi. Qua tactus applicatione quantitatem animaduertere interualli distinctionis poteris, tēporis motus nō poteris. At uero in cōtractione non tantū temporis motus non inuenias quātitatem, sed ne ipsius quidem interualli. Nam illa ubi insensibilis

sibilis euadat, omniũ simul, quæ possidet, necesse est fiat iactura. Adeo nõ modo interualli quãtitas atq; tẽporis motus, sed & qualitas, in qua celeritatis & tarditatis cõtinent indicia, nulla ex parte à nobis sentietur. Qui enim motus etiamnũ qualitas dignoscatur uniuerso sensum latente motu? Nimirũ requiritur prius essentia rei, quàm ipsa qualitas. quæ quando essentia prorsus sensum præterit, nõ potest qualitatis parari notitia. Quæ ergo iam est in ijs pulsibus ratio, qua consequi notitiam rhythmi possis: ubi funditus contractio perijt, & de distentiõe saluus & integer solus externus finis est? Atqui nec sentire contractionem in ullo languido alio possis. Itaq; quando quidem motũ distentionis atq; cõtractionis arteriæ noscimus tantum in his, qui languidi nõ sunt, in horũ etiã solorum notitiam rhythmi ueniemus, digitis ita moderate applicãdis, ut diximus antea, ut externi motus ne quid interpellent. Nam si plus iusto arteriam compresserimus, consistere eius motum cogemus. nisi etiam in his rhythmus nõ possit dignosci. Siquidem perpetuo initium nos distentionis, & contractionis finis latet: & nisi omnino parum, quod præterit, sit, magnopere rhythmus lædet. Nã hoc quidem fortassis etiã admittas, distincta oratione tamen opus est. In uehemẽtissimis enim pulsibus uera est oratio: in alijs secus habet, præsertim qui uehementiæ paruã partem habent, quòd satis magna pars sensum in his effugiat, quæ iam offendere rhythmũ ualeat. Ita hoc iam omnia, quæ attulimus, fecerũt planum, dignosci in solis uehementissimis pulsibus rhythmos. In alijs omnibus, aut prorsus incognitos esse, ut in lãguidis: aut longe ab absoluta notitia abesse, id quod usu uenit in minus uehementibus, nõ iam languidis tamẽ. Atq; scrupulus quidẽ hic est. Hunc nos pro uiribus faciemus ut tollamus. Primũ quia non cadit in pulsus languidos, & eos qui non sunt uehementes, simile distentionis & cõtractionis incommodum, lenit hoc difficultatẽ nonnihil. Nam quam habet rationẽ totum distentionis tempus ad totum contractionis, eandem cum rationem habeãt inter se quidem partes, quæ tactum latent: etiam quæ saluæ sunt, eandem habebũt inter sese rationẽ. Itaq; ex illis præsentire non multum interpellabimur. Nam cum duplum sit, uerbi gratia, omne contractionis tempus cum omni distentionis cõparatũ: duplum item sit, quod est saluum cum comparetur, per rhythmos prædictionibus nõ aliter abundabimus ex partibus motus, quæ sentiuntur, ac si totus is saluus sit. At in languidis non perinde difficultatem explices. Quippe quod inuestigãt, qui distentionis tempus cum toto reliquo conferunt, remediũ, adulterinum est. Quod uobis prius faciã ut declarem, deinde aperiam, ubi culpem id. Nam cum pulsus quatuor partes sint, distentio, contractio, & duæ quietes, una à distentione ante cõtractionem, altera à cõtractione ante distentionem: qui esse contendunt incognitã contractionẽ, distentionis tempus, quod motus appellant, separant à reliquis duabus partibus, quas quietem &

A cõtractionem uocant: Horum trium temporum mutuam proportionẽ rhythmũ esse confirmant. Qui uero contractionem dicunt sentiri, partim distentionis tantum tempore comparato cum tempore contractionis, rhythmum dicũt fieri: Partim utriq; motui tempus attribuũt quietis, quę ipsum sequitur. Atq; cum tres hæ sint de pulsuum rhythmis opiniones: qui à secunda stant, ad dubia illa aperte se fatentur, quid dicant non habere. Qui à prima & tertia, non defici cõsilio fortassis uideantur: illi, quia conspicui motus tempus reliquo omni cõparant quietis, ut ipsi uocant: Hi uero, quòd euidentis tempus motus unà cum tempore consequentis quietis, reliquo: qui initium cõtractionis terminum statuunt coniunctionis priorum duorum temporum.
B Operæpretium autem est utrosq; demirari. Primos, si ea tantũ meminerunt, quæ de cõtractione sunt dicta: quæ de distentiõe, hæc exciderunt. Nam quãtum sit in distentione interuallum, in languidis pulsibus ratiõe demõstrauimus sciri: tẽpus uero motus non posse cognosci: quòd eius tantum externi fines ad sensum perueniant. Miror igitur, quemadmodum comparare se dicãt tẽpus distentiõis cum tẽpore omni reliquo: cuius tempus, quòd sentiri possit, omnino sit paucũ: nisi quidem hoc sanè ipsum tantũ comparatum cum reliquo toto uolunt. Itaq; rhythmus illis proportio sit cõspicui temporis motus in distentione ad reliquum omne. Quod si dicunt, rem dicunt illam quidem quę fieri possit, sed tamen inutilem: quòd
C prædici ex tali rhythmo nihil possit, in quo tẽpus manifestæ partis distentionis cum reliquo uniuerso cõparatur, quod ex tempore constat externæ quietis, contractionisq;: & tertio internæ quietis, præterea quarto partis distentionis, quę cõspicua nõ est. Sed quid dico nihil suppeditari omnino ex istiusmodi doctrina commodi? immo accipiũt hi ita rhythmum, ut siqui, musicũ qui ageret, nõ temporis eleuationis ad positionis tempus proportionem esse diceret rhythmũ, sed partis manifestæ eleuationis ad reliquũ totũ. Nec minus errant illi à tertia secta, qui eo duntaxat, quòd tempus externæ quietis tempori distentionis addunt, illis sunt sapiẽtiores. Quòd uero etiam ipsi in obliuionem uenerunt contractionis tempus sensum in langui
D dis pulsibus non dignoscere, æque peccauerunt. Porrò tertiũ etiam hi insigne ponũt, cõtractionis primũ motum perpetuo sentiri, cum ne ille quidẽ in languidis pulsibus sentiri possit. Itaq; ex his omnibus hæsitationes, quæ frequenter in sectis sunt, concurrant in pulsibus dignoscendis necesse est. Quo factũ puto, ut nõ aggressi scribere quid sint Herophili successores in præsagationem ex illis. Ipse Herophilus rhythmos frequenter ad præsagiendum adducit. Verum quid interpretetur rhythmum, difficile est inuentu: tẽporis ne distentionis solius ad tempus contractionis solius proportionem, an ipsum etiam quietis tempus, quæ comitatur utrunq; motum, ijs attribuat. Vnde inter Herophilios, qui ab illo cognomen inuenerunt, non conuenit, utrũ de illis potissimũ sentiat. Neutrum

enim eius oratio planè ostendit:neq; confirmare rerum natura potest. Quòd si iam alteram sententiam tueamur instituto musicorũ, tempora quietum præcedẽtibus motibus adijciemus: sin quod facit ad præsagiendum, cum motu motũ comparantes, separatim quietum tempus æstimabimus. Cum igitur alterutrũ sit necesse, aut notionem nominis labefactare, aut peruertere usum, utrum faciamus potius, implicati tenemur. Tamen quãdo quidem alterũ eligendum est, repudiato musicorum nomine, quod conducit ad præsagiendũ potius ducam. Nam quid tandem faciemus damni, si cum motuũ ex proportione tempus præsciamus, nomẽ nobis, quo id appellemus, deficiat? Etenim non eo, quòd in nominibus hæreamus, sed quia præsagire nequeamus, ideo in fraudẽ ars incidit. B Ergo faciamus utilitatis nomine consistere rhythmum in proportione temporis motuũ, ac expendamus suo loco Herophili sententiam. Tamẽ, etsi hoc positum sit, manere adhuc dubitatio uidetur, quòd nisi in uehementissimis pulsibus, nec omne tempus possit distentionis innotescere, nec contractionis ubiq; principiũ sentiatur. Cur ergo tempus quoddã ad sensum princeps Herophilus statuit, ad quod alia æstimans, duorũ, triũm, quatuor, uel plurium dicit esse: horumq; aut integrorũ, &, ut uocant illi, ἀπαραύξων hoc est, non amplius augescentiũ, aut etiam auctorũ aliquantũ, uel plus uel plurimũ. Quasi enim in omnibus pulsibus ad unguem tempora dignosceret, siue motuum solorum, siue etiam comitantium ijs quietum (nihil enim ad propositam dubitationem refert) ita uidetur hæc scribere: nisi uero eum non de omnibus, sed in quibus possunt dignosci, de his tantummodo existimãdum est ista scribere. At hoc quidem inferius fortasse aliquando suo loco considerabimus. Nunc, (quia non instituimus, quid Herophilus sentiat, quærere: sed quid uerum sit simul & utile, indagare,) hoc clare aggrediar ad explicandum, quomodo in ipsis rebus experiundo inuenimus. Nam sic habeto. cum qualitatem motus distentionis cum qualitate conferimus contractio- A nis motus, nouem inuenimus primas differẽtias, quas in tabella proposuimus: atq; sigillatim multas alias, quas oratione nõ exprimas, sed experiendo excessum & defectum dignoscas. Quid uero soleat quæq; denũtiare differentia, dicemus in cõmentarijs de præsagatione. Proinde primũ tabellam præscribemus, quam intelligent facile, qui in primo commentario se De differentijs pulsuum exercitauerint: deinde ostendemus, quemadmodum multas singulæ differẽtias constituant, quantitate dispares, tametsi eiusdem generis sint:

Distentio.	Contractio.
Celeris,	celeris.
celeris,	moderata.
celeris,	tarda.
moderata,	celeris.
moderata,	moderata.
moderata,	tarda.
tarda,	celeris.
tarda,	moderata.
tarda,	tarda.

Ac cum primæ quidem descriptæ in tabella differentiæ uterq; celer motus est, potest motus distentionis maxime concitatus esse, at motus contractionis paulo moderato & medio esse superior. Aut contra, paulum motus distentionis eum superare, motus uero contractionis permultum. Aut uterque paulum, aut uterque permultũ. Aut hic paulum, ille plus: aut paulo minus, aut multo, aut alio quoquo modo. Nam uarietas aperta est. C Neque dicas uel non hoc cerni fieri, uel significare nihil. Immo & fit, & denũciat res maximas. Ex qua nos notitia potuimus præsentire, neque quicquã nobis opus fuit primis temporibus integris & amplificatis. Nam eam cognitionem totum non desiderare motum, sed parari ex qualibet eius parte posse, nemini obscurum est, nisi siquando inæqualis sit. Tum pars toto haudquaquam similis est. At nec in pulsibus ad summum languidis hac uti libet. In his enim ne primum quidem initium cognoscas contractionis, nedum insignem eius ullam partem.

D

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI

De dignotione duri pulsus & pleni, & eorum qui simile quippiam uidẽtur referre. Contra Archigenem, Agathinum, atq; alios ueteres de eorum pulsuum cognitione.

ALITER

Cap. I. De ictu cognoscendo. Magni pulsus dignotio. Aliter affici tactum à uehementia, aliter à duritie.
II. De pleno & uacuo pulsu. Contra eos qui uehementem à pleno pulsu non distinguebant. Contra Herophilum & eius sectatores, qui plenum pulsum non agnouerunt. Contra Archigenem qui & obscure & perperam multa de pleno pulsu scribit, &c. Erasistrati & Praxagoræ errores. III. Explicatio Galeni de pleno pulsu: & primum de plenitudinis generibus tribus. Herophilum nusquam in libris suis nominare plenum pulsum prolixe ostendit. Epilogus.

GALENI DE DIGNOSCENDIS PVLSIBVS LIBER QVARTVS.

De ictu dignoscendo. Cap. I



QVAE pulsib. annexa sunt pro substantiæ eorum propria ratione, antea omnia exposuimus. Nunc de cæteris, quæ nec citra motum arteriarum possunt dignosci, neque eius tamen sunt propria, narrabimus. Est quidam in distentione arteriæ ueluti ictus, qui, cum tãgimus, tactum ferit. hunc, ubi uiolentus sit proprie existimabis ictum uocari: non ita tamẽ si careat uiolentia. De hoc igitur uero ictu, quem uiolentũ occursum dicimus esse, magna diligẽtia attendendũ est. Neque enim parum multarum pulsuum specierum uidetur comes esse, duri, uehemẽtis, magni, celeris, alti, cõuulsiui, & uibrati. Ne ergo deceptus quis cõmuni symptomate in ijs dignoscẽdis labatur, sedulo omnes, & accurate æstimandi sunt. Nam si alijs illi notis discerni possint, & has didicerimus, id quod caput est, assecuti fuerimus. Si non possint, hoc certe satis erit nosse, commune hoc compluribus pulsibus esse. Huius cõmentationis pars optima sit, ut quã ob rem unus tam multis pulsibus communis comitari affectus uideatur uiolentia ictus, causam discamus hoc modo. Quãdo impellia pulsu tactũ, modo sit eius occursum sensurus, necesse est: impellitur autem nõ perinde semper, sed nunc plus, nunc minus, interdũ ut palpet tantum: quicunque motus eum protrudunt & summouent longe, uiolenti hi speciẽ ictus repræsentant. Ac protrudere longe potest motus & duræ arteriæ ueluti contundens tactum. Et qui robore mouentis illam facultatis ueluti euertit. Præterea qui magnitudine distentiõis plurimum progreditur. Iam etiã, qui qua fertur celeritate, impellit ualenter. Et qui præ altitudine ueluti subit ac intrat. Ad hæc qui, quod tensus sit, ægre moueť. Denique qui ob uibrationẽ simul tensionis & duritiei celerisque occursus speciẽ præbet. Quocirca incidas in multos quotidie medicos, qui illos omnes pulsus dicant uehementes esse. Qui siquidem animaduerterẽt, quod hi distent, quomodocunque in cõmuni omnes uelint appellare, nõ laboraremus: sed quia, sicut nomen attribuunt commune, sic naturam putant unam omnium esse, conabimur dolum illis detegere, à clarissimis & apertissimis ingressi, exẽpli gratia, à ueloci. Nam hinc facile errorem deprehendat, qui certe intelligere potest, celeritatem occursus, non eandem esse, & uiolentiam ictus. Nam ut omittam alia, nec longius celer impellere ualet tactum: ni simul magnus sit. Vnde liquet, non hoc eum sua sponte obtinere symptoma. Nã quod illi, cum celer tantũ esset, non etiã magnus, nõ aderat, sed præsentia magnitudinis ei accessit, qua ratione ei proprium dices? Quippe celer simul & paruus nõ longe tactum impellit, sed lõge impellere ma-

A gis ad magnitudinẽ pertinet, uel etiã ad hanc per accidens. Nam si colligamus, quæ de dignoscenda maguitudine diximus: nõ eo quòd longius intrẽt, sed quia multis in partibus longitudinis pariter & latitudinis & profunditatis attingat tactũ, cognoscebatur. ut enim circularem pulsus circunferentiã, quę satis magna est, sensu perceperimus: ex illo deinceps ascensum, qui ex multa profunditate uenit, conijciemus. ubi non totum tactus interuallum assequitur, cæterum externum tantum sentit finem. Itaque si inde usque à primo impetu, cum distenditur arteria, uelimus motũ sentire, magni-B tudinem magna ex parte, uti ante diximus, interpellabimus: ut ne magnum quidem iam pulsum esse arbitremur. Id quod non in omnibus tamen magnis facias: cæterum in his, qui cum magnitudine uehementiam aliqua ex parte coniunctã habent. Nam magnis quidem tãtum, nec uehementibus tamen, ne occurrere quidem ascendentibus poteris, neque premere arteriam. pereant enim mox toti. Vnde planum est nõ hinc magnum, quò longissime intrò tactũ protrudit, dignosci, sed quòd multis partibus longitudinis & circuli arteriæ occurrat. Quid igitur, intime'ne altus impellit? Atqui quod in tribus dimensionibus magnus, hoc possidet hic in una. Proinde si nõ ille, minime hic.
C At magnum ostendimus, nisi uehemẽs quoque sit, tactum non posse protrudere longius: quo minus altus. Quòd si cum magno frequenter imbecillitas adiuncta est: & cum alto, qui magnus nõ sit, ferè uehementia, imbecillitas nunque, alia hæc ratio est. Poterit enim lõgius (quod dixi) impellere altus: uerum non sua tamẽ spõte, imò quod omnino uehemens, aut nõ imbecillus certe sit. Omnes ergo illi pulsus, ut lõge tactũ impellant, planè uehemẽtiam requirũt. Vnde etiã qui ex illis cũ uehementia perpetuo coniuncti sunt, semper uiolenter feriunt. Qui uero nõ semper, sed frequenter, hi quia uidentur ferè uiolenti esse, qui hæc expendũt negligentius, adducuntur eos nunque non tales esse.
D Iam alij pulsus, abs quibus diuelli durities nõ potest, uiolenter feriunt, ut uibratus & conuulsiuus. Nec hi enim aliũde uiolentum ictum cõpararũt, quod à perpetua sua duritie. Quamobrem duo tantũ genera habentur pulsuũ uiolenter ferientiũ, uehementiũ atque durorũ. Sunt tamẽ qui his etiã necessariã præter duritiẽ dixerũt uehementiã esse. Nec enim posse solam uiolentũ efficere ictum, ueluti nec si lapidẽ admoueas leniter: Nam & hic ad ualide feriendũ aliquid desiderat uigoris. Verum de his æquũ est ut quæramus, quid tandẽ sibi uelint, nullum'ne prorsus corpus esse durũ, nomen uero hoc duri nequicquã ab hominibus usurpatũ, cui nulla sit res subiecta: an rem esse certã, cui tribuatur, at dignosci nequaquam sensu posse: an alio aliam sensu, non nosci tactu. Profecto sunt absurda omnia, & corpus nullum durum esse, & ratione

potius quàm sensu dignosci: & sensu tamen alio quopiam potius ac tactu. Atqui si durum concedant esse, & dignosci tactu, quid aliud postea, quam de nomine contendere inuenientur, qui sine uigore negãt uiolentum ab illo ictum edi? Nam si nec uiolentum appellare uolent, omnino contundentem certe, aut repellentem, aut subuertentem uocent, necesse est. Nam de uigore quidem controuersia est. Omnino enim, qui insit in animantium corporibus uigor, non statuitur ab illis, qui in minima, uel indiuidua, uel in compacta discerpũt totam substantiam: tantum conuenit inter hos, qui unitam esse defendunt eam. Vnde nec sensu dignosci cõtentio poterit: sed si poterit, à signo quodam, uel à signis, uel ab indicatione, uel demonstratione fidem capit. At durum & molle corpus sensu omnes nos homines dignoscimus. Itaque quæstio institui de essentia eorum non debet, sed de ratione dignoscendi: atque adeo non de hac, immo de eo, qua potissimum ratiõe affectum tactus sui alteri interpretetur aliquis in occursu durorũ corporum, ac quatenus à uehementibus hæc distent. Verum quia hoc neglexerunt, qui nos præcesserunt, id nos facimus, orationem exorsi ab ijs, quæ inter omnes mortales cõstant. Quando uehementia quædam non animalia modo uocamus, ut leones & tauros: sed & inanima quædam, ut fluuiorum decursus, uentosque magnos: alia porrò dura, ut æs, ferrum, lapides: memorare oportet, cur ab utrisque his, ubi nos attingãt, diuersi corporibus affectus inferantur. Nam occursus uiolentus communis utrisque est, tam uehemẽtibus uentis, quàm duris corporibus. Sed habent hoc præ cæteris scilicet uenti, & fluuiorum fluctus, ut euertamur ab ijs. Lapides, & ligna, ut premamur, & contundamur. Aduersus illos enim, etiam si magna ui contendamus, ire contra prorsus prohibemur, atque euertimur, repellimurque uiolenter: sed præter ullum pressum, uel contusionem, uel repressionem corporis partium. In alteris uero pollet pressus, & contusio. Perspicies maxime, sicubi corporis parti lapidem imponas non ita grauem, quem si uelimus, facile abijciamus. cognosces profecto quemadmodum impositus grauet, premat, contũdat, & ueluti cutẽ subeat. Deiectus aũt relinquat quoddam corpori uestigium, & pressus signum. Nam aut cauiorẽ reddet partem solito, & ut uestigium diu seruet, aut liuidã præterea. At non uentus, ut uehementissimus sit, ut euertat, ut deijciat, cõprimit, cauatque corporis ullam partem. Quippe, qui mollis sit, facile circũ corpus diffunditur, & circũfluit. Quapropter maximas facile naues impellit, & uero deturbat sæpe: tamen nullũ cauat in ijs lignum: ut si lapis uel ferrũ impingatur. Hæc enim rumpere possunt, & comminuere: at repellere, ut uenti, & euertere non possint. Itaque quibus carnis nostræ natura cedit, dura hæc nuncupamus: Quæ ipsi carni, ut aqua, hæc uocata mollia sunt. Atque id est, quod Plato dicebat dura esse, quibus caro nostra cedit: & mollia, quæ carni. Nam si incidat in humidam rem aliquam tactus noster, clarissimũ est tactum eam diuisurũ esse, humidam uero cessuram & excepturam. At in duram si incurrat, omnino ille potius cedet cauabiturque. Atque, ut orationem tandem concludamus, fingamus manum nostram nunc aquæ rapido fluctui, uel uento uehementi ex aduerso occurrere: nunc lapidi, quem altera manus sensim admoueat: nónne aperte à prioribus perspicies euerti, nõ pressam tamen: & lapidem ab hac euerti, sed pressã ab illo. Nam durum quidem, quò minus progrediamur, obstare per se non potest: sed aut per pondus, aut motum acquisititium impedire interdum poterit. Vehementis uero notio hoc ipsum obstaculum, impedimẽtum, repulsionem, atque euersionem complectitur. Liquet ergo aliud nos cum uehemẽtia tangimus, aliud cum dura, sentire. Nam hæc premunt carnem tantum, illa impediunt progressum. At quia sæpe fit, ut ambo conueniant: atque, quod occurrit, durum sit pariterque uehementer moueatur, non potest sensus etiam non duplex nobis offerri, unus ueluti prementis, alter ueluti euertentis. Quæ si sunt ita, ut sunt certe, duri pulsus in premẽdo tactu cognitio ponẽda est. ut uiolentia utrisque coueniat: sed proprium duri sit premere, euertere uehementis. Hi sunt affectus tactus, hæc etiam usitata Latinis illorum nomina.

De pleno & uacuo pulsu. Cap. II

Atqui posis alijs quoque hæc nominibus interpretari. quod facile illi facient certe, qui cõtinuitatem totius substãtiæ interpollant uacuo, id est, omnes, qui corpora ipsa parua & indiuisa, indiuiduaque, & incompacta: quòd modo concrescant, modo diuellantur: ideo generationes & interitus contendunt efficere. Qui, ut si nullum agnoscant uitalem uigorem, ubi confertim multa & uelociter ferantur hæc parua corpora, tum ictum creare hæc uiolentum confirmant, quemadmodnm in uentis, & fluctibus contingit decurrentibus. Conferta dicere, & multa, densaque, perinde esse dicũt, ac paucum immistum esse uacui: quod tãtum ualere, quantum solidas substantias capedinem implesse arteriarum. Vacuitatẽ enim eius, ut ipsum declarat nomẽ, esse à uacuo dictum. Hoc enim in omnibus cõcretionib. cõtineri: ac prout id augetur uel imminuit, ita nũc dura, nũc mollia corpora effici. Ac nũc plenos fieri eorũ internos uentriculos, rursus forte uacuos. Ita tunicã quidẽ dicent arteriæ durã uel mollem fieri ex quantitate admisti concretioni uacui. Internam capedinem plenã & uacuam, ob quantitatẽ hic iterum cõmisti cum illa uacui. Magnũ autem dicẽt quendam esse pulsum, sed renisum non habere in occursu: ubi multum in cauitate arteriæ uacui sit, ipsaque pauca sint prima corpora. At uero magnũ esse & euertere, cum parũ uacui, & frequentia corpora sint. Itaque iam apertũ est, nihil apud illos interesse inter plenum pulsum & uehementẽ: Quippe tactus unũ esse affectum, & unam naturã pulsus. Nam cum parum in capedinibus arteriarum insit uacui, ob multitudinem tumorum plenum pulsum dici, & ob ictus uiolentiã, uehementẽ. Proinde ex nominibus

nibus illis alterum essentiã denotare pulsus, alterũ qualitatẽ cõcursus. Nõ igitur diuersos esse pulsus plenum & uehementẽ, duobus enim unã rem nominibus significari, pro diuersis notionibus. Nos uero, qui uigorem quendam statuimus uitalem, geminam non poterimus nõ fateri pulsuum naturam esse, si dignoscendi rationẽ eorum diligentius attẽdamus. Est autem plena difficultatis hæc cõmentatio, ꝙ nihil propemodũ ueteres de dignoscẽdis pulsibus scripserunt. Sed alij prorsus præterierũt, alij sanè quamleuiter attigerũt. Nam Herophilus, qui affectus sensus cõscriberet, nusquam plenitudinis, quam sensit nunquam, meminit. Qui uero dicti ab illo Herophilij sunt, omnia maluntꝙ illud dici, sophistæ sanè & loquaces homines penè omnes. & cum nullum aliud Herophili præceptum in ipsis artis operib. probare studuerunt, tum præter alia quib. artem polluerunt, etiam plenum nobis pulsum inuexerunt: ut quasi parua sit ipsa ars, haberemus nunc, quod ageremus. Neq; eñ pulsum prẹterire fas est, à uiris constitutum tam claris: neq; quem experiundo nunquam inuenimus, posse prompte, statuendum nobis est, dignosci, alienas sequentibus asseuerationes. Verum ostendẽdum est primũ ad notionem usq; hunc pulsum progredi. Deinde ne Herophilum quidem in eius notitiam sensu unquam peruenisse. Quòd si iam nihil illi significationem confudissent nominis, haberẽ nunc aliquid dicere de illis, quæ dicturũ recipio. Sed quando uarijs eam modis conturbarunt, nec inter se mutuo consentientes, nec secum quisq;, cogimur primo loco dispicere de significatione, ne quid imprudentes, ut corui & graculi, dum uoces edimus tantum, res ipsas, quibus attributæ sunt, prorsus ignoremus. Et cum nomen pleni pulsus multi scripserunt, cæteros certum mihi est prẹtermittere, nisi quando, si ita series orationis ferat, strictim attingã. Archigenis & Agathini mihi satis erit scripta in manus sumere examinãda. Ac de eo Archigenes in hũc modum loquitur. ἔστι δὲ πλήρης σφυγμὸς ὁ ναστότερον ἐπιδεικνὺς τὴν ἀρτηρίαν, καὶ τὴν ὑπόπτωσιν αὐτῆς διασεσαγμένην ἐγχύλως. κενὸς δὲ, ὁ πομφολυγώδη τὴν ἔγερσιν τῆς ἀρτηρίας ποιούμενος, ὥστε καὶ τὴν ἐπίπιεσμὸν τῶν δακτύλων κενεμβάτησιν ὑποπίπτειν. In ea definitione primũ quid τὸ ναστότερον denotet, parum liquido noui: ꝙ insolens apud Gręcos sit, ut eiuscemodi de re usurpet. Nam genus quoddã panis appellabant ναστὸν. aliud corpus ab ijs ita ullũ appellari haud scio. Ipse Archigenes (nam decet de illo nos eius usum nominum discere) τὸ ναστὸν pro pleno mihi uidetur usurpare. Nam in lib. de uehementia pulsus exponens Magni uerba sic ad uerbum scribit. Omnino, inquit, uehemẽs ictus non fit, nisi ναστὸν sit, quod occurrat, & magnũ, & celere inferat. A quibus paulo post in hũc modũ scribit. Et uehemẽtia pulsus ex celeritate, magnitudine, uehemẽtia, plenitudine, conflata est. Nã quod suprà ναστὸν, id plenũ hic uocauit. ut nihil differat, hoc pacto, an illo dicas. Et uero ubiq; mihi ita uidetur nomine τῷ ναστῷ uti. At mutemus iam τὸ ναστότερον in plenius, ut quid dicat intelligamus. uerba eius hęc sunt. Plenus pulsus est, qui pleniorem ostẽdit arteriã. Atqui hoc uel sua spõte clarũ est, nec nos noui quicꝙ docet. Præstat ergo totũ hoc ναστότερον relinquere, ac ꝗd in definitiõe sequit̃ cõsiderare. καὶ τὴν ὑπόπτωσιν αὐτῆς διασεσαγμένην ἐγχύλως. Tale quiddam significare hæc clausula uidetur, plenum pulsum in occursu arteriam ostendere διασεσαγμένην ἐγχύλως. Hic iterũ τὸ διασεσαγμένην, idémne sit ac plenũ, an aliud quid indicet, planè non habeo conijcere. Nam cum opponeret postea definitioni pleni τοῦ ναστοτέρου, definitionem uacui, nec cõtrarium τῷ ναστοτέραν sumpsit, neq; τῷ διασεσαγμένην. quod quidem si rem contrariam definiret, sumendum erat. At non sumpsit, sed quid ait? Κενὸς δὲ, ὁ πομφολυγώδη τὴν ἔγερσιν τῆς ἀρτηρίας ποιούμενος. Hoc enim πομφολυγώδη nec τῷ ναστοτέραν, nec τῷ διασεσαγμένην contrarium est, sed si cui alij, certè soli τῷ ἐγχύλως contrariũ est. ut τὸ ἔγχυλον ueluti humidius quodammodo sit. & τὸ πομφολυγῶδες magis aereum. Iam uacui etiam definitioni additũ est, ὥστε καὶ τὸν ἐπιπιεσμὸν τῶν δακτύλων κενεμβάτησιν ὑποπίπτειν. Cui uerbo in definitione pleni, quod contrarium sit, non reperias. Nam τῷ κενεμβατήσεως nomini rectissimè ἀντίβασιν opponeret. at hoc in pleni definitione prætermissum est uniuersum. idq; cum in eundem modum posset dici, ὥστε καὶ τὸν ἐπιπιεσμὸν τῶν δακτύλων ἀντίβασιν ὑποπίπτειν. At non dixit. Nisi id fortè pleniorẽ ostendere arteriam, hoc est, ut in utraq; definitione, non quid plenus pulsus sit, declaretur, sed quæ sit eius dignoscendi ratio. Quod si est, assequamur fortasis. Nam si affectuũ tactus nostri hæc definitio expositio est, nec rei ipsius usquam naturam attingit, meminisse omnium possum, quæ in distinctione arteriæ patit̃ tactus. fortasse itaq; assequemur Archigenis mentem. Nam quæ patitur, hæc sunt. Occurrens sibi sentit aliquandiu corpus motum. Idq; modo multis in partibus uidetur sibi occurrere, modo non: ac nũc premere, nunc nõ premere. Ac cũ nos premimus, reniti, uel uinci. Hi primi affectus tactus sunt, ac ueluti elemẽta totius de pulsibus cõmentationis. Nã reliqua omnia partim ex his cõstant, partim in relatione intelligũtur, siue partes commemoratas mutuo cõpares, siue tota cũ totis. At de quonã horũ pleni nomẽ dicitur, an de ipso motu? Atqui celeritas in illo & tarditas erant, rhythmiq; illinc nascebãtur. An ubi in multis partibus distentionẽ tactus sentit? Immo longi hinc, lati, alti, magniq; prodeunt pulsus. An cum in paucis? cõtrarij uerò tum commemoratorũ. An cum premitur? durus. cum summouetur? uehemẽs. Quid enim de cõtrarijs horũ & medijs multa disputẽ? Quando ergo existit plenus, aut quẽ patietur pulsus affectum? tum ne ubi calorem largiorem, uel acriorem sentiat? Atqui non ex pulsuum differentijs id dignoscitur. An cum humiditatem uel siccitatẽ? Sed nec hi sunt affectus differentiarum pulsuum, cum hæc uel citra pulsum, si manum admoueas corpori laborãtis, explorare posis. Ecquod

ergo renisus genus aliud in uehementibus, aliud in plenis appellat? nam potest tale quid etiã Agathinus sentire. Verũ si hoc sentiebat, aperire debebat nobis, nõ Sphingis proponere ęnigmata. An uero nõ solum res uolunt ut inquiramus tam difficiles: sed ut pro cumulo, quid dicant, expedamus, ac infinitum tempus in eo ponamus, an in rebus ipsis inueniendis? At expendamus Agathini iam uerba, atq; hoc quæramus, an renisus aliud in uehemẽtibus genus, aliud in plenis statuat. Adeoq; hæc eius uerba sunt. Consequit enim in cõsideratione plenitudinis & uacuitatis pulsus: Pleno tensum & contẽtum perpetuo spiritũ repręsentante: uacuo in diffluentẽ & in renisu euanescentẽ, ut instar sit aquosæ bullæ, quæ rumpit. Huic quidẽ eo nomine gratias habemus, q; Sphingis non ponat ęnigmata, ut fecit Archigenes, alijq; nõ pauci. nã recte an secus dixit, per ocium expedamus licet: Mens quidẽ certe eius clara est. Vult eñ tensum & contẽtum perpetuo spiritũ in plenis apparere pulsibus: Infirmũ & fractũ, nec quicq; renitẽtem in uacuis. At natiuúsne spiritus atq; uitalis sit, qui per corpora, ut illi contẽdunt, tẽsus est: an aereus & materialis, qui cõtinet in capedinibus, parum uerba declarãt. Tamẽ ex tota illorũ uirorũ sententia ipsum uitalẽ conijcias dici. Sed siue hic sit, siue ille, tantũ admonebimus illum eiusq; asseclas, ne placita cum sensus affectib. cõmisceant: sed ut decet empiricum. Neq; enim experiẽtiæ imminuerint dignitatem, si explicauerint prius nobis hæc, quę de tactione ipsi attulerũt: ac deinde, quomodo ab ijs oratiõe ad placita proficisci oporteat, docuerint. Qui igit sensus affectus in ea erunt, si nomẽ spiritus immutemus, & ictũ appellemus? Erit eñ hæc oratio. Plenus pulsus tẽsum & contẽtum perpetuo ictũ repræsentat. Vacuus uero diffluentem, & in renisu euanescentẽ, ut instar sit aquosæ bullæ, quæ rumpit. His tam bene mutatis proferamus hic paruũ eius librũ, ut quid de uehemẽte & languido pulsu dicat, uideamus. Verba eius sic habẽt. Nam q; uehemens etiam pulsus sit, qui uiolenter ferit tactum, & in occursu fortiter euertit eum, constat hinc, & cõuenit inter multos. Mox subijcit. Contraria intelligunt de languido. Nam debiliter & languide occurrit tactui. Hæc recte quidem Agathinus, sed nihil ab ijs, quæ de pleno & uacuo sunt dicta, differũt. Nam contentũ perpetuo ictum esse, nihil est aliud ac uiolẽter ferire tactum, & fortiter euertere. Quorũ illud quidem de pleno, hoc uero de uehemẽte dictum est. Iam etiã in renisu euanescere, idẽ est quod debiliter & languide occurrere tactui. Quorũ etiam illud de uacuo, hoc de languido est dictum. Atq; Agathinus in hũc modum exposuit affectus tactus in uehemẽtibus pulsib. & languidis. Archigenes alio modo. Veruntamẽ & ille sic scribit. Itaq; si per se æstimetur, manifeste apparet sua spõte uehementiam uigorem esse, ut diximus, arteriarum motus. Inde addit. Apparet porrò per totam distentionem firmitas impetus, ex qua, arteriã si cõprimamus digitis, firmior occurrit ictus. Hæc tam sunt

A aperta, quæ dixit de affectibus tactus. In quibus nullum habebimus propriũ affectum monstrare plenitudinis: nisi sane, ut quidam dixerunt huius ætatis homines, cum plurimũ pulsus eleuatus renitatur. Atqui hæ duæ sunt species pulsuum, non una. Nam cum plurimũ attollitur, siquidem in tribus dimensionibus fiat, magnum efficit pulsum: in una duntaxat, uel lõgum, uel latum, uel altum: nam reniti idem est quod uehementẽ esse. Quòd si quis magnum simul & uehementem uolet uno nomine uocari pleni, uocet licet. De nomine eñ nõ contendimus. Tantũ sciat, nihil se nouæ differentiæ aliunde præter cõmemoratas, ut nunc est, adducere. Nam si duas aut tres earũ accipiat differentias, quas peculiaribus nominibus appellet,

B nulla inuidia est. Verũ de nominibus nõ agimus, sed de rebus, de quib. si quis habeat quod præter quæ nos diximus afferat, libẽtes didicerimus. Excogitare uero differentiã quandã pulsuũ ex arteriæ infusione (sic enim quod in ea cõtinet humoris, appellant) equidẽ comprobo. Ac intelligere eam possum modo crassiorem, modo tenuiorem & hercle etiam lentiorẽ, uel aquosam, uel copiosiorem, uel pauciorem, uel aeream, uel aliã qualis qualis sit. Siquidẽ spiritum cogito tantũ eas continere, atq; hunc interim purũ & serenum: interim caliginosum nebulosumq;. Sed hoc non est instituti nostri, ut animo concipiamus, quæ esse possunt, imò de essentia agimus eorum. Cum uel contraria liceat cõcipere: ut simul sint, fieri nõ potest.

C ut sanguinem cogitamus cõtinere arterias, & nõ continere. Neque enim quæreremus de eo, quod nequaquam concipimus animo. At non est huic quæstioni propositũ, ut in notionẽ eorum ueniamus, sed esse mõstremus. Neq; enim est quisquã, quin in arterijs posit intelligere sanguinẽ contineri. Sed an re uera, & cum naturæ lege dispensatur animal, sanguinem contineat, hoc quærimus. Ac multa de eo scio Archigenẽ uerba facere. Verum si id potest deprehendere sensus, nequicquã multa nugatur. Cum aperte mentiri dicere liceat Erasistratum, qui id agit, ut quæ sensu didicimus, hæc suadeat oratione aliter habere. uerum nemo ausus est, ad tactũ humorẽ, qui in arterijs est, confirmare peruenire. Sane nihil malim quàm ut hoc

D obtinere possem, ne cum inuestigo ratione ueritatem, negocium mihi exhiberetur. At quid tãdem dicat, plane nõ intelligo. Plenus est pulsus, qui occursum arteriæ humide tumidum ostẽdit. Vtrum ceu ipse hoc tactus posit cognoscere, an ceu hic patiatur quod patitur, & affectus uiã aperire posit arterię status cognoscẽdi. At hoc si dicat, ex affectibus tactus cõijcere aliquid de statu arteriæ licere, ego nõ contradico. Etenim Praxagoras hoc & Herophilus facit, ac prope omnes, partim plus, partim minus, partim etiã deterius, partim melius. Praxagoram autẽ forsitan etiam mireris: qui cum humores neget contineri in arterijs, ex pulsibus tamẽ colligere quasdam eorum species molitur. At affectum sensus haudquaq; communem adducit. Ea enim ratione ænigma faciat orationem

tione suã, ut qui legat, nec intelligat, profundi aliquid uerbis & mirandi arbitretur subesse: ibiq; ætatem cõterat, nimirum perpetuo quærẽdo, nec tamen quicquam inueniẽdo. Nam quomodo inueniatur, quod nusquã existit? Quin tu, nõ tantum humorum species cedò ex pulsuũ differentijs discerne, sed animi etiam mores, ut Hippocrates conatur. Tantum quæ sensus patitur, amabo te profer: nec quæ haudquaquam patitur, falso aude ei tribuere: neq; ex uno affectu diuersos pulsus iacta te cognoscere. Est quidã pulsus, qui multũ renititur, adeo ut, si premas etiam arteriam, nõ moueatur à manu. Hunc retine, ac quouis uoca nomine. Nam si modo uehemẽtem, modo plenum uocas, interdum alio nomine, existimasq; numero nominum multas te res efficere, quis te feret? Habeo signa ego etiam ex pulsibus de specie humorum, & de affectibus animi: tamen ex sensibilibus, quos nuper cõmemoraui, affectibus omnia conor dignoscere, nec dico usquam pulsum præruptum, grauẽ, leuem, aquosæ speciei, flatuosum, in angulũ redactũ, distentũ, laboriosum, strictũ, decumulatum, circumuolutum, fustiarium, neq; quicquam aliud, quæ isti ratione excogitant, nec percipiũt affectibus sensibilibus. Adeo iã etiam, quæ sentit auditus tantum, ad tactum traducunt. Nam quid aliud, cum stridentes dicãt, & strepentes, & resonãtes pulsus, quàm de tactu ceu de auditu disputãt? Itaq; efficiũt deniq;, ut fides etiam ueris detrahatur. Acuit quidam huius ætatis minime malus, uerbositatem dixit esse cõmentationem pulsuũ: qui hercle dixit rectissime, quod multa uerba funditent, nec quicq; doceãt cõmodi. Qui hoc, si non in disputationibus, in scriptis certe debebant uitare, quod dixit Comicus, Garrire doctus, uerum ineptus dicere. Et mihi plenum pulsum scribis, nec tantillum mihi potes, ut exponas mentem tuam, tunicæ ne arteriæ significes qualitatem, an quantitatem infusæ in eas substantię, an qualitatẽ spiritus, an deniq; caloris facultatẽ quãdam uel qualitatẽ. Nam omia mihi uideris dicere nõ distribute & cõfuse. Aut quo plenitudinis mihi uini mẽtionẽ facis pro exẽplo? Quid etiam in tractatu De plenitudine in hæc uerba loqueris? Itaq; si plenũ nõ substãtia, sed facultate uelis æstimare. Et paulo post. Sopor facultatis in talib. plenũ pulsum designat, quæ nomina sunt intẽperiei spiritus. Et queadmodũ, ut gustarũt uinũ gustatores uini, plenũ dignoscũt: ita pulsuũ periti, plenũ ex facultatis sopore, etiã si semiuacuus sit, animaduertunt. In his ad facultatẽ referre mihi pleni pulsus notionẽ uidet. At ubi De plenitudine agit, uniuersa mihi uideẽ confundere et miscere. Id adeo ex eius uerbis intelliges, quæ hæc sunt. Quemadmodum autem lanarum compages, inde deprehendi potest, ex quo uacuæ & plenę dicunt, & uini qualitas nõ pungẽs, sed illinc admota linguę dignoscit; qua plena & uacua uina distinguimus: et ipsum etiam corpus apprehendimus, tũ uacuum, tum plenum, tam in eo quod naturaliter alius aliud habeat, quam in morbosis affectibus, ut inflamma-

A tione, œdemate, inflatione: ita etiã inexercitatas carnes discernimus ab exercitatis. Rursus in hac oratione quæ de uino dicuntur, conuenire cum plenitudine facultatis uideantur: quæ de inflammatione & œdemate, cũ plenitudine, quæ in ipso est corpore arteriæ. At uero exemplum lanarum omnino nõ intelligo. Neminẽ enim ego unq; audiui plenam & uacuam lanã qui diceret, ut rogarem, quemadmodũ diceret. Imò ne de inflammatione & œdemate, ex quoquã audiui, nisi ex Archigene. Tamẽ ex his intelligere possum, quid significare uelit nomẽ plenum. Nam quod contrarium laxo est, uocat plenũ. Vacua uero quædam & plena corpora mangones & pædotribas audiui dicere. Verũ nõ in modũ œdematũ & inflãma

B tionum: sed, ut in primis proprie & usitate dicuntur, perinde ac uasa plena uacuaq;, appellabãt. Ac cutem prehendentes reuellebant, ut uiderent remissa esset, an contenta. Itaq; ex laxa uacuum, ex contenta plenum conijciebant. Et uero eum etiã, qui gracilior crassiore esset, ex ijs indicijs pleniorem uocabãt. Has nugas cogimur agere, propter eos qui primi friuola, ut ita dicã, sunt nugati. Quasi enim nomina Archigenes interpretaret, & nõ declarare res institueret, multa coegit in unũ exempla & nomina, quæ nec uni rei omia cõgrua sunt, nec ex usu autorũ appellata. Nam apud quos autores, aut uinum, aut lanas plenas, & uacuas inuenias scriptum? Restat ergo, ut ad cauponas, mulieresq; adeamus requisitum, quomodo interpre

C tentur, & quõnam hoc conducat. Certe si uti pleni nomine gestiebat, modo rem declarasset apertè, cui nomẽ tribueret, nõ essent necessaria exempla. Cæterũ de nominis usu etiã in tertio libro De pulsuum differẽtijs abunde tractauimus, ac nunc etiam meminimus, ut Archigenis in docẽdo confusionem aperirem. Neq; enim multa complicare, & infinita garrire oportebat, cum pauculis uersiculis totum tradi facillime posset in hũc modũ. Nam quod obscurè ille multis uerbis conscripsit, breuibus faciam ut planè explicem.

Explicatio Galeni de pleno pulsu. Cap. III

Genus quoddã est pulsuum, quod ipsum arteriæ corpus quo statu sit, declarat. Alterum, quod qualitatẽ substantiæ quã continet. Ac tertium na

D tiui spiritus eius ostendit facultatẽ. His tribus generibus plenitudo nomen est. Hæc si scripsisset, & apertè scripsisset, & compendiose: nec hic nos enecaret, dũ inquirimus, primũ quid dicat, deinde ecquid erret: sed mẽtem eius assecuti planè, ad inuestigandum nos, ecquid erret, cõferremus, iterum in hũc modum orationẽ instituẽtes. Horum triũ generum Archigenes primum, quod in statu positum est arteriæ, tum est, tum cognoscitur: ueruntamen plenitudo ab autoribus non appellatur, quod in tertio commentario De differẽtijs pulsuũ demonstrauimus. Illic enim egimus de nominibus. Non de nominibus hoc loco, at de ipsis pulsibus dignoscẽdis disceptamus. Tu id pro tuo arbitrio uoca. Dabis autem nobis, ut uocibus utamur consuetis & approbatis, ac durum quendam

pulsum

pulsum appellemus, atq; mollẽ alterum ei cõtrarium. Præterea tertiũ, in medio utriusq; positum, moderatum & natiuum in statu corporis arteriæ. Ergo quem plenum tu, ego durum uoco, quibusnam affectib. tactus, qui sentiri possunt, deprehendemus? Nam arteriæ tunicã nemo ambigit, quin necesse sit uel adstrictã esse, uel remissam. Verum hoc nunc non quærimus: immo uero quæ eius sit ratio dignoscẽdi. Hoc nos clare fac doceas, nullis inuolucris utens. Atqui nõ facis. Neq; uero te eo accusamus: neq; quia affici aperte tactum explicauimus aliter in uehementibus, aliter hisce in pulsibus, ideo exultamus. Nam uobis senioribus, qui hęc magna cura inuestigastis, referimus acceptũ, si quid nos inuenimus boni, non inuenturi certè, nisi ad uestra scripta, qui glaciem secuistis, & uiam nobis ad ea aperuistis, meditati sumus. Quare hoc relinquamus, ꝗ affectu tactus puta pressu discernitur & secluditur à uehemẽte. Subuertendi enim uim illi, & renisum tribuimus. Iam quæramus secundum illud de duobus plenitudinis reliquis generibus. Quorum prius, quod de ipso spiritu, ut uultis, intelligit̃, quidnam sit, nec hoc possumus intelligere, uti etiam tertio in libro De pulsuum differentijs demonstrauimus. Verũ (quia illic quæ sumus latius prosecuti, hic breuibus uolo perstringere) aut caloris ardorem, aut uigorem eius dicitis: hæc namq; ex uerbis uestris quasi oraculis tortuosis Apollinis Loxiæ eruere potuim⁹. Iam horum reliquũ est ut signa tradamus. Vigoris quidem iam indicia didicimus, gratiasq; agimus. Scilicet renititur pressui, ut confirmatis, tactumq; summouet. Ardorẽ hunc caloris nihil requirimus, nisi ut doceamur quousq; tactus noster animaduertat. Neq; sanè ulla tactũ nostrũ latebit differentia caloris. At non possumus hic nos non mirari, si in pulsuũ differẽtijs ea, & nõ in febrium aggregabitis. At hoc mittamus in præsentia, nec de eo contendamus. Reliquũ genus quemadmodum dignoscat̃ attendamus plenitudinis. Hic tactu non habeo quid conijciam, nec an spiritus in arterijs solus, nec an etiam quidam humores contineantur. Imò non ualetis, ut demonstraui antea, si quando Erasistratũ refellitis, uel Praxagoram: cum asseritis sanguinẽ in arterijs esse, sensum appellare testem: haudquaꝗ̃ id prætermissuri, si conspicuũ sit. Nec uerò illorũ etiam ad sensum quisquam confugit testem, ut confirmaret arterias esse humoribus uacuas, spiritusq; tantũ instrumenta. Et rectè sanè. Quippe tactus, spiritúsne in arterijs tantum sit, an simul humores aliqui, non ualet declarare. Itaq; inanibus nugis horum repudiatis, ipsi dicamus apud nos soli, nullum prorsus sensum esse, quo dignoscas, in arterijs contentus sanguis quàm sit multus & qualis. Ac primo loco nobiscũ repetemus, nõ posse in aqua inter cutẽ nos, humor sit an spiritus, qui in regionibus uetris cõtinetur, tactu explorare, nisi cauata pressu cute. & uero frequenter nõ cauari conspicias in synceris ascitis, & aqua inter cutẽ, quẽ tympaniten uocãt. Sed ad ueram notitiam comparandã pulsare cogi-

A mur abdomen, ut attẽdamus, si ueluti tympanum resonet. Secundo loco aliter cõponere hominem & in latera cõuertere, quò fluctuationẽ aliquam exaudiamus. Ac nobis strepitus in modũ tympani, spiritum annũciat: fluctuatio humorem. Vno uerò admoto tactu distentũ abdomen, nõ deprehendas, ex aere sit an ex aqua. Tametsi cutis his, & quicquid carnosum erat secundũ peritonæum & crassa cute tectum, contabuit. Atq; quia extenuatæ sunt partes circumiectæ, copiosaq; est quæ cõtineatur materia, diuinare tactu etiam licet, an spiritus sit qui contineatur. attamen hic etiam soli tactui parum tutò fidem habeas: nedum in arteria tam crassa munita tunica, ut peritonei sit sextupla, & quã cutis sæpe tegat bene crassa. Nec enim

B ægroti, quos uisimus, semper tabidi sunt. Cũ præterea tertius accedat motus, qui etiam nõ parum ad confundendam notitiã ualeat, quid tandem tactu cõperire exactè poterimus? Etsi ad cõturbandum notitiã eius quod continetur, satis erat arteriæ perpetuus motus. Quo ergo licebit signo aut quantitatẽ contẽti in arterijs humoris, aut qualitatẽ cognoscere? Nam magnitudine quidem pulsus, contẽtæ substãtiæ cognoscimus copiam. Sed non perpetuo hinc nobis liquidum esse ipsam humorem constat. Duricie uero statũ arteriæ corporis. Renisus ictus nõ crassitiem substantiæ significat, sed robur uitalis uigoris. Nam ridiculum sit, si adeo continere unquam crassum adducaris humorem, arteriarum capedinẽ, ut renitat̃ pressui:

C imò si uel sit lutum, facile cedat premẽti, nisi lapides in arterijs & arenam putamus cõtineri. Nam ita renitetur deniq; arteriæ crassities prementibus: aliter nullo modo. Equidem libenter utrẽ repletum humida materia his, qui ita elimatum tactum iactant, ut uerbis ueritatem superent, explorandum offerrẽ, quæ insit in illo materia. Nam ne aquam quidem tenuem à crasso uino discernant. Neq; uero, si unus uter picis liquidæ sit plenus, alter aere, sic etiã deprehendãt. Solæ enim fluctuationes & strepitus facultatem habent discernẽdi, quid sit quod contineatur. Sensus autẽ tactus usquequaq; manet similis. Quin qualitates humorum ne fluctuationes quidem annunciet. Verum hoc ipsum duntaxat commune, humorẽ, qui con-

D tinetur, nõ spiritum esse. Et quomodo credas, qui nec ualent per unicam utris tunicam dignoscere contenti qualitatem, per cutem posse non minus utre crassam, membranasq; minimũ binas, ac per tunicas necessario duas, humorem, qui in arteria est, dignoscere? Atq; hæc quidem illi dicant, nec Herophilum onerent mendacijs: neq; graui nomine rudes territent Herophili librorũ: neq; hinc fidem uerbis parent. Turpe enim est quasi ad subsellia testibus certare. Si demõstrationem afferre potes, audiem⁹ te libẽter. Herophilũ uero eiusq; asseclas proferre testes, declinãtis est rectum certamen, & causas, exceptiones, technasq; cõmentantis, ne detegaris. Constat non iam inquirendæ rei gratia, sed historię supponi falso citatos testes. Hæc'ne dicit Herophilus? Minime uero. Imò nõ

tu

tu aufugeris. Ostēde quemadmodū mētiar, ostende quomodo dicat. deinde dictio forte ambigua profert: eoq; bellum conuertit, quidnā significet dictio, & quid uelit. Ibiq; in dicto & sententia uertuntur epichiremata rhetorica: in amphibologia itē alia: & hercle in syllogismis etiā. Imò omnē sic rhetoricā huc trāsferūt, ut si argumentū aliquod meditarentur, nec propositum studerent efficere. Quid enim nō adduxerunt recētiores medici ad quæstionē, cum quidā scire Herophilū defendāt & hāc pulsus differentiā. Contrà quidā nescire conent probare. Miseri certe utriq;, & misericordia digni: illi, q imperiti: hi, q sunt contētiosi. Nō minus nos tamen infelices, quibus, si artis colamus cōmentationem, nō est satis: sed & quid Herophilus, quid Heraclides, & Chrysermus, & Hegetor non probe exposuit: quid porrò Apollonius dixit, & Bacchius, Aristoxenusq; uolumus scire: & si deprecamur, compellimur plane: duobusq; exercitamur malis, tum quòd ab re nugamur, tum quòd inuiti hoc facimus, quod illi. Nunc quidem certe alterum mihi necesse est, aut ut Archigeni uidear, & Herophilo, sexcentisq; alijs refragari: aut demonstrem, nullum de Herophili sententia plenū pulsum esse. Ac si id ut operæpretiū tractē, non aliter ac illi de inani sedulitate reprehendendus sim. Nunc quando ex ipsa rerum ueritate illorum sententiam coargui, qui ad ipsa artis opera properant, ad ea dimittam, quia iam propositam quæstionem absoluimus. Quòd si qui auēt etiam ueterū scripta cognoscere, temporeq; ad id abundant: omnia adijciam, ac declarabo, nusquā Herophilum ad ullam rem uti pleno pulsu. & primū ab ipso capite exordiar, quod illi proferunt: quod ab Herophilo libro primo de pulsibus est scriptum, quod mihi solum uidentur legisse. Atq; sic habet: In summa, differre mihi uidetur pulsus à pulsu, πλήθει, magnitudine, celeritate, uehemētia, rhythmo. Hoc prolato, quid πλῆθος sit, quærunt. quasi uero, si nesciamus, quid πλήθει significetur, necessario πληρότης ab eo, id est, plenitudo significetur. Itaq; ego lepidè, ni fallor, respondeo. Nam τὸ πλῆθος crebritatē illū affirmo designare. Rursus utiq; alijs respondeam, τὸ πλῆθος uehementiam denotare: ac quiduis citius, q plenitudinē dicam: ut uideant, nugari uolentibus, quāta licentia sit. Nam cur plenitudinē potius q crebritatem πλῆθος denotabit? num quia primā syllabam τῇ πληρότητι & πλήθους ijsdē elemētis proferimus? Quod si est, etiā ἡ πληγὴ, τὸ πλήσιον, ἡ πλησμονὴ, τὸ πλῆκτρον, sexcentaq; sunt alia, quorū ex ijsdē elementis prima syllaba constat. At ēm longe, inquiunt, remotæ horū significationes sunt à τοῦ πλήθους. Qui autem minus plenitudinis significatio à τοῦ πλήθους significatione procul abest? Imò probabile est, inquiūt, differentiam plenitudinis, quæ est in pulsibus, commemorari nunc, atq; ab Herophilo cognosci. Quin potius uerisimile est, duriciā cognosci & appellari, cum & hæ pulsuū differētiæ sint, easq; prorsus Herophilus cognosceret. Vnde igitur differentiam plenitudinis dicat, multo præsta

A bat mea sentētia, reuoluisse antea omnes eius De pulsibus libros. Mihi quidem hanc legem statui, ut unumquenq; scriptorē ex seipso declarem, nec inanibus suspicionibus & affirmationib. demonstratione uacuis delirem, quid aliquis dicat. Atq; quo inuenisti apud Herophilum alio loco nomē pleni, cum crebri inuenias millies? Proinde cum differētia plenitudinis & incognita sit (ut demonstrauimus) nec eius alibi Herophilus meminerit: differētia porrò crebritatis cū apud omnes in cōfesso sit, tū eam Herophilus scribere millies comperiat: probabilius multo sit crebritatē appellare putare illum, q plenitudinem. Neq; hoc dico τὸ πλῆθος Herophilū pro crebritate scripsisse. Hoc enim si dicam, ridiculus sim, non secus ac illi, inter-
B pres: uerum esse longe procliuius declaratu crebritatem, & duriciē, adeoq; quiduis citius q plenitudinem significari. Equidem quid Herophilo πλῆθος significet, aliàs puto aperte declaratū esse. Nunc non denotare plenitudinē, quonam pacto demonstramus hoc? Primum statim hæc subdit. Nam quò mireris magis hominū dementiā, qui pro plenitudine πλῆθος accipiunt, apponā totum caput. Atq; in summa differre mihi uidet pulsus à pulsu πλήθει, magnitudine, celeritate, uehementia, rhythmo. Quia in his differunt, cōspicuus interim fit & proprius & nō proprius. Videtur porrò differre & discerni uniuerse pulsus alter ab altero, ut dictum est, celeritate, magnitudine, uehementia. Quòd si eiusdem rhythmi uidetur pulsus
C alter ab altero differre celeritate, magnitudine, uehemētia: quē posis locupletiorē adducere Herophilo testem Herophili sententiæ? Videtur, inquit, alter pulsus differre ab altero, ut est declaratū, rhythmo, magnitudine, celeritate, uehemētia. Quanā igitur ratione, si omnino pulsuū certā differentiā τὸ πλῆθος indicat, eam hoc loco prætcrijt, cū orationē repetat nō obiter aut negligēter, sed addat, ut dictū est? Qui aūt fit, ut eiusdē rhythmi pulsus dicat, celeritate, magnitudine, uehementiaq; distare? Quomodo postea, cū exponat differentias pro ætatibus, reliquas differentias pulsus distinguit, omisit aūt plenitudinē? Præterea pro affectibus, tēporibus anni, uitæ institutis, & pro ratione aliorū omniū quando discernit pulsus, cæ-
D teras ubiq; omnes appellat differētias, plenitudinē nusq;. Et quod maius est, qui hāc ipsam singulis ijs fere ascribit orationē, nusq; addit τὸ πλῆθος: sed in primo tantū libro, nō in omnib. locis: certè non prætermissurus, siquidem nomē differentiæ sit pulsuū. Hæc pro cōpendio habeto eorum, quæ in libris De differentijs pulsuum secundum Herophilum disseruimus. In illis enim latius Herophili usum nominum pulsuum explicauimus. Iam igitur finem faciam sermonis De pulsib. dignoscendis. Nam si quæ de arteriarum peruerso situ, aut de qua alia singulari re ad hanc disputationem reieci, hæc in proximis duabus lucubrationibus declarabo, De pulsuū causis, & De præsagatione ex illis. quarum complectetur utraque quatuor libros.

Caput I. Quot sint pulsuum causæ in uniuersum. II. De causa ex instrumentis. III. Calor quos efficiat pulsus. IIII. Defectus caloris natiui quos efficiat pulsus. Valida alteratio, qualis fit ab ira, exercitatione, & uini potus, quomodo pulsum immutet. In fantis pulsus. Quod celer pulsus, & non diuturnus differant. V. Pulsuum ab usu unà cum facultate pro- A fectorum coniugationes quatuor. VI. Pulsuũ causæ ex differentijs instrumentorum. VII. Quos pulsus instrumentorum differentiæ cum differentijs facultatis efficiunt. VIII. Complexiones omniũ causarum cõtinentium. IX. Vsus exercitationis in causis pulsuum.

CL. GALENI DE CAVSIS PVLSVVM LIBER PRIMVS

Hermanno Cruserio Campensi interprete.

Genera causarum. Caput I



CAVSAE quæ pulsus uariant, partim generationis eorum sunt, partim tantum alteratiõis. Generationis, tam usus cuius gratia fiũt, quàm facultas abs qua, tum instrumenta per quæ distenduntur. Alterationis cęterę omẽs, & quę præcedentes appellãtur, & quæ has lacessunt externæ. Nam triplex quidem est causarum genus, non in pulsibus modo, sed in alijs cunctis. Vnum quod primum est & præcipuum, quod quidem continens appellant: cuius inde appellatio deducta est, quòd illorum essentiam contineat: quæ, ut modo diximus, generationis est causa. Reliqua duo genera, ut fiant pulsus, in causa non sunt: sed causæ sunt illorum qui iam sunt mutationis. nam humorum crassitudo, abundantia, lentor, acredo efficere non ualent pulsus, alterare ualent. Ita frigidum balneum, uel calidum, & hyems, æstasq́: breuiter frigus, & calor, alterandorum pulsuum sunt, non generandorum causæ. Ac quæ nũc commemorauimus, lacessentes appellantur. Quæ has etiam præcedũt, quæ quidem in humoribus sunt, præcedentes. Breuiter sic habeto, quæcunq; extra corpus positæ quicquam in corpore alterant, lacessentes uocantur. Quæ has etiam antecedũt, præcedentes causæ corporis affectuum. Hi affectus, ubi continentes moueant, euadunt præcedentes illarum causæ. Densetur enim ab occursu externi frigoris cutis. Cuius densitas naturalem halitus digestionem reprimat, repressus ille coaceruetur, tandem accendat febrem, ob quam usus pulsuum mutetur, itaq; etiam ipsi pulsus. Hic lacessens causa est occursus externi frigoris. Cæteræ usq; ad usum pulsuũ omnes præcedentes. Causa igitur externa intercedentibus causis præcedentibus quia uariat usum pulsuum, quæ una ex continẽtibus causis est, etiam immutat ipsos pulsus. Neq; enim possit ulla continens causa mutari, ut constans maneat effectus eius. Sed prius q̃ continentes attingat alteratio, nõ possunt immutari pulsus. Ideoq; principes hę, & præcipuę sunt, B primæq; causæ pulsuum. Cæteræ sunt harum genera. Nam quòd externa illa alteratio ad cõtinentes penetrauit, propterea pulsuum causæ dicunt: cum sua natura & per se alterare illos nequaquã possint. Quare qui peritus euadere artis De pulsibus uolet, hic uersatus in causarum omnibus generibus mirifice debet esse, ut quicquid propositum ipsi sit, explicare pulsuum alterationem possit. Pars exercitationis optima est, ut continentes causas, quamobrem generare quæque pulsum possit, perpendas. Qua enim ratione generandorum eorum sunt origines, eadem etiam alterandorum. Siquidem causarum in quantitate & qualitate differentiæ pulsuum differentias in qualitate & quantitate efficiunt. Videtur porrò perpetuo cũ omnibus arterijs cor motum C illum pulsatilem, ut uocant, dum superstes animans sit, habere. Vbi interijt, nec ullam arteriam, nec uero ipsum cor amplius pulsare uideas: quo fuisse tum quandam constat causam, à qua moueretur. At quæ hæc sit, non procliue inuentu est. Vnus natiuum calorem, alius uigorem, alius temperamenti proprietatem, hic uniuersam structuram corporum, ille spiritum tantum, est qui quædam horum, alius etiam omnia simul affirmat. Et uero quidam etiam facultatem quandam nullo præditam corpore introduxerunt, quæ peculiaribus instrumentis motus, quæ retulimus, utatur, uel omnibus, uel pluribus, uel uno. Hanc causam quæ pulsus molit, quæcunq; illa sit, licet eius nos D fugiat essentia, quòd facultatẽ habeat pulsus efficiendi, facultatem illam uocauimus, ut quamlibet puto aliam facultatem à facultate faciendi, cuius habet facultatem, solemus nominare. Alicuius enim est facultas, & eius notio est relatiõi subiecta. Itaq; quãdo essentia incognita nobis sit, hoc appellamus eam nomine. At uero cũ robur facultatis, uel uirtutem dicimus, aut contra infirmitatem & uitiositatem, ad functionem hæc nomina sunt referenda. Quippe quæ obit & efficit creatq; functionem causa, interim ad eam melius est apposita, interim deterius. Quo fit ut modo præclarius, postea, si res ferat, deterius functio administretur. Ac præstantior ad functionem disposi-

tio facultatis, uirtus est & robur: deterior infirmitas atque uitiositas. Sed de facultate pulsus effectrice, hæc satis est hoc loco nosse. De usu eorum illa sunt, quæ alio loco demonstrauimus, commemoranda: quòd tuēdi causa caloris uniuersi corporis creati sunt, quē refrigerent, & si quid sit fuliginis ex succorum adustione contractum, id excernāt e uestigio. Etiā illo loco hoc dictum est, ad gignendum hos referre animalem spiritum.

De causa ex instrumentis. Cap. II

Reliqua & tertia gignendorū pulsuum continēs causa ipsum est arteriarū corpus. Nā omnis facultas, quæ alicuius causa agit, instrumēta quærit ad opus apposita. Erat aūt hic accōmodatum instrumentū, quòd spissis tunicis & cauum esset intus, quale sanè est arteriarum. Nam ut artifices hi, quos in urbib. cōspicimus, sutores, excusores, pictores, certis instrumētis opus suū efficiūt: ita quę pulsus efficit facultas, suū opus tutelā natiui caloris instrumētis peragit arterijs. Hoc tantum inter hanc & alios opifices interest, quod instrumētis hæc implicata est, ac per ea tota permanauit: nō foris, ut illi attingit. Itaque ubi refrigerantē essentiam trahit, arteriarum distenditur corpus: cum fuliginosam expurgat, contrahitur. Iam præpollet modo distentionis usus, modo contractionis. Ac consequitur omnino alteram motus partem reliqua. Itaque cum ex his causis pulsus proficiscant, omes illorum uariationes causarum necesse est comites sint alterationum. unde tot primę sunt & generales pulsuum differentiæ, quot sunt causarum. Et facultatis quidem differentiæ, robur & imbecillitas. Natiui caloris, adustio refrigeratioque. Arteriæ tunicæ, duricia ac mollitudo. Atque præ his omnibus in singulis generibus commemoratorum mediocritates. Verum mediocritates naturales efficiunt pulsus qui medium locum obtinēt inter excedentes. Excessus uero pulsus præter naturam. Atque alij perspicui sunt. Qui autē infirmitate consistit facultatis, quiddam dignum habet quæstione, quod progressus disputationis dispiciet. Porrò robur facultatis necessario uehementē pulsum facit, infirmitas languidum. Et instrumentorum duricia durum, mollitudo mollem. At incremento tamē natiui caloris uel imminutioni, ut unum semper & idē pulsuū genus consequat, nihil causæ est. Nec enim celer, quod nōnulli sunt opinati, nec magnus, uel creber semper incidit, ubi aduritur natura: nec cum extinguit, tardus, uel paruus, uel rarus. Sed de his qui ambigunt, perinde ac Archigenes errant, qui in Magnū disputat de pulsus celeritate. Nam à robore non potius quam ab imbecillitate proficiscitur facultatis. Nam neutrum sequitur necessario. Attamē peculiaris celeritas robori facultatis est, & caloris abundātiæ, præterea mollitudini instrumentorum. Tarditas cōtrarijs. Eodē modo ualidę facultati magnitudo, & copię caloris, tū etiam mollibus instrumētis est familiaris. Paruitas uero contrarijs. Crebritas itē nulli necessario de commemoratis adhæret, magis tamen propria facultatis est imbecillitati, copiæ caloris,

A duriciei instrumētorū. Et raritas itē magis ad contraria spectat: non annexa illis est perpetuo tamē. Faciam autem, ut hæc repetita ab initio ratione sigillatim demonstrem.

Calor quos efficiat pulsus. Cap. III

Si amplior in corpore sit collectus calor, animanti cum maiore opus erit respiratiōe, tum maioribus pulsibus. Et quia maioribus, cōtinuo etiā celerioribus, & crebrioribus: ut qui sitiūt, nō multum modo, sed & celeriter potant, ac crebro. Sic qui indigent refrigerio, copiosum simul id & celeriter, crebroque attrahūt. Quamobrē peculiares dixi esse pulsus copioso calori magnum, celerē, crebrumque: non tamen ut comitentur ei necesse esse. Postulant enim, quò tales euadant, facultatē ualidam, atque instrumēta mollia. Sin infirma facultas, B aut durū sit instrumentū, neque magni esse, neque celeres possint, quòd instrumentū sit per duritiā aduersus mouentē facultatem contumax: illa uero attollere, quatenus oportet, arterias per imbecillitatem impos. Quare ut celer pulsus, uel magnus fiat, tria oportet causarū genera inter se conspirēt: ut usus illorū generationis urgeat, facultas ualida sit, mollesque arteriarū tunicæ, aut certe nō rigidæ. Vt enim impellere uelociter; aut multum progredi, ut maxime cōcitato motu indigeant, nec senes ualent, nec parui pueri: ita nec imbecilla facultas, etiā si usus postulet, uel celeriter, uel multū attollere arterias potest. Iam etiam sicut mollis uesica prompte multū distendit: dura, ne si admodū quidem etiā atque etiam contēdas: sic arteriarū tunica, C mollis quidem perfacile attollitur plurimum, uel facultate infirma: at dura, licet facultas summopere illam impellat, resistit facultati motrici, renititurque. Via omnium horum ratioque una est. nam ut causa quæ in examen uenit, sola conuertatur, reliquę maneant omnes in eodem statu, ita discernes alterationes pulsuū. nam si cum multę immutatæ sunt, attēdes: primum obscurū erit, propter aceruūmne omniū in unum contractarū, mutatio euenerit, an propter unā quandam ex illis. Deinde ut conueniat propter unam, quæ sit nam hęc una de illis, nondum constat. Nam si calor increuerit solus, & maneant facultas tunicæque arteriarum immotæ, pulsus necessario maiores & celeriores fient, unaque cum calore, dum ad maximam perue- D niant distentionem, augebuntur. Celerrimi uero ne sic quidem prius quam maximam calor distentionem superauerit, apparebunt. Tunc autem ultra maximam distentionē extendetur, cum ab ea refrigeratur parcius. quare celeritate motus resarcitur defectus. Itaque pulsus fiunt celerrimi. Iam uero neque hæc satisfaciunt calori uehementer incenso: sed quod antē tēporis inter duos motus quiescebat, nunc id præsecat etiam. Subinde etiā tam reddit breue, ut perpetuos putes motus esse, nulla quiete interpellatos. Sed hoc accidit, ubi ad ultimū incēsus calor sit. Et cū tres sint in omnib. excessibus rationes opis, omnibus simul utit. Nam cum plurimum consequitur se refrigerantis substantiæ, tum celerrime, & in primis continenter.

Quorum primũ maximos pulsus creat, alterum celerrimos, creberrimos tertium. Necq; ubi liberaliter illum magnitudo refrigerat distentionis irritat celeritatem: neque crebritatem, ubi ab ambabus auxilium consequitur. Alterius enim illarum semper defectus corrigitur altera: magnitudinis, celeritate: celeritatis, crebritate. Quid multis? crebritatis pulsuum causa una est, prioris actionis defectus. Accidit id cum alijs de causis, quas deinceps recensebimus: tum de copia caloris, uti modo est ostensum. Propemodum iam, quod erat institutũ, confectum est. Declarauimus enim abundantiam caloris nullum consequi necessario pulsum magnum, celerem, crebrum: sed peculiares esse illi, in primis magnum & celerem, & nõnunquam crebrum etiam, sed casu.

Defectus caloris natiui quos habeat pulsus. Cap. IIII

Puto iam quoq; de pulsibus constare, qui defectum comitantur natiui caloris: quem scilicet nullus etiam comitatur necessario. Familiares tamen sunt ei paruus & tardus præcipue, mox etiam rarus. Nam ut natura, quæ iam pridem refrigerata est, nec multum requirit, nec celere refrigerium, sic nec breuibus interuallis. Breuibus interuallis idem est quod crebrum: & lõgis interuallis idem quod rarum. Sed quando satis de his dictum est, si quod produximus dudum, quantum disputationi conducat, perspexerimus, seriem orationis prosequemur. Inter magnum pulsum & paruum naturalis intercedit & moderatus: cum quo comparantes & æstimantes reliquos omnes, qui maiores sunt eo, hos magnos uocamus: qui minores paruos. Itidem inter celerem & tardũ, medius moderatusq; naturalis est. Sic inter crebrũ & rarum. Ad hæc inter durũ & mollẽ medij naturales sunt. At naturalis non itẽ uidetur, qui inter uehementem medius est & languidum. ualidæ enim est facultatis opus uehemens pulsus, ut languidus infirmæ. Cuius sanè non est contra naturã firmitas: imò hæc uirtus est & secundum naturam. Infirmitas uero facultatis, uitiositas, præterq; naturã est. Quantum iam in uia, quæ intercidit inter robur & imbecillitatem, est ab altero ad alterum, in confinio alicubi utriusq; positũ, tanto id præstat infirmitate, quanto robore inferius est. Contraq; tantum infirmitati cedit, quantũ superat robur. Proinde non hic quærendum aiunt esse naturalẽ pulsum: sed in summo & ualido. Atqui ex hoc prouenire uehementẽ pulsum. Sunt qui uerum fateantur hoc esse, sed dissentiant hoc undequaq; ita habere. quorũ hæc sententia est. Naturalem pulsum in hoc genere, fieri quoq; ipsum ab summo & optimo statu, nõ secus ac alios in omnib. generibus, non summũ tamẽ & extremũ esse, sed esse ex non naturalibus quẽdam alium hoc uehementiorem. Nam singulare quiddam huic pulsuũ generi accidisse ac extra ordinẽ autumant. Quo factum esse, ut in hæsitationem illi, erroresq;, qui assequi illud non possent, incurrerint. Siquidẽ fieri quidem ualente facultate uehementẽ pulsum, attamen certũ esse & huius modum uehementiæ; quẽ si prætereat, de natura recedat.

A

Certè quidem in ira dicunt, subindeq; in exercitationibus, atq; potionibus uini uehementius offendi, ac natura postulat motas arterias. Ac hoc inter omnes cõuenire, naturaliter pulsum ad unguẽ comparatũ, in animante esse spectandũ, in requiete posito omnium magnarum ac ualidarum alterationũ. Validã autem alteratione ira, exercitatio, uinum concitãt. Quare non hunc esse naturalem, sed qui ualente natura simul & per extraneam causam, quæ uiolenta sit, nullam cõmota fiat. Itaq; quadam ratione esse medium, quadam non esse naturalem in hoc genere pulsum. Quatenus eo enim alij quidam sunt uehemẽtiores pulsus, & uero alij minus uehemẽtes, hactenus esse medium. Quatenus autẽ cum

B

tres sunt huius generis differẽtiæ, uehemẽtia, imbecillitas, & utriusq; mediũ, non ex medio est, sed ex una de summis: hactenus mediũ nõ esse. Omnino ergo esse reliquũ, recte de illo pariter ac uerè dictũ esse, naturalẽ pulsum huius generis, medium locũ in altera extrema differentia obtinere. Sunt qui hoc impugnẽt etiã, qui aiunt uehementes pulsus non fieri ijs temporibus, quæ cõmemorata sunt: sed uideri fieri. Falli aũt illos, qui negligentius tangũt, à celeritate cum ijs coniuncta, & magnitudine, atq; interim etiam altitudine: ut fit in ira. At huius controuersiæ constat iudicium ad dignotionem pertinere. Quę est ergo uera dignotio? Dicẽdum est enim, quod perspicimus. Vino potato, modicè certè, pulsus apertè cũ maiores &

C

celeriores, tũ uehemẽtiores euadunt. In ira uero, & in modicis exercitationibus, non perinde apertè. Imò si quid illis accedat uehemẽtiæ, id adeo est minutũ, ut animaduerti ægre possit. Vtcunq; sit, quin quod in manibus habemus, conficiamus, nihil causæ est, hoc si tantum quæramus: an magnitudo celeritasq; pulsuum pertineãt ad robustam facultatẽ. Quod esse his uidetur, qui summa cura æstimant ex ipsa rerum natura. Quando enim in confesso est distendi à facultate arterias, plus eas probabile est ualidã attollere, & infirmã parum, celerius item ualidam, tardius infirmã: quod quidem uel nobis ipsis conspicit, cũ ambulamus, currimus, metimus, fodimus, deniq; quicquid agimus. Nam in his qui fortior est, nõ maiorem mo-

D

do, sed & celeriorẽ operam prestat, siquidem alia utriq; paria sunt. Quòd si infirmiorẽ ad opus necessitas urgeat: fortior aũt aut planè eo nihil indigeat, aut ꝙ paucissimo: celerius sic imbecillior aget. Sed inepta ista est comparatio, imò si, ut antè est dictum, alia utriq; paria sint, & unum tantummodo quodq;, quod quoque loco in disquisitionem uenit, cõmutetur. Vt si imminentibus latronibus fugiendũ sit, profecto non paria conficient spatia, nec æquali uelocitate currẽt iuuenis ualẽs, atq; imbecillus senex. Quòd si tamen motũ senis, qui inuasionẽ timet latronũ ad iuuenis motũ conferas, qui segniter in urbe obambulat: uelocior sic atq; maior tibi senis uideatur. nõ quò celerius moueri iuuene possit, uel magis artus transferre: cæterũ quòd motu indigeat cõcitatiore ob metum, à quo

à quo compulsus omnes uires accommodat ad opus. Iuuenis uiribus est quidem robustioribus, sed ad opus eas nõ requirit. Nam si opus ipsi ut se nisit, hoc celerius aget atque magis, quò uires illi sunt melius comparatæ. Quam obrẽ accusare hic operæpretium est tum Archigenẽ, tum Magnũ, tamen longè Archigenem magis. Nam Magnus quidem, etsi non undequaq; uerum, certe aliqua ex parte animaduertit. Archigenes uero cũ quod desiderabatur deberet addere, etiam quod rectè esset inuentum, studet labefactare, qui ita scribit: æquum est enim ut adscribam ipsa uerba. Nam infantes paruum prorsus pulsum habent, nec uehementem, tum mire crebrum, & celerem. Magnus eum negat esse celerem, in perpetuum cõstituere uolẽs hoc, nõ propriũ imbecillitati celerẽ pulsum esse, sed crebrũ. Sunt enim imbecilli illi. Ac paulo inferius Archigenes. Mihi quidẽ nõ in robore, inquit, uidetur celeritas posita esse: cum in cholericis reperiam, & cardiacis arteriarũ contractũ motum. Hæc Archigenis uerba sunt, multũ quidem probabilia, quæ facile auditorẽ circumueniãt, utpote ex lemmatibus collecta, quæ uulgus medicorũ comprobat. Siquidẽ in hac sentẽtia sunt penè omnes, cholericorũ & cardiacorũ celerẽ pulsum esse. Nos uero satis in primo libro De pulsib. dignoscẽdis diximus de celeritate & tarditate: ubi alium monstrauimus celerẽ esse, alium nõ diuturnum pulsum. Itidẽ de tarditate. non eundẽ tardum esse atq; diuturnũ. Nihil est igitur, quòd eadem hic repetamus: sed cõclusione duntaxat cõmemorata, in illis affectib. non diuturnũ quidem pulsum esse, tamen non celerẽ, tum ad institutum est redeundum. Iam enim Archigeni nihil efficietur, cũ negatũ sit pulsus in cholericis cardiacisq; affectibus esse celeres. Et quidẽ (ut hoc cõcessum sit) non fuerit facultatis roboris certũ signum celeritas, sed familiare illi quin sit, nihil obstat. Quãdoquidẽ iam satis aperte declarauimus, quosdam necessario pulsus consequi continẽtes causas. aliquòs esse illis familiares, necessario cõiunctos nõ esse. Nam quorum pulsuum postulat generatio unã causam, huic perpetuo illi adhærebũt, & hercle indicium erunt causæ fidelissimũ: ut uehemẽs ualẽtis facultatis, languidus infirmæ. At quorum, nisi plures intersint causæ, constitui generatio nequeat, hos familiares esse causis dicemus, non autem significare certam ex illis aliquam. Eodẽ modo si ex una aliquando causa pulsus proficiscatur, sed non ab eadem perpetuo, familiaris quidẽ omnibus causis erit, quæ efficiũt eum: constanter uero ex illis indicabit nullã. Neq; si celeritas sit pulsuũ, statim robur quoq; necessario facultatis erit. Imò est cum maior sit usus generati animalis spiritus, & est cum caloris sit copia, uel instrumẽtorum mollities, uel horum quædam, uel omnia simul. Haud aliter si magnitudo sit pulsuũ, erit uel robur facultatis, uel impendium animalis spiritus maius, uel calor in corde abundantior, uel instrumentorũ mollitudo, uel quædã horũ, uel etiã uniuersa. Itaq; Magnus, qui familiarem esse celeritatem dixit facultati ualidæ, nihil peccat. siquidẽ est cum uelocior huius occasiõe pulsus fiat. Archigenes uerò, qui eum oppugnat, errat. Primũ, quod in eo mentiatur, quod perspicuum est, qui omnes ducat non diuturnos pulsus esse celeres. Deinde, quòd si sint celeres, haud existimat cõsequi, haud quaq; ualidæ facultati eos familiares esse: id quod planè falsum est. Neq; enĩ quin pulsus celeres aliquando à robore facultatis proficiscantur, uerum q ab illo nõ semper solo, consequet̃: ut illos quos diximus, pulsus fateamur celeres esse. Quod si existimauit non familiares esse tantũ ualenti facultati Magnus pulsus celeres, sed etiã ut signis in perpetuum est usus, lapsus est. Etenim nõ, si celeritas est pulsuum, cõtinuo robur etiã est facultatis. Immò uero (ut suprà diximus) si uel usus urgeat, uel sint molliora instrumẽta, uelocius arteriæ mouentur. Omnino quãdo robur facultatis sequitur celeritas, & quando caloris copiam, aut exhaustum animalem spiritum, aut mollitiẽ instrumẽtorum, melius fecisset Archigenes, si Magni sermoni inuestigatum adiunxisset. Ita enim absolutus sit, satisq; ad omnes dignotiões. Quod ille quãdo preterijt, etsi prius ab Herophilo motũ: nos, quib. bene Magnus, & melius etiam Herophilus scripsit, residuum addemus, ac artẽ dignoscẽdarum, quæ celeritatem efficiunt, causarum omnibus suis numeris absoluemus. Prius tamen faciendum mihi est, ut illorum admoneam, quę in secũdo De pulsibus dignoscendis libro docuimus, quò significationes assequentes horum nominum, nihil secus in sermone accipiamus. Celeres dicimus pulsus itemq; tardos esse nõ ægrotis modo, uerumetiam ualentib. nõnullis: quod naturaliter quidẽ ijs confirmamus suppeditare: quemadmodũ etiam alios quibus comparatũ optimè corpus est, nec tardos nec citatos, sed moderatos natura habere pulsus: eosdemq; nec magnos, nec paruos, sed medios inter utrosq; moderatos. neq; itẽ crebros, uel raros, sed & in hoc genere moderatos. At de hoc, qui corpore optime est constituto, priore loco dicamus, ut qui regula sit & modus cæterorũ omniũ. Magnos enim & paruos pulsus, celeres, tardos, deniq; qui ad hunc modũ singulis in generib. appellant, ac excessus denotãt, ad nullum aliũ quenquam præter hunc, cum illos nominamus, referimus. Hic ergo homo si calidior solito euaserit, atque hac re sit tantũ alteratus, uehementiã is pulsuũ nõ immutauerit. imò nec duritiæ & mollitudinis genus. at in magnitudinẽ & celeritatẽ uertet. interim etiam in crebritatem. prout magis uel minus calor increuerit. Paulo enim si quàm solet, factus calidior sit, manifesto pulsus habebit maiores, ueruntamen non celeriores apertè. Quòd si amplius illi calor increuerit, unà cum illo magnitudo pulsuum proportione augebit̃, ad hæc elucebit celeritas. Ac si calor plurimũ auctus sit, maximi erunt pulsus, celerrimi uero nõdum: sed, ut antea tradidimus, tum demum, ubi maximam excesserit distentionẽ. Iam tum crebritas quoq; clarè animaduertitur. Horũ, cur ita appareant, ratio-

nem partim iã explicauimus, partim non magno negotio ex cõmemoratis inuenias. At si frigidior iusto is homo factus sit, primum raritas perspicua erit, deinde tarditas, postremo paruitas. Putauerit aliquis hæc euidentia eueta & inter se & cum positis causis pugnare. Par est enim, ut quemadmodũ in calore prima erat magnitudo, celeritas altera, crebritas tertia: & in frigiditate item prima paruitas, secunda tarditas, tertia raritas sit. Ergo quæ ratio est explicandi huius nodi? Quòd cũ ualida facultas est, etsi paulo minor sit usus, primam actionẽ nec paruã necesse est, nec tardã esse: alteram uero multo post, si usus non flagitet, uerisimile est fore. Vt enim cum urgeret, facultatẽ stimularet, & excitaret ad officium: ita etiã quietẽ longissimã concedit, ubi non urgeat. Iam si maior refrigeratio sit, eoq; usus sit magnopere remissus, unà elanguescet celeritas motus, atq; minor statim erit distentio. Si plurimum progressa refrigeratio sit, rarissimi quidẽ, sed non tardissimi tamẽ & minimi, necesse erit, ut sint pulsus: sed sat est, si tardiores semper & minores fiant natiuis. Semel quidẽ certè tardi uel parui, si facultas ualida sit: ut multum sit usus remissus, nunq; fiant. Eadem cæteris actionibus uideas usui uenire: ut ambulationi aucta necessitate, id est, si multa singulis diebus sint stadia cõficiẽda, uelocius & magis progredimur, nec in diuersorijs diu cõmoramur. Sin adeo sit imminuta, ut singulis diebus habeamus quina dena stadia uerbi gratia dũtaxat perficiẽda, diutissimè subsistimus in diuersorijs: attamen non ad extremam tarditatem & paruitatem actionem remittimus. Eadẽ in respiratione ratio est, de qua late egimus in commentarijs De dyspnœa.

Pulsus ab usu unà cum facultate profecti quatuor habent coniugationes. Cap. V

Ad pulsus redeamus, ac repetamus: quando aut per solum calorem, aut frigiditatem alterantur, nec causa alia continens à pristina natura desciscat ulla, alteratio eorum talis necessario existet, qualẽ diximus. At ubi nõ modo usus, uerum etiam mutatur facultas, quatuor tum in uniuersum differentiæ diuersę erunt. In quarum singulis moueri arteriæ in hunc modum uidentur. In debiliore pariter & calida, si multum ab utraq; causa uincatur, ut magnopere imbecillis sit facultas, & calor igneus, parui & tardi pulsus creberrimiq; fiunt. Sin modica noxa sit, æque fiũt crebri, sed moderati in distentione & motu. Quid autem crebri perinde, non autẽ ex æquo parui, nec tardi? quoniam nihil extrema crebrius est crebritate, ubi similiter habeant ambo. Quod quidem si hac fieri etiam alia freqũetior posset, omnino eã imbecillimi haberẽt hoc quidem nomine, quod nondum usum compleant. Quid uero in modicis offensionibus tum facultatis tum caloris pulsus frequẽtes fiunt, sed nequaq; parui, neq; etiam tardi, uerum moderati? an quia, cum imbecilla facultas sit, non planè tamẽ deiecta, moderata distentio & motus nonnunquam fiet, sicut hominibus debilioribus quidẽ, sed cõpulsis necessitate moderata est am-

A bulatio? Quod eñ robustis citra insignẽ necessitatẽ accidit, eò compellũtur imbecilliores. Idem hi hoc habent, ut, ubi usus instet, & ueluti compellat, in perpetua sint actiõe. Nihilominus hi tãetsi ægre, at usum implẽt. Qui uero planè sunt imbecilli, etiã si maxime contendant, quàm plurimum possint, augere actionis magnitudinem, celeritatem, crebritatemq;, ne sic quidẽ respondent usui. Porrò pulsum, quibus debilis est facultas, omnibus languidum esse, diximus antea, & tam languidissimum quàm maxime affecta facultas sit. Atq; de pulsu deprauato per caloris copiam & infirmitatem facultatis, hæc sufficiunt. Iam ad alteram nos coniugationem conferamus, quæ imbecillitate constat & refrigeratione, cui pulsus cõpetit

B cum imbecillus pro offensa quidẽ facultatis, tum paruus tardusq;, sicut pulsus prioris cõiugatiõis: sed non æque ut illi ad extremã deuenit crebritatem. Præter si quando omnino facultas prostrata sit, tunc planè pulsus minimus erit, intermittetq;, & deficiet freqũeter. At modice si facultas infirma sit, ualidaq; refrigeratio, creber minime euadit pulsus, utiq; quod satis efficiat uel eiuscemodi facultas usui. Tertia est cõiugatio pulsuũ alterationis, cũ simul calor increscit & facultas, quã uehemẽtissimi pulsus & maximi comitant, sed non perinde celerrimi, creberrimi uerò ferè non sunt apertè. Est tamen cum perspicuè naturam excedant. id quod accidit, ubi plurimũ calor increuit. Tunc enim etsi pulsus sit maximus celerrimusq;,

C tamen, quæ copia est caloris, non respondet usui.

Reliqua est & quarta alterationis, quæ ĩ hoc incidit genus pulsuum, coniugatio: ubi coierint robur facultatis & caloris defectus. Hi magnitudine moderata sunt, sed tardiores, & bene rari: maxime ubi prępolleat refrigeratio. Nam cum sit paruus tum pulsuum usus, uniuersumq; magnitudo distẽtionis facile tueatur, recte sane diutissime quiescunt arteriæ. Etenim ut cum usus flagitaret, illorum erat perpetuus motus: ita nũc, cum est remissus, longis interuallis fit, tamẽ ob facultatis robur distentionis non impeditur aperte uel dilucide quantitas. At nec multũ tarditas eadem de causa pollet. Siquidem ualens facultas naturales motus tuetur modos, etiam si non postulet usus. Om

D nino, ut manifeste pulsus minor euadat, magnopere dissolutũ oportet usum esse, frigore admodũ superatẽ. Plerunq; uero distentionis tuetur naturalem quãtitatem, aut paulum, neq; id admodum perspicuo imminuitur. cæterum multo tardior q̃ minor in refrigerationibus apparet, perinde atq; illi qui iter faciunt, cum nõ sit opus concitato motu. hi minus scilicet de magnitudine gressus, q̃ de celeritate detrahũt. quod si quãdo festinato opus sit, plus ad magnitudinem addunt, quàm ad celeritatẽ. Hic, ne male hæc accipiamus, & quolibet in statu ducamus uariationẽ magnitudinis & paruitatis mutationem superare celeritatis & tarditatis, animo etiam atq; etiam opus est attento. Neq; enim perpetuo præstat, cæterũ prõptior est, itaq; prior. Nam à moderato conuersionẽ ad magnitudinem

dinẽ & paruitatẽ procliuius uideas fieri hac, quæ ad celeritatẽ tarditatẽq;. Attamẽ ſi, cũ ad inſignẽ magnitudinẽ mutatio peruenit, adhuc fiat, ut creſcat calor, celeritas tũ affatim extẽdit. quod, ſicut diximus prius, non immerito accidit. Nam ad implendũ uſum ſatis eſt cordi, ſi diſtentionis augeat magnitudinẽ, neq; uelocitatem perinde ac illam requirit auctam. Cum uero luculenta iam ſit magnitudo, pręterea urgeat uſus: hic tum om̃e quod deſideratur, adijcit celeritas. Sin parum ſit ea contentum, perpetuos ciet motus, quod perinde eſt, ac crebros facit. Atq; de his hactenus.

Pulſuum cauſæ ex differentijs inſtrumentorum. Cap. VI

Transeamus iam ad inſtrumẽtorum differentias, ac inſpiciamus primum peculiares utriuſque earum pulſus. Deinde aliarum etiam cauſarũ immutationes, uti fecimus paulo ante. Ac cum durius ſolito & mollius euaſerit corpus arteriæ, ipſos pulſus id ibi ſimul reddere uel duros uel molles, ante explicatum eſt, nec quęrit hoc lõgiorem probationẽ, cum id omnia perſpicua euẽta approbent ferientis naturæ reſpondere qualitatẽ ictus. Porrò mollitudini inſtrumẽtorum familiarẽ eſſe magnitudinem paruitatemq; duritiei, quãquam de his antea uerba fecimus, tamẽ quia ita fluit ſeries orationis, etiam hoc loco exponemus. Molle inſtrumentum quoniam prompte extenditur in omnem partem, facile diſtendit. Durũ non abſq; magno negotio. Iam comes eſt prõptitudinis diſtentionis magnitudo: reniſus & cõtumaciæ paruitas. Itemq; celeritas prioris, tarditas alterius generis, nõ tamẽ ex ęquo ac magnitudo et paruitas. Paulo eñ celerior pulſus eſt ex mollitudine perfectus, inſtrumentorũ pulſu, quem creat durities: maior permulto. Quia corporis arteriæ membranæ, quamuis duriores interim ſint, ad celeritatem quandam motus paratæ ſunt & faciles: ad magnitudinem uero diſtentionis omnium ineptiſsimæ. Nam opus eſt ut in omnem partem extẽdatur facile, quod maximam diſtentionem ſit effecturũ. Huiuſmodi molle eſt. Cumq; à natura lõgiſsimè aut ad mollitudinem aut ad duritiem corpus arteriarũ receſſerit, tardior fit mollis pulſus duro. Nã corpus paulo mollius iuſto, quia paulo duriore ad magnitudinẽ ſequacius eſt, idcirco etiã ad motus uelocitatem. At uero quod ad extremã diſſolutum mollitudinẽ eſt, & ueluti laxum, & in ſeipſum per nimiam humiditatem cõſidet, neq; ad diſtentionis magnitudinẽ perinde ſequax eſt, neq; ad celeritatem motus. Itaq; celeritate cedit duro, magnitudine tamẽ etiã nunc non durum tantum ſuperat, ſed ipſum etiã quod in naturali ſtatu eſt. Quanquã eiuſcemodi ſtatus, qui ad immodicum arterias exceſſum adducunt duritiei & mollitudinis, nõ ſemoti ſunt à mutatione aliarum cõtinentium cauſarũ. Neq; eñ conſtare amplius facultas in ſuo robore, nec in terminis calor à natura præſcriptis poterit. Quamobrem ubi ipſius ſolius uel mollitiei uel duritiei, remotis alijs cauſis proprios pulſus pronunciamus, maiores & celeriores dicemus à mollitudine, minoresq; tardioresq; à duri-

A tie fieri, & multo quidẽ maiores, quàm celeriores ob cauſam quam explicauimus nuper. crebritate uero ac raritate tantum à ſe mutuo & à mediocri uariare, quantũ magnitudine, paruitate, celeritate, tarditate à natura recedunt. Dictum præterea ante eſt, unam omnino cauſam eſſe omniũ actionum crebritatis, cum quenq; uſum non aſſequantur. Atq; durorum inſtrumẽtorum eſt dura diſtentio, itaq; minor uſu actio obitur. Mollium contra inſignis eſt diſtentio, impleturq; abunde uſus. Iure itaq; cum duris pulſibus crebritates, cum mollibus raritates cohærent. Quòd ſi quando incidat ut cum duritie refrigeratio cõcurrat, & calor cum mollitudine, tum pulſus duri mollibus euadent rariores. Concurrentibus tamen hæc fit pulſuum
B alteratio differentijs continentium cauſarum.

Quando autem huc defluit oratio, ut primã commemorarem duritiei & refrigerationis complexionem, quin ſummam eius explicamus? Si durum corpus arteriarum ſit coniunctum cum innati caloris refrigeratione, pulſus efficiet iuſto minores & tardiores. Si ſuperat durities, minores ꝙ tardiores. Sin autem refrigeratio, contra tardiores, quàm minores. Ad eundem modum crebriores, ſi durities refrigeratione ſuperior ſit: ſin uincat refrigeratio, rariores. At ſi par fuerit utriuſq; à natura flexus, tanto reddet minores, quanto tardiores: à raritate uero & crebritate naturali nõ abducet. Siquidem quantum uſus eorum generationis detraxit ob refrigerationem, tãtundem ſimul
C de quantitate diſtentionis temporeq; motus abſtulit. Quare nihil cauſę eſt, cur arteriarum magis natura cõtinuet motum, ſicut in pleriſque paruis pulſibus, ubi infra uſum manet diſtentio. Quod tamẽ ſi inſignis durities, & pauca omnino fuerit frigiditas, tum idipſum exiſtet, quod commemorauimus, diſtentionem, quæ uſum nõ aſſequitur, perpetuos creare motus. At ſi contrà accidat, ut permultũ ſit frigiditatis, duritiesq; naturali pulſu quamminimo minor, tum pulſus multo rariores neceſſe eſt ſint, ꝙ minores: quòd uſus etiam longe inferior ſit quantitate diſtentionis. Habes cauſarum primam coniugationem. Altera erat, in qua cum calore pollebat mollitudo. quæ etiã tres neceſſario primas differentias producit. Interim
D enim par mollitudinis eſt & caloris mutatio. Interim præpollet uel mollitudo uel calor. Quare ſi quantũ naturam mollitudo relinquat, tantũdem deſciſcat ab ea etiam calor, magnos neceſſe eſt & celeres fieri pulſus, non ſtatim tamen crebros, uerum ubi generandorum eorum uſus ſuperet magnitudinẽ diſtentionis. Si mollitudo pręſtet, magnitudo etiam uincet celeritatem. Si calor, non itẽ ſtatuendũ eſt abſolutè, ſed diſtincto eſt opus. Si ita abundet calor, ut uſum actio complere nequeat, celeriores ut fiant neceſſe eſt, ꝙ maiores pulſus, ſimulq; etiam crebri: ubi uero naturæ ſatis faciat uſus, æquè magni atq; celeres. Porrò autem tertia erit cauſarum complexio, quæ pulſum in hoc genere uariant, ubi calori adiũcta durities ſit. Atq; cum uterq; multum de natura deflectit,

pulsus erunt celerrimi, creberrimiq́, minimi autem nequaquã (nisi simul facultas affecta sit, sed id hic non posuimus) sed minores illi quidem iusto, non ad ultimã tamen paruitatem delabentur. At si immodicus calor sit, & instrumentũ nõ magnopere durum, uerum paululum à moderato uariet, tantum abest ut iusto fiat distẽtio arteriarum minor, ut etiam maior euadat. Nam cum peculiaris duritię instrumentorum paruus sit, & magnus immodico calori: iure pulsus in istis statib. fit magnus assimilatus uincenti. Sicut cum præpolleat durities, paruus. At celeris erit, utra causarum excellat, maxime tamẽ cum calor. Tum uero etiam luculentior erit crebritas. Restat coniugatio in propositis pulsuũ generibus, ubi concurrãt mollities frigiditasq́. Quia uero magnus pulsus hic B quoq; mollitudini peculiaris est, & paruus frigiditatibus: utra longius à natura deflectat, illi pulsus necesse est assimilentur. Itaq; magni instrumentorum præpollente mollitudine, parui in frigiditatibus erunt. Moderati autẽ, cum quantum a mollitudine in magnitudinem producantur, tantundem à frigore contrahuntur in paruitatem. Nam ut semel dicam, moderati pulsus non ex hisce tantum causis, sed & ex cæteris non naturalibus omnibus fiunt, cum ambæ, quæ in contrarias partes distrahunt eos, parem uim habeant. Vnde falso illos, qui in eum modum laborãt, uulgus putat medicorum naturaliter comparatos esse. Verum de his diffusius dicam in commentarijs De præsagatione ex pulsibus. In præsentia hoc tantum satis C est declarasse, quod quidem ad hanc commentationem pertinet, omnes naturales pulsus inter excessus medios moderatosq́ esse: non tamen quicunq; moderati sunt, etiam naturales omnes esse. Rari quidem & tardi certe id genus omnes sunt pulsus, maxime si superior sit frigiditas.

Pulsus quos instrumentorum differentiæ cum differentijs facultatis efficiunt. Cap. VII

Sed quando & de his, quæ par erat, exposuimus, deinceps instrumentorum differentias euariemus differentijs facultatis, atq; illud addamus, quot excellentiam caloris effectus sequuntur pulsuum, tot etiã generãdi animalis spiritus usus. Sic instrumentorum durities coniuncta imbecillitati facultatis, paruos pulsus, & tardos, & crebros D cõcitat: robori, paruos atq; crebros, nõ etiam tardos, imò longe interim iusto celeriores. ꝙ quantum distentionis mediocritati propter duritiẽ organorum deficiat, tantum à celeritate resarcit̃ & à crebritate. Nam si instrumentũ molle sit, facultas autem ualida, maiores quidem manifesto pulsus fiunt, at aliquanto tardiores rarioresq́. Quòd si ad mollitudinem instrumẽtorum infirmitas adiuncta sit facultatis, siquidem æquus utriusq;, simulq́ modicus fuerit à natura flexus, & moderatos uidentur & naturales planè hi pulsus referre, præter quantum uariẽt mollitudine. sin ualde immodicus sit, parui & tardi & crebri fiunt. Haud aliter si multo imbecillitas præpolleat. Etenim tum quoq; generantur parui, tardi, crebri. Verum si superior mollitudo sit, accedunt pulsus ad moderatos, quod facultas, cũ paulo quàm naturæ lex postulat, debilior sit, nihil habeat obstaculi, quin retineat & quantitatẽ distentionis, & qualitatẽ motus, sicut cum incurrat in duritiem instrumentorum. Siquidem cum impeditur ibi distentio, tum uero tãto fiunt necessario crebriores pulsus, quanto actio quoq; fiat imperfectior. Cum autem facultas aliquantum imbecilla, & molles tunicæ arteriarum sint, quia nihilo fit tardior motus, neque minor distentio, ideoq; satis usui efficitur: nulla fit pulsuum in crebritatem mutatio.

Complexiones omnium causarum continentium. Cap. VIII

Restat ut iam omnes simul committamus continentium causarum differentias. & fiunt complexiones numero octo: duæ cum remissa facultate pariter & usu, modo mollius solito sit instrumentum, modo durius: duæ alteræ, ubi languescat facultas, & usus auctus sit, instrumentaq́ uel mollia uel dura. Præterea aliæ duæ, quando ualida sit facultas, sed remissus usus, unà cum uariante instrumentorũ differẽtia. Reliquæ duæ, cũ ualens facultas sit, auctus usus, accedatq́ instrumẽtorũ, quam diximus differentia. Ac languida quidem facultate simul & remisso usu, omnino in paruitatẽ & tarditatem mutant̃ in utraq; differẽtia instrumentorum pulsus. Cæterum non redduntur necessario crebri, uel rari: sed uicissim hoc pro instrumentorum ijs differentia contingit, & pro quantitate offensionis singularum causarum continentium. Nam si parua facultatis offensio sit, nec insignis instrumentorũ duritia, nihil crebritate pulsus uariant. Nam hoc docuimus ante, nõ pulsus modo, sed omnes planè actiones fieri crebriores ex defectu, qui accidit cuiq́. Iam defectũ usu æstimari, id suprà exposuimus. Cum ergo remissus hic sit, paruaq́ læsio facultatis, nisi per instrumentorum nimiam duritiem, nihil desiderabitur in actiõe. Atqui si facultas magnopere sit læsa, modicè remissus usus, instrumẽta bene dura euaserint, non poterunt pulsus non fieri, quàm usus postulat, minores, itaq; imperfectum simul officium, ac quanto quidem imperfectius, tanto etiã crebrius. Iam uero nec ipsa horum pulsuũ paruitas & tarditas potest perpetuo similis esse. nam prout facultas plus uel minus, aut usus offensus est, etiam pulsus ipsi necesse est, plus uel minus ad paruitatẽ transeant, & ad tarditatem. Minores enim redduntur & ob facultatis imbecillitatẽ, & ob usum remissum, & duritiem instrumentorum. hoc tamen pro quantitate alterationis causarum, aut singularum, aut binarum, aut uniuersarũ affectarum plus uel minus habent. Singularũ, ubi minimus factus pulsus sit, uel instrumentis durioribus redditis, uel facultate prorsus infirma. Valet enim uel alterutrũ eorũ, ut dictum est, si offensum sit, minorẽ efficere pulsum. Binarum, ut cum prorsus factus paruus sit, neutra summè tamẽ ex memoratis causis læsa sit, sed utraq; earũ hactenus absit ab extrema offensione, ut pulsus, quem ambę constituunt, perinde alteret̃, atq; is quẽ altera summe offensa. Ita etiam si tria

si tria genera causarum ad unum concurrunt pulsum constituendum, inducant interim tantam alterationem, quantam committat etiam una de illis maxime offensa. Quod memoria per omnem disputationem tenendum est, ut ne falsus quispiã, alterationem putet, quæ ex omnibus extreme offensis causis constat, maiorem oportere ea esse, quam facit una. Valent enim sicut docuimus, uel de una qualibet causa, quæ prorsus læsa sit, ad ultimam pulsus deuenire alterationem. Facultatis igitur ad extremum deiectio minimos efficit pulsus, etiam si molles quidem tunicæ sint instrumentorum, urgeat autem necessitas. Quare uel huius iterum operæpretium est in uniuersum meminisse, ad pulsus extremos constituendos identidem plures causas requiri, identidem satis esse unã. Nam maximus fieri ob facultatis summum robur non posit citra cęterarum opem, minimus autem nõnũquam ob imbecillitatem posit. Et quod eo nouius est, licet reliquæ causæ frequenter diuersissimum pulsum habeant peculiarem, tamẽ ex unius earum uictoria fit mutatio. Vincit autẽ aliàs alia: modo, uerbi gratia, imbecillitas facultatis ex qua ortus minimus pulsus est: modo instrumentorum durities, interdum remissio usus. Nam ut languida semel facultate, magnitudinem nec mollitudo instrumentorum, nec incitatio usus augeat: sic instrumentis desiccatis, nil conferet ad magnitudinem nec facultas ualida, nec usus incitatio. Et ut per unam causam, quæ offensa omnino sit, pulsuũ sæpe extrema mutatio accidit: sic interdum, etiãsi coniũctæ sint cunctæ causæ ad unum pulsum generandum, pulsus, quem constituunt, haud quaquam summam assequatur alterationem. Nam si simul & imbecilla facultas, & dura sint instrumenta, & uero etiã dissolutus usus, tametsi omnes hæ ualent causæ pulsum paruum reddere, tamen ne sic quidẽ minimũ necesse est pulsum fieri. Verum si nec ulla inter illas summe læsa sit, neq; collectus ex omnibus aceruus æquet maximam unius offensionem, non poterit fieri pulsus minimus. Quã obrem, ut dixi, ante omnia in pulsuum alterationibus attendenda quantitas est causarum offensionis. Sed de hoc etiam in libris De præsagatiõe ex pulsibus agemus. Nunc ad tertiam & quartam octo cõmemoratarum coniugationem digrediamur, atq; hic aliquando dicendi finẽ faciamus de duabus primis. Etenim si quid sit in ijs præteritũ, facile ex ijs, quæ ante diximus, inuenies. Ergo ubi languescat facultas, urgeat usus, durumq; instrumentum sit, potissimũ ad crebritatem, deinde ad paruitatem, postea ad tarditatem pulsus uidebis uergere. non necessario tamen nec perpetuo, nec etiam in quolibet illorũ, nec simul concurrunt omnia. Siquidem ubi læsæ insigniter sint om̃es causæ, minimi, & creberrimi, et tardi pulsus fiunt. Tardi, quod sit infirma facultas. Minimi, cũ ob hanc, tum uero ob duritiam instrumentorum: qui quod tales sint, idcirco sunt ijdẽ creberrimi, adeoq; quia impellit usus. Quinetiam citra eum, facultatis imbecillitas & instrumentorum durities coniunctę,

A minimos possunt creberrimosq; pulsus reddere. Huc si cumulus accesserit uis usus, nõ paruum erit illud quidem ad exitium momentum, nihilo tamen pulsus efficiet crebriores, cũ sint uel sine hoc frequentissimi. At si offensio sit instrumentorum & facultatis parua, ac generationis eorum multus usus, hi non erunt iusto minores, nec tardiores, immo interdum manifeste celeriores: maiores autẽ si non aperte, pares certe perspicuo moderatis. Etenim ubi multum instat usus, quamuis sit imbecillior iusto facultas, celeriter mouetur. Ac longe uero auctutus ultra celeritatem magnitudinem erat, ni durities impedimento sit. Nunc eo apertior euadit celeritas magnitudine, quod huic nullo impedimento sit paulo instrumẽtum durius solito. At hoc magnitudini repugnat præter cętera.

B Crebri porrò in eo genere pulsus fiunt, ut usus impleatur. qui quidem, si etiam paulum diuertat ab natura, omnino parua, ut dignosci uix posit, erit crebritas: quòd usui tũ satisfaciat celeritas & magnitudo. Et quid multis? in hac cõiugatione comparanda cum quantitate usus functio est, quã per organa obit facultas. Quãto em̃ functio inferior usu est, tantum crescit in crebritatẽ. Contrà, tanto minores fiunt & tardiores ita comparatis, quantum uel facultas uel instrumenta naturalem relinquãt modum. At de causarum tertia uariatione satis hæc sunt. Accedamus iam ad quartam cõiugationem, ubi infirma facultas est, & maior est usus unà cum instrumentorum mollitudine. Sanè

C in hac quoque, si per multum usus increscat, & nõ multum ab natura facultas discedat & instrumenta, omnino longe magis in magnitudinem increscent pulsus, quàm in celeritatem. Nam durities instrumentorum in proxima superiore complexione magnitudini distentionis resistebat. In hac non tantum non officit distentioni mollities illorum, sed præ cæteris adiuuat etiam. Itaque iusto maior planè pulsus erit, sed non perinde celer aperte. Iam crebrior etiam iusto erit is pulsus, nec tamen hic perinde ac ille tertij complexus, quòd usui hic magis, quàm illic satisfiat. Quòd si paululum usus & facultas à naturali statu deflectant, instrumẽta uero multum ad mollitiem desciscãt, ad mediocritatem pulsus horum affectuum acce-

D dent, tum quãtitate distentionis, tum motus qualitate, præterea quietis tempore. Vna tantum occursus mollitudine (nam hoc proprium ijs insepabile est) excedent statum naturalem. Quòd si non ita deflectant multum usus & instrumenta, facultas autem uehementer laboret, tales pulsus bene parui erunt & crebri, modice uero tardi. Atq; hactenus satis etiam sit de hac concursione egisse.

Conferamus nos iam ad proximas duas, quæ commune habent robur facultatis, usumq; pulsuum generandorum remissum, sed distant instrumentis. Itaque altera illarum, in qua durum instrumentum est, ualida facultas, minor usus, minores planè pulsus creat, non tardiores tamen, nec crebriores necessario. Verum si admodũ remissus sit usus, & dura modice instrumẽta, non minores mo

 do, ue-

do, uerumetiam perspicuo tardiores rarioresq; fient. Sin uitium instrumentorum uincat uitium usus, abunde fit is pulsus paruus, itaq; creber, eademq; de causa minus tardus illo prioris status. Si enim nec usus completur, & imbecilla est facultas, no ita fiet tardus. Atqui non completur usus propter distentionis paruitatem, quæ quidem duritiem comitabatur instrumentorum. Hæc enim si mollia essent, non minor, quod animaduerti posset, foret naturali: nisi singulariter usus sit imminutus. & omnino hoc rarior apparebit, quo dissolutior sit usus. Et uero etiã tardus aperte quidem in mutationibus insignibus usus, nõ aperte in minoribus. At quando & satis de his concursibus disputauimus, ad reliquos iam duos accedamus: in quibus tunicæ arteriæ, usu aucto, ualente facultate, nunc molles sunt, nunc duræ. At molles si sint, prorsus pulsus magni & celeres erunt: crebri non semper: sed ubi immodicum usus sit incrementũ. nã tum quidẽ nec magnitudo distentionis, nec celeritas motus complendo est usui. Vbi uero paruus excessus sit, abũde uel sola suppeditat magnitudo. Nam si arteriarum duræ sint tunicæ, uarie in eiuscemodi statibus mutantur pulsus. Parua enim si durities sit, sed usus insignis mutatio, maiores, celeriores, crebrioresq;, quàm iustum sit, euadet. Sin autem æquo utraque causa interuallo deflexerit à natura, neutraq; admodum longo: pares quidem naturalibus, sed celeriores atque crebriores fiunt. Iam si insignis offensio usus & instrumentorum sit, ut hæc planè duriora sint reddita, ille urgeat nimium, celeriores etiamnum erunt moderatis, ac minores ac crebriores.

Vsus exercitationis in causis pulsuum. Cap. IX

Quia uero, quæ de his dicenda erant, diximus: superest, ut pulsum unum aliquem proponamus, in quo doceamus usum & fructum huius exercitationis. Sit uero celer, quem peculiarem robori facultatis esse, usuiq; urgenti, & mollitudini instrumentorum docuimus. Quonam hunc pacto, cum eum offenderimus, in uno ęgroto explorabimus,

A quando ex una illarum causarum, quando ex duabus, quando etiam ex om̃ibus natus sit? Ad hunc modũ. Quando à ualida facultate uehemens non potest discludi, nec à mollibus instrumentis mollis, si cum neutro horum sit celeritas cõiuncta, ab usu solo prouenit urgente. Vbi uero cum altero, omnino ex illo oritur, quod signum hoc edit, & etiam necessario ex usus incremento. Ostensum enim est ante, celeres pulsus non posse existere, nec uero etiam magnos, nisi postulet usus. At quatenus ad robur uel imbecillitatem facultas transiit, ex proprijs eius pulsibus dignoscas licet. Eadem est ratio in qualitate instrumẽtorum, ut quã etiam pulsus habeamus qui prodant. Quantus autem generationis eorum sit usus, coniectandum B est atq; colligendum ex commutatione magnitudinis, crebritatis, & celeritatis. Si enim maximus pariter & creberrimus idem sit, et celerrimus etiã, summe urget usus. Sin magnus tantum, & paulo celerior, nec etiam maximus, & creber, usus non sit magna immutatio. Et iam poterit ex alijs quoque signis citra pulsus, ut usus habeat, præsciri. Siue em̃ copiosus sit calor, siue exhauriatur animalis spiritus, haud id magno negocio explorabis. Quòd tactum calor non fugiat: Et hercle iam difficultate etiam spirandi, sitiq; prodatur, atque interno laborantis sensu. Animalis autẽ spiritus consumitur in exercitationibus & immodicis per halitum digestionibus, fluxionibusq; intrò uergentibus, quorum nihil est, quod medicum præterire C posśit. Nec hoc loco ista longiorem quærunt orationem. Neq; enim ad propositam commentationem, nisi obiter, sed ad pręsagationem pertinet ea disputatio. Attigimus autem hic eam, quò Archigeni ostenderemus cum errasse ipsum in prodenda celeris pulsus origine, tum in prõptu semper esse efficientis causæ inuentionẽ. Eritq; id ipsum ex sequentibus multo apertius, si prius de origine narremus reliquorum pulsuum, ut inordinatorum, arhythmorum, & inæqualium, quos uocant: præcipue, si tales in arteriæ una distentione sint.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI

ALITER

GALENI DE CAVSIS PVLSVVM

LIBER SECVNDVS.

De causis inæqualium pulsuum. Cap. I



AC de uehemēti quidem pulsu, & duro, atq; magno, prętere a celeri, crebro, cōtrariisq; horũ in primo lib. explicauimus, quæ cuiusq; origo sit, & quot indigeat causis, tũ quēadmodũ inter se cōspirantib. Ad hæc qui illorũ necessario efficiētes comitent causas, ac qui familiares quidē sint iis, nō consequãtur tamē necessario. Reliquũ est de cæterorum pulsuũ ut agamus generatione, atq; primũ inæqualiũ. Quia uero quidã de his æqualitatem in arteriæ uno motu labefactãt, alii in pluribus: quã medici collectiuã inæqualitatē solent appellare, quoniam est longe hæc apertior inæqualitate unius pulsus, satius primo loco sit de hac tractare. Sanè comites sunt eiuscemodi pulsus, ut uno uerbo dicã, inæqualis tēperiei cordis, atq; uitiorũ instrumētorũ uel facultatis. Nam aut oppilationes, aut cōpressiones, aut duritiã, aut nimios humores excipiũt: ut nimios humores accipias, qui ad facultatē æstimantur. At non satis est hoc de illis nosse, sed sunt singulæ partes explicandæ, suisq; cōfirmandę demōstrationibus. Nã cum tres causę sint cōtinentes pulsuũ generationis, instrumentũ, facultas, usus, nō poterit ex usus alteratiōe cōstitui in pulsibus collectiua, quæ aperta sit, inæqualitas. q; nec repēte, nec cumulate adeo unquã immutari usus posit, ut pulsus, uerbi gratia, prior sit magnus, uel celer, uel crebrior: alter tardus, uel paruus, uel rarus. Siue ẽm augeat innatus calor, siue imminuat, siue plus animalis spiritus, siue minus exhauriatur, horũ nihil adeo affatim mutetur, ut inæquales efficiat pulsus. Id quod planè ex accessionib. in lenibus febribus perspicias, ueluti iis quę ex bubonibus cōcitãtur, et synceris tertianis, iisq; etiã, quæ ex adustione, uel frigore, uel quocũq; alio eius generis oriunt. Totũ enim inde usq; à principio eorũ tempus ad uigorē pro incremento caloris pulsus cōuertens in magnitudinē, celeritatē, crebritatemq;, nusquã secundũ pulsum clare à primo uariat: uerũ si multũ temporis interponas, dilucide maior, celerior, crebrior apparet. Euestigio autem diuersus nō uidebitur, nisi quando ex illis, quę cōmemorauimus, aliquod excesserit, uel nimii humores, illi, inquam, qui pro facultate intelliguntur: uel obstructio, uel cōpressio, uel durities instrumentorũ, uel ipsius aliqua intemperies cordis, quæ certe excedunt iam lenem morbum. Siquidem ipsis etiã ualentibus ubi lauerint, uel exercitationē subierint, exhausto spiritu, calore aucto, maiores, celeriores, crebriores, iusto uidentur pulsus esse. at manifeste nunquam à primo differt secũdus. Si qui inæquales esse etiã eos pulsus cōtendat, licet nō uideantur: hic dum usum nō minũ repudiat, nihil tamē ad doctrinam affert lu-

A cis. Neq; ẽm quos ratio esse colligit impares, eos solemus inæquales uocare, cæterũ quos dilucide sensu cōperimus tales esse. At uocaueris uel hos inæquales, uerũ hoc scito in sensibilibus inæqualitatibus, quæ ex alteratione usus fiat, esse nullam. Hæc sufficiebat & tãta scilicet dixisse ad probandum collectiuã, quã uocant inæqualitatē uariationi nunq; usus succedere. Adiiciamus uero & hoc, quod animaduertit nonnunq; in ira, quãdo uidetur & hæc innati caloris esse ueluti quidã feruor. Sanè habet inæquales interdũ hæc quoq; pulsus, nō illos quidem ex propria sua ratione, (semper B enim haberet tales) sed ubi adiũctus ad eã aliquis timor sit. Iure ergo uarii tunc & inæquales apparent, cum non tantũ ab diuersis causis alterentur, sed etiã natura contrariis. Nam propter uindictæ cupiditatē alti, magni, celeres, uehemētes: quia uero timor est maior accipiēdi mali, quàm spes dandi, parui, humiles, lãguidi, & tardi fiunt. Quare inuicem utriq; pro causæ præpollētis natura uidentur euariari: ac excellit modo ira, modo metus. Quinimmo ipse timor, siquidem ingens sit, q; lædatur facultas, uel alteretur usus, pulsus reddit inęquales. Quomodo ergo pulsus facultas affecta inæquales facit? Nam hoc deinceps est dicendum. Quòd non imperet omnibus instrumentis: quod C cum facit, cunctos similes efficit & pares. Sicubi autem offendat in agendo, & ueluti claudicet, ibi euertit æqualitatem. Quod dico, diligenter attendendũ est, ne omni putes offensioni facultatis necessario succedere collectiuã inæqualitatē. Nam aliter se res habet. Sed cum per se infirma sit, creat pulsus non ita crebro inæquales. Vbi uero ualida sit sua sponte, opprimatur autē à copia humorũ, aut planè cōtumacia habeat instrumēta, ibi illam efficit inæqualitatem. Mentē meam exemplo perspicies facilius. Ob oculos ponamus duos homines, qui incedunt pedetentim. sit alter robustissimus simul & florentissima ætate, uerum pondus portet grauissimũ. Alter prorsus nihil baiulet, præ-D ter sit imbecillis ex morbo, aut ex senectute. Iam nec multũ progrediant hi nec celeriter: itaq; nihil different in actione: sed in eo differēt, q; æquis plerumq; passibus procedet ægrotus: diuersis ualens ac inæqualibus, & aliàs aliis. Nam ille quidem, ne si contendat quidē, poterit unquam uel magnam uel celerem actionem obire. Robustus uero etiã ferè perinde, interim tamē maiore alacritate celerius aliquantisper & magis aget, deinde ab onere pressus ad primã tarditatē & actionis paruitatem redibit. Idem usu uenit arteriarũ actioni. Nam cũ est delapsa in imbecillitatē facultas insignē, pulsus eduntur languidi, parui, tardi. Sin illa, quantum in ea est, ualeat, sed aliqua copia degrauetur, uarios tum, inæqualesq; efficit: plurimos, cum graui onere pressa sit, languidos & tardos, & paruos: cum leui plerosq; uehemētes, celeres, magnos. Cum uero nec

ro nec admodum grauis nec nimium leuis offensio sit, ferè ut in copia, contrarios: ut nec plures possis dicere, nec pauciores uel uehementes esse imbecillibus, uel magnos paruis, uel celeres tardis. Atque hunc in modum pulsus inæquales facultatis noxæ efficiunt.

Instrumentorum uitia quomodo inæquales pulsus efficiant. Cap. II

Instrumentorum uitia in hunc modum. Vbi circũiectas regiones arteriæ, quę ad hoc createę sunt, ut eam distentam excipiant, aliud corpus insederit, non possunt per illud restrictæ arteriæ satis distendi. Itaq; singularum actionum defectio summam interim magnam coaceruat, ut longe ab usu absit officium. Ibi iam uiolenter agere, & uehementer facultas cogitur, reijcere & propellere illa studens, quæ sua instrumenta obsederũt, & motu prohibuerũt. Vbi maiorẽ prioribus, & uehementiorẽ, & etiam celeriorẽ necesse est pulsum euadere. crebrior nõ nũc primũ, sed statim à primo fiet. Ostendimus enim in superiori libro defectuosarũ usus actionum, necessario comitem esse crebritatem pulsuum. Itaq; si parem impetum facultas in omnibus, quæ consequuntur, distentionibus retineret, æque magni semper fierent, & uehemẽtes, & celeres. Nunc, quia non seruat, sed refert se ad pristinum motum, uaria hic inæqualitas existit & continua. Quo minus cõseruet, in causa est, quòd, cum nihil ferè proficiat, nequicquam defatigetur. Ac si humor sit aliquis offusus arterijs, uehementibus & uiolentis motibus propulsus de loco in locum cogitur defluere, dum in meatum impingat, qui educere ipsum posit, itaq; emanet ex corpore: uel etiã tẽpore attenuatus, aut totus resolutus in halitum digeratur. Vbi diuersa etiã & continua inæqualitas necessario fit: quòd nec pari copia humores perpetuo deinceps maneant, nec easdẽ cogant arterias, sed ex partibus sæpe ignobilioribus in nobiliores, atq; ex ijsdem rursus migrẽt in ignobiliores. Quòd si qua inflammatio, aut abscessus, aut scirrhus arterijs circumfusa corpora afficiat, à quo cõprimantur & coarctẽtur: tum longioribus coguntur interuallis inęquales pulsus interpollare æquales. Semper enim earundem arteriarũ premuntur eædem partes ab ijsdem, uel paribus magnitudine, uel similibus tumoribus. Accidit etiã pulsuum inæqualitas interim ex saguinis copia, qui aut in uenas aut arterias ipsas sit infusus. At hæc quidẽ sanguinis missione sedatur facillime. Etenim copia illa in uenis, arterias non secus ac tumor prẹter naturã, utpote ijs uicinas premit & cõstringit, uacuata per sanguinis missionẽ, illico uenarum tumorẽ contrahit, statimq; etiã locum arterijs amplum ad motum dat. Vbi, quia solitam functionem nemine interpellante tenent, simul cum ea æqualitatẽ naturalem pulsuum recuperant. At uero hic sanguis, qui in arterijs est, queadmodum occupet spiritus riuos, quid refert narrare? potissimum si crassus, uel lentus, uel si extremis earum finibus sit impactus. Tunc enim quia nec allicere spiritũ, nec reddere ualent, diuersas simul & difficillimas faciunt inæqualitates, præcipue si uel prope ipsum cor, uel procul quidẽ, sed in nobiles partes impingãt, obstruantq; illi succi. Quare, ut uno uerbo dicam, cum aut ualide comprimuntur arteriæ, aut cum obstruũtur, ut integra omnino facultas sit, inæqualitas quædã corripit pulsus. At si facultas una sit affecta cum eo affectu instrumentorum, clarissimũ est magis uariam oportere inequalitatem existere. itemq; si ipsum cor infestet inæqualis intemperies, de qua accuratissime in libris De præsagatione scribam. At uero si instrumentorum illæsus status sit, sed magnopere facultas infirma, inæqualitas illa, de qua iam diximus, non existet, sed mutila & decurtata, quam uocãt, inæqualitas. Ab admotis enim digitis uicta facultas, minores semper imbecillioresq; pulsus creat. Demonstrationem oratio ampliorẽ non quærit, cum abunde in libris De dignoscendis pulsibus declarauerim. Quod uero refert ad hunc locum, hoc faciam ut adijciam.

Pro facultatis offensione aliæ atq; aliæ inæqualitates oriuntur. Cap. III

Facultatis quæ creat pulsus, non est necesse imbecillitatẽ in omnibus affectionibus parem esse: sed in ea permagnus est excessus & defectus. Nã prima quidem, & parua minores, languidioresq;, nõ autẽ decurtatos pulsus facit. Quæ uero est hac tanto maior, ut iam facultati sint oneri applicati digiti, hæc pulsuũ decurtatorũ author est. Sed quia duplex est in his ipsis differentia (quidam enim illorum ad pristinum motum reuertũt, quos decurtatos uocant reciprocos: aliqui illic alicubi desinunt) priores scito minorẽ annunciare imbecillitatem. Adhuc enim resistit quodãmodo facultas, & ueluti colligens seipsam, & sæpe concitans, magnitudinem ita auget pulsuum. Auget item contentionem. At qui permanent in extrema paruitate, nec omnino recipiunt sese, languidiorẽ quàm in his ostendunt facultatem esse. Sic si semel deficiant, significabunt ultimam quandam imbecillitatem. Verum hæc explorari omnia applicãdis digitis arteriæ, nequaquam suspensis, apertissimum est. Nam si eleuatis ijs, & mox applicatis inueniamus in singulis applicationibus motum deficientem, ueram abolitionem pulsus uocamus, non deficientem pulsum. Equidem longe abesse abolitionem puto à pulsu deficiente. Illa enim uelut est defectus, ut sensus quidem indicat, totius functionis: hic dimidiatæ amissio. Ergo ubi admouenti digitos uideatur motus remissus, & tenenti applicatos paulatim prorsus desinat, eos pulsus uocamus deficientes. Illumq; statum medium numeramus inter decurtatos pulsus & perfectam pulsus abolitionem: & quãto decurtatis grauiorem, tanto leuiorem pulsus abolitione. Ac hi quidem tres status quantitate noxæ differunt. Quartus reciprocorum est decurtatorum, qui est omnium leuissimus. Quintus his addatur, intermittentium: qui præcedit deficientium statum. Quod enim in uno aut altero erat, aut certe in numero pulsuum certo, id status deficientium in omnibus efficit.

Mani

A Manifestę etiam ipsorum intermittentium differentiæ sunt. Grauius enim facultas offensa est, ubi plures: leuius, ubi pauciores motus deficiūt. Iam uero intercurrentes, quos uocāt, pulsus alia ratione ac intermittentes dignoscūtur: qui quidem item inter inæquales, qui aceruatim fiunt, sunt: incidun tq;, ubi facultas ualens copia humorum, uel instrumentorū oppilatiōe impeditur. Vt ergo ad repellenda quæ molestant, maiores sæpe, & uehementiores edit, celerioresq; pulsus: ita plures quoque in eiuscemodi præsertim statibus, atq; alti pulsus fiunt, itaq; portendunt decretoriā excretionē. Porrò non solum facultatis infirmitas inducit intermittentē pulsum, sed & instrumentorū ualida oppilatio, aut cōpressio, & constrictio: ubi in se nihil prorsus arteriæ allicere ualeant. B Hactenus de pulsuum inæqualitate collectiua satis dictum est.

Causæ inæqualitatis unius pulsus. Cap. IIII

Nunc de inæqualitate unius pulsus agendum est, cuius sunt complures singulares differentiæ. Has laborandum nobis est, ut ad uniuersales reducamus cūctas: quibus perspectis etiam si quid desideretur singulare, ex ante dictis prompte reliqua inueniētur. Orationis etiam idem sit initium, quod in sermone De differentijs illorum fuit, ubi initium fecimus à diuidenda primum motus inæqualitate, qui uel interpellatur, uel perpetuus est, uel reciprocus. Ac nouem differentias docuimus fieri, cum distentionem arteriæ quies aliqua intersecans, totam eam in tria partiatur tempora. Ergo C hic singulas ordine consideremus, ut causas inueniamus. Ac primo quidē loco quam illarum primam exposuimus, cum celeriter primū concitata arteria, deinde parua interposita requiete residuū denique addat distentioni tarde mota. Hoc enim accidit cum usus urgeat, & facultas, quantū in ea est, obsequatur: sed aut ab uitio interrumpatur instrumentorum, aut ab humorū insigni abūdantia. Nam ni interrumpatur usquā distētio quiete, omnino magna sit: qualis nunq;, nisi flagitet usus, & morem gerat facultas, fiat. Nam paruam distentionem quiete intercipi nō posse perspicias, si intelligas, nullum esse quenq; paruum pulsum, qui dissecari in partes duas, ut animaduertere posis, ualeat. At hic uero, de quo nunc agimus, in duos ma D nifestos est diuisus pulsus, alterum ante quietem, qui celer est: & alterum à quiete, qui tardus. Ac siquidem insigni uterque magnitudine præditus sit, tum erit totus ex maximis. sin minus, non paruus certe est prorsus: licet ex paruis quidem duobus constare intelligatur. Porrò facultatis robur prioris motus demōstrat celeritas, & usum etiam urgentē motus indicat ille secundū quietē. Nam absq; eo esset, nunq; interceptū motū facultas absolueret: sed ubi inhibitus primū motus eius esset, ibi desineret distentionē, unumq; hūc faceret paruum pulsum. Quomodo millies in collectiuis inęqualitatib. paruū factum cernas pulsum, nō quin moueri facultas posit, sed ꝙ impediatur: unde sequentem sæpe maximū efficit, concitans, ut ita dicam, seipsam, & ueluti colligēs, uiresq; recuperās, deniq; omnē contentionē uimq; aduocans. Hoc autem, cum posset etiā hic moliri, quia non fecit, usum declarauit urgere. At unde, ꝙ immodici humores, uel instrumentorum cōpressio, aut oppilatio motum impediāt? primū hinc ꝙ ualeat facultas, & usus instet. Neq; enim extra illa, quod noxam inducat, reliquū quicq; sit. Deinde etiam ex ipsa natura illorū. Nam siue copia sit humorū, quę degrauet, nihil obstabit, quo minus in media distentiōe subsistat facultas, & quasi respiret, atque inde residuū apponat: siue sit ualida instrumentorū obstructio, siue cōpresio uiolenta, retineri hactenus uerisimile est motū, quatenus spiritu deficitur locū distētionis impleturo. At quia omnino cōsistere & retineri, omnino significat obstructas esse semitas spiritus, ideo etiā compressionē & obstructionē ualidam esse dicimus. Atq; hoc omnibus distentiōibus cōmune est, quas quies diuidit. Singulis autē separatim ea, quę nūc exponemus. Primæ, admodū onerari à copia humorū facultatem, ubi ex abundantia certe humorum gignatur is pulsus. Posterior enim motus, qui secundū quietem fit, cum prior esset celer, nō posset tardus fieri, nisi oppressa tū & grauiter onerata facultas sit ab humorū copia. Contrà est in altera differentia, in qua motus utrinq; celer est. Videtur enim attollere facultas, & retinere contentionē, copiæq; humorum repugnare. Iam medius est inter utrunq; status, ubi motus quoq; secūdus medius est inter celerem & tardum, quod est, moderatus. Hæ sunt distentionum quiete interpellatarum tres differentiæ. Alteræ tres sunt differentiæ, ubi priore motu tardo, alter trifariam uariet: ut aut tardus, aut celer, aut moderatus fiat. Sanè hic quoq; pessimus est, qui utrunq; motū tardum habet. Ac longe hoc commodior, in quo celer alter. Medius inter utrunq;, ubi sit moderatus. Haud aliter cum à primo motu moderato alter tribus modis conuertatur, commodiorem significabit statum celer motus, pernicialiorem tardus, medium moderatus. Omnium harum nouem differētiarum, à quacunq; causa proficiscantur, quæ est utroque motu tardo, deterrima est. Commodissima, cuius celer est uterq; motus. Media, in qua uterque moderatus. Iam aliæ quæ intercedūt inter mediam & extremam utranque, proportione. Quinetiam tempus hoc quietis, quò sit in quaq; nouem harū differentiarū longius, hoc est deterius. E diuerso diuturnius motuū tempus meliorem declarat statū. Præterea utriusque distentionis magnitudo optima: contrà pessima est paruitas. Similiter uehementia optima, remissio pessima. Quòd si omnia, quæ commemorauimus, mala in uno pulsu conueniant, hic illorum scilicet pessimus erit. Contrà, si omnia commoda, optimus. Ille enim si copia humorum sit, quæ facultatem oneret, ualde declarat superatam naturā esse. si oppilatio arteriarū, cum pręcipuarum esse harum, nec remotarum longe à principio: tum hāc oppilationē indicat insignem esse. si compressio sit & constrictio, innuit arteriarum locum occupatū penè omnē. At uero commodissi-

modißimus inter illos, cuius inquam uterque est motus celer, magnus uehemens, ac quietis breue tempus, cum facultatem denunciabit superiorem abundantia humorum esse, tum oppilationes & compreßiones arteriarum uel paruas, uel non in nobilioribus partibus, uel procul à principio. Sed hæc ad contemplationem proprie pertinent præsagiendi: nos quòd non aliena à proposito erant, adscripsimus.

Continuorum motuum, sed disparis celeritatis causæ. Cap. V

Nunc ad pulsus commentandos transeamus, qui totius distentionis habent quidem perpetuũ motum, non uniuersum tamen pari celeritate. de quibus in libro De differentijs pulsuum abunde diximus, & quot omnes huius generis differẽtiæ sint, quotcp in quaque earũ pulsus. Quominus horum hic numerus recẽsendus est: sed ad causas illorum accedamus, eascp quò breuior tota disputatio sit, quoad eius assequi poterimus, generatim explicemus. Ac qui iam inde ab initio ad finẽ uscp in celeritatẽ insurgunt, minus onerari annunciãt facultatem. Qui contrà, magis: ueruntamen oppressa quidem facultate nullus horum existit. Siquidem omnes magni sunt: præsertim quatenus in tria interualla, triacp tempora aut quatuor, quæ sentiri poßint, motus ualet extẽdi. Est autem proprium ijs, qui in contraria affatim mutantur, non solum grauari facultatem, sed etiam obstrui & premi instrumenta. In contraria affatim mutari dico, si cum moueantur celeriter, subito fiant tardi: aut qui ex tardo primo motu euadant celeres. Oriuntur enim hi cum ex obstructionibus quibusdam & cõstrictionibus, sed minus difficilibus quàm in intermittẽtibus: tum ex facultate ipsa copiosis humoribus onerata: minus illa tamen quàm in intermittentibus. Etenim non æque magnum est incõmodum mutari motum, ac impediri. Sed enim huius generis inæqualitatis singuli pulsus qua re mutuo differãt, quicp inter eos exitialißimi sint, quicp lenißimi, quis prompte uel de uulgo, adminiculo illorum, quæ de intermittentibus tradidimus, inueniat. faciam tamen, ut in commentarijs De præsagatione ex pulsibus aperiã. Nam proposita quidem disputatio nõ requirit iam eos, ut qui pro cõmuni genere cõmunes habeãt generationis causas, de quibus modo dixi.

Vibratorum & Dicrotorum pulsuum causæ. Cap. VI

Porrò ad reliquum iam genus inæqualitatis in una parte positę, quos Dicrotos pulsus uocamus, pergendum est. Hos diximus non posse esse, nisi uibrati sint. Quamobrem eorum causas nulla ratione exacte inuenias prius, quàm uibrati causas accurate perspexeris. Fit autem hic, ubi ualida sit facultas, instrumentum durum, urgeatcp usus. Si quid enim absit horum, non fiat uibratus. Quæ enim constituit eius generationem, est uiolenta distentio duræ arteriæ. Nam, nisi ambo sint hæc coniuncta, non uibretur, & undequaque cõcutiatur. Quòd si arteria indurata sit sola, nec cogatur distendere eam plurimum facultas: nulla erit planè

A uibratio: sed hoc tantum, durus, quem uocãt, pulsus. Sin plurimũ dilatare arterias facultas studeat, illæ autem moderata mollitudinę consequantur, magnus tunc erit, non uibratus, minimecp durus. Quare si fiet, ut uibratus sit, planè distendere amplius eas, quàm poßint, facultas molietur. Atqui nisi ab usu urgeatur & compellatnr, uiolentam facultas actionem nunquam obeat. Recte ergo robusta facultate diximus opus esse, induratis arterijs, atcp urgente usu. Vt autem urgeat, à quanam procedat causa, exponendũ est. hoc enim minime est prętermittendum. Vna est, ut sic dicã, finitima causa, cuius multæ autores sunt. Quæ tandẽ hæc una est, & quę multę illæ? Vna hæc est, cum usum functio nõ impleat. Multæ illæ huius autores, breuiter imbecillitas facultatis, instrumentorũ contumacia, & maior usus. At de proposito pulsuum genere demenda facultatis imbecillitas est. Namcp eam probauimus firmam esse. Relinquitur igitur, ut uel usu increscente, uel instrumentis renitentibus, uel utriscp copulatis distentio in uibratis pulsibus non assequatur usum. Atqui usus abundantia caloris augetur, uel exhausto animali spiritu. Contumacia instrumenta fiunt per oppilationes, compreßiones & duritiem. Atcp hæc durities existit, si inflãmata sint, scirrho intumuerint, indurue rint, desiccata sint, refrigerata, contenta instrumẽta. Itacp omnes iam inuenimus causas originis uibratorũ. Nam intẽperata inæqualitas si progrediatur, augebit quidem uibrationẽ, non tamen causa est eorum generationis. Cæterum inæqualitas pulsuũ in diuersis arteriæ partibus comitatur proxime tali intemperiei: quòd ubi humidior simul & calidior sit pars arteriæ, maior illic citatior'que fiat pulsus: ubi uel frigidior uel durior, ibidem minor & tardior. Iam etiam ad motum prius concitatur pars illa prior, postea orditur altera. Quare ex eo cum augebit simul uibratos, tum erit finitima causa inæqualis in partibus diuersis arteriarũ motus. Igitur pulsus, qui uocatur Dicrotus (ut tandem aliquando ad hunc ueniamus) ad hunc modum fit. Vbi partes arteriæ quam attingimus duriores sint frigidioresc, itacp difficilius etiam moueantur partes utrincp, quas non attingimus: ac deinde partem mediam præ ipsis in distentione concitatam retrahant intrò, iterumcp secum attollant: bis necesse est feriatur tactus. Eiuscemodi pulsus dicrotus est duntaxat, non autem uibratus perspicue. Alter, qui iuxta & satis uibratus est, & dicrotus, fit ad hunc modum. Vbi cum uibratione sublatæ arteriæ pars ea, quæ sola cute tecta est, facile iactetur: aliæ autem utrinque partes craßitudine, numerocp onerẽtur corporũ incumbentium, adeo ut ne motus quidem earum tangentibus occurrat: necesse tum ex parte hac, quæ aperta est, omni iam sublata, partes illas non manifestas, quæ utrinque sunt, adhuc attolli: itacp mediam, quæ delata iamdudum est, de integro unà cum illis, quæ utrincp sunt, attolli, ita ut redeat & occurrat iterum foris ipsam tangentibus. Proinde constat eum dicrotum futurum: qui in eo tantum

B

C

D

uincit uibratum, ꝙ motus inæqualitatem in magnis obtineat partibus arteriæ. Cũ enim pars, quæ digitis occurrit, omnis, nisi quatenus uibratur, æqualiter moueat, ac partes ex utroq; latere ab illa differãt, efficitur Dicrotus. Vibratus, cui nihil suppetit amplius, quàm ꝙ uibrantur concutiunturq; paulatim omnes partes, motus in tam magnis partibus diuersitate, quam habet dicrotus, uacat. Planum est igitur ex prædictis, dicrotum interim ex magna intemperie oriundum esse, paruaq; duritie arteriæ in eum modum motæ: interim ex ingenti duritie coniuncta cum quadam intemperie, uel crassitudine, uel abundantia humorũ & carnis.

Caprizantis pulsus causæ. Cap. VII

Caprizanti uero, quem uocant, hoc cum dicroto conuenit, quod bis pulsat: non conuenit causa. Neq; enim cum instrumentorum duritia necesse illi est, nec cum intemperie, ut coniungatur. Verum ubi retineat facultas, quantum illa quidẽ præstare potest, contentionem natiuam, arceatur autem à motu, uel ob humorum immodicã copiam, uel ob oppilationẽ uel cõpressionem instrumentorum, quies tunc distentionem interpellat. Iure itaq; altera eius pars secũdum quietem robustior illa, quę eam antecedit, uidetur. Siquidem ubi sese facultas, quæ prius fuit uicta, collegit, ut ita dicã, & cõfirmauit, uiresq; reparauit, imminet grauius, & ut superet reijciatq; quæ molesta sunt, contendit: id quod frequenter facit. Quòd si in altero etiã impetu sit inferior, fuerit is sanè caprizante deterior pulsus. Nomen hic non est sortitus. Tametsi hos quidam omnes, quorum cõtinuitatem distentionis interpellat quies, appellẽt caprizãtes. Nos quidẽ de nominibus minime laboramus, nisi quatenus flagitet institutionis perspicuitas.

Vndosorum pulsuum & uermiculantium differentia & causæ. Cap. VIII

Nunc quando res aperte declarata est, ad aliud genus digrediamur pulsuũ inæqualium, quos undosos, nonnunquam etiam uermiculantes uocãt. Diximus uero de his quoq;, sola eos distare quantitate, sub uno tamen ambos genere positos esse. Ac sunt quidem in eorum numero, qui in diuersis partibus arteriæ inæqualitatem, idq; in una distentione habeant. Causæ sunt illorum generationis, facultatis imbecillitas, uel copia humorũ, uel summa instrumentorum mollitudo. Nam cum à principio cõtentio in singulas arterias permeans pari firmitate totũ attollere uas nequeat, hic propinquior principi parti motum orditur primum, remotior serius. Atqui æqualiter si hoc fiat per omnes arterias, eius semper prior pars prius uidebitur moueri: ueluti in fluente quopiam per eas libere, uel spiritu, uel humore pulsus contingeret effici. Quod quidem Erasistratus perpetuũ autumat esse, in quo mentitur de rebus euidentibus. Aliorum uero nullus non modo medicorum, sed nec philosophorum, nec imperitorum. Omnes enim clare cernunt omnes partes arteriarum eodem distendi tempore. Raro & iam præter naturam, partes cordi uiciniores moueri prius, deinde longin-

A quiores. At talis pulsus non undosus iam, nec uermiculans est. uerũ cum ei hoc accesserit, ut, quod speciem habet fluentis per arterias, remorari alicubi & subsistere uideatur, quiescereq;: mox iterum fluere, iterumq; retineri, atq; per totam arteriã accidere: is pulsus, uel undosus, uel uermiculans est. Nam cum singuli motus semper terminent quiete, seriem ueluti undarum, uel uermis perrepentis speciem contingit repræsentari. Si à copia humorum oneretur, hæc moratur uigorem, ac interpellat, atq; diffindit illic, quò plurima confluxit. Itaq; existunt multæ distentiones in modum undarum sese mutuo excipientes. atq; quo loci fissus uigor est, illic terminat undam quies. Quòd si ipsa facultas etiam citra humorem languescat sola, nec uni-

B uersam possit arteriam distendere, sed hoc particulatim faciat, & tum existent ueluti undarum quarundam multæ circũscriptiones succedentiũ mutuo distẽtionum. Porrò quod inter hos pulsus interest & illos, quos copia humorum cõstituit, magnitudo est. Vnde hi ob paruitatem uermiculantes, ob magnitudinẽ illi undosi uocati sunt. Et causam habent illi facultatis imbecillitatem, hi humorum abundantiam. Iam cõsequuntur etiam extremam mollitudinem instrumentorum eiuscemodi pulsus, simili modo ac in mollibus ac tenellis uirgis, quæ cum ex uertice apprehẽduntur, quædam partes, præcipue uicinæ parti prehensæ unà attolluntur: quædã cum flectuntur, adhuc demissæ manent & humi. At uero duris uirgis & siccis hoc nõ

C accidit: sed pari uigore, si attollere uelis, quacunq; parte prehẽdas, tota simul attollitur. Idem arterijs usu uenit, cum multa humiditate imbutæ sunt. Neque enim tum à principio uigorem æqualiter omnibus partibus accipiunt: sed quasi flecterentur et frangerentur, multis partibus dissecant: in eoq; undosus plerunq;, nonnunquam uermiculans erit. Nam ualidam facultatem habet undosus: quippe magnas sic partes arteriarum poterit attollere. Imbecilliorem uermiculans: quòd paruis interuallis tum uigor uincatur. Cęterum statim hunc necesse est inæqualem alioqui, etiam intermittentem fieri: ut fit in hydropicis, quibus, cum resistat adhuc uigor, quemadmodum inferius, ubi tractabimus de illis, dicemus, latus undosusq; est. Vbi uero sit

D uicta, uarie fit inæqualis.

Decurtatorum pulsuum causa. Cap. IX

Sed quia satis est de his, de decurtatis iam agamus, qui imbecillitatem consequuntur facultatis, à qua pulsus creantur. Cũ enim à corde permeans in singulas arterias uigor magis ac magis in partibus remotioribus dissoluit, minores tum languidioresq; necessario earũ motus fiunt. Qui tandem igitur in partibus quidam principio propinquioribus inueniri aiunt nonnunquã minores motus? Neq; enim hic poterimus dicere, uigorem in uicinioribus magis quàm in remotioribus remitti. Equidem puto ijs aut propter arteriarum inæqualem situm eam speciem oblatam esse: aut si planè uera prædicant, intemperiei inæqualitati origo omnium istorũ pulsuum referenda accepta est. ut à

principe parte facultas in arterias diffusa partibus earum temperatis merito utatur melius, intemperatis deterius. Siquidem instrumentum à pari robore eodemque, si humiditate & calore sit modico temperatũ, facilius ac magis mouetur: squalidum, aut nimium humidũ, aut frigidũ, lentius minusque.

Innuentium & circumnuentium pulsuum causæ. Cap. X

Igitur naturã innuentium & circumnuentium pulsuũ simili ratione cõmentabimur. possint forsitan pari modo ac simili aliquãdo fieri: nam sæpe luculenter mihi certe apparuerunt alijs de causis accidisse. Vbi enim ualida sit facultas, corpora autem quæ ambiunt arterias, marcescant: qua parte illorum maxime marcida, atque eò leuiore emicare motus possit, ibi etiam maxime elucescit eius magnitudo. Comparata enim huius partis distentione alijs utrinque minoribus, decurtatum in utrisque B partibus motum ostẽdit. Hoc fieri in ualidissimis facultatibus non potest, quod immotã oporteat eam esse, nec sustinere incumbentiũ corporũ pondus: ut manifestã efficiat excellentiã distẽtionis in parte nudiore præ illis, quæ sunt in partibus oneratis.

Inæqualitatis ex situ arteriæ causæ. Cap. XI

At quomodo ex situ arteriæ fit pulsuũ inæqualitas? Hoc enim deesse orationi adhuc uidetur. Qui uero aliter ac dixit Hippocrates, qui de omni nos distortione in cõmuni docuit? Etenim uterus similiter, & spina, musculique distorquentur cum in corporis illas partes tenduntur, in quæ distorquentur. Sed, quòd multæ causæ sunt, quæ tensionẽ inducunt, uniuersum plerisque ueteribus medicis C difficile fuit inuestigatu. Inflãmationes enim, scirrhi, abscessus, ac crudorũ quorundã generatio tuberculorum: breuiter omnes præter naturam tumores, uicinas partes ad se retrahere ualent. Prętera squalida durities, frigusque immodicũ, quiddã faciat in modum gelu, & cõuulsiua intentio: quorum alias aliud arterias distorquet. Præter cætera distorquere inæqualis intemperies censenda est.

Conuulsiui pulsus causæ. Cap. XII

Sed quando de his, quæ nobis uisa sunt, exposuimus: iam de conuulsiuo pulsu etiam disputandum est, qui nomen recte inuenit ex ipsa specie & affectu, quẽ solet denotare. Tendi enim ad utrũque terminũ arteriam putaueris, & statim corripit hominem conuulsio. At qui tandẽ hic scrupulus est, D & quid propositus? Si ut arteriarum cor, sic neruorum est fons, nihil est scrupuli, & frustra est motus. Sin aliud principium neruorũ, aliud arteriarum: atque harum pulsus functio est, illorũ sensus & motus uoluntarius: ut functionum illis nulla societas est, ita nec erit affectuum. An uero errant in eo & mentiuntur, qui putarũt illis nullum cõmercium esse? Nam princeps quidem huius placiti diuinus ille Hippocrates, Confluxio una, inquit, est, conspiratio una, omnia omnibus consentiunt, natura cõmunis. Nã nisi hoc esset, duo animalia esset nec unum quisque nostrum. Nunc arterias cor cerebro uinculũ societatis transmittit, cerebrũ neruos cordi. qui quanquam non magni sint, mandatum tamẽ rationis possunt perferre. Ad hæc cum singulis arterijs fibræ à neruis deductæ ad societatẽ cohærent, per quas se sinunt mutuo in cõsensum uenire non modo actionũ, sed affectuũ etiã. Nec iam quicque habet admirationis, si, cum uniuersum neruosum genus cõiunctũ cũ arterijs sit, singulique eorũ ramuli sibi mutuo immisti, cõmunis appareat affectus.

Causæ alti, humilis, lati, angusti, longi, breuis pulsus. Cap. XIII

Sed quia de conuulsiuo pulsu diximus, residuũ ad cõmentationem omnium inæqualitatum adijciam. Superest nimirum, quemadmodum alti, humiles, lati, angusti, longi, breues pulsus fiant. Maximus est enim horum numerus, & uariant maxime omnes inæqualitates cum in uno pulsu, tũ uero longe magis in aceruo. Accidit autẽ tale quippiam dum distenduntur arteriæ, & in ualentibus omnibus & ęgrotis plerisque, ut superficiem earum motarũ clarius sentiamus, quàm partes obliquas: quòd propior illa sit nostrum tactum, & congrediatur minus multis interpositis corporibus. Partes ex utroque latere huius, cum remotiores sunt, tũ pluribus corporibus, quæ interposita sunt, indutę. Proinde ipse naturalis pulsus, si diligẽter expendas, altior est: quòd deficiat semper eius in latum motus, præpolleat autem motus in altũ. Verum quia mensura nobis hæc est, omniumque regula aliorum, nec altum eum, nec angustum appellamus: sed, ut par est, & postulat æquitas, moderatum & inter omnes excessus mediũ. Cui quia assueti nos sumus, & unà cum eo creuimus, ac sæpe eum inuenimus, non in sanis modo, sed & in ægrotis facile cognoscimus, qui superãtur ab eo, & qui eum superant in qua cũque dimensione. Etenim longus et breuis ad hunc collatus dicitur. Ac quicũque non est in hoc uersatus, non tantum non alti, humilis, lati, angusti sit probus explorator, sed nec longi & breuis. Nam ut hominẽ dicimus aliquem undequaque moderatum, non obuia illa ad sensum paritate longum cum lato & profundo cõparantes, sed paritate in potestate: Neque ẽm tam est quisquam breuis, ut cõcedat longitudo latitudini: Sic uocamus moderatum pulsum, naturalem proportionem & mediocritatem, normam æqualitatis, non ipsum sensum facientes. In hoc omnino longitudo præstat profunditati, atque hæc latitudini. Nã si ipsam solam arteriã fingamus omnibus circumiectis corporibus nudatam, æquabit profunditatem latitudo, atque adeo in ea certe ne dicere poterimus quidem, quæ latitudo, quæ profunditas sit, sed sicut undique sibi est simile corpus planè circulare, ita nulla dimensionum differentia est. At si in alio sit corpore ea collocata, deorsum iam dicetur, quibus partibus sustentatur & defixa est: sursum, quod est è regione: quod interponitur his interuallis ex imo sursum, intelligunt altitudinẽ: & desuper deorsum, profunditatem. Vbi autem altitudo & latitudo est, illic alterutra dimensionum profunditas & latitudo est. Quòd si non tantũ fulciatur aliqua parte, sed etiam ex ipsis obliquis partibus, & superioribus complectatur quædam corpora, planissime partes, quas per pauciora tegmẽta contingimus, apertiorẽ motum, quàm quę tangimus

gimus per plura, edent. Atqui quæ arteriæ sub cute positæ sunt (tales autem sunt, quas dignoscendis pulsibus attingimus) harum superiorem partem interposita sola cute tangimus. Partes utrinque alias, quantum recedunt in obliquum, tanto per longius interuallum & per plura interposita corpora. Qua necessitate fit, ut omnis pulsus, qui naturalis sit, si mutuo compares dimensiones, sit semper longior: uocatur autẽ moderatus & aliorũ regula, ut Polycleti. Nam ut, cũ alias statuas ad hanc conferimus, crassas, graciles, latas, & angustas uocamus, aut si quo alio excessus nomine: sic pulsus, cum naturali comparantes, altos, humiles, latos, angustos, longos, breues, crassos, graciles, magnos, atque paruos appellamus. At quęnam sunt causæ, unde oriantur, quod instituerامus dicere? Ad manum erat quidem, ut in instrumentorũ intemperiem inæqualem causam conferremus, aut in distortionem situs. Siquidem quemadmodũ appareat in eiusmodi affectibus motus inæquales, declaratum est. Sed altos ego in ira, & ante iudicationes comperio fieri, latos plurimum in decretorijs excretionibus. Non possum uero instrumẽtorum iam intemperiem, aut distortũ situm solos in culpa ponere. Sanè quidem interim etiam de aliqua harum causarum incidat. Verum plerique affectus, in quibus inueniuntur eiuscemodi pulsus, sunt expertes causarum, quas diximus. Neque enim temperamenti inæqualitas, quæ immutat adeo naturam instrumentorum, ut inæquales efficiat pulsus: nec uero situs immutatio, unque inueniatur citra ingentem noxam, tempusque longum: quorum suppetit nihil, nec iratis, nec modo iudicatis, nec iam iamque iudicãdis. Sed quod illis accidit, hoc est. Magnum pulsum creat iratis & iudicandis. Non tamẽ quanto quicquid maius euadit, tantum etiam animaduertitur. Motus enim in altum & distẽtio arteriæ, quousque progrediatur, uniuersa conspicua est: motus obliquus fere occultatur, eodem scilicet modo, quo inculpata ualetudine præditis semper ostendimus præpollere motum in altum. Itaque memores illius status pulsuum, quos moderatos appellamus, si iam comperiamus bene auctam altitudinem motus, nec multum latitudinem, sed omnino parum, uel nihil prorsus, recte uocamus eos pulsus altos. Quòd si manifestũ accedat incrementũ latitudini, magnos simul & altos uocamus: sin omnino obscurum, altos tantum. Si ambo increuerint altitudo & latitudo, sed non multum latitudinem uincat altitudo, hos uocamus magnos tantum. Cum enim eadem proportione altitudo adaucta uincat latitudinem, qua etiã in naturali pulsu superaret, eandem speciẽ, ac moderatus quem uocãt, retineat hic oportet. Itaque non altus, ut nec ille: sed maior tantum illo uidetur. Siquidem eorum, quę eandem seruant formã, non decet unum moderatum, alterum uocare altum. Sed si eadem undequaque proportione alter creuit, maiorẽ tantum. Quinetiam in longitudine eadem est ratio. Quæ cum eadem proportione augetur, qua profunditas & latitudo, uniuersum pulsum, uti dicimus modo, maiorem repræsentat. Vnde, ut magnus fiat pulsus, non requiritur, ut planè pares sint motus, qui in tribus dimensionibus augentur, uerum ut proportione sint æquales. Quare qui triti sunt in naturali proportione, nullo negocio, quantum accessio discessit à proportione, perspicient. Hoc pacto generantur propositi pulsus. Restat ut causas aperiamus, quamobrẽ naturalis eorũ proportio constare, uel perire solet. Constat, ubi nulla præter naturam insignis in crassitudinem mutatio, aut in gracilitatem corporis fiat. præterea nec siccitas immodica, uel humiditas, uel necessitas quædam maximæ prorsus distentionis. Perit atque conturbatur, cuiuspiam horum præsentia. Exempli gratia. Reliqua omnia se recte habeant, facultas autem compellatur ita magnam distentionem facere, ut eius tumorem circumiecta arterijs loca non capiant. In eo utique statu, ut alia sint inculpata omnia, altus pulsus appareat, oportet. Dum enim in eam attollitur magnitudinem distẽtio arteriæ, ut nusquam coarctetur, naturalem tuebitur trium dimensionũ proportionem. At coarctata, tantum detrahet de illa dimẽsione, quantũ progressu prohibita est. Quocirca iratis, licet corpore sint optime comparato, fit pulsus altus. Distentionis enim summũ excessum ne is quidem cõmode ferat habitus: sed iam ex imo premitur, & ex obliquo arteria. Sola ergo pars illius ea, quæ instrata sola cute est, omnem calorem excipit. Vbi uero in alijs omnibus impedita distentio sit, pars autem eius duntaxat superna seruet soluta & libera, non poterit illius motus non præstare cæteris. quod aliud erat nihil, ac altus pulsus. Quia porrò ualentibus cunctis, & ægrotantibus plerisque in maximis distẽtionibus arteriarũ manifestarũ, quas tangimus, partes comprimunt aliæ omnes, & in angustũ coguntur, ac suo motu libero prohibent: partes aũt eminentes, liberũ obtinent & dissolutũ motũ: hinc factũ est, ut obseruauerint medici & scriptis prodiderint pulsum iratorũ altũ esse. Qui certe aut rarũ exemplũ non animaduerterũt, aut negligẽter attenderũt, aut hũc duxerũt singulis affectibus pulsum propriũ, quem cũ ijs cernerent frequẽter esse cõiunctũ. Quidam etiam ultro rara exempla, ubi causa deficiunt, reticent: quos hoc sanè nomine accuses, si alia omnia ignoscas. Ita enim scitu digna infinita præteribuntur. Quin ueritatis studiosus omne debet, quod conspiciat, etiam si eum angat causa, sedulo exponere. At quod tandem est illud euidens exemplum? Multis gracili corpore, nec facultate admodũ firma, pulsus, si irascantur, magni, & non alti uidẽtur esse. Quæ uero tandem huius est causa? Neque enim multũ uidetur ab illis, quę initio iam posita sunt, abesse. Siquidem robur facultatis diximus esse tantũ debere in altis pulsibus, ut maximam distentionem possit moliri, nec loca cingentia arterias capere eam ualeant. Quod si est, in commemoratos affectus planissimum est non posse altum pulsum incidere: cùm nec ualeat facultas, & circum arterias loca sint amplissima ex colliquatione. Sed hæc quando nec opinato

inuenta est, apertum arbitror simul cum hac esse, A queͤ nam latorum pulsuum sit causa. Nam cum naturali robore facultas aliquatenus deficiatur, & latitudo sit insignis locorum, pondusq; accedat arterijs ex superioribus partibus, hic pulsus collatus ad moderatũ latior est. Pondus hoc, quod accessit, sæpe sunt ipsius cutis rugæ: quod accidit senibus, & gracilibus, qui tamẽ corpore non sunt desiccato. De quo genere sunt, qui recentes sunt iudicati. Sæpe etiam ex humiditate, præcipue si irrigua sint ipsa corpora arteriarum, ut fit in hydropicis. Partes enim earum, quæ in summo cacumine sint positæ, delabuntur demittunturq;, partim in ipsam arteriarum cauitatem, partim in obliquum. Quare hactenus ascensu necesse est pulsus prohibeantur, quatenus arteriæ dorsum demittitur. Ac B nimirum latitudinem iam bifariam oportet præpollere, tum quòd in obliquum dilabantur arterieͤ partes, ac comprimant; atq; eo inferiorem regionem dilatent: tum uero quòd imminuta ipsa altitudo sit. Quarum certe, uel altera reddere pulsum latum ualeat, aut imminuta altitudo, aut latitudo aucta. Quia uero ambæ coniunctæ sunt, hinc clara in eiuscemodi affectibus, & ampla conspicitur latitudo. Quomodo iam pulsus fit longus, quem uocãt? Inuenitur enim motus nonnunq;, qui quatuor digitis occurrat: sed ita angustus et obscurus, ut speciem referat subtilis fidis. At ne hoc quidem ex ijs, quæ diximus, inuẽtu difficile est. Siue enim fidem tenuẽ quandam occursus, siue pilum repræsentet, durities ex eo arteriarum tuniceͤ ingens sig C nificatur. Verũ non ea modo, durus enim tantum pulsus fit: imò quia angustus humilisq; est, oportet imbecilliorem facultatem esse, quàm quæ magna ui instrumentum distendere propter duritiam contumax possit. Quid iam, si hoc uerum est, num longus continuo is pulsus est? an huius etiam causam inuenerimus, si affectus cõmemoremus, qui præditi eo pulsu sunt? Qui tandẽ sunt illi affectus? Corpus tenue, contenta, aliquantoq; durior cutis. Proinde si remissa & crassa magnam partem motus tegit, tenuis contentaq; prorsus omnẽ conseruat. Vnde liquet conspirare gracilitatẽ totius corporis oportere, & duritiem cutis, ad hæc duritiem instrumentorũ, tum imbecillitatẽ facultatis, non ultimam tamẽ. Perdiderit enim pulsum homo, nõ D longum habuerit. Omnino enim nõ attollit in sensibilem motum facultas prorsus languida, ne uas quidem molle, nedum durum. Sanè per excellentiam longus pulsus hoc nomen sortitus est: proprium autem nomen est tenuis, & gracilis. Qui absolute est, & proprie longus, cum quo quantitatẽ non concipimus dimensionum duarum reliquarũ, aut ex corporis tenuitate, aut ex sua ipsius magnitudine talis euadit. Porrò autem breuis fit, ubi in parte quapiam parua, arteria sola cute muniatᷣ, & partes ex utroq; illius latere omnes in profundum demergantur. Namq; pars eius illa sublimis, quæ subter cutem est, aperte omnem modum prodat oportet: demissæ contrà, quòd multa obiecta sint corpora, occultentur. Hoc multis sponte suppeditat: in morbosis affectibus sanè paucis, cum in situ distorqueatur aliquo modo arteria, ac parua sit eius pars conspicua, reliquæ intrò omnes in profundũ depressæ sint. Est uero & hic pulsus de illis, qui breues per excellentiã dicunᷣ. Nam propriũ huius nomẽ est crassus, & turgidus. Quandoquidẽ qui simpliciter breuis est, uel ex corpulẽtia nasciᷣ, uel ex paruitate. Percurri iam omnes penè, quæ inæqualitatẽ inducũt, causas. Quòd si qua res parua preͤterita sit, facile inuenias ex cõmemoratis

Ordinati & inordinati causæ. Cap. XIIII

Proximũ est, ut de inordinatis & ordinatis dicamus. Hi pulsus, quãdo inæquales omnes sunt, quo modo docuimus in libris De differẽtijs pulsuum: sed in eo uariant, q̃ æqualitatem hi certis orbibus tueantur, illi confusi undequaq; sint: hoc in cõmuni unum breue caput de omnibus ijs cognoscendum est, causam, quæcũq; inæqualitatem efficiat, semper firmam in ordinatis & fixam esse: in pulsibus inordinatis, non fixã. Insuper ordo, ut æqualitas, naturæ, si quid aliud, familiaris est. Quare si alterũ eorũ sit conturbatũ, minorẽ designat offensam: sin utrũq;, maiorẽ. Concurrũt aũt in inordinatis ambo: alterũ in ordinatis, qui inæquales sunt.

Rhythmorum mutatorum causæ. Cap. XV

Porrò & mutationum rhythmorum causas (hæ enim restant explicãdæ) si persequare superiora, facile inuenias. Si enim recte demonstratũ est, allici per distentiones arteriarum aeream quandam substantiam, in contractionibus autem excrementa excerni, & quasi fuligines adustorũ humorum: necesse est, cum distentionis usus instet, maiorem fieri celerioremq; distentionem: cõtractionis, contractiorem. Quamobrẽ quibus in ætatibus multi humores insumuntur, quæ sunt usq; ad iuuentutẽ, in his parum distentio cedit contractioni: in quibus paucissimi, quod in senibus fit, longe hic maius est contractionis tẽpore distentionis tempus. Siquidem difflatus per totum corpus contractionis est arteriarum munus. In distentionibus enim in se attrahunt, ut alijs omnibus oscillis, ita illis etiam quæ ad cutem pertinẽt. Nihil ergo hic quicq; ex corpore excernitur, imò uero prorsus intrò trahitur. Contra in contractionibus excernitur, attrahitur autem nihil. Iam in quibus ætatibus humores natura non ad nutrimentum modo, sed etiam ad incrementũ conficit, in his excrementa oporteret magis affluere, in aperto est. Semper eñ quantitati cõfectorum succorum quantitas respondet excrementorum. Proinde ubi plurimi conficiuntur, illic plurima sunt excrementa: & ubi plurima excrementa, perpetua hic & multa opus est euacuatione. ut scilicet in uentris & uesicæ excrementis fit. Cæterum horum excretiones perspicimus sensibus: excrementorũ uero euacuationes in arterijs assequiᷣ ratio. Ac miror, ecquis erit, qui aut per externam superficiem negabit arterias uacuari, aut non quomodo diximus. Demonstraui autem hæc, quoad eius res postularet, in libro De usu pulsuum. Ad propositam disputationem hæc satis sunt.

ARGVMENTA LIBRI TERTII DE CAVSIS PVLSVVM, IN QVO (SICVTI etiam in sequenti) omnia per singula capita proposita exponit Galenus, quæ ipse tradidit in libello, qui de pulsibus ad introducendos inscribitur.

GALENI DE CAVSIS PVLSVVM LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.



POSTQVAM de pulsuum alterationibus, quæ ex primis & præcipuis causis ꝓficiscuntur, satis primo in libro disputauimus, illas nunc explicabimus quæ ab alijs omnibus fiunt: quæ non per se planè, sed ꝙ mutent primas, causæ pulsuum uocantur. Hæ autẽ quia partim præter naturam sunt, partim naturales, partim etiam inter has mediæ, quas non naturales uocant: ut ab naturalibus exordiamur, par est, eodẽq; ordine dicamus, quę in libro Tyronibus descripto instituimus. Nã præter alia, enarrabuntur etiam, quæ illic rectè tradidimus, simulq; ostendentur, quæ congrue illic sunt præterita. Ac reliquimus quædã prorsus, aliqua hactenus, ut nõ distinctè explicaremus. Quicquid enim initiatis huic cõmẽtationi allaturũ erat obscuritatẽ, hoc uisum est præterire. potissimum aũt omissa est causarũ explicatio. Præstabat enim initiatis in ipsis exerceri operibus primũ per experientiam: deinde uniuersam aliquando perdiscere ratione essentiã rei. Itaq; ut exercitatis iam illis, & assequentibus absolutiorẽ narrationẽ, hanc lucubrationẽ cõscripsi. quæ prioribus duobus cõmentarijs, quantũ de causis, quas cõtinentes appellãt, satis erat, disseruit: duobus reliquis hoc et ꝓximo, cætera omnia plana faciet. Itaq; ingrediamur narrationẽ ac singula capita quę in illo libro cõscripsimus, ꝓponamus, eaq; inde interpretemur. Primũ ex ijs, quę accõmodata instituto nostro sũt, hoc sit

Virorum pulsus. Cap. I

Viri mulieribus pulsum ferè habẽt longe tum maiorem, tum uehementiorẽ, paulo tardiorẽ, satisq; rariorem. Hoc est caput. Cur autem accõmodatior hæc oratio sit, ut primo loco referatur, in illo libro est explicatũ. Itaq;, quia non est nostri instituti sępius de rebus ijsdẽ scribere, ad causas iam pergendũ est, declarandũq;, quæ imponat necessitas naturæ rei, quamobrẽ uirorũ & mulierũ pulsus aliter atq; aliter cõparati sint, ad hunc modũ. Quandoquidẽ calidior & siccior fœmina mas est, ut pręstantissimi quiq; senserũt ueterũ medicorũ & philosophorũ, nosq; aliàs demonstrauimus: usum generationis pulsuum, & instrumentorũ cõparationem differre in illis oportet. quòd si hæc, tũ ipsos etiã pulsus. Etenim copioso calori in superioribus libris ostẽdi magnum pulsum familiarẽ esse. Itaq; si calidior mas fœmina est, etiam pulsus statim habebit maiores. Si multo calidior, multo maiores. At enim tum calidior, tum multò est calidior. Proinde & maiores, & multo maiores pulsus obtinebit. Nam calidiorẽ esse, cum in libris, quos de temperamentis iam edidimus, tum uero antea etiam in ueterum scriptis satis probatũ est. Iam uero multo calidiorẽ, id nondum nec nos, nec quisq; demõstrauit alius. Quare faciundum nunc id nobis est, ut demonstremus, alioqui nequaq; cõstituta erit & confirmata tota oratio. Primum initium capitis cõmemorandum est, atq; ipsum totũ legendũ, singulaq; uerba attẽdenda. Nam quid dicit? Viri mulieribus pulsum ferè habent longe tum maiorem. Quid hoc sit, ferè, summa diligentia expendendũ est. certe enim non temere quidẽ appositũ est, sed totum firmamentũ in eo & cardo uersatur orationis. Nam quia nec inde ab initio perinde nos temperati omnes sumus, nec uitæ institutis ijsdẽ, nec uictu usi, uniuersalis affirmatio tollitur, cum inueniri interim possit mulier, cuius non solũ non multo minor pulsus, sed omnino ne paruus quidẽ sit: nec par, sed planè etiam quàm quorundam uirorum maior. Fac uirum mihi fingas natura pituitosiore, frigidum hoc erit temperamentũ humidũq;, si cum muliere cõferas natura biliosiore, id est, calidiore & siccıore. Nec hic consistamus, sed incolat ille Pontum, hæc Aegyptũ. Præterea uir in umbra uiuat, & ocio, ac multis in delicijs, molliterq;: fœmina ruri agat, ac multa in exercitationibus sit, & uictu utatur modico: huius mulieris pulsus ꝙ uiri maior erit. uerum si, ut postulat natura, uiuentem utrunq; obserues, & in sua propria ab initio temperatura constitutum, unaq; & eadem cõmorantẽ in regione, non maior tantum, sed multo etiam maior sit huius uiri pulsus. Nam pro naturali quidem tẽperamento, maior tantum, non multo maior erit. uerum cum accessit à peculiaribus uitę institutis utriq; differentia: illa enim in ocio uiuit, hic in multis laboribus: multo sanè ita calidior uir efficitur, itaq; pulsibus est multo ꝙ fœmina maioribus. Additum est autẽ capiti, ferè, quod sagacioribus tyronibus pro stimulo quodã excitante est, & ad totius rei perscrutandam naturã instigante. Statim de naturali differentia uiri & mulieris meditabuntur, & intuebunt uniuersum genus in omnibus animantibus masculinũ ualentius fœmininho esse. Atq; fœmellæ esse officia cõcipere, lacta-

req; deniq; fœtus naturales educare. Maris uero nutrimenta ijs suppeditare, & si petantur insidijs, defendere. Vnde perspicient semper differētiam ut maris ad fœmellam, maiores tantū pulsus creare: at differentiā ut uiri ad mulierē, multo maiores. Sic etiā uehemētiores tantū, si naturā spectes, pulsus marium: longe uero uehemētiores uirorū præ ut mulierū. quia uigorē illis naturalē in laboribus crescere oportet: his, quia ociant, remitti. Horum etiā si aperte nihil tua sponte inueneris, at in opinionē eorū inquirendo uenies, aut certe ueluti siti eorū ardens, quæ cupis inuenire, neq; dum inuenisti, si ad magistrū, qui docere ea ualeat applicaueris, & citissime disces, & optime memoria cōplectere. Atq; hæc sic habent. Robur iam facultatis, quod maribus adest, cōferet aliquid et ipsum pulsibus magnitudinis. Quare non solum ex caloris abundantia, uerumetiā ex robore mariū maiores pulsus fient. Sed hoc etiā in libro primo probaui, ualidis facultatib. esse magnos pulsus peculiares. Quid iam uiri, nunquid hactenus tantū à mulieribus distant in causis pulsuū: an etiam momentum utrisq; ex corporis habitu non leue accedit? Illi enim totū corpus ad perspiratū habent probe com paratū, purum, excrementis uacuū, non compressum. His contra arctæ inter uasa regiones sunt, quas adeps, mollisq; caro, atq; excrementa quædam occupāt pituitosa: Ad hęc spissum est, & male per halitū digerit corpus: Pręterea cogunt quidam in plerisq; corporis partibus, illaborati, crassi, crudiq; humores: à quibus cōprimi omnibus arterias earū sua sponte alioqui minore mole pręditas, cogiq; necesse est. Quare habitus ijs omnino est undequaq; ad paruitatem pulsuum dispositus. Vnū modo ad magnitudinē cōsecutæ sunt appositū, mollitudinē instrumētorū, quæ illis etiā nulli usui est. Primū, quia sunt plures paruitatis fortioresq; causæ. Deinde q cum late in illis uiri à mulieribus distet, minimū dissideant in mollitudine instrumentorū. Neq; enim perinde siccius uirorū dicitur corpus, collatū ad mulierū, ut si, uerbi gratia, lapis sit cœno siccius. neq; multū inuenias excessum in arteriarū ipsis tunicis. Imò uero instrumentum uirorū ita cōparatū est, ut ad functionē sit sequax. Quin si maior excessus sit, & multo mulieris instrumentū mollius, idipsum sane sit in causa, cur minores fiant pulsus. Siquidem ubi nihil est, quod grauet, uel comprimat, uel cogat, illic accōmodatius ad magnā distentionē est mollius instrumentum. At ubi (ut modo in mulierū ostēdimus habitu) pressus, pondera, atq; cōstrictiones multæ, hic instrumentū mollius, ut quod omnibus, quæ infestant, facile cedat, ad distentionē est ineptius. Verum de corporibus hęc omnia optime constitutis referri, & cōstitutioni uiuentibus conuenienter, uel ex his planū est, quæ cōmemorauimus. At absoluta de his & integra disputatio, ac demonstratione cōfirmata in secundo libro De pulsibus dignoscendis prodita est. Quare qui cōmentationem probe de pulsibus gestit assequi, ei illo opere opus est reuoluto. Iam uero etiā de celeri pulsu est in tertio illorum cōmentariorū demonstratū, quantus error sit plurimorū in ijs dignoscēdis, qui pulsum non diuturnū statim etiā uelocē arbitrant esse. Et nimirū mulieris pulsum (nam causa præsentis disputationis memini, quæ demonstraui illic) bene celerē putāt esse. Est uero ille celerior quidē, non insigni tamen & magna differētia excellit pulsum uirorū. Sic se res habet, & recte tyronibus scriptū est, paulo esse uirorum tardiorē pulsum q mulierum. At causa illic ut in omnibus eo loco traditis, omissa est, quam nunc aperiemus. Quatenus quidem infirmior facultas est, & calor parcior mulierum, debebat tardior etiam pulsus esse, quòd eum utriq; huic causæ ostendimus esse peculiarē. Cæterū quia multo est minor, eoq; minus usui satis fit, auget, quantū potest, celeritatē. Quippe hoc primus liber esse necessarium probauit. Itaq; cui illa exciderunt, quæ in illo libro docuimus, nequicq; hæc legit. At siquidē celeritatis tanta accessio sit, ut omni usui foret cōplendo, non quæreretur crebritas. sed quoniam multum usui cedit functio ob distentionis paruitatē, aliquantū autē adiuuatur à celeritate, oportet iam satis pulsus sit creber. Id qd etiā in primo libro est declaratū. Ergo mulieres ad hunc modum à uiris pulsu distant. Masculi infantis ad fœmellam similis ratio est, non undiq; tamē eadē: sed quomodo diximus antea. Nam tantum maiorē, uehementiorē, rariorē non multo itē, pulsum habet masculus q fœmella. Atq; de his hactenus. Nūc ad proximum caput digrediamur, quod de differentia docet ex temperamento.

Calidi natura pulsus. Cap. II

Calidi natura multo habent maiorem, celeriorem, crebriorem, uehementiorē non item multo. Complectit & hæc oratio quęstionē maximā, cui ne attendere quidē, nisi pręditus singulari prudentia sit, ullus tyronū animū potest. Etenim qui natura calidi sunt, partim eos esse humidos aiunt, partim siccos. Quo minus absoluto sermone pronunciatos oportuit eorū pulsus, qui natura calidi sunt: sed prius illorū qui simul humidi sunt, secundo loco eorū qui sicci. Neq; eñ qui natura calida sunt, eundē omnes pulsum edunt. Imò uero sunt quidā tertij, tēperati illi quidē humiditate & siccitate, at calore intemperati. At eos neglexisse parū recte, qui ante nos tēperamenta discreuerunt, in cōmentarijs, quos scripsi De tēperamentis, ostendi. Ergo hos moris est calidos uocari, qui de quatuor temperamentis unū hoc solum uincens reliqua obtinent. Qui quidē quo calidiores sunt tēperatis, hoc maiores habēt, & celeriores pulsus, crebrioresq;. Causa, si retinuisti quæ ꝑdidimus in primo libro, aperta est. At quid uehementiores diximus non multo esse eos pulsus, cum in huius operis primo libro quæsierimus, ecquis posśit pulsus, citra opē roboris facultatis uehementior fieri? Quoniam hi pulsus tyronibus oēs uident uehementiores esse. Proximus est eñ quodāmodo prima specie celer simul & magnus pulsus uehemēti. Quare quidam etiā medici, qui libros nobis scriptos reliquerunt, aliū negauerunt esse uehementē pulsum, ac cōflatum

tum ex magnitudine & celeritate. Proinde tyronibus non erant mouendæ tantæ quæstiones. Incertum enim identidem illis, nec distributum, confusumq; conducibilius certo est & definito, ubi profundã hoc contẽplationẽ postulet, declarationẽq; prolixam, ac longum tempus. Verũ quãdo abunde in primo libro huius operis disseruimus de his, dicturi etiã nonnihil posthac, cum perduxerimus ad rhythmos sermonẽ, hic enarrationẽ in præsentia finiam, ac me iam conferam ad aliud caput.

Gracilium pulsus. *Cap.* III

Graciliores maiorem, rarioremq; multo, uehementiorem paulo. Accipiendi hic etiam absq; ullo affectu alio sunt graciles. Nam si ex conuerso temperamẽto, uel facultate, uel ex alio affectu gracilior factus sit, pulsuum cõposita immutatio erit, non uero ex una gracilitate. At gracilitas, quia sua sponte sola magis regiones arteriarũ dilatat, atq; leuiora imposita corpora reddit, magnitudinem pulsibus non contemnendã conciliat. Atqui ubi pari relicto usu crescit magnitudo, hic rariores necesse est pulsus fiant, idq; tanto, quãto scilicet sint maiores. Maiores uero erãt multo: proinde rariores etiam multo erunt. At uehementiores hoc inuenientur, quo tangentibus per subtiliora occurrant corpora. Quamobrem non quò acquisierint ullam contentionem, sed q magis, quàm obtinẽt, prodant, tales uidentur esse. De celeritate & tarditate nihil hic memini: q neutram de his gracilitati acceptam referant, sed perinde habeant ut crassiores, cum illis robore & usu respondeant. De ætatibus deinceps in hunc modum est scriptum.

Pulsuum pro ætatibus mutatio. *Cap.* IIII

Porrò pro ætatibus hoc pacto immutantur. Infantis pulsus creberrimus est, rarissimus senis. Omnes, qui inter hos intercedunt, proportionẽ seruant, prout uel ad puerum, uel ad senem propius accedant. Celerrimus item pueri pulsus, senis tardior. Reliquarũ ætatũ pulsus ambigunt inter hos. At senex à puero longe magis raritate q; celeritate distat. In uehementiæ & magnitudinis differentia maximus est, ut in ætatibus, pulsus iuuenũ, minimus senum, medius & paulo maior pulsus puerorum. Iam uehemẽtissimus iuuenum, languidissimus senum, medius est inter hos puerorum pulsus. Bifariam crebritatem & raritatem intelligi, aliter ab illis, qui & contractionem cõfirmant sentiri, aliter ab illis, qui negant, apertius in libris De differentijs pulsuum disputauimus. Et uero etiam in ipso hoc tyronibus descripto libro declaratum est. Sanè illos uolebamus prius in contractione quasi insensibili uersari. At multo quidem tutius est, pariterq; cõmodius, si in quietum quantitate ponas genus hoc pulsuum. Ita enim fiet, ut simul in notitiã exactam ueniamus rhythmorũ. Verum q status, qui crebri, uel rari pulsus sunt autores, ferè talem eum utriq; huic sectæ repræsentant: erit causæ etiam utriq; assignatio cõmunis. At præstiterit ut eam ad ueritatẽ reducamus, hancq; in hoc sermone sectemur. quandoquidem propositum opus minime ad Tyrones dirigitur, sed planè do-

A cet uerum. Ergo cùm calore pueri non pauco prædi ti sint, substantiam quoq;, quæ refrigeret illum, non paucã requirunt. Quapropter magnis egent pulsibus. Quia uero humores etiam exhauriunt quamplurimos (quippe qui illis nõ ad nutrimentum modo, uerumetiam ad incrementum suppetant) necessario in conficiendis ijs contrahent per totum corpus uaporosorũ &, ut ita dicam, fuliginosorum aceruũ excrementorũ: ita etiam desiderant maximas arteriarum contractiones. Et uero etiam animalis spiritus non tantum nutriri substantiam oportet, sicut in adultis, sed unà etiã cum instrumentis augeri. Itaq; uel hoc nomine maiores distentiones flagitabunt. Adeoq; usus contractionis arteriarũ in infantibus æquat penè usum

B distẽtionis. Etenim sunt abundatissima excremẽta, itaq; maiorem quærunt contractionem. Calor aũt ut non sit omnino copiosissimus, at q augeatur animalis spiritus, æquat in illis distentionis usum ei, quem postulat plurimus calor. Quo enim iuuenibus cedunt exuperantibus aduentitio calore, hoc usu, quem imponit spiritus resarcitur. Maximum ergo, simulq; celerrimũ pueri utrunq; motum requirunt. Sicq; infra usum est functio in ijs. Nam licet quãmaxime celeres sint & magni, non satis efficiunt tamen usui. Quare hic crebris opus motibus est. In senibus planè contra habet, calor paucus, cui par est generatio fuliginosorum excrementorũ, spiritusq; animalis nutritio. Iure habent ergo contrarios illis pulsus paruos, tardos, raros.

C Hic meminisse oportet eorũ, quæ in secũdo libro De pulsibus dignoscendis diximus: ut quo adducti errore, intelligamus, complures medici puerorum pulsus, putauerũt paruos esse, tametsi sint magni, si cum magnitudine eos arteriarũ compares: parui, si ex prima specie æstimes, id est, si quantitatem tantum distentionis spectes, eamq; conferas ad iuuenũ pulsus. Sed tamen non maximos habẽt pulsus pueri, ne si ad magnitudinem quidẽ eos arteriarũ perpendas. Siquidẽ q nec facultas eorum perueniat ad summũ robur, & coarctentur etiam num molles arteriarũ tunicæ, multũ de maxima distentione detrahitur. Nihilominus tamen tantũ retinẽt pulsum, ut mediũ superet. Ac celeritatem habent parem in distentione & contractione. Nã

D & motus utriusq; par usus est, non ut in senibus. Quo enim minor contractionis usus est q; distentionis, hoc contractio tardior distentione est. Nec iniuria quidẽ senes minorẽ habent, quoniam parũ omnino, aut nihil ex adustis humoribus excrementi prouenit. est enim imbecillus calor. Præterea q nõ magnopere nutriãtur, nec ullo modo augeantur. Tamẽ usus distentionis, etsi nõ magnus, mediocris tamen adhuc senibus manet. Etenim uentilatũ oportet innatũ calorẽ, atq; nutritũ animalem spiritũ. Quia uero usus pulsuũ non cõpletur tantũ undequaq; à functione, sed & remissus per se est omnino: lõge magis in raritatẽ immutãt pulsus senes, q; in tarditatẽ. Quare hic oportet longissimam quietem fieri. Quomodo cum non impletur, præter q magnopere augebat, perpetuos

etiam concitabat motus. Nam non solum in infantibus nō esse auctum ad summum usum generandorum pulsuum, uerumetiam de maxima distentione, quæ compleret forsitan una usum, non parum discessisse, ante demonstrauimus, cū tantum detrahi diceremus, quantum facultas ab summo robore absit, ac degrauentur coarctenturq; instrumenta, quæ infantes ex humiditate habēt mollia. Sane hoc quoq; diximus supra, instrumentorum mollitudines, quæ remotæ à pressu sunt, nec grauantur uel coarctātur, referre ad pulsuum magnitudinem. Quæ uero his coniunctæ sunt, ad paruitatem, præcipue si robore facultas deficiatur. At quantum senum pulsus ex puerorum degenerauit crebritate in raritatem, tantundem propè motus contractionis in tarditatem ex celeritate. Nec obscura est causa. Siquidem semel usum contractionis remissum esse recte docuimus in ijs ætatibus: non tamē distentionis usus perijt totus. Nam hoc etiam tradidimus. Quominus est in hac tardus motus quàm in contractione. Atqui hanc tyro solam poterat dignoscere. Probe ergo dictum est: Senex à puero longe magis raritate, quàm celeritate distat. Iam omne declaratum est, quod deficiebat huic ipsi differentiæ: Præterea quod mutationi rhythmorū pro ætatibus. Quos (quoniam obscuriorem esse sermonem, quàm qui tyronibus accommodatus esset, arbitatus sum) non attigimus. Nam ut de crebritate, ita de rhythmis extiterunt duæ sectæ: una prorsus negabat sentiri contractionem, quæ distentionis tempus comparabat cum toto reliquo: quod non tantum cōstat ex contractione, sed ex binis etiam quietibus. Altera sentiri contendebat, ac rhythmos in motuū temporibus ponebat. Hæ quanto secta sit perfectior & utilior ad præsagiendum, clarius in proxima lucubratione aperiemus. Nec tamē nunc obscurum est, nisi obiter superiora & negligenter attendisti. Ex ijsdem, differentiæ rhythmorū pro ætatibus à qua proficiscuntur causa, nullo negocio inuenias. Cū enim utriusq; motus plurimus infantibus usus sit, minimus senibus, & omne interpositū tempus ætatum utrunq; usum remittat, magis tamen contractionis: rationi consonū est, ut quantū à pueris recedant ad senes, tanto semper utrunq; motū habeant tardiorem, magis autem contractionis. Ex his nascuntur differētiæ rhythmorū pro ætatibus. de quibus latius in cōmentarijs De præsagatione ex pulsibus agemus. Iam etiā quāobrem uehemētissimus sit iuuenū pulsus, senum cōtra languidissimus, in aperto est. Iuuenibus enim ualidissima facultas est, senibus uero debilissima. Eadem etiam alijs in ętatibus ratione, pro robore earū uel imbecillitate pulsus remissione & uehemētia differēt.

Pulsuum pro temporibus anni mutatio. Cap. V

Pro anni temporibus. Medio uere pulsus maximi sunt & uehementissimi, ut in temporibus: celeritate et crebritate moderati. Pari modo medio autumno. Vergens autem uer, nōnihil de magnitudine & uehemētia detrahit, sed auget celeritatem atq; crebritatem. Tandemq;, ineunte iam æstate, A languidi, parui, celeres, crebriq; fiunt. Autūni progressus cuncta imminuit, magnitudinē, uehementiam, celeritatem, crebritatē. Ita ineunte hyeme, in paruitatem conuertuntur, & remissionē, & tarditatem, & raritatē. Respondet aūt initium ueris fini autumni, illius finis initio huius. Aestatis item principium suo, & principiū hyemis suo fini. Proinde quę pari spatio à media æstate, & media hyeme in utranq; partē deflexerunt, similiter uariant. Porrò media æstas partim cōuenit cū media hyeme, partim dissidet. Nam parui utrobiq; & languidi sunt: sed celeres atque crebri æstate, tardi rariq; hyeme. non perinde tamē parui æstate ut hyeme, sed æstate minus Nec ita hyeme lāguidi, ut ęstate, cæterum minus hyeme. Quæ accidunt ex temporibus, in tres referuntur hasce causas, in usum, B facultatem, & instrumenta. Nam prout in ijs hæc singula uariant, mutantur pulsus. Ac medio uere aeris status nos amplectētis temperatissimus est: Itaq; corpora etiam sunt sana. Hoc enim semper memoria tenendum est, hoc tempore prę cęteris, à quibus animans afficitur, facultatem robustissimam esse, & calorem temperatissimū, & etiam instrumenta in summa mediocritate esse, ꝙ nec humiditate immodica madeant, nec siccitate squalleant, neq; ueluti rigeant gelu, ac cōgelascant, neq; calore quasi remittantur, languescantq;. Vnde & pulsus corporibus quidē optime cōparatis maximi & uehementissimi fiunt. Nā in illis pulsuū pro ætatibus, temporibus, regiōibus, & id genus alijs C mutationes prodidisse literis medicos declaraui, ut alia loca ne citē, in secūdo libro De pulsibus dignoscendis. Itēq; eos, qui eius status sunt, magnos esse edituros & uehemētes pulsus, in primo libro docuimus. Siquidē hi facultati ualidæ peculiares sunt, & moderato usui, instrumentisq; naturali lege cōstitutis. Nam si quid mediocritatē usus excedat, nō magni solū & uehementes, sed & celeres fient. Si uero longius excedāt, ut usum iā actio non cōpleat, illico mutatio addet̄ in crebritatē. Quia uero usus est moderatus, nō tendunt, nec ad celeritatē, nec ad crebritatē. At enim adiecimus orationi, ut in temporibus. Recte sanè. Neq; enim planè maximi tū atq; uehemētissimi fiunt, cū multo illis alij pulsus in naturis uehementiores atq; maiores D reperiant̄. Sed si pulsus cū alijs tēporib. cōpares, tales medio uere euadunt. Nā ęstate quidē crescit usus, sed lāguescit facultas. Quāobrē aliquatenus decrescit illa uehemētia simul & magnitudo: sed tamē hæc minus. Nā, quia urget usus, augetur nōnihil. Idemq; momentū celeritati et crebritati non leue adfert. Cōtrà hyeme est ac æstate: ualidior facultas, non æque tamē ac uere: sed usus remittitur generationis pulsuū. Quare languidiores pulsus hyeme ꝙ̄ uere sunt, & uehementiores ꝙ̄ æstate, atq; ueluti mediū locum occupāt inter utraq; tempora, nempe ꝙ & facultas teneat locum medium. Verū satis sunt parui. Quoniā cum facultas infra summū robur est, tum usus mire est remissus. Quæ ipsa in causa remissio est, cur simul tardi & rari sint. Hic rursus memoria tenendū est dictū, quod

aliquando declaraui, Hippocratis. Vsus est enim eius in mutationibus ex ætatibus, temporibus, regionibus, statibus, omnibusque eius generis: ne me quis cum illo existimet pugnare. Neque enim ille absolute dixit, Quæ augentur, plurimum habent calidi: sed innati addidit, ut qui alterum sciret calidum ac quisititium esse: quod plurimum iuuenibus suppeditat. Nam temperatus est natiuus calor. Acquisititius autem intemperatus, & quasi igneus est. Sic etiam: Ventres, inquit, hyeme & uere calidissimi natura sunt. Imò ne hi quidẽ calidissimi absolute, sed calore natiuo. Aestate paucissimum hunc habent: abundant uero aduentitio calore & squalido, unde marcescit potius, quàm nutritur corpus. Præterea functiones tantum abest ut meliores reddat, ut illæ ne æquent quidem illas, quæ in moderato obeuntur. Hæc si retinuerint lectores, nihil me nec in hac oratione, nec in reliquis dissidere ab Hippocrate ullus arbitrabitur. Posthac de regionibus & aeris statibus præscriptum est tyronibus. Quæ oratio ex superioribus clara est, ac causam habet apertissimam. Itaque solum ipsum adscribam caput, quod hoc est.

Pulsuum pro regionibus & aeris statibus mutatio. Cap. VI

Pro regionibus perinde, ut pro temporibus. In uehementer calidis, sicut media æstate. In magnopere frigidis, ut media hyeme. In temperatis ita ut medio uere. Ad harum proportionem in ijs, quæ medium locũ sunt sortitæ. Porrò aeris nos circundantis alij status, qui calidi sunt, calidis temporib. frigidi frigidis, medij medio ueri respondent.

Prægnantium pulsus. Cap. VII

Prægnantium maiores, crebriores, celerioresque pulsus sunt. Præterea nihil mutatur. In prægnantibus præter usum, mutatum priorum nihil est. Quicunque hic sit, omnino increscit & augetur: quòd mulier non sibi iam soli respiret & pulset, sed foetui etiã cogatur. Rationis ergo est, ut celeriores, & maiores sint, crebrioresque. Nihilo tamen uehementiores sunt, uel languidiores, uel duriores, uel molliores: sanè eadem conceptus ratione. Neque enim ut ex eo, ulla facultati, uel instrumentis prægnantium facta mutatio est.

Pulsuum ex somno mutatio. Cap. VIII

Iam somni etiã sint, siquid aliud, naturales, qui & ipsi uariant pulsus: initio minores, languidiores, tardiores, rarioresque reddunt. Postea tarditatem pedetentim augent & raritatem, præsertim à cibo. At maiores sunt & uehemẽtiores. Tandem diutius durantes ad remissionem & paruitatem redeunt: tarditatem & raritatem retinent. Quæ sit causa, cur concoctiones per somnum meliores sint non in uentriculo modo, uerumetiam in uenis, in arterijs, in omni denique animalis corpore, non est huius loci explicare. Neque enim de causa, quænam illa sit, conuenit inter omnes medicos. Equidem hoc in præsentiarum de illa breuiter dico. Facultas concoctrix se intrò per somnum recipit magis, & in altũ. Ergo quia intrò mouetur, & materiam conficit: primo ueluti imbecillior redditur, ac oneratur. paulopost cum fruitur alimento, quod conficit, confirmatur ipsa, ac calor crescit animantis. Vt qui frigidiores cibos comederunt, ilico frigidiores se animaduertunt, multique adeo illorum manifeste & horrent, et rigent, haud multo post fiunt calidiores. Proinde si natiuus calor est, qui concoquit cibos: ac qui huic præsunt motus, ut ratio fuit Hippocratis, qui foras tendunt, uigilias: qui intrò, somnos conciliant: facillime rationem ac naturam commentemur pulsuum mutatiõis, quæ ex somno proficiscitur. Quòd siqua est alia huius molitrix facultas, certe quia consensum esse traditum est mutuum omnium facultatum, quæ animali moderantur: non mirum est, siquid hæc facultas naturalis cõsentiat cum illa. Sed hoc si semel admissum sit cõfirmari & debilitari uicissim facultatem, quæ pulsum creat, prompte expedias causam. Nam quia oneratur illa initio somni, atque debilitatur, minores & languidiores pulsus oportet existere. At mox ea cõfirmata, è diuerso, maiores uehementioresque. At enim quid simul tardiores & rariores fiunt? Erasistratus quidem causam confert in motuum uoluntariorum requietẽ, quæ idcirco concoquat probe: non somnum in causa ponit. Hippocrates ac cęteri, qui uergere calorem intrò ferunt per somnum, qui quidem medicorum ac philosophorũ sunt penè omnium probatissimi, in huius incremẽta, & decrementa, motusque diuersos causas conferunt. Imminui enim dicunt, ac ueluti suffocari, ubi in aceruum subito incurrat ingestæ materiæ. Quomodo ignem quoque, cum in lignorum ingentem struem incidat. Atque ut idem ignis, ubi superior euasit materia, firmior fit, & ingens: sic innatus calor, cum fruatur alimento, confectis iam succis, in quos inuaserat, copiosior quàm ante fit & ualidior. At causas adhuc tarditatis & raritatis non expediuimus. Imò uero aliter me iudice res habet. Quãdo dormientibus motus caloris, qui foras tendit, imminutus est: uiget autem qui intrò, contractionem oportet celeriorem fieri, distentionem uero tardiorem. Ac sic quidem manifesto fit. Qui contractionem non assequuntur arteriarum, sed discernunt ex sola distentione pulsus, hi tardum absolute uolunt dormientium pulsum esse. Ille autem absolute non est tardus: sed altera ex parte tardus, totus nõ tardus potius quàm celer. Nam cuius tarda distentio, & celeris est contractio, is neutro horum nominum appellandus est, nec celer nec tardus, sed sunt distenguendæ eius partes. Quod in respiratione fecit Hippocratis. Iam uero etiam altera sui parte paruus est dormientium pulsus. Siquidem plurimum contrahitur, distenditur autem non plurimum, sed quantũ contrarius motus necesse habet reddere contractioni. Porrò arteria in pari semper interuallo mouetur in contractione ac distentione: nisi quando rhythmum subito immutet. terminis uero unde proficiscit̃, & quibus finitur, uariat. Nam cum motus, qui intrò pergit, pręPolleat, atque prorsus considat, rursusque inde incipiat qui foras tendit motus, haudquaquam hic distentionem plurimum produxit. Contra cum præpolleat motus

qui

qui foras cõcitatur, contrario debili, minime tunc A
ab extremo orditur collapsu in distentiõe, ac summam tandem magnitudinem assequitur. Cumq; inde inceperit denuo qui intrò fertur motus, finem cõtractionis, unde incepit distendi, facit. Ita cum facit semper ueluti motuũ quendam orbem, modo intrò magis, modo foras fertur. Quam ob rem, qui duntaxat distentionẽ sentiunt, his pulsus necesse est in somnis paruus & tardus uideat. Iisdem necesse est ut imperitioribus in dignoscẽdo, pusillam partem cõspici motus distentionis, & fugere maximam. Quippe in eo motu arteriarum, internos motuũ terminos ne exercitatissimi quidem attendunt: sed contractionis hos finis fugit, & principium distentionis. Quo magis imperitos immensam partem motus præterire oportet, to- B
tam propè contractionem, & partem non mediocrem distentionis. Quæ autem pars motus lateat, quam non sentiant, qui tangunt, ea cum adiungatur ad tempus quietum, speciem præbet pulsus rari: tametsi reuera dormientium pulsus nihilo rarior sit: ut nec respiratio. sed aperte etiam in hac expiratio, quæ cum exufflatione fiat, maior est: quietis tempori nullum accedit incrementum. Explicaui iam summam ferè de somnis: tamen quò res clarior sit, addam reliquum. Pulsus dormientium, qua parte foras mouentur, similes sunt uigilantiũ pulsibus: qua intrò, permultum uidentur distare. quòd terminos internos motuum non assequitur noster sensus: sed tum minor est, tum languidior quàm pulsus uigilantium, præsertim à principio C
statim. nam postea magnitudo ei quædam & uehementia adiungitur. Etiam tardus in distentionibus est, in contractionibus uelox. Et in summa, intrò magis mouetur. Quare si uehementem in contractionibus eum dicas, nihil erres, Etenim excrementum succorum confectorum ueluti fuliginosum excernere arteria per somnos, quòd copiosius tum collectum sit, uehemẽtius auet. Vnde motus, qui intrò fertur, uel hoc nomine prępollet. At uero ubi absolute succi confecti sunt, si in somno homo permaneat, immoderatus erit utiq; talis somnus. Motus autem merito fit uterq; minor, tardus, imbecillus, rarus. Somnus enim (quod uel ex poetis audias) mortis est frater. Vna illi hæc conuenit cum uiuentibus, confectio alimenti. Reli- D
qua mortuis sunt similia, non uidere, non audire, nihil intelligere, uel cogitare, uel sentire, ratione carere, proiectum esse. Et uero quid aliud (si illud unum quod commune adhuc cum uiuentibus habet, sit ablatum) nisi recte uia ad mortem dicatur? Iam etiam primum esse & natiuum caloris motũ, cum foras & extra seipsum mouetur: Secundum, cum intro & in seipsum, qui propter nutrimẽtum comparatus est: id iam pridem multis locis diximus. Qui ubi non amplius in nutrimento detineatur, neq; propriũ suum motum, quo fertur foras, repetat, sed ociosus sit utrinq;: habet tũ certe imaginem mortis: remittiturq; eius contentio, unde oritur languidus pulsus. dissoluitur porrò motus, quamobrem paruus, & tardus, & etiam rarus fit.

Quòd si increscat etiam atq; etiam paruitas, tarditas, raritasq;, propemodum nihil mouebitur. At hæc mors erat. Habes omnia de somnis. Quanquam pręterea Archigenes plenissimos dicat pulsus in somnis uideri, Apollonides inanissimos, mihi certum est de his nõ producere orationem, cum in superioribus lucubrationibus falsò hoc probauerimus genus pulsuum inductum ab Herophili successoribus esse, sicut multa alia. Neque quicquam habet admirationis, si in re, quæ plane discerni nequit, inter se Archigenes & Apollonides dissideant. Neq; enim communis sensus affectum, sed suas uterq; opiniones scripsit.

Expergiscentium pulsus. Cap. IX

Qui expergiscuntur, è uestigio pulsus magnos, uehementes, celeres, crebros, & cum quadam uibratione habent: qui mox mediocritatem assequuntur. Non perinde in somnum incidimus uigiles, ac ex somno euigilamus: quòd hoc ferè subito, illud omnino pedetentim fiat. Etenim turbulenta insomnia, uel siquis uociferetur, perstrepat, tangat dormientem, celerem & subitaneam concitat mutationem. Quocirca pulsus illos, quos cõmemorauimus, qui in eum modum immutantur, clarissime percipiunt. Nec tamen in aliis, qui motu innati caloris foras progrediente excitati sunt, fugiunt exercitatos. Nam somnus incidit, cum natiuus calor aut ex fatigatiõe, & nimia siccitate ad alimentum se conuertat, aut ob immodicam humiditatem foras nequeat progredi. Quorum est salubris primus & naturalis. Alter, quem memorauimus, ueluti somnus qui est in comatibus & lethargis. Cui opposita est phrenitidum & uigiliarum non naturalium uigilantia: ubi desiccatus natiuus calor est & quasi inflammatus, atq; idcirco foras quoq; mouetur immodice. Sed affectus pręter naturam, quos nec uigilantiam nec somnum, sed uigilias & comata potius uoces, relinquam in præsenti. At somni naturales simulq; uigilãtiæ ita, quomodo ante diximus, gignuntur. Nam cum indigeat simulq; desideret naturalis animalium calor copiosam humiditatem, ideoq; in uiscera conueniat & uentrem: fit somnus. Qui simul atq; ea satis fruitus est, ut naturalem iam qualitatem recuperauerit, expergiscuntur. quo quidem tempore illæ conuersiones nullo modo citra uim aliquam fiant. Nam in alimento concoquendo quia succrescit humiditas uaporosa large cũ in ipsa cute, tum in poris, corporibusq; ad externam superficiem usq; interpositis omnibus, non perinde iam calori procliuis est ad externa motus. Quare ut hanc discutiat, remoueatq;, & meatus repurget, & etiam corpus undequaq; sibi penetrabile reddat, postulat primos uehemẽtes atq; uiolẽtos motus. Quod ubi perspirabile, purumq; reddidit, ad naturalem se recipit mediocritatẽ. Hinc pulsus illico experrectis ex somno magni, & uehemẽtes, & celeres eduntur. Præterea ob motus uim nõnihil uibrant. Paulo post ad natiuam mediocritatẽ reuertũt. Deinceps tyronib. scripsimus de corporis aduẽtitiis habitudinibus: quas grece σχέσεις nos Hippocratẽ secuti

secuti appellamus, qui in libro De articulis dixit: Cæterum refert etiam nõnihil corporis habitudo. At pulsus nos in utraq; illarum maxime conspicuos prodemus, quorum facile nũc sit adiungere causas ex commemoratis. Nam quæ de naturalibus differentijs corporis tradita sunt, eadem dicentur de aduẽtitijs. Quo breuior ero, solumq; ipsum illinc caput subijciẽdarum causa rerum huc transferam, quod ita habet.

Pro ascititijs habitudinibus pulsus. Cap. X

Ascititiæ habitudines corporis perinde pulsus ut naturales immutant. Nam gracilis natura si quadratus euaserit, huic qui talis natura est, assimilem pulsum habet. Sin quadratus factus gracilis sit, assimilem gracilibus natura. Constat autem gracilitatis & quadrati corporis citra facultatis immutationem, æstimandam differentiam esse: itaq; in omnibus alijs ut unum id tantum ubiq;, de quo in pręsenti disputemus, mutetur. Quæ diximus de quadratis, hæc etiam de corpulẽtis maiori tamen cum incremento sunt interpretanda. In eum illic modum de habitudinibus corporis disseruimus. Apposuimus itidem de temperamẽtis, caput etiã hic memoriæ gratia satis est adscripsisse. Est autẽ hoc.

Pro ascititijs corporis temperamentis pulsus. Cap. XI

Iam etiam temperamenta corporis ascititia pulsus naturalibus temperamentis mutant conuenienter. Scilicet ad eundem hic modum, ut de anni temporibus diximus. Calida calidis, frigidis assimiles pulsus creant. Nam temperamentorum in humilitate & siccitate differentia continebatur in habitudinibus corporis. Siquidem siccis gracilitas, corpulẽtia est humidis familiaris. Verum hęc in libris De temperamentis declarauimus. Præterea hoc quoq;, corporis duritiam temperamentis siccis, mollitudinem comitari humidis. Itaq; pulsus his mollis est, illis durus.

Pulsuum pro exercitationibus mutatio. Cap. XII

Nunc alias mutationes, quæ causas non habent naturales, recenseamus: Exercitationes primum & donec moderatæ sunt, uehementes, magnos, celeres, crebros pulsus efficiunt: si multæ sint, & uires excedant laborãtis, paruos, languidos, celeres, & crebros in summo. Nimiũ immodicæ, adeo ut ægre iam se possit mouere, & multis interpositis quietibus: aut nihil prorsus possit, sed remissæ uires impense sint, pulsus mire paruos et languidos, tardosq;, & raros. Quòd si peruentum eò sit, ut uires oppressæ sint: pulsus creant illis proprios. Quales autẽ excitet pulsus facultas oppressa, dicemus paulo inferius. Habes caput, quod illo in libro cõscripsi. Nunc iam addam causam, facultas in exercitationibus uniuersum adhibet uigorem, unde pulsus uehementes excitantur, usus autem increscit, unde magni, celeresq;. Hic quandoquidem binis accessionibus augetur, spiritu exhauriendo & caloris incremento, ideo etiam, quoniam eorum usus non satis magnitudine & celeritate completur, crebri fiunt. At quæ uires excedunt exercitantis se, efficiunt paruos et languidos propter earum imbecillitatem: tamẽ illos quidem adhuc, quia urget usus, crebros: at non celerrimos propter facultatis infirmitatẽ: sed pro his creberrimos. idq; quatenus actio longe usu inferior est. Quòd si adeo quis cogatur laborare, ut non modo superiores facultate labores sint, sed continenter necesse habeat interquiescere, huic refrigeratur uniuersum corpus. Pulsus autem ob imbecillam facultatem languidi sunt & parui: ob frigus nec celeres, nec crebri. In aperto ratio est, si memineris priorum.

Ex balneis calidis pulsuum mutatio. Cap. XIII

Balneæ calidæ, dum sint moderatæ, pulsus creant magnos, celeres, crebros, uehementes. Immodicæ paruos & languidos, tamen adhuc celeres ac crebros. Quòd si hic nõ relinquantur, paruos, languidos, tardos, atq; raros. Ex balneis si in tempore utaris, omnino corpus cõmoditatem aliquam percipit. Nam cum defessi simus, incaluerimus, simus refrigerati, desiccati, nauseam aut temperiem inæqualem sentiamus, deniq; si uacuatione opus sit nobis: illas nos subimus. In illis autem omnibus temporibus corpori restituitur mediocritas temperamenti, uires corriguntur, opportunus augetur quidam calor, ac pars digeritur spiritus unà cum sudoribus. Quare calidæ balneę par est, si sint moderatæ, ut ad eum modum mutent pulsum, sicut declarauimus immutari, cum facultati commodatur, & augetur usus. Immoderatas planum est facultatem dissoluere, usumq; præter modum intendere. unde fit, ut creberrimos creent, celeres autem perinde ut priores: nisi sanè facultas semel depressa sit. Nam tum quidem formicantes, quos appellant, prodibunt. Quòd si ab immodicis balneis destiterint, nec lauentur amplius, sanè refrigerabitur corpus, ac facultas opprimetur. Quam ob rem mutatio pulsuum ea existet, quam in libro primo docuimus excipere facultatis imbecillitatem & usus remissionem. Hoc enim in præsenti satis est, si demonstrem, quemadmodum ex singulis præcedentibus & externis causis ad primas mutatio & præcipuas penetret, quas uocant cõtinentes. ut autem ex illis pulsus necessario alterentur, in primo aperuimus libro.

Ex balneis frigidis pulsuum mutatio. Cap. XIIII

Frigidę balneę illico paruos, ac languidiores, & tardos, rarosq; pulsus efficiũt. Postea, prout id sit, quod induxerunt. Omnino enim uel torporem inducent, uel robur. Quæ torporẽ intulerũt, & perfrigerarũt, paruos, & languidiores, & tardos, rarosq; efficiunt. Quæ excalfecerũt, & robur conciliarũt, magnos, uehementes, celeritate & crebritate moderatos. Balneæ frigidæ è uestigio refrigerãt omnino, postea uel confirmant, uel obruunt facultatem, unaq; perfrigerãt. Nam id est torporem inducere. Itaq; & pulsus pro ratione causarum immutantur. Quod uero non poterat tum tyronibus explicari, id nunc declarabo. In frigida lotione arteriarum motus plus intrò quàm foras fertur, quòd & calor illuc illico magis feratur. Quòd si intus arterias possemus cõtingere, omnia quæ aliàs in distentionibus animaduertimus, hæc in contractionibus hic apparerent, magnitudo, celeritas, uehementia.

ſed hoc quia nō poteſt ulla ratione, ab ijs quæ in diſtentionibus percipimus, totos pulſus ſic appellamus: Paruos, quia multo minor diſtẽtio id temporis eſt ꝙ antea: Tardos item, quòd aperte remiſſus eſt motus: Iam raros quoq;, quòd alijs etiã omnes, in quibus plus motus intrò fert, tales eſſe uiſi ſint contractionem nō ſentientibus. Cauſa ante explicata eſt. Languidos non diximus abſolute, ſed ſcripſimus languidiores: qua uoce paruam mutationem ſignificauimus in remiſsionem eſſe.

Pulſuum mutatio ex cibis. Cap. XV

Cibus largus, ut etiam grauet facultatem, pulſus inæquales atq; inordinatos concitat. Archigenes uult celeriores quàm crebriores. Moderatus, magnos celeres, crebros uehementes. Parcior, ꝙ qui ſatis nutriat, non æque ac moderatus, cęterum minus mutat, neq; id diu. Cum poſsimus in ſingulis capitibus in hoc libro præſcriptis, primum quæ alij de ijs cenſuerunt, commemorare, deinde eſſe falſos cōfutare, non hoc facimus: ſed ſtatim ad id, quod probatum & uerum eſt, accedimus, id agentes, ut operis, quoad eius fieri poſsit, prolixitatem contrahamus. Quod cum nunc & ſua ſponte longum ſit, quid fiet, ſi ueterum præterea opiniones unà cum confutatione congrua cōplectatur, non ne in immenſum ducetur? At qui tempore ad diſciplinas abundat, ardetq; cupiditate medicorum omnes opiniones cognoſcendi, huic lucubratio hæc, certo ſcio, uiã muniet, ut per ſe inueniat, ubi bene ſentiant, & ubi errent. Et quidem alio ipſi loco multa ſcripſimus, quæ his, qui in ea uoluntate ſint, conducent. De propoſita quæſtione in libris, ubi inquirimus in Eraſiſtrati artem de pulſibus, opinionis clare errorem, ut puto, prodidimus. Adhęc ubi diſcrepamus ab illis, qui peritiſsimi habentur in arte de pulſibus, de his item uir, qui ſapientia ſit præditus, facile mihi uidetur horũ præſidio, quæ nunc tradidimus, exiſtimaturus. Inueniet ea enim ferè partim in ſola dictiōe, partim in exactis & diſtinctis explicationbus cōſiſtere: ut etiã hæc, de quibus nunc agimus. Nam cum ſcribat Archigenes in hunc modum de cibo facultatem onerante. Hic, quia premit, languidiores minoresq; pulſus concitat, & celeriores quàm crebriores. Nos ſecus: at quemadmodum ſcripſimus? Cibus largus, ut etiam grauet facultatem, pulſus inæquales, atq; inordinatos concitat. Qui autem opera artis diligenter obſeruat, non in cibo tantum, ſed & in alijs affectibus omnibus, in quibus oneratur facultas, reperiet inæquales pulſus. Atq; hoc ſcilicet ipſum eſt, quod imbecillam facultatem ab onerata diſtinguat. Simul enim cum eo proditur noxæ magnitudo. Si inter multos magnos & uehementes, pauci offendantur parui languidiq;, puſilla eſt offenſio facultatis. Contrà, ſi pauci magni & uehementes, parui aũt atq; languidi multi ſint, ingenti in eiuſcemodi affectibus onere oppreſſa eſt facultas. At uero parui & languidi pulſus perpetuo fiunt, nullo interpellante cōtrariorum, non in oneratis, ſed in obrutis facultatibus. dum uero per ſe quidem ualidę ſint, ſed abs quopiam grauentur & premantur, omnino uehementes & languidi pulſus commiſcentur, etiam ſi ſumme offenſæ ſint. Incurie igitur ſcribit Achigenes languidiores et minores pulſus fieri facultatibus cibo oneratis. Sunt enim oppreſſarum hæc non oneratarum ſigna facultatũ. Atq; ut in differentijs magnitudinis & uehemẽtiæ ſunt inæquales, ſic in differentijs crebritatis & celeritatis. Quare ne iſtuc quidẽ queo conijcere, quemadmodum Archigenes ſcripſerit, celeriores eos ꝙ frequentiores eſſe: niſi ſi hoc dicere uelit, licet ſint hi inæquales, maiore numero tamen celeres tardos uincunt, quàm raros crebri. Et ſi ne hoc quidẽ uerũ eſt, ſi ita nude proferatur, nec diſtincte. Imò offenſiōes leuiores, celeres magis quàm crebros: Grauiores è diuerſo crebriores pulſus, quàm celeriores reddunt. Cauſa in aperto eſt ex demonſtratis in primo libro. Siquidem celeritas facultati peculiaris ualidæ eſt, crebritas imbecillæ. Iam aliorum etiam, de quibus deinceps dicemus, niſi exciderunt ea tibi, quæ primo in libro docuimus, in promptu eſt cauſa.

Pulſuum mutatio ex uino. Cap. XVI

Vinum pulſus cætera ut cibus uariat: hoc uero intereſt, quòd illico immutet, & citius mutatio à uino profecta recedat, quàm illa quæ à cibo, quòd item celeritatem amplius & magnitudinẽ, quàm uehementiam & crebritatẽ augeat. Quanto enim uehementius moderatus cibus conſtantiusq; robur conciliat, tantum ferè uinum extollit magnitudinem. Hæc quoq; oratio ſeipſam interpretatur, ac omnia ſubijcit nobis, quæ de uini uirtute ſunt ab omnibus medicis prodita. Appoſitio enim, quam facit, celeris eſt, quod humidum ſit & calidum. Quicunq; enim celerem, inquit, requirũt appoſitionem, his humidum medetur. Quando uero calor etiam dux eſt humiditatis, multo iam magis. Adhæc quæ affatim ſubitoq; nutriunt, hæc celeriter permeant. Quamobrem ut celerem, ita minime diuturnam à uino appoſitionem corpora accipiunt. Facile enim digeritur per halitum. Porrò ꝙ nutriat, pulſus ita ut cibus uariabit: quòd autẽ amplius ꝙ ille calfaciat, inſigniorẽ adijciet illis & magnitudinem & celeritatem: id quod plane apertũ eſt illis, qui retinuerunt quæ in primis exemplis docuimus. Ac reliquorum, quæ in iſagoge prodimus, ſi memoria teneas, quæ in primo libro ſcripſimus, omnes claræ ſunt cauſæ. Quare præterita illorum magna parte, cauſas tantum illorũ, quæ ſunt obſcuriora referamus: de quibus hoc eſt. Cur choleris, magnis alui fluoribus, fluxui muliebri appellato, deniq; omnibus, quæ ex corpore uacuando facultatem debiliant, comitentur pulſus uermiculantes: at oppreſſæ à febre maligna facultati formicantes conſequantur? An quia pulſus, quò uermiculans ſit, tardus eſſe omnino et rarus debet? Neq; enim poſsit fieri, ut prior arteriæ pars prius moueri uideatur, neq; ut fiant ueluti circunſcriptiones in una diſtentione multæ, ni tardus ſimulq; rarus ſit motus. At in acutis febribus (neque enim poſſunt malignæ non acutæ eſſe) non ſuſtinet pulſum caloris copia uel tardum in ſummo, uel ſemel fieri

rarum

rarum: cæterum tardus est, aut non celer certe pulsus, cũ opprimitur facultas (tametsi in eo quidam dignoscendo allucinentur) sed nõ summe tardus tamen, rarus autem haudquaquã. Imò creber semper, ac ubi uis urgeat caloris, magnopere est creber. Mihi quidem iam uisum est tertij huius libri hic finem facere. Reliqua in quarto persequar, ab affectionibus animi exorsus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI QVARTI DE CAVSIS PVLsuum, in quo reliqua Introductionis suæ de pulsibus capita interpretatur: nempe de mutatione pulsuum secundum animi affectus, & diuersos corporis morbos singillatim.

GALENI DE CAVSIS PVLSVVM

LIBER QVARTVS

PROOEMIVM.



INTER causas, unde pulsus alterantur, quæcunq; mutationem moliuntur per se, continẽtes eorum generationem, ex quo sunt continentes appellatæ, prioribus duobus libris exposuimus. Quæ has præcedunt, quarum consistit pars in ipsis animalium corporibus, pars extrinsecus accidit, has cum instituissemus duobus proximis explicare (quia ante etiam in libro illo, quem tyronibus scripsimus de pulsibus, summatim de his & citra demonstrationẽ tractauimus) operæpretiũ mihi est uisum, ut hic quoq; de ijs agerem citatis ipsis capitibus, atq; distincte explicarem, si mulq; causas adderem. Ac in tertio quidẽ libro de ætatibus, regionibus, anni tẽporibus, naturis, præterea de exercitijs, quæ uocant, & cibo, potuq; diximus. In hoc quarto, qui huius cõmentatiõis est postremus, de causis præter naturã sermonẽ habebo, exorsus ab affectib. animi, deinde etiã de corporis affectibus dicturus. Iã hic quoq; ad singula capita clausulas traducã ex libro Tyronib. scripto.

Iræ pulsus. Cap. I

Iræ altus est pulsus, magnus, uehemens, celer, creber. Qui superiorum est memor huic etiam quæ de ira dicuntur, aperta sunt. At de quo ante haud dum diximus, hoc est in præsentia adijciendum, uehementior'ne tantũ appareat pulsus iratorum, an eiuscemodi sit uere. Id enim omisimus, etsi latius in primo libro disputaremus, ferè dubiũ. Neq; enim ita quis fidem tũ haberet, si diceremus non apparere solũ, sed esse etiã uehementiorẽ, ut iam adducet, cũ ante in sermone interposito multa ordine audierit, quæ referunt ad fidẽ, præsertim quæ de inęqualitatib. narrauimus, in quib. pulsus uicissim clare uidetur fieri languidus & uehemẽs: nõ quo tã repẽte facultas in imbecillitatẽ uariet et robur, sed ꝙ cũ causis, quæ se molestant, decertet, nec superet perpetuo eas. Apertissime aũt pulsus per bonas iudicationes uehemẽtes fiunt. Etenim facultas tũ, ut quæ molestiã exhibent repellat, excitat seipsa. Quod & in animali cernas facultate, non tantũ uitali. Defecti enim quidã maxime uel per senectutẽ, uel per morbũ, uel per aliam quampiã, quę antecesserit, lassitudinẽ, si latrones subito cõspiciãt ingruere, uel hostes, uel ferã aliquã, cõcitato cursu aufugiũt periculũ, neq; in eo ualidis cõcedũt. Itẽq; in terræ motu ex ædib. exiliũt, aut per incendiũ, atq; ocyssime discurrũt, cũ antea per infirmitatem progredi uix possent. Ex quibus omnibus liquet, facultates animalis moderatrices, si quando impendeat necessitas, maiore ui obire suas functiones. Quo minus mirum est, si in ira hoc contingat, cum uideatur merito fieri. ut & in his etiam animaduertas, qui exercitationem subeũt, aut quam aliam nauant operam, pulsus non in magnitudinem modo, sed & in uehementiã cõuerti.

Lætitiæ pulsus. Cap. II

Lętitiæ magnus, rarus, est pulsus, at uehemẽtia nihil differt. Lætis diffundit per uniuersum corpus calor: atq; plus foras eius motus fertur, at in tristibus intrò. Vnde maior fit merito pulsus illorũ, at nõ uehemẽtior itẽ. Neq; enim ascititius ex affectu cõparatur, neq; ualidioris actionis usus. Planũ aũt est hæc intelligi debere de lætitia, quæ ex sua ratione, eo quod moderata est, pulsus mutat. Nã si nimia quidẽ lætitia sit, ut facultatẽ opprimat, pulsus sæpe per accidens contrarij existunt. At tum oppressę facultatis fiunt pulsus. Diximus enim ante, qui inter affectus sunt uehementiores, hos totam alterationem pulsuum solos moliri.

Tristitiæ pulsus. Cap. III

Tristitiæ paruus, languidus, tardus, & rarus est. Et tristitia etiam refrigerat, & calorem intrò concitat. Itaq; non iniuria contrarios pulsus efficit superioribus, quos consequi lætitiam dicebamus.

Timoris pulsus. Cap. IIII

Timoris propinqui & uehemẽtis celer, & uibratus & inordinatus est, inæqualisq;. Inueteratus iã similẽ habet tristitiæ. Timor è uestigio, quia multis statim mentem conturbat, iure inæquales edit

pulsus. Nam ante de hoc uerba fecimus. Temporis diuturnitate pulsus tales creat, quales tristitia. Neque quicquam à tristitia abest diuturnus timor. Omnibus aũt, si diuturna sint, his, aut admodũ sint uehementia, pulsus succedunt, ut solent dissoluta facultate. Etenim dissoluunt omnia hęc facultatem, breui quidem uehementia, tempore uero contraria. Atqui paulo ante idẽ ex illis, quæ de lætitia retulimus, ostendebatur. Nunc etiam adscripsimus, quod illis hoc in Isagoge subiũximus, & etiam quòd de similibus omnino statuendũ est idem. Longiorem uero interpretationẽ hæc oratio non quærit: quare ad ea iam, quæ consequuntur, transeamus. A

Ex dolore pulsus uariatio. *Cap.* V

Dolor qui quidẽ uariat pulsus, (uariat aũt ingẽs aut qui principes partes tenet, ut etiã inflãmatio) dum paruus est, atque initio, pulsum edit maiorem, uehementiorẽ, celeriorẽ, crebriorem. Auctus uero iam, & admodũ ualidus, ut etiã uitalẽ uigorem offendat, minorẽ, languidiorẽ, celerẽ, crebrũ. Ac quo diuturnior sit, uel uehemẽtior efficiatur: hoc illorũ quodque increscit magis. Qui uero facultatẽ iam dissoluit, in remissionẽ, & paruitatẽ, & falsam celeritatis speciem, ingentemque crebritatẽ cõmutat. Vt in omni molestia facultas, ita in doloribus sese solet, ad depugnandũ & reijciendũ id, quod infestat, concitare. Optimo igitur iure in magnitudinem, & celeritatem, uehementiamque pulsus mutat. Quæ si in eo nihil proficiat, ueluti ex inani labore uis eius & contentio opprimitur. Itaque in remissionem motus superata ab infestantibus facultate recidunt. Quid autem falsam celeritatis speciem dixerim, in tertio libro De dignoscendis pulsibus declaratum est. Iam etiam demõstrauimus in horum cõmentariorũ libro primo, cur paruis pulsibus penè omnibus adiuncta crebritas sit. B

Inflammationis pulsus. *Cap.* VI

Inflãmatio habet omnis cõmunem pulsum ueluti serrantẽ: ut alia pars attolli arteriæ, alia non uideatur, cũ illa scilicet uideatur durior. Habet etiã uibratiõis aliquid hic pulsus, ac celer quidẽ & creber est, non perpetuo magnus tamen. At singulis inflãmationibus est suus proprius. Nascentibus quidẽ maior iusto, & uehementior, & celerior, & crebrior. Augescentibus adhuc cum illa omnia increscunt, tũ clare iã durior, & magis uibratus est. Vigescẽtibus aũt manifestior est, duriorque, atque uibratus magis, sed minor est quàm dudũ, non tamẽ languidior, nisi facultatẽ excedat affectus. Quinetiã crebrior fit & celer. Quæ si diuturnior sit, atque in scirrhũ iã indurescat, accedit illis gracilitas pulsus & durities. Hęc inflãmatio habet, quę pulsum per totũ corpus immutat, uel quia magna est, uel quia principẽ partẽ insidet. Si uero uniuersum corpus nõ afficiat, pulsus in parte inflãmata talis erit, qualem diximus. Crescũt aũt, quæ cõmemorauimus, singula, diminuuntque, aut pro inflãmationis quantitate, aut pro ipsius instrumenti natura inflãmati. Siquidẽ partes neruosiores duriores edũt pulsus, magisque serrãtes, & minores. Quæ pluribus uenis præditæ sunt & arterijs, cõtrà. Ac inter hos maior C D

est, cũ arteriæ in parte abundent, atque inæqualis facile fit inordinatusque. Ex his liquet, qui pulsus sit illorũ, quibus inflãmatum iecur est, uel lien, renes, uesica, colũ, uentriculus. Præterea pleuriticorũ, & peripneumonicorũ, & breuiter omniũ, in quibus partis inflãmationẽ comitatur febris. nisi quibus in locis ob symptomatũ naturã, quæ tum necessario ijs cõsequantur, tum casu adiuncta sunt, prout quodque possit mutare, ita pulsus cõtingat uariari: ut mista ibi mutatio fiat, & quæ inflãmationi congrua est, & quã loci natura, uel præsentis inducit symptomatis. Quibus enim inflãmatum est, septũ trãsuersum, hi cõuulsionibus sunt opportuni. Quibus pulmo, suffocationibus. Quibus uẽtriculi os, syncopis. Quibus iecur, atrophię, id est intercepto alimẽti sensui. Quibus uentriculus, cruditati. Quibus renes, urinæ suppressioni. Adhæc partes insigniore præditæ sensu, etiã dolorũ nomine pulsus mutãt: quę minus sentiũt, pro affectu tantũ. Igitur in inflãmationibus uarie pulsus his omnibus mutant. Quæ quemadmodũ discernenda sunt, cum alio loco exacte tractauimus, tũ uero in præsentia, quantũ interest tyronibus, persequemur. Hoc caput est ex isagoge, quod pulsuũ profectam ab inflãmatiõibus mutationẽ clare docet. Porrò ut primæ causæ & generationẽ eorum cõtinentes afficiantur ab inflãmatione, ut illã mutationẽ inducãt, habemus explicare hinc exorsi. Omni parti, quæ inflãmata sit, hæc necessario duo accidũt, calor immodicus, & tẽsio. Quę uniuerso corpori impartit ambo, ubi pars nobilis sit, uel insigni prędita inflãmatione. Atqui immodicus calor, qui uniuersum corpus occupet, febris est: quæ usum pulsuũ alterabit dilucide. At partis inflãmatæ tẽsio peruadit etiã arterias. Quamobrẽ durior pulsus erit: eoque sanè in neruosis partibus durior, quòd præter cæteras hæ in inflãmationibus tendantur, ut quæ sint sua sponte etiã tensæ: atque unà secum partes uicinas, quia sunt scilicet fortiores, intendunt. Nimiũ calorem aũt ostendimus efficere per se pulsum celerẽ & maiorem: quòd siquid deficiat usui, ibi etiã crebrũ. Recte igitur oẽs, quos ex inflãmatione febris arripuit, habẽt pulsum durũ, et uero etiã ob intẽperiẽ arteriarũ, in uno occursu inæqualẽ. Quæ si ambo cõiũcta sint, existet dubio procul species illa pulsus, quæ ueluti serrat tactum. Eam enim oportet, qui tangit, ut imaginẽ cõcipiat, ubi inæqualiter instrumentũ durũ occurrat. Erit porrò, ut diximus, manifeste celerior: ac, nisi resistat durities, planè maior. Sin quid resistat, tantũ sibi conciliabit uibrati motus, quantũ imminuta magnitudo sit. Iã etiam tanto hunc fore crebriorẽ, quanto minus distentio usum cõpleuit, nosti, si, quæ ante demonstraui mus, recordaris. Præterea inflãmatiõibus paribus uariationẽ pulsuũ non parem comitari, sed inflammationes partiũ consitarũ uenis pulsus creare maiores, partiũ neruosarũ minores, sed eos duriores magisque serrantes. Nihil est enim in his quod non clarũ sit: si retineamus arterias magis tẽdi oportere à partibus inflãmatis, quæ sint neruosæ. Partes aũt arterijs abundantes, planè etiam copiam caloris

ris in arterijs, utpote calidioribus adaugebunt amplius, atq; maximos idcirco excitant pulsus. Et si qua alicunde inæqualitas exoriatur, eam detegēt manifestius. Duas enim, ni fallor, causas esse docuimus inæqualium pulsuum: facultatis, quæ arterias mouet, ob nimios humores, qui ipsam degrauent, imbecillitatem: præterea ob ipsorum instrumentorū affectus, oppilationes inquam, & constrictiones, atq; tensiones, pressusq;. Quare nihil est noui, si inæquales in arteriosis partibus inflammatis pulsus fiant: cum molitrix facultas illorum facillime in talibus defatigetur, ipsaq; instrumenta sint affecta. Reliqua, quæ in libro Tyronibus nuncupato scripsimus de mutatis ab inflāmatione pulsibus, non puto desiderare interpretē. Itaq; ad unū nūc de proximis capitibus est digrediēdū.

Pleuriticorum pulsus. Cap. VII

Pleuriticorum celer pulsus est & creber, nec admodū magnus, uideatur etiam uehemens esse. Est ille uero ne lāguidus quidē, sed tamen non uehemens statim, ꝙ ad affectum refert. Si quidē ubiq; hoc memoria seruandū est, in unaquaq; re mutationem esse pro illa re æstimandā, distinguendūq; quod alia de re, non de illa acciderit. Pulsus itaque pleuriticorū, quia neruosiorē quodāmodo durioremq; efficit arteriā, quasi cōuerteret in uehementiam, imperitis imponit, quos, quid intersit inter durum ictum & uehementē, latet. Ita quoq; uulgus medicorū, ꝙ alias etiam differentias pulsuum discernere nesciat, has fortaßis institutiones accusabit: atq; ex sua ignorantia damnabit recta præcepta. Verum non faciā ut hic longior sim, cum separatim De pulsibus cognoscēdis scripserim. Quare ut rationem exerceatis simul & tactum admoneo, ut in experiūdo pulsum ualeat tactus cognoscere, non discernere solū ratione. Principiū uero est experientiæ, sermone expressa doctrina. Quippe nequeas uel crebritatis quātitatē uerbis explicare: tametsi multū intersit, excedat iustū pleuritidis modū, an nō assequatur. Siquidē excessus, ubi in peripneumoniam migret, aut denunciet syncopam, necesse est fieri defectus in soporē, uel neruorum eum pere læsionē. Simili modo illa inęqualitatis species quæ serrantis imaginē prębet, in primis pleuritidis propriū est signum, si remissa est, mollis & probe maturandæ: si uero magna, difficilis & admodū crudæ pleuritidis. Tales cum imbecilli facultate cōiunctæ periculū habent: cum firma, aut tarde cōcoquentur, aut ad suppuratiōem deflectent, aut tabidus eas excipiet marcor. Atq; eius, quæ cōcoquitur, pulsus pedetentim omnem deponit illā præter naturā mutationem. Quæ deflectit ad suppurationē, habet pulsus suppuratorū proprios. Ita quoq; quæ tabide marcescet, pulsus marcorū. Caput ex isagoge hoc est, ac quæ aperte accidunt pleuriticis, declarat: causas aūt non item aperit. Quamobrem eas hic exponā. Pleuritis inflāmatio est succingentis costas mēbranę, itaq; febricitāt acute. Quippe uicina est cordi. Quia uero ad eum modū febricitāt, ideo habent pulsum celerē. Quòd neruosa etiā pars sit, quæ est affecta, hinc

A insigniter durus est. Iā, quia ita habet, ideo minor est quoq;, ꝙ febri cōueniat. Quare ut & creber fiat, par est: ꝙ magnos pulsus calor postulet, refragetur durities. diximus aūt ante quantum ab usu absit magnitudo pulsus, resarcire crebritatē. Inæqualis in ijs est crebritas, ꝙ nec humorum qui inflāmationem cōmittunt, una sit species. Quare si sint biliosiores etiā febris acutior erit, ac offensio quædā consequetur facultatis. Sin pituitosiores, & lenior erit febris, & procliuior ad soporem. Nunq; enim in pleuritide & peripneumonia fit ut caput nō lædatur, ꝙ humorū excipiat in inflāmationibus putrium fuliginē. Verum cum putris humor sit biliosus, uaporem habet in modū fuliginis acrem. qui mordicat, & erodit, irritatq; cerebrū: itaq; ad delirium perducit.
B Si pituitosus sit, nec fumo acri similis, sed caligini crassæ turbulentæq;, quasi nubem quandā ad caput attollens, humectat id, grauatq; cerebrū, cogitq; in grauem somnū deferri, ac sopiri hominē. Recte ergo cum pulsus in maiorē crebritatem mutātur, aut peripneumoniā aut syncopam annunciant. Peripneumoniā ꝙ occupet semper offendatq; lateris inflāmatio uicinas partes: ut quæ à calido gignatur ferventeq; humore, atq; facile moto. Syncopā uero ex affecta facultate uel per neruorū lęsionem, uel soporem: cum ex pituitosis humoribus uaporātibus cerebrum repletur. Iam hoc etiam si propellere offensam ad ramulos ualeat, consequetur læsio neruorū: & sopor, si nequeat. Ac talibus quidē humoribus rariores, con
C trarijs, puta biliosis, crebriores iusto modo pleuritidis pulsus eueniunt. Porrò aūt medius est inter raritatē & crebritatē modus in pleuritide, ubi qui morbum cōmittit humor, sanguineus sit. Sic etiā modus medius duritiei ex tali humore ac moderata inflāmatione oritur. Augetur uero, aut ob inflāmationis nimiam magnitudinem, aut ob humores biliosos. Itemq; per contraria imminuitur. Iam hoc quoq; liquet, duris pulsibus euidentius consecuturam speciem occursus ueluti serrantis.

Suppuratorum pulsus. Cap. VIII

Suppuratorum pulsus initio statim pulsum refert uigescentis inflāmationis. Hæc enim initium est suppurationum. Nonnunq; inæqualis est & inordinatus: sed omnibus hecticus. Cū aūt pus pro
D pè sit maturum, cætera similis est: nisi ꝙ æqualior sit. At cum erumpit, languidior, latior, tardior, rarior. Qui multū puris in capedine inter thoracem & pulmonem collectum habent, hos Græci quidā ἐμπύους, alij ἐμπυϊκοὺς, Latini suppuratos appellant. Qui fiunt, cum magna ad costas inflāmatio suppurat. Interim etiā comitant peripneumonijs, deniq; omnes, quibus inflāmatum uiscus aliquod suppurauit, suppuratos uocāt. Hoc ergo caput de suppuratis, quod ex isagoge proposuimus, cū pręcipue est in primis, quos memorauimus, uerū, tū uero in reliquis omnibus. Nā ubi suppurat inflammatio, ꝙ instrumenta uitiata & debilitata sit facultas, non potest nō pulsibus inæqualitas quædā, & ordinis perturbatio moueri. Huic cumulus accedit, naturæ cum symptomate certamen. Humor

enim putridus, qui modo huc modo illuc sine ordine confluit, tum spiritũ transitu intercludit, tum ad propulsanda naturã incitat quæ molesta sunt: unde magni, uehementesq́, & alti, celeresq́ pulsus oriuntur. Mox ubi defessa pugnando facultas sit, aut si qua firmius pars sit obstructa, in contraria recedunt: dum se ipsam cõcitet uitalis facultas, ac ad reijcienda, quę sibi sunt infesta, se cõuertat: ubi denuo altiores, atq; uehementiores prioribus euadunt pulsus. Ergo cum perpetua hæc sit mutatio, inæqualitas in ijs necessario quædã, & ordinis perturbatio nascitur, eaq́, dum fiat eruptio, perdurat. Quam ob rem hecticus est dictus pulsus illorum. Quod quidem, & nõ in orbem ueluti accessiones quasdã facere, rursusq́ interualla, quod in alijs fit febribus. Perpetua est enim illa in motu arteriarũ agitatio, donec fiat eruptio. At dirupta parte, quæ suppurat, planè erunt omnia cõtraria. Hic recordanda sunt, quæ de lato pulsu in secundo libro, & de alto docuimus: neq; hoc postulandũ, ut de omnibus sæpius repetamus. Nam uasa iam erumpente pure desinũt tendi, facultasq́ defessa depugnando est, ac necessario homo est attenuatus. Quæ ubi cõuenerũt, latus fit pulsus. Augebit porrò multo magis ad sensum quidem eius speciem, ascensus ante eruptionem arteriarũ. Siquidẽ quia illius adhuc sumus memores, eiq́ cõparamus, quæ nũc apparent, pulsum reddi bene latum arbitramur.

De marcescentibus. Cap. IX

Proximum est de marcescẽtibus caput: de quo etiam quæ ad causam inueniendam faciunt, primo loco tradam, deinde caput ipsum ex Isagoge ascribam. Nomen hic affectus inuenit ab flammis marcescentibus, quæ difficultate nutrimenti extinguuntur. Ac ubi calor eodem modo marcescit natiuus animantium, pulsus oportet esse languidos. Nã ita affectis facultas efficitur debilis. Quocirca etiam parui fiunt. Iam celeritate etiam quadam uidentur præditi: quòd nec hæc abesse ab febricitantibus possit. Quia autem & febricitant, & facultate sunt imbecilla, itaq; pulsum habent paruum, necessario iam simul crebrum obtinent: id quod & in libris prioribus est ostensum. Imbecillitati autem facultatis comitari item pulsum circumnuentem declarauimus, qui decurtatus est in utraq; parte. Atq; planum est, eos semper pulsum habituros undiquaq; similem: quòd non ex humoribus affectus nec ex spiritu procedat, sed in ipsis consistat solidis partibus. In his enim corporis habitus uniuersus, ut carbo quidã factus est. qua de re hecticos proximi medici hos pulsus appellant. At quibus iã calor extinctus est totus, quod accidit potissimum senibus, rarior quoq; pulsus fit. Hunc marcorem Philippus uocat ex morbo senium. Quem ferè habent senescentes, & interim iuuenes etiam. De quibus optime Philippus scripsit non planè ignitis carbonibus hunc affectum similem esse, sed in his qui extinguntur, ita ut in cinerem iam uertantur. Hæc uiro prudentia prædito certe ad reliqua intelligenda satis sunt. Itaq; caput nunc ex Isagoge adscribemus.

Marcescentium pulsus. Cap. X

Marcescentium pulsus non uno modo uariat. Quare differẽtijs hi quàm apertissimis discernendi sunt. Qui unà cum inflãmatione, quæ non discussa sit, cõmarcuerint, languidos, & celeriores, mireq́ crebros pulsus habẽt, ac decurtatos magnitudine in uno ictu. Quos Archigenes innuentes & circumnuentes appellat, ut aperte declaret distentionis breuitatem cum utriusq; extremitatis quasi inclinatione. Neq; enim ut præcisis affatim, sed ceu partibus utrinq; inflexis contrahitur, decurtatus magnitudine in utrisq; partib. Atq; hoc quidem non hi modo, sed marcescentes qualibet de occasione habent ferè omnes: qui ex inflãmatione marcescunt, omnes. & alij item multi. nisi sanè & illi de occulta quapiam inflãmatione marcescunt. Eritq́ hic marcescentium ex inflãmatione proprius, nulli conueniens, qui aliam ob causam marcuerit. At hecticus omnibus marcescentibus pulsus est, qui quidẽ ijs est cõmunissimus. Secundus ab hoc est, in q̃ inæqualitas in distentionis magnitudine decurtata est. quæ etiam adest plerisq;. deinde crebritas. Etenim hęc quoq; omnibus, qui ex inflãmatione marcuerint, perpetua adhęret: omnibusq́ adeo, qui ob syncopam ex corde uel stomacho affecto profectam in præsens periculũ uenerunt, ac deinde uini potione præceps declinauerunt periculũ, sed tempore tamen marcuerunt. nisi sane hos quoq; dicas ex paruis inflãmationibus perire nobis incognitis. Siquidem sunt inter eos, qui innuentẽ habeant pulsum: nisi etiam hos dicas ex inflãmatione, alios citra inflãmationem marcescere. Verum hoc in dubio est. Pulsum igitur hi habent hecticum, languidum, admodũ crebrum, & quidam ex ipsis innuentẽ. Atq; alteram hanc marcescentes differentiam pulsuum sunt sortiti. Alia item tertia est eorum, qui rarum habent. Verum & his cum antegressa febris pulsus reddidit crebros, tũ facultatis extrema dissolutio abunde efficit crebros. Quod autem intercedit, omnibus refrigeratis febribus, nondũ tamen extinctis ijs, in raritatẽ cõmutat. Genus hoc marcoris senibus proprium est, præsertim cum aliquid uitij pulmo & thorax contraxit. Hi febrilem retinent pulsus duritiem, etiã si rarus sit. Omnino paucis marcescentibus in aliam inæqualitatem pulsus, ac illam, quam diximus, magnitudinis, uertitur.

Phthisicorum pulsus. Cap. XI

Proxima est oratio de phthisicis, quos uocant, qui pulsum facultatis imbecillitate paruũ, & languidum habent, at non nimiũ celerem, ut plerique febricitantes: quòd nõ detineantur urente febre. Hi habent etiã pulsum hecticum, quòd & febrem habeãt hecticam. Sic à febre, quæ corporis occupauit uniuersum habitum, appellatur pulsus. Ab his in libro ad tyrones scripto caput sequitur De peripneumonicis. Quod quidem hic uisum mihi est ascribere. habet autem ad hunc modum.

Peripneumonicorum pulsus. Cap. XII

Peripneumonicorum magnus est pulsus, & undosum quid habet, & languidus, mollisq́, similiter

ter atq; lethargicorum pulsus: nisi quatenus præpollet inæqualitate & in uno pulsu, & collectiua, quam uocant. In uno ictu, ueluti interpellatur, & undosus est, ac dicrotus interim fit. In collectiua, cum alias differentias habet, tum modo intermittit, modo intercurrit. Hoc caput est, quod accurate, quæ peripneumonicis accidunt docet. Causas uero, si memoriam habes eorum, quæ docuimus in primis cõmentarijs, nullo negocio inueneris. Neq; enim est mirum, uel magnum esse pulsum illorum, uel languidum, uel inæqualem ob pulmonis inflammationem, uisceris tam laxi & mollis fistulisq; inanibus undiq; infinitis caui, tam porrò uicini cordi. Nam quia laxum est, & molle, & undiq; uacuum, à pituitosiore atq; crassiore sanguine inflammatur: cum subtilis biliosusq; fluat ferè, nec cum uiscere ulla ratione cohærescere possit. Talis fluxio, pituitosa inquam, tunicam irritat uasorum, frangit autem uim facultatis, quæ in illis est. Quo fit, ut magnos simul & languidos pulsus reddat. Quia uero cum corde etiam uiscus continens est, multiformis generatur inæqualitas. Si quidem compressionibus arteriarum, & constrictionibus, deniq; affectibus plethoricis ostendimus inæqualitatem succedere, potissimum si finitimæ sint cordi. Atqui quòd in peripneumonia comprimãtur & degrauentur, constringanturq;, atq; debiles sint pulmonis arteriæ, quid refert dicere? Quapropter pulsus ijs dicrotus infrequens est, cum aliam habeant multam inæqualitatem: quòd dicrotus prorsus uasis requirat quandam duritiem, quam quidem non contrahet ex pituitosa fluxione. Siquidem biliosioris munus est cogere, siccare, tendere, indurare. quæ quando minus sæpe pulmonem infestat, sanè erit rara quoq; durities. & si hæc, simul dicrotus pulsus etiam. Iam pro offensæ magnitudine uel intermittentes pulsus uel intercurrentes fore etiam in secundo libro declaratum est. Quæ si exciderunt, nequicq; hæc legas. si retines, prolixiorẽ interpretationem non puto iam te desiderare. Nam quæ in Isagoge deinceps de peripneumonicis retulimus, si primorum memoriam retines, non habent obscuras causas quin hic quoq; ipsum satis sit caput duntaxat adscripsisse. Cum autem febre teneantur acuta omnes peripneumonici, atq; habeant adiunctum nõnihil soporosi comatis, utrum superius horum sit, pro eius ratione potissimum quantitas crebritatis inuenitur. Nam insigniorem si peripneumonia febrem habeat, pulsus erit multum creber: sin maius coma, minus creber erit.

Lethargicorum pulsus. Cap. XIII

Lethargicorum pulsus similis peripneumonicorum est, magnitudine, remissione, mollitudine: sed eo est tardior, rariorq;, ac minus inæqualis, intermittens potius quàm intercurrens. Est cum dicrotus fiat. At undosus semper in altis quidem soporibus est, de quibus hæc dicuntur. Morborum enim pulsus exponimus, qui omnibus suis indicijs constent: quò, si qui aliquatenus deficiant, neque dum sint integri, satis cognoscere magnitudinem, & qua iam sint præditi, & quæ accedere ijs potest, ualeamus. Lethargum quoq; ex humore pituitoso gigni, in commentarijs, quos separatim scripsimus de morbis, ostensum est. Vnde merito eius pulsus simillimus est peripneumonicorum. uerum hoc tardior, quòd procul à corde remotũ est cerebrum. Nam pulmo quidem, ob uicinitatẽ, quæ ipsi intercedit cũ corde, pulsus suo iure, cum calidior sit, celeriores, ac crebriores creat. Iam uero etiam magis inæquales eos merito esse, ne hoc quidem est obscurum, si prima retinuisti. Itaq; intermittens est potius quàm incurrẽs pulsus lethargicorum: longe enim frigidior, & ut ita dicam, letalior peripneumonia est morbus lethargicis. Atqui frigido erat affectui proprius, facultatiq; ualde refrigeratæ pulsus intermittens.

Phreniticorum pulsus. Cap. XIIII

Phreniticorum paruus pulsus est. Rarissime autem cõspectus est magnus esse: ac moderatum uigorem habet. Durus & neruosus est. mire est celer & creber. Habet præterea nonnihil undosi. Interim subtremere tibi uidebitur. Interim etiã præcisus cum conuulsione quadam. Etenim febrium propriũ celeritatis symptoma hic obtinet clarissime, in utroque termino distentionis, præcipue externo. Inuenias etiam inæqualitatis in positu genus insigniter aliquando in illo apparere. Immo totam subinde arteriam sua sede deserta conspicias attolli potius cum uibratione ebulliẽtem, quàm more pulsus distentam. Pari modo delabi detractam potius quàm contractam. At uero immodica eius crebritas proximam denuntiat syncopam. Neq; hic quidem causas illorum, quæ diximus, inuenire magni laboris fuerit, si scias generari à bilioso humore phrenitin, ut lethargum à pituitoso: si item hoc teneas, lethargum ex ipso potius cerebro, phrenitin præcipue gigni ex tenui meninge & ex septo transuerso. Quæ si memineris, etiam paruos merito pulsus & duros esse, non habebis necesse discere. Atqui si affectus calidus est, pulsus autem parui, omnino etiam crebri sunt. Etenim prioris distentionis defectum, demonstrauimus ante in crebritatem pulsus mutare. Porrò ut peripneumonicus pulsus raro dicrotus fit, quod nihil prorsus habeat duritiei: sic phreniticus rarissime undosus efficitur, propterea quòd & hic planè uacet mollitudine. Nam quòd subtremere facultatis sit signum imbecillæ, alijs locis ostendimus. Vbi ergo quæ in arterijs est facultas, amplius distendere eas conetur (nam hoc ob caloris abundantiam desiderat) idq; duritia tunicæ prohibeat, uidetur pulsus quodammodo subtremere. Planè tunc hoc potissimum accidit, ubi immineat syncopa: quomodo ubi conuulsio, etiam motus est pulsuum conuulsus. At hoc phrenitici habent perpetuum, ut cum conuulsione quadam motus abrumpatur, non desinat paulatim. uiget enim calor, suntq; dura instrumenta. Cum enim cupiat arterias amplius facultas distendere, obstat tunicarum durities. unde uiolentia procedit & præcisio illa conuulsiua. Sic incipiunt etiam arteriæ disten-

A di subito & affatim quasi exilientes magis, quàm pedetentim distentæ. Sic etiam ex inflammatione febricitantibus cunctis in his plus, illis minus uidetur accidere: non in motus tantum exitu, sed ab initio statim. Omnium horum causa est communis, usus pulsuum auctus, unà cum duritia tunicæ. Nam cum instet usus, eoque quasi in magnam facultas celeremque erumpat distentionem: renitatur autem durities instrumẽtorum, in genus illud, quod retulimus, necesse est ut incidat motus. Quinetiã ob eandem hanc siccitatem, & duritiam, tentionemque uasorum non mirum est, si intelligant, qui priora meminerunt, uideri pulsum in situ inæqualem. At ne hoc quidem, insignem crebritatem instare significare syncopam. Ab imbecilla enim facultate ostendimus oriri crebritatem. Posthac dicemus de affectu, qui mistus esse ex phrenitide & lethargo uidetur: qui ideo etiam pulsus habet inter utrunque affectum ambigentes. Naturam huius affectus alibi declarauimus. Itaque pulsus eum merito habere mistos, cum sit etiam ipse natura mista, non mirum est. Quam ob rem si id noris, non requiras iam longiorem interpretationem: sed si caput hic quoque ascripsero ex isagoge, satis erit. Habet autem ad hunc modum.

B

Pulsus affectus conflati ex phrenitide & lethargo. Cap. XV

Iam etiam alius est affectus: qui siue medio loco ponendus sit inter lethargum & phrenitin, ut qui cum neutro in totum conueniat: siue communis esse ambobus existimandus, ut ex phrenitidis speciebus & lethargi mistus: suo loco cõsiderabimus. Nã de eius hic pulsibus agemus. At ne quasi ænigma quoddam propositum sit, per signa, quæ cum eo sunt cõnexa, eum ob oculos ponam. Conniuent ferè oculis, somnolenti sunt, atque stertunt. Rursus oculis fixis ac inconniuentibus diutissime, ut catochi, intuentur. Et si quid roges, atque ad colloquium compellas, difficiles sunt & tardi ad respondendum. Plerunque etiam uelut mẽte moti loquuntur, nec recte respondẽt, ac temere nugantur. Is est affectus, quem dico, qui ex signis sibi adiunctis defectu proprij nominis cognoscitur. Pulsus eius celeres sunt, & crebri, perinde ut phreniticorum, minus tamen. Et roboris item minus ac illi obtinent. Lati autem sunt, & breues. Externum motum non habẽt subito truncatum: sed alio modo ueluti intrò se proripientes subterfugiunt, ac concitant contractionem, & quasi suffurantur distentionem. Verum in ea pulsui phreniticorũ non sunt similes, quòd truncatione illa careant.

C

D

Catochorum pulsus. Cap. XVI

Catochorum, id est stupore correptorum pulsus (κατόχους enim & κατεχομένους ueteres Græci appellabant: Iuniores ipsum affectum κατοχὴν & κατάληψιν uocãt) cætera lethargicis similes sunt, magnitudine, tarditate, crebritate: ut nec totius huius affectus species late ab illo dissidet. Catochorum tamen non imbecillus est pulsus, nec mollis: sed in his sanè multũ differt. ut etiam in hoc quòd laxatur lethargicis, atque intumescit uniuersum corpus: contra stipatur & cogitur catochis. Ad hæc inæqualitate & æqualitate inter se distant. Aequalis enim pulsus est catochorum, inæqualis lethargicorum. Archigenes arteriæ locum autor est proprie in ijs inueniri calidiorẽ: sicut illis, quibus conuulsio imminet cum sapore. Vniuersa penè alia cum lethargicis cõueniunt catochis, præter quòd intumescat habitus, & ueluti obstupescat. Vnde & pulsibus mutatur remissio & multitudo: illa, quia, cum intemperies nondum uniuersum corpus occupauit, firma sit facultas. Nec uero mollitudinẽ habent, quòd nec tunicam etiam arteriæ mollem. Arteriæ uero regionem non semper equidem reperi calidiorem, ferè tamen inuenitur manifeste calidior. Causa est & in hoc affectu & in alijs, ubi inuenitur idem symptoma, quòd refrigeratio habitus non æque arterias attigerit. Etenim inæquali intemperiei multa talia usu ueniunt. Ac uidetur quidem calidior locus arteriarũ finitimis circumcirca, modo quòd caleat magis, modo quòd minus quàm circumfusa sit frigidus.

Conuulsorum pulsus. Cap. XVII

Conuulsorum ipsorum corpus arteriæ uidetur cõtractius & undiquaque coactũ, non ceu compressum sit abs quopiam, uel constipatum, nec etiam ueluti horrore correptum, ut in febri, præsertim in accessionibus: nec uero ut præ duritie ad intentionem contumax: ueluti quod fit diuturnitate temporis, præsertim cum quid offensum sit, uel uiscera uitiata: sed ut corpus neruosum, cauumque, ueluti intestinum, aut simile, ex utroque fine intentum. Ad eundem modum inæqualis motus est arteriæ in modum chordæ sursum deorsumque agitatæ. Neque enim species distentionis, uel contractionis repræsentatur. uerum uibrationi potius similis est, ceu exilientis sursum iterumque retractæ intrò. Quod ne constituto quidem tempore habet: sed uno sæpe tempore alia eius pars uidetur ferri sursum, ueluti eiaculata, altera intro ceu à quopiam attracta: atque una moueri citate, altera tarde. Iam uehemens quoque & magnus conuulsorum pulsus uidetur esse. Est uero hic non imbecillus, neque paruus: non perinde tamen, ut uidetur, uehemẽs, uel magnus. Ictus enim imponit, dum ob tensionem ualidus, ob uibrationẽ exilire appareat. Quamobrem altior interim uidetur, ac ueluti strepitũ quendam ad tactũ edit asperum. Sanè neminẽ, qui quidem sit expertus, fugiat hic pulsus. Quippe nulli est similis, uel tensione in utrãque partẽ, uel cõuulsione motus. At quãdo cum pulsu sopitorũ cõmistus est, difficillime motus deprehenditur: solusque quid adamussim utrunque cognoscere separatim meditatus est, poterit confusos cognoscere. Habes caput ex isagoge. Causa autem illorum aperta est, si memineris inter se principia consentire.

Paralyticorum pulsus. Cap. XVIII

Paralyticorum paruus pulsus, & languidus, tardusque est. Nonnullis rarus quoque, alijs creber, sed nonnihil inordinate intermittens. Pulsus paralyticorum, quia frigidus morbus est, paruus est & tardus: languidus etiam, quòd facultas infirmior sit. Quòd si maior illic paralysis exoriatur, creber

simul, & inæqualis erit, intermittésque nonnihil inordinate. Causa est ante exposita in secundo libro horum cõmentariorum.

Comitialium & attonitorum pulsus. Cap. XIX

Comitialium & attonitorũ similes pulsus sunt. Quare de comitialibus, quæ exponemus, eadem de attonitis, sed cumulatius accipiẽda sunt. Dum modice infestatur natura, neque dum eam multum superauit morbus, nullam inuenias mutationem insignem magnitudinis, uehementiæ, celeritatis, crebritatis, duritiei. Tantum est uelut cõuulsis intenta iure utrinque arteria. Sin autem grauis sit affectus, ut oneret facultatem, & inæqualitatem quandam comparet atque tentionem ualidam, tunc minor, languidior, rarus, tardusque efficitur. Si grauet magnopere, & facultatem opprimat, languidos, paruos, celeresque creat. Caput hoc est. At tantum abest ut nouam interpretatiõnẽ hi pulsus desiderent ad causas inueniendas, ut etiam dilucide illa cõfirment, quæ in horum cõmentariorum primo & secundo tradidimus.

Anginæ pulsus. Cap. XX

Anginæ pulsus tensione quadam præditus est conuulsiuo persimili. Magnus est & undosus, ut pulsus peripneumonicorum: ac utrum insigniter in eo polleat, pro eo expectãda mutatio est. Nã si peripneumonica species superior sit, in peripneumoniam: si uero conuulsiua, in spasmum angina desinet. Quicunque autem ex illis uehementer suffocantur, paruum hi habent, & rarum pulsum: ubi iam animam agant, crebrum atque inæqualem. Omnis inflammatio, quę consentiens sibi principium habet, commune obtinet symptoma, tentionem pulsuum. uerum hoc faciunt præcipue inflammationes neruosorum corporum, & quæ sunt principio finitimæ: Itaque nec anginæ pulsus uacat tensione, sed uel plus, uel minus eius habet. quod ex humore fit influente, qui uel biliosior, uel pituitosior sit, & ex ipsorum etiam instrumentorum in asperitate diuersitate. Siquidem neruosiora & contentiora uehementius pulsum tendunt. Carnosa & remissa undosiorem reddunt. Cætera clara sunt huius capitis: nisi quod dictum ad exitum est, qui illorum suffocantur, hos pulsum habere paruum, & rarum: inter moriendum crebrum, ac inæqualem. Sic enim res habet: Cum incipiunt suffocari, fiunt arteriarum minores & rariores distentiones: quòd imbecilla iam facultas sit, & usus imminutus. Inde ubi ad mortem spectẽt, molitur quidem facultas attrahere crebrius, quòd substantia deficiat iam spiritus animalis: sed cum imbecilla sit, paruas distentiones necessario efficit: & quia paruas, ideo crebras. Nam de hoc diximus ante. Postea subito ueluti uicta, sæpe subsistit, sæpe cupit subsistere. Quorum alterum intermittentem, alterum rarum pulsum creat, ambo inæqualem in huius generis differentia.

Orthopnœæ pulsus. Cap. XXI

Orthopnœa acuta inæqualem, & inordinatum pulsum habet, & nonnihil deficientem. Quæ mediocriter est grauis, crebrum. Quæ uiolentissima,

A tardum, & deficientem. Quæ iam perimit hominem, crebrũ & languidũ. Diuturni morbi, quam Orthopnœam appellant, acutæ sunt accessiones, ut morbi comitialis. Ergo cum in his, tum maxime in cæteris Orthopnœis omnibus, quæ quocunque modo fiunt nec opinato, pulsus omnino inæquales, & inordinati sunt, & nonnihil deficientes propter causas, quas cõmemoraui paulo ante. Iam pro diuersitate offensæ, uel crebri magis, uel rari. Nam celeres quidem ob facultatis imbecillitatem fiunt nunquam. At si mediocris offensa sit, creber magis, simulque inæqualis, ac nonnihil deficiens. Nam in orationis principio hæc dicta sunt ut inseparata. Quamobrem autem ubi urgeat usus, & facultas sit imbecilla, creber fiat, ante declarauimus: sicut cum extincta iam facultas sit, tardus simul & deficiens. Ambo enim adiuncta hæc

B facultati sunt, quę moueri amplius nequeat. At in morte iam, cum spiritum animalem natura impensissime requirat, imbecilla autem facultas sit, ad mouendum impellente usu se confert: quia uero attollere tantum arteriam quantũ postulat usus, non ualet, necessario pulsus reddit crebros. Ibique non ita diu cum omnes suas uires explicauerit, statim extinguitur uniuersa.

Vteri suffocati pulsus. Cap. XXII

Vteri suffocati pulsus, ut si conuelleretur, protensus est, & rarus. Quòd si exitialis sit suffocatio, creber, inordinatus, & nonnihil deficiens. Ne hic quidem difficilis est causa, si priorum memoriam

C retineas. Cũ enim neruosus sit locus affectus, par est, ut protendatur pulsus, quasi cõuulsus sit. Quia uero affectus frigidus est, adiuncta est raritas. At ubi oppressa iam prorsus sit facultas, recte creber fit simulque inæqualis & nõnihil deficiens. Nam de his ante declarauimus, ubi urget usus, & affecta facultas sit, necessario eum pulsum generari.

Stomachi affecti pulsus. Cap. XXIII

Stomachus affectus (ut sic etiam uocemus in præsentia os uentriculi, quòd is usus apud uulgus obtinuit) non uno modo commutat pulsum. Nam si inflammatus sit duntaxat, ita mutat pulsum, ut corporis neruosi diximus inflammationem solere. Si comprimatur, uellicetur, languescat, singultiat, uomat, nauseet, fastidiat, doleat:

D pro genere symptomatis. Nam uellicationes, uomitus, nauseæ, singultus, languor non solum paruum & languidum efficiunt, & interim etiam modice celeriorem: uerum etiam admodum crebrum. Sola uero compresſio remotis illis omnibus, rarum, tardum, paruum, & languidum. Ea compresſio tum à cibis oritur grauantibus, neque ulla insigni præditis uirtute, sed sola abundantia molestis: tum ab humoribus quibusdam, qui in eum confluant, non mordicantibus. Qui si ab his simul perfrigeretur, tum uero uel maxime talis pulsus existet. Sed & magnæ bulimi uocatę famis talis pulsus est. At omnes quidem affectus, qui in crebritatem mutant, si diuturni sint, uel euaserint grauiores, pulsum uermiculantem creant. Qui uero in raritatem, præter quòd commemoratas

A differentias adaugent, talem pręterea ſpeciem inæqualitatis in uno pulſu generant, ut multis locis pertuſum corpus arteriæ uideatur, neqꝫ eſſe continuum: ac ſentit tactus in diſtentione ueluti arenæ occurſum. Caput ex Iſagoge hoc eſt. Cauſas illorum, ſi quæ ualde perſpicuæ ſunt memori priorũ, pręteribo, exponam autẽ obſcuriores. Cum enim debilitetur facultas, aut per ſe, puta ex intemperie: aut de cauſa aliqua externa, ut uel grauetur, uel irritetur praue: grauata quidem paruum, tardum, rarum pulſum edit: paruum, quòd facultas lęſa ſit: tardum, cum ob hoc, tum ob uſum diſſolutum. Frigidi ſunt enim, qui facultatem onerant, affectus: itaqꝫ rarus quoqꝫ eſt. Nam diſſoluto uſu, talẽ oſtendimus pulſum gigni. At ex irritantibus duntaxat B & moleſtantibus facultatem affectibus paruus etiam fit & languidus ob offenſionem facultatis. Et creber, quòd languidus ſit. Nonnunqꝫ aliquanto etiã celerior eſt. Quomodo ſcilicet nos etiam, ubi imbecilliores ſimus, ac neceſsitate quapiam compellamur, plurimũ quidem pedibus progredi nequimus, ſed quoad poſſimus, progreſſum noſtrũ magis concitamus & continuamus. Ad eundem modum facultas, quæ arterias mouet, ubi ad motum adigatur ab uſu, & ſit imbecilla, non poterit moliri magnas diſtentiones, ſed aliquanto celeriores: ac tanto crebriores, quanto minus uſum compleant diſtẽtiones. Quare par eſt, ut cum affectus ſtomachi, qui in crebritatem pulſum conuertunt, increſcant, hos uermiculans, quem uocant, conſequatur pulſus. Oppreſſæ enim hic peculiaris erat C facultati: at ijs qui in raritatem, ille, qui ueluti pertuſus eſt, comitatur, qui ex intemperie ipſorum inſtrumentorum oritur.

Hydropicorum pulſus. Cap. XXIIII

Aquæ inter cutem pulſus: Aſcitæ paruus, crebrior, ſubdurus cum quadam tenſione eſt: Tympanitæ, longior, non imbecillus, celerior, creber, ſubdurus, cum quadam tenſione: Illius quam hydropem ana ſarca Græci uocant, undoſus, latior, mollisqꝫ. Aqua inter cutem, qui Aſcites appellatur, copiam aceruans non modicã ſecundum uentrem humoris aquoſi, unà ſecum magnas arterias afficit, ut intendat pariter & grauet refrigeretqꝫ. Tendit autem unà cum alijs, quæ id loci ſunt. Grauat ob pondus. Refrigerat ob nimiam humiditatem. D Ac tenſionis quidem nomine pulſum reddit merito cum quadam tenſione ſubdurum. Quia uero facultas læſa & refrigerata eſt, minorẽ. Iam quo minorem iuſto, hoc etiam crebriorem, præſertim ubi adiuncta ſit febris. Tympanites minus grauat & magnas arterias, & ſemel uniuerſam facultatẽ: uerum non minus tendit. Quæ res facit, ut perinde ac in Aſcitis, pulſus ſubdurus ſit cum quadam tenſione. At aliquãto illo eſt celerior, minusqꝫ imbecillus: creber uero ijſdẽ de cauſis atqꝫ ille. Longior ob leuitatem tegentium arterias corporum. Siquidem breuem pulſum in libro ſecundo oſtendimus fieri, ubi pondere & numero incumbentium corporum arteriæ, & circumdantium ipſas premantur. Longum ex contrarijs cauſis, quarum eſt ſumma incumbentium corporum leuitas. quæ quidem fit etiam in Tympanite. Etenim ſpiritu uniuerſum corpus implet. Reſtat aqua illa inter cutem, quæ ὑπὸ σάρκα & ἀνὰ σάρκα appellatur. Hæc, quia imbuit totum habitum humiditate copioſa, tum tunicas reddit arteriarum molles, tum pulſus molles, undoſos, latioresqꝫ facit.

Elephantiaſis pulſus. Cap. XXV

Elephantiaſis pulſus paruus, languidus, tardus, creberqꝫ eſt. Qui Elephantiaſi laborãt, pulſum habent, non ſtatim ab initio, ſed ubi plurimũ creuerit offenſa, ut facultas infirma ijs ſit, paruũ, languidũ, tardũ, & crebrũ. Hos enim facultati unà cum frigiditate læſæ demonſtrauimus peculiares eſſe.

Ictericorum pulſus. Cap. XXVI

Ictericorum pulſus eſt, ſi abſit febris, minor, durior, crebrior, nõ languidus, nec celer. Vi quadam præditus eſt flauæ bilis ſuccus exiccãdi, ut muria, & mare. Quamobrem tunicam arteriarum indurando & deſiccãdo, pulſum quoqꝫ facit duriorem ſimulqꝫ minorem: quòd dura inſtrumenta ſcilicet perfecte diſtendi nequeant. Proinde rationis eſt, ut quanto fiat, quàm par eſt, minor, tanto etiã crebrior euadat: non languidus eſt tamẽ. Neqꝫ enim imbecilla facultas eſt. Neqꝫ uero etiã celer, quòd abſint febres, nam illæ ſi adiunctæ ſint, propterea quòd urgeat uſus, celer etiam fiat.

Eorum, qui ueratrum ſumpſerunt, pulſus. Cap. XXVII

Veratrum qui ſumpſerunt, hi paulo ante uomitum, ubi comprimantur, pulſum habent latum, rarum, languidiorem, tardiorem. Interea dum uomunt & diuelluntur, inæqualem & inordinatum. Cum rectius habere cœperint, ordinatũ quidem, ſed inæqualem adhuc, minus tamen quàm antea. ubi uero iam ad naturalem ſtatum propè reuerterint, æqualem, ac maiorẽ quàm dudum, uehementioremqꝫ. Qui horum ſyncopa corripiuntur, conuelluntur, atqꝫ ſingultiunt: paruum hi, & languidum, inordinatumqꝫ, & celeriorem, atqꝫ multum crebrum habent. Qui ex his ſuffocantur, paruum, languidum, inordinatum, inæqualem: non autem crebrum, nec celerem, imo potius tardum. Repræſentat etiam nonnihil undoſi & lati, atqꝫ paruam quandam interdum arteriæ tenſionem. Ne in his quidem, qui ſumpſerunt ueratrum, nouum eſt, ſi pulſus, dum premũtur adhuc, tardiores, rariores, languidioresqꝫ fiant. Nam ſunt hi omnibus preſſibus cõmunes. At propria ijs eſt latitudo, quę hinc oritur, quòd ſpiritus cum calore intro retrahatur uniuerſus. Nam concitatæ facultati foras familiaris eſt pulſus altus. Ruenti uero & intrò retractæ, humilis. Atqꝫ hic quidem eſt, qui ſpeciem præbet latitudinis. Reliqua horum ſymptomata, ſi quæ tradidimus antea, retinuiſti, plana ſunt.

ARGVMENTA LIBRI PRIMI DE PRAESAGATIONE EX PVLSIBVS, QVI totus est de primis & quasi maxime elementalibus pulsibus, qui in distentione arteriæ dignoscuntur.

De præsagatione ex pulsu magno & paruo. De præsagatione ex pulsu celeri & tardo. De præsagatione ex pulsu uehemẽti & languido. De præsagatione ex pulsu duro & molli. ALITER.

Caput I. De præscientia, pauca in genere: & quòd præsagatio per pulsum altera sit secundum pulsum simpliciter, altera secundum differentes affectus. Quòd superiores de pulsuum differentijs, dignotione & causis libros prælegisse oporteat ad hanc tractationẽ, inutilem alioqui futuram: id quod obiter statim ostendit copiosissime agẽs de præsagatione ex magno pulsu. II. Pulsuum cõmutatio in paruitatẽ. III. Dimensiones distentionis non semper tantæ apparẽt, quantæ sunt. De pulsus priuatione. De longo, breui, lato, angusto, hu- A mili & alto pulsibus, ex quorũ uarijs coniugationibus, uigintiseptem diuersos pulsus, eorumq́ significationes exponit. IIII. De essentia facultatis, summatim (cuius cognitio plurimum ad sequentia conducit) & quomodo ea debilitata pulsum uarient: quomodo item corpore refrigerato, & à uini potu. De conuulsiuo affectu. De duro & uibrato pulsu. V. Celer & tardus pulsus quid denotẽt. VI. De quatuor generalibus differentijs quæ sunt in distentione. VII. Causæ continentes uehemẽtis, languidi, mollis & duri pulsus. VIII. Causæ præcedentes quæ robur augent & opprimunt. Et q̃ de causis externis quæ pulsum duriorem efficiũt, supra dictum sit, ubi de longo simul & angusto & humili disseruit. IX. Causæ præcedẽtes & externæ mollis pulsus.

CL. GALENI DE PRAESAGATIONE EX PVLSIBVS

LIBER PRIMVS.

Hermanno Cruserio Campensi interprete.



NON esse futurorũ tantum præscientiã, sed præsentiũ etiam atq; præteritorũ, satis id olim demonstrauit Hippocrates. Neq; enim dicere, quæ uis sit prçscientiæ, hoc loco, nisi obiter, statui: sed quibus est perspectum, quid ualeat, de præsagatione per pulsus, quæ mihi perspecta sunt, exponam. Quia uero bipartita est eorum disciplina, ut item remediorum: altera ex peculiaribus facultatibus eorum, altera ex ipso affectu: in utraq; operæprecium mihi uisum est exercitari, ut quocunq; proposito affectu eius in promptu habeamus pulsus. Rursusq; perpetuo qui pulsus, quos prodidi singulorũ affectuũ, breuiter admoneo, quibus soleant accidere. Si quis enim in utrisq; probe uersatus sit, ac meditatus singulos accurate pulsus dignoscere, hic demum eorum sit absolutã scientiam assecutus. Itaq; etiam qui recte uolet in hisce libris uersari, huic reuoluendum prius est, quod conscripsimus opus De dignoscẽdis pulsibus, ac ante illud, de pulsuum differẽtijs, ubi quot sint uniuersi, & qualis quisq;, atq; quod sortitus nomen, aperuimus. Tertium iam opus De pulsuũ causis est, quæ quidẽ hic omnia requirunt. Nã si primũ absit, nihil omnino quid dicat assequere, cum quæ nomina quibus rebus asignẽtur, non teneas prius. Secundũ uero si te lateat, omnis cũ eo huius cõmentationis fructus perit. Etenim ego si celerem pulsum, uel magnũ, uel uehementẽ, uel quẽ aliũ designare tradam certã rem præteritã, aut præsentẽ, aut impendentẽ, nisi eos norit lector in experiundo dignoscere, nec de præceptorũ poterit ueritate iudiciũ facere, nec ex illis unq; presagire quicq;. Tertia lucubratio, quæ causas docet, unde uariant pulsus, tum ad demonstrationem est his, quę dicenda sunt, necessaria: tum ad memoriam & reminiscentiam. Id quod etiam intelligemus apertius, proposito aliquo pulsu, uerbi gratia magno. Hic homo- B nymiam primũ distinguemus, quandoquidem bifariã dicit pulsus magnus. Deinde in utraq; attendemus significatione, quid annunciare præsens, uel præteritum, uel futurum posit. Quæ quidem significationes hæ sunt. Magnus uocatur pulsus, nunc cum moderato cõparatus & naturali: nunc cum quolibet. Iam quæ præsciunt ex utroq;, partim in cõmuni pertinent ad ambos pulsus, partim utriq; sunt propria. Ac uero iam omnia persequamur, exorsi à cõmunibus. Sane horũ in primis est procliuis inuentio, si retinueris, quæ in lucubratione De pulsuũ causis docuimus. ubi hæc demõstrauimus, causarũ non esse unũ genus eos alterantiũ: C sed unũ esse, continens, ut ita dicã, generationis: quod scilicet naturale est: alterũ contrariũ esse, ac est causarũ præter naturã. Inde tertiũ existit aliud, causarũ nõ naturaliũ. Atq; hęc referunt ad uerã illorũ essentiã & naturã. Aliud quartũ ad apparẽtẽ in specie: quod quia ꝓpriũ in primis est cõmentationi præsagiẽdi, diligẽtissime est explicandũ. Nã ex eo q̃ talis uel talis quisq; appareat pulsus, initiũ nobis datur præsagiẽdi. Atqui nõ apparet perpetuo is, qui uere est. De hoc etsi uerba iã fecimus in libro secũdo De pulsuũ causis ad exitũ libri: et etiã in tertio breuiter attigimus, ubi ageremus de gracilibus: tamẽ nũc quoq; paulo inferius declarabi- D mus, si prius de causis, quæ immutant pulsus, disseruerimus. Nõ posse pulsum mutari ullũ, in primo libro De causis pulsuũ demõstrauimus, nisi etiam effectrix eius facultas, uel tunica arteriæ, uel usus quamobrẽ fit, in aliqua sint mutatione et alteratione. Ita etiã in ꝓposita in magnitudinẽ pulsuũ mutatione quodnã de illis, aut quęnã immutata sunt, aduertemus: facultas'ne robustior sit (didicimus ẽm, eã, quantũ in ipsa sit, pulsũ maiorẽ reddere) an hęc eadẽ mãserit, mollis aũt euaserit tunica arterię. Siquidẽ hoc q̃q; accepimus, in magnitudinẽ, molliorẽ tunicã attollere pulsũ: si q̃ increuerit usus, ea mutatio inciderit. Ergo facultas si robusta sit, plane sit uehementior. posuimus autẽ maiorẽ duntaxat

xat factũ esse. Quòd si tunica tantũ arteriæ mollita sit, necessario mollior erit. Iam si neutrum appareat, clarũ est, nec facultatẽ, nec arteriæ tunicã immutatã esse. Restat igitur mutatũ aliquatenus esse & uariasse usum pulsuũ generandorũ. Quorũ esse docuimus usum duplicẽ. Primũ atq; maximũ, tutelam natiui caloris: alterum, animalis spiritus generationem. Sic nunc uoco, quo utitur anima ad functiones uoluntarias. Ac horũ omnino præter superiora, aliquid est mutatũ, ubi in magnitudinẽ conuersus pulsus sit. At uero si paruus fiat à natura flexus ob usum, sola perspicua erit magnitudo, nondũ aũt celeritas: si maior, increscet magis magnitudo, & clare celeritas apparebit. Si adhuc amplificabit, magnitudo celeritasq; augebunt, atq; accedet crebritas, ut planũ est ex opere De causis pulsuum. Quare pulsus si uariasse magnitudine uideatur (nam hoc nunc propositum est) necessarium est usum paululum esse immutatum. Sin autem nõ sit factus maior pulsus, sed uidetur maior, gracilius solito aliqua de causa euasit hominis corpus. His iam cognitis ad examinandum accedas, primum in corporibus simpliciter sanis, mox in ijs, ubi adiunctus est aliquis ascititius motus: postea, in corporibus, quę ægrotant tantũ: postremo in ijs, ubi alteratio quæpiam adest externa. In corporibus enim, quæ sunt sanitate inculpata, docebit magnus pulsus & temperamentũ hominis, & corporis habitudinẽ. In corporibus, ubi adiũctus est aduentitius status, illũ præpollere motũ, cui peculiaris magnus pulsus est. De omnibus hisce motibus, in opere De causis pulsuũ diximus. Nec aliter in ægrotantibus, siquidẽ ægrotant tantũ, indicabit magnus pulsus morbi calidum affectũ esse. Sin recens aliqua adsit alteratio, illum uincere motum, cui sit familiaris magnus pulsus. ut exempli gratia: in sanis qui pulsum magnum obtinent, ad moderatũ scilicet relatũ, ad memoriã est reuocandum, primum hoc quidẽ, qui sit in hoc genere moderatus pulsus, & qua in corporis natura. Ostendimus in secundo libro De pulsibus dignoscendis, in corporibus optime comparatis pulsum esse moderatum. non in his tamen perpetuo: uerum cum omni qualitate aduentitia corpus liberum sit, omniq; motu, quæ fiunt ex aliqua exercitatione, aut cibo, potu, balneis, medicamentis, animi affectu. Quare reuocandus est ad memoriam moderatus pulsus: & quẽ nunc inuenimus, magnus ut in cõparatione illius considerandus est, ex qua causa in magnitudinẽ increuit. Aut ẽm ex gracilitate corporis, aut ex calore temperamenti, aut ex ascititio motu. Cæterũ motus ascititij mox desinũt, permanent uero amplius ob gracilitatẽ & temperamentũ. Hac igitur ipsa re distinguẽdus est, alijsq;, quas dicã inferius. tantũ pręmonebo nõnihil, quod necessariũ ad omnẽ insequentẽ doctrinã est. Quod pręmonere institui, hoc est. Omniũ alterationum, quę corpori accidunt, certissimã assequimur in illis corporibus cognitionẽ, quorũ noscimus naturam. Quantũ enim à natura discesserint ob causas præter naturã, & illas etiã, quæ non naturales appellant, nulla poteris exacte inuenire alia ratione. Sed enim non cognoscimus hanc semper. quare nec in exactã ubiq; cognitionẽ ueniemus. uerum à cognitione absoluta tantum aberimus, quãtum ab naturæ distemus cognitione. At statuamus primum explorationem in hac disputatione institui hominis naturæ, hocq; habeat eximium unum, ut maior sit pulsus moderato citra ullã alterationem ascititiã. Hic homo necesse est sit homine optime natura cõparato, uel calidior, uel gracilior, siquam habemus priorum duarum lucubrationũ memoriã De dignoscendis pulsibus, & De pulsuum causis. Atq; huius quoq; duxi admonendum esse, in eiuscemodi omnibus orationibus, licet cõiunctione disiunctiua utamur uel, omnes tamẽ posse partes in unum conuenire: siue duæ, ut nunc, calor & gracilitas, siue plures uideantur, quę mutationem efficiunt. Ac pulsus quidem, qui absolute dicitur magnus, quem ad eum, qui absolute est moderatus, ostendimus cõferri, aut temperamentum, aut præsentem declarabit corporis statum. Qui uero magnus dicitur comparatus cum naturali uniuscuiusq; pulsu, etiam hic annunciabit aut calorem aliquem accessisse illius corporis statui naturali, aut gracilitatem. At uero mutationes pulsuum ex causa externa in hunc modum sunt discernendæ. Quæ ex balneis, cursibus, frictionibus, cæterisq; motib. fit, nõ est diuturna, sed mox ad pristinũ statum reuertitur. Itaq; tangendo pulsũ, iterumq; tangendo paulopost poteris in manifestã mutationis cognitionẽ uenire. Altera enim tactio, ut breuissimum interponat spatium, à priore uidetur diuersa esse. At magnitudo pulsuũ ex uino & cibo profecta, diuturna est. Hæc ex uehementia exploraẽ, quæ illi est coniuncta. Neq; enim his uehemẽs minus atq; magnus est pulsus. Nũc autem is positus est, qui duntaxat sit maior. Itaq; non est ab his immutatus, Iam etiam magnitudo, quam ira cõcitat, adiunctam habet uehementiam. quæ alioqui prudentem nõ lateat, si oculos respiciat uniuersumq; uultum. Quòd si quis reprimere iram & tegere uelit, fit inæqualis pulsus, magisq; inæqualis his qui anguntur, & uerentur. Porrò magnitudinis incrementũ, quod fit, cum semicocti in corpore humores cõcoquantur, alantq; naturam, perinde ut his qui cibũ sumpserunt, unà secum auget uehementiam. Haud aliter siquis in sole aut ad ignem calfactus sit: non solum non durat diu alteratio, uerum etiã cutis ijs est squalida, nec humida, ut erit à balneis. Atq; hi quidem, quod ad mollitudinẽ & humiditatem cutis attinet, contrà se habent acloti. Medium inter utrosq; locum sunt sortiti in cutis mutatione humiditatis ac siccitatis, fricti atq; exercitati. Iam uero etiã calor hic copiosior secundũ pectus est exercitatis et iratis, lotis parcior, adeoq; ad extremas usq; partes æquabiliter cum humiditate & mollitudine extensus. Sic etiã si inunctus homo interea fuit medicamento calido, inter tangendum mordacem calorem senties. quanquam fortassis, nec illita cuti ex medicamẽto pinguedo te fallat. Hi sunt artificiales modi causarũ dignoscendarum

scendarum, quæ in magnitudinẽ pulsum sanis & ægrotis cõuertunt. Externi sunt, partim per interrogationem, cum non scilicet apud inimicos, aut insidiatores, aut malignos tentatores cõsiderationem facitis: partim ex eo quòd non discesserit ab ægroto medicus, quos quidem optimos cõfirmamus esse dignoscendi modos. Nam qui fiunt, cum nõ semper ægrotis medicus præsto fuerit, neq; uerum illi declarare uoluerint, hi sunt difficillimi, & medicũ requirũt egregie prudentẽ. Etenim mihi usu uenit, cum reliqua distinxissem uestigijs illis, quæ cõmemoraui ante, ut restaret quærendum, an ægrotus medicamentũ calfaciens absentibus nobis sumpsisset, an ratione accessionis magnitudinẽ pulsus nactus esset. His uero tẽporibus undiq; explorãda est & obseruãda ueritas. Primus in illo genere scopus est, tempus accessionis. Deinde ægroti consuetudo & mores. Nam si alio tempore, non accessionis maior sit pulsus, à medicamento calfaciente probabilius est, quàm ratione accessionis incidisse alterationẽ. Sin accessionis tẽpore, uerisimilius est propter accessionẽ. Exploraueris autẽ exacte, si paulopost iterũ tetigeris. Nam si calor à medicamẽto processit, à quo auctus sit pulsus, diuturnitate magis semper ac magis remittet: qui uero ab accessione, increscet. Verũ hic modus dignoscendi pertinet ad artẽ. Huc notitia, quam consuetudo præbet & mores ægrotorũ, pro cumulo accedit. Quidã enim sunt insueti & abhorrẽt à medicamentorũ potione. Alij sunt adeo assueti, ut uiuere sine medicamentis non sustineant. Itaq; præsagatio sumptũ esse medicamentum calfaciens, in his, qui ab illis abhorreant, difficilis est. In ijs uero, qui sunt assueti, facilis. At uero mores etiam ægrotantis ad talem præsagationẽ non mediocriter intersunt. Quidam enim natura insidiant, & familiaribus imponũt, atq; elaborant, ut coarguant nihil quenq; firmi scire. Quidam simplices sunt, modestiq;, atq; omnia faciunt aperte, nec quicq; dissimulant, uel tegunt. In his nihil factũ clam suspicandũ est. Apud insidiãtes omnia habẽda sunt suspecta, ac circumspicienda sunt & distinguẽda, tum quæ propria artis ratione pertineant ad dignoscendũ, tum quæ extrinsecus adueniunt. Quod mihi fuit quondam necessariũ facere in homine diuite, qui gaudebat medicamẽtis, eaq; assidue sumebat. qui eo erat ingenio, ut libẽter argueret familiares nullius certæ scientiæ. Huius cum offendissem in magnitudinẽ pulsum increuisse, ab alijsq; omnibus, quas cõmemorauimus, causis distinxissem, ac una mihi maneret distinctio, utrum à calfaciente medicamento, an accessionis ratione febrilis, id accidisset (circa tẽpus enim erat febrilis accessionis) iussi, ut linguã mihi ostenderet: quam cum à medicamento conspexissem infectam, iterũ attigi eius pulsum, nihil de suspicione remittens. Interea occurrit mihi, medicamentũ me, cum uoluisset potare pridie, interdixisse. Itaq; homini dixi statim, eũ medicamentũ bibisse. Quod ille cum animaduertisset, à linguæ me colore conjecturã fecisse, alias iterũ pilulas paruas medicamenti fecit, quas deuorauit, ut lingua ne tingeretur. At hoc quoq; deprehendi eius cõmentum. Nam cum linguã inspexissem, ac tetigissem iterum pulsum, atq; reliqua, quę nuper exposui, discussissem, equidem suspicionẽ ad medicamentũ potissimũ cõuerti, rètraxiq; manum, ac iterũ paulopost inieci pulsui (noueram enim hominis peruersitatẽ) itaq; deprehẽdi factũ, nec dubitaui illi dicere. At tu medicamentũ mihi sumpsisse uideris. Ille constantissime inficias ibat, simulq; seruos, qui permanserant, appellabat testes: ego manum eius tenens, & pulsum tangens: Ergo, inquam, sustinebis conceptis uerbis iurare mihi, ut tibi dictabo? Ad hoc non prompte ille respondebat, ac arteriarũ habebat, ut in angore, inæqualem motum. Profecto, inquã, tu medicamentum plane sumpsisti, caue iures. Igitur aduersus istos quidẽ improbos, ingenuo opus est medico. At idiotæ fere non tantum medicis non renitunt in explicandis & explorandis causis externis, sed & adiuuant, ultroq; exponunt omnia. Sed de pulsuum nos incremento magnitudinis satis principia exposuimus: restat, ut orationis seriẽ persequamur. Quia non ad unum modum magnus pulsus dicitur: sed nunc ut ad moderatum, nũc ad quemlibet conferat: Ac cum duplex sit hic quilibet, aut minor moderato, aut maior, deinceps de magnitudinis incremento dicendum est utriusq; pulsus, minoris, inquã, eo qui mediocris est, eoq; qui maior. Cõmune igitur est magnitudinis incrementis omnibus solũ auctũ calorẽ esse, quo scilicet tẽpore nec facultas affecta sit, nec instrumẽta, ac immotus sit ægrotus. Proprium autẽ est deflexui eius à natura, unius magnitudinis incrementũ. Reliquorum duorum etiã celeritatis, nonnunq; crebritatis quoq;. Age uero, illius hominis pulsus, exempli gratia, quẽ modo reliquimus, cui facti essent maiores, offendamus amplius auctos esse, huic calorem etiã necesse est esse auctum, Siquidem incrementis omnibus magnitudinis hoc cõmune erat. Ac proprium præter cõmune, immutatã celeritatem esse. Ei si adhuc magis crescat magnitudo pulsuum, non celeritatem modo, sed iam crebritatem etiam. Ostendimus enim in primo libro De causis pulsuum sicubi paulo auctus calor sit, manifestũ magnitudinis incrementũ esse, celeritatis non manifestum. Si amplius crescat ille, non solum magnitudinẽ accumulabit, sed crescet etiã euidenter celeritas, præterea nonnihil acquiret crebritatis. Sic si augeatur plurimũ, & pulsuum usus generandorũ superet maximã distẽtionẽ, magnitudinem non auget, ubi auctus ad summũ sit, sed celeritatẽ cum crebritate, quantũ potest, accumulat: ac ubi augeri celeritas amplius nequeat, concitat crebritatẽ. Iam alius sit ægrotus, cuius nec facultas, nec instrumenta læsa sint, sed minorẽ iusto pulsum habeat. Deinde hic quoq;, remoto externo motu, maior fiat: huic iam liquido dixeris ampliorẽ nũc calorem quàm dudum esse. Ac in eo quidem cõmune habebit cum bis iam cõmemorato responsum. Proprium aũt habebit, non ex paruo tantum pulsum in magnitudinẽ increuisse. fieri enim nõ pos-

sit, nisi simul tardior rariorq; fiat, ut minor unquã isto reddatur: sed nec maiorẽ tantum fieri potuisse, nisi etiam fieret celerior & crebrior. Nam affectum, in quo pulsus plus iusto imminutus sit, raritatem etiam et tarditatem complecti, perspectum illi est, qui eorũ meminit, quæ docuimus in libro primo De pulsuum causis.

Pulsuum commutatio in paruitatem. Cap. II

His ergo relictis, de pulsuum commutatione in paruitatem consideremus, cuius item sunt tres numero differentiæ. Aut enim ex naturali & moderato, quem uocant, aut ex maiore quàm hic sit, aut ex minore mutationes in paruitatem cõtingit fieri. uocatur autem qui moderato maior est, absolute magnus: qui minor, paruus. Exordiamur igitur hic de integro ab ijs, quæ in his cõmunia sunt, deinde iam ad propria sigillatim nos cõferamus. Statim enim cõmunis cõmentatio complectitur propriorum inueniẽdorum uiam. Sit pulsus cuipiam homini minor ꝗ dudum, mutatione præditus pręterea nulla ullius generis: tum quæratur, quomodo nuper affectus esset, atq; quomodo nũc. uia inquirendi hæc est. Minor solito pulsus fit, aut cum imbecillior facta sit facultas, aut instrumenta duriora, aut usus exolutus. Sed enim, nec imbecillior facta nunc facultas est, alioquin omnino coniuncta sit cum paruitate remissio. nec corpus durius arteriæ. Neq; enim tum minor tantum, sed & durior pulsus esset. Superest ergo solum alteratũ esse usum: ac si id temporis quietus homo fuerit, quantitati perfrigerationis quantitatẽ respondere mutationis. Iam uero ex maiore, ꝗ naturale sit, pulsus eam mutationẽ accidisse, norunt, qui retinent demõstrata in primo libro De causis pulsuum. Nam de naturali statu ob frigiditatem mutatio ad paruitatem, simul etiam rariorẽ eum atq; tardiorem reddit, & moderati imminutio ex magno supra modũ aucto, statim aufert & celeritatis aliquid & crebritatis: ꝙ qui multũ ultra modũ sit auctus, tribus in generibus uariet. Quamobrẽ qui magnitudinẽ tantum imminuit pulsus, & reliqua seruat immota, hic est qui paulo maior sit iusto. Hic enim solus ex paruo caloris incremento cõstat. Reliquorum qui in magnitudinem mutantur, nisi simul celeritatem assumat, uel crebritatẽ, talis euadit nullus. Quare nec quisquam præter hunc alius magnitudinem deminuet. Qui enim huius accepit solius incrementum ex calore, unam eam ex refrigeratione imminuet. Qui uero hactenus est alteratus à calore, ut non magnitudinem modo, uerũ etiam celeritatẽ & crebritatem immutet, contrariũ iter per easdẽ genere alterationes tenebit. Ita non modo minor, sed & tardior erit ac prius, rariorq;. Pari modo mutatio in minorem ex moderato, & mutatio quoq; ex hoc in eum, qui minor etiam sit, continuo rariorem solito & tardiorem efficit pulsum. Siquidem mediocritatẽ habet quandam distẽtionis pulsus hominũ naturalẽ statum tenentiũ, quã, si calidius, aut frigidius solito euaserit corpus, necessario amittit. Non idem tamen amissionis modus est. Nam cum calfit, magnitudo planè prima, mox celeritas, inde crebritas accedit. Contra cum refrigeratur, raritas manifeste prima, altera tarditas, postrema paruitas. De his abunde in primo libro De causis pulsuũ diximus: quo minus hic iam immorandum est. Itaq; seriem orationis persequamur, ac secundum cõmemorata, explicemus causas, quæ refrigerarunt, quæ totidem genere sunt, quot illæ quæ calfaciunt. Aer etenim frigidus, qui foris occurrit, & aqua frigida, uel balneũ, uel medicamentum corpori inunctum refrigerat. Quin etiam longa quies, & ueluti latebræ corpus refrigerant. Præterea quæ intrò recipiuntur, ut aer respiratione attractus qui frigidus sit, cibus pituitosus, medicamentum natura frigidũ, aquæ frigidæ immodicus usus. Ex animi affectibus, metus diuturnus. Ex contentis in corpore humoribus, qui frigidi tẽperamento cum antea quiescerent, nunc commoti sunt, aut omnino tenuiores quodammodo calidis facti sunt. Hæc separatim ita possunt distingui, ut de calfacientibus causis diximus. Neq; ẽm, ut de similibus bis dicamus, sit operæpreciũ. Atq; pulsuũ in magnitudine & paruitate mutatio abs talibus & tot causis gignitur, quod certe ad naturam pertinet ipsius rei, quando quod ad nostram attinet cognitionẽ adhuc desideret aliquid. Sæpe enim arteria, quod in se est, maxime distendiť, sed occultatur magnitudo distentionis, uel interpellatur à numero, uel crassitie, uel duritie circũiacentiũ corporũ, uel obiectorũ. Hæc enim essentia magnorũ, uel paruorũ pulsuũ in arteriæ circulo cõsistit, ubi longitudo perpetuo par est. at non tamen apparet par, sed delitescit quędã eius pars. De quo quidem etsi iam secũdo in libro De causis pulsuũ exposuimus, nihilo minus quod ad propositũ interest, reminiscentiæ gratia exponemus.

Dimensiones distentionis non semper tantæ apparent, quantæ sunt. Cap. III

Arteriæ altitudo semper æqualem latitudini distentionem habet, sed fit ut occultetur, aut arceať sæpe à corporibus circũiectis & oppositis, uel uniuersus motus, uel certe eius quædã pars. Ac pars illa, quæ arcetur, aut in profunditate magis, aut in latitudine, aut simul in utraque similiter apparet. Cum ergo non percipiatur nostro quidem tactui motus, atq; hoc per totum animal accidat, ut nulla usquam arteria uideatur moueri, uocatur is affectus ἀσφυξία, hoc est priuatio pulsus. quæ quidẽ, si ad ueritatem exigas, in corpus nunquã uiuũ cadit. Neq; est enim unquam, quin cor unà cum arterijs omnibus agitetur. At si referas ad nostrum tactũ foris iniectũ, reperiať sanè frequẽter. Obiecta enim arteriarũ corpori sunt, omnino certe mẽbranæ, & cutis, multis etiã locis adeps, atq; caro. à quibus usu uenit pulsui, ut non occulteť modo, sed & impediatur. Ac sic quidem, si motus occultetur omnis, atq; in omnibus id partibus accidat omniũ arteriarũ, ἀσφυξίαν appellant affectũ. At si quibusdam in partibus uideantur moueri, in quibusdam non uideanť: hic differentiã in longitudine habẽt pulsus. Et nimirũ uocantur longi, quibus sensibilis motus lõgitudo naturalẽ excedit: breues, qui-

bus

bus infra naturalē statū est. Quibus par est naturali statui, moderati. Tantū eñ animaduertitur semper de motu arteriarū, quātum opposita corpora permittunt. quamobrem fit, ut corpulenti pulsus breues habeant, graciles uero longos. Et quadratis moderatisq; esse uident moderati. Iam etiā apparentis motus his non semper ęque, ut profunditas, impeditur latitudo. Verū ubi arteriarū regiones in obliquo, uel adipis, uel carnis, uel uaporū, uel humorū plenę sint, ac incumbens superne cutis nihil eas oneret, latitudinis tantum obscuratur motus: ac magis, si uehemens pulsus, & magnus, quantū in ipso est, sit. Cum uero regiones uicinæ sunt mūdæ, rugosa aūt quæ eas tegit cutis, magis profunditatis motus latet in eo corpore, ac potius, si nō uehemens pulsus & magnus, q̃d in eo est, sit. Si ergo pulsum inuenias longiorem iusto, si quidem unà latitudo eius, & profunditas increuerit, uide gracilior homo solito, an calidior euaserit, remoto aduētitio motu. Nā si factus gracilior sit, idq; tanto, quanto est pulsus maior, unum hoc tantū eum immutauit: sin aūt non tanto, non hoc modo est causa, uerū etiā calor. Quòd si in eadem cōstiterit corpus habitudine, solus mutatus est calor. Sin crassior euaserit, duplo auctum æstima calorem. At quanā de causa sit auctus, explorādum ex illis est, quæ exposuimus. Sin longior factus pulsus sit, & latior, non uero perinde profunditate auctus, sed permaneat moderatus, præter superiores notas, hoc illi etiā extra ordinē necesse est adsit, rugosiorē euasisse superne arteriæ incūbentē cutē: ac si conuertas membrū, ut quæ eius pars modo superior erat, nunc sit inferior, nulla tū profunditas re uidebit impedita. Atq; hi quidē duo pulsus in primo lib. De eorū differentijs omnium primi inter uigintiseptem pulsus in tabellam sunt relati, quā de illis fecimus, qui constant externis simul dimensionibus quantitatis distētionis. Ab his descriptus tertius est, qui lōgitudine & latitudine excellit naturalē, ac in profunditatis dimēsione est humilis, qui sanè est infrequēs. Fit eñ, cum arteria magnopere obiectorū corporū mole oneratur: id quod nunquam eueniat, nisi facultas simul imbecillior sit, & summe mollis tunica arteriæ: quorū illud imbecilliorem iusto, hoc molliorem pulsum efficit. Itaq; cū his quidē erit aliquando longus, simul, & latus & humilis. alia ratione nunq; fiet. Immo uero etiā cum uideatur talis, ne tum quidē procul à natura, nec ad humilius, nec ad latius deflectit. Neq; eñ ad summum arteria in profunditate grauet, & in latitudine nequaquā. Neq; item plurimū ascendat altitudo, prorsus uero contrahat in angustū. Etenim ferè fit ut plus altitudo crescat, præsertim, si uehemens sit pulsus: at non hactenus tamen, ut idē altissimus simul & angustissimus sit. Quod si hic quoq; membrū inuertas, ut quæ modo partes superiores essent, sint nunc inferiores: & profunditatis eorū dimensio incremētū habebit, nec uidebit amplius humilis: sed ut longus & latus, ita etiā erit altus, quod est, magnus. Nā qui tribus est dimensionibus auctus,

A magnus uocat. Proinde distinctiones in hoc sunt adhibendæ præter has, quas nunc exposuimus, etiā illę, quę in primis omniū sunt adhibitæ. Iam illud quoq; est animaduertendū, ecquid de latitudine simul detrahat, cū inuersum sit mēbrum. Etenim hoc fit nonnunq;, demonstratq;, quanto antea ultra proportionem profunditatis dilataretur uas.

Iam quartus, qui longus simul, & altus, & in latitudine est moderatus, q̃d ad se attinet, latus est æque ac altus: sed quia in obliquo restringit arteria, ideo sic eius motus impeditus est. Omino eñ, ubi latitudo profunditatis proportionē excedat, aut profunditas proportionē latitudinis, altera impeditur earū aut propter multitudinē, aut crassitiem, aut duritiem corporū obiectorū, quæ interposita sunt inter arteriam & admotū tactū. B Et hercle etiam rugositas numerū impositorū corporū auget, rugis cutem conduplicans. Itaq; is pulsus aut cum uere magnus sit, secundum latitudinem obstaculum habet: aut cum uideri in macilento corpore magnus possit, non uidetur tamen, q; una dimensio eius sit restricta. Qui quintū in tabella locum habet, lōgior iusto, in reliquis aūt duabus dimensionibus moderatus, graciliorem annunciat solito hominem esse factum, & pulsum, quantū in eo est, iusto minorē. Quando enim longus pulsus, aut ob propriam suam magnitudinē, aut propter tenuitatē uideatur eiuscemodi esse: nunc uero non appareat talis ex magnitudine esse: esset enim simul altus & latus, aut alteruter certe horū: C restat, ut per maciem factus sit longus. Cæterum cū graciliores habere uideātur pulsus iusto maiores, planè pulsus, quod ad se pertinet, angustior æquo est & humilior: itaq; etiā minor, quod ad se attinet. Qui sub hunc scriptus est, sextus, puta longus, & humilis, atq; latitudine moderatus, cū de causis ante expositis minor sit iusto, quantū in eo est, ob gracilitatē apparet longus esse. Sed hoc cōmune cum quinto habet, propriū aūt hoc peculiariter, profunditatē ob causam paulo ante memoratā esse imminutā. Septimus in tabella pulsus erat longus pariter, & angustus, altusq;, qui uideri, perinde ac omnium primus, magnus posset, nisi sit restricta latitudo. Cætera hic ita ut in primo omniū sunt discernenda. Et etiam quæ in tertio explicauimus, ea sunt in hunc locum conferēda, D non frequentē scilicet hunc pulsum esse, neq; cū incidat, plurimū moderatū altitudine superare, & inferiorē latitudine esse. Ab illo octauū, longum unà, & angustū, & moderata profunditate, natura quidē esse paruū ex ijs cōstat, quæ in quinto iam retulimus. At quia macuit corpus, longior uidetur. Eximium uero hoc præter quintū habet, quòd constrictam hic arteriā latitudinis angustia declarat. Nonus pulsus, longus, angustus, humilis longe etiā magis ostenditur sua natura esse paruus: uerū uideri per marcorē corporis lōgus. ferè adiuncta illi remissio est, duritiesq;. Qui si neq; durus sit, neq; admodum languidus, ab refrigeratione gignitur. Itaq; nouē, quos nunc percurrimus, pulsus omnes longitudinem habēt æquo longio-

rem, duabus differentijs reliquis uariant. Nouem proximi longitudine moderata sunt, profunditatem autẽ & latitudinẽ immutant. Ac decimus quidẽ, qui altus simul, & latus uidetur, uno in homine si cũ moderato comparetur, nunq; existat: nisi quãdo (id quod rarum est) omnino arteria de sede sua migret. Sin autem cõferatur ad eum, qui est absolute moderatus, potest incidere, ac causa eius generandi in proprietatem conformationis confertur. Siquidem symptoma arteriæ est, quæ sub profunda carne utrinq; occultetur, sed in media parua parte sublimis extet. Vndecimus, qui una re differt à superiore, ꝙ profunditatem moderato parem habeat, pro cumulo causam demittendi huius habet adiunctã. Cætera cum decimo conueniunt. Duodecimus, latus, humilis cum moderata longitudine inuerso fit membro. Aut enim undequaq; uidebitur moderatus, aut magnus. Ac si omnino uideatur moderatus, altitudinem declarabit prius nonnihil compressam esse, productam que ob mollíciem arteriæ latitudinem. Sin magnus, plurimum, fuisse compressam altitudinem. Decimustertius altus, idemq; dimensionibus duabus reliquis moderatus, perinde ut decimus, et ex naturali conformatione conficitur, & etiam ex naturalis sedis mutatione. Eximiũ autem habet præter illum latitudinis angustiam. Decimumquartum, qui omnibus tribus dimensionibus moderatus est, omnibus apertum est referre naturalem. An uero sit par reuera naturali, exploratur ex corporis habitudine. Nã macrior si iusto sit, sic, cum sit pulsus sua natura minor, par apparet moderato esse. Sin crassius æquo sit corpus, pulsus tũ de sua quidem natura, magnus est: sed quòd per corpulẽtiam coerceatur, esse moderatus uidetur. Quòd si nec ad gracilitatem corpus, nec ad corpulentiã deflectat, moderatum in eo non solum repræsentari pulsum, uerum etiam necesse est esse. Sanè demonstrauimus in secũdo libro De pulsibus dignoscendis, cæteros pulsus ad hũc omnes relatos, magnos, paruos, longos, breues, latos, angustos, altos, humiles appellari. Quintusdecimus, qui humilis profunditate est, reliquis duabus dimensionib. moderatus, omnino similis superiori est decimoquarto, præter quòd huius compressa est profunditas. Proinde quæ illic prius exposuimus, ea duces hic quoq; dicta esse. Hoc uero est in hisce omnibus memoria tenendum, non amplius conuerso mẽbro uideri humilem. Sextusdecimus, qui moderatus est longitudine, angustus, altusq;: aut ex conformationis proprietate fit tali natura, aut ex latitudine compressa arteriarũ in obliquũ.

Septimumdecimum, qui est moderatus longitudine & profunditate, in reliqua dimensione angustus, in obliquo contractum esse, declarat moderata profunditas. In reliquis omnibus decimoquarto & decimoquinto respondet. Octauusdecimus, qui longitudine moderata est, & angustus, humilisq;, sua quidem natura paruus est. Videtur aũt esse ob gracilitatẽ moderata lõgitudine. Breuiter eñ cũ præter profunditatis proportio-

A nem & latitudinis extensa longitudo sit, significat corporis gracilitatẽ. nõ tamen, ubi contracta præter proportionem profunditatis est, corpulentiã denotat: sed uel naturalẽ quampiam cõformationem, uel sitũ arteriæ inæqualẽ. Nonusdecimus, breuis, latus & altus, aut ob conformationis proprietatem, talis natura uidetur, aut ex affectu arteriæ in situ distortæ. Vigesimus iam alijs duabus dimẽsionibus similis est nonodecimo, sed profunditate est moderata. Hic habet hoc præcipuũ, impeditam suam altitudinem. Vigesimusprimus, breuis, latus, & humilis præter easdem causas, etiam illas adiunget sibi, quæ latum simul & humilẽ efficiunt pulsum. Ad eundem modum uigesimus alter, breuis simul, et altus, atq; latitudine mo

B derata assumet ad easdem causas, eas, quæ moderatum latitudine creant humilemq; pulsum. Sic etiam uigesimustertius, breuis ille quidem longitudine, uerum dimẽsionibus duabus reliquis moderatis, ad easdem causas reducetur. Vigesimus quartus sortietur præter easdem causas extra ordinem causam, quæ altitudinem deprimit. Ad eũdem modum proximi duo ad antedictas referentur causas: ut memoria teneamus, in quibuscunq; pulsibus cedat longitudo proportioni latitudinis & profunditatis, in his causam, aut naturali cõformationi, aut arteriæ peruerso situi esse attribuendam. Demonstrauimus porrò, ubi latitudinis, uel profunditatis proportionem longitudo uincat, aut obsistere alteri earum solam angustiam, aut au

C ctam etiam alteram esse. Atq; obstaculũ frequens esse, incrementum rarũ: in latitudine, ubi per mollem arteriæ tunicam degrauetur altitudo, simulq; nec uehementem esse eiuscemodi pulsum: in profunditate uero, ubi cogatur latitudo, & pulsus uehemens simul & magnus ex sua natura sit. Reliquus est post omnes uigesimusseptimus, breuis, angustus, humilisq;. qui utiq; paruus, uel apparet esse, uel sua natura est. Ac quæ quidem in omniũ primo distincta sunt magno, eadẽ sunt hic quoq; distinguenda. Si naturaliter comparata corporis sit habitudo, hic pulsus nõ modo uidetur paruus, sed etiam est uere. At cum crassior sit, si quo homo euasit seipso crassior, hoc sit pulsus minor, erit tum quidem, quod ad ipsum attinet, moderatus:

D sed per corporis crassitudinem minor uidetur moderato. Si lõge sit crassior, ꝙ pulsus minor, is pulsus, quantũ in ipso est, mediocri erit maior. Sin autem minus sit crassus, ꝙ paruus pulsus, hic, si eius naturam spectes, minor erit naturali. Quòd si gracilius corpus sit, quàm uideatur pulsus paruus, is sanè est natura paruus, sed non perinde uidetur paruus, ac uere est. quòd corporis gracilitas quatenus decessit de natura, hactenus ei magnitudinis addit speciem. Quæ de paruo & magno pulsu adhibita distinctio est, eadem in alijs est adhibenda omnibus: sciendumq; illorum quemq; uel paruum esse natura, uel magnũ, uel moderatum. Ac tres hi pulsus in quãtitate distentionis positi sunt, quod attinet ad ipsius rei naturam. Videtur uero esse uiginti septem ob crassitudinem uel gracilita

tem

tem corporis, uel ob cutem rugosiorẽ, uel regionum arteriarum inæqualem angustiã, uel proprietatẽ conformationis. Itaq; unumquemq; oportet, qui non inania uerba ambit, sed ipsa opera studet meditari, omniũ memorem, quæ iam percurri, simul atq; aliquẽ animaduertat pulsum, qui in quãtitate consistit distentionis, primũ qui sit de uiginti septem attendere: deinde ubi ab eo, quæ ex uicinis corporibus oriuntur, alterationes secreuerit, indagare, an moderatus sit, an magnus, an paruus: postea status, qui talem genuere. Siquidem docent hi & præterita & futura. Vt in longo, & angusto, & humili. Nã exempli gratia in hoc, quod dico, docebimus. hunc quantum in ipso est, liquet paruum esse, ex eo quòd eius imminuta est circularis dimensio, & aucta dimensio longitudinis. Si B enim duabus de causis minor circulus distentionis apparet, ob corpulentiam, & quòd minor re-uera sit pulsus: nunc autem abest corpulentia: sanè enim non solum longitudo non creuisset, sed etiã imminuta esset: planũ est pulsum sua natura esse paruũ. Cum igitur remota sit lõgitudinis species, quã contraxit ex corporis habitudine, cum de sua natura paruus sit, uideamus iã quanã de causa sit factus paruus. Hic plurimi interest, nosse paruitatis quãtitatẽ & longitudinis. Aut eñ paulo est naturali minor, aut multo, aut, ut ita dicam, modico. Sic etiam in longitudine, aut parum, aut modice, aut lõge naturales superat. Iam altera ex parte ad maximã longitudinem producatur, etiam ad maximam deueniat paruitatẽ, id est, angustus & hu- C milis sit: hic pulsus natura longe est q̃ apparet minor, sed eam quidem ex nimia gracilitate comparauit speciem: ut uero sit natura minor, ex causis quę efficiunt minoribus, frigiditate, imbecillitate, duritie. At quæ tandem causa est uel causæ inter has, unde pulsus, qui nobis nunc cernitur, longus, angustus, humilisq; generetur? Declarauimus quidem ante: signum esse perpetuum arteriarum duritiei pulsum durum, infirmæ facultatis languidum. qui etiam remissus, & imbecillus uocatur. ut qui ei est contrarius, uehemens, contentus, ualidus. Verum sciendum & hoc est in hoc pulsu, necessario eum languidum esse. Nunquam enim ualente facultate paruus ad summum pulsus fiat. At duritiem nihil est necesse coniunctam esse. De D frigiditate uero non absolute est statuendum. sed illud primum nosse oportet, interesse, cor unà esse cum arterijs refrigeratum, & refrigerari. ac quòd refrigeratum esse, læsam esse facultatem sit: refrigerari autem, mutari usum. Hic animo mihi opus est planè attento, sciendumq; non modo ad præsagationes ex pulsibus, sed ad alias etiam pene omnes eo nihil esse conducibilius. Procedit autem uniuersus hic sermo ex cognitione essentiæ facultatis, quam in commentarijs De causis pulsuum, quòd operæpretium nõ esset, præteriuimus: hoc loco, quia ad exacte intelligenda ea, quæ posthac docebimus, hãc refert nosse, uisum mihi est illam exponere. neq; hic tamen cum suis demonstrationibus (quippe alio eam loco prosecuti latius su-

A mus) sed quantum summatim explicatum ad institutum nostrum conducat.

De essentia facultatis. Cap. IIII

Facultatis essentia singularum partium, in singularum illarum posita commodo temperamento est. Nam tum demum suum quæq; munus obit strenue, ubi sit temperatissima. Contra male fungitur, si intemperata sit: atque hactenus male, quatenus sit intemperata. Ad eundem modũ cordis corpus, cum immodice refrigeratum sit, calfactum, humectatum, desiccatum, pulsus pro suæ intemperiei modo facit languidos: id quod illi est offensam facultatem esse. At uero cõsuetudinem cum sanguine habere in ipsius contento sinibus, & cũ spiritu qui calidior longe ac naturalis status requirit, sit: aut cũ eo spiritu, qui in inuolucro cor ambiẽte est, aut cum ipso etiam inuolucro cor ambiente, et pulmone, usum est tantum uariasse citra offensionem facultatis. Eandem habet rationẽ refrigeratũ esse & refrigerari. ubi in ipso cordis corpore temperando prępolleat elementũ frigidum, læditur facultas. Sin in tunica cor ambiente, & in pulmone, & sanguine, spirituq;, quos eius uentriculi continent, usus est exolutio. Iam humiditates & siccitates, si in ipso corpore cordis consistant, nocent facultati: si in quopiam uicino, non immutant usum. Siquidem proba temperatura & intẽperies ex quatuor fiunt elemẽtis. Vsus uero incrementa uel remissiones ex calido & frigido duntaxat. Vbi iam ad ultimam usus dissolutionem deueniat corporibus uicinis cordi uehementer perfrigeratis, non poterit etiã cordis corpus non intemperatũ esse: id quod nihil est aliud, q̃ debilitari facultatem. Quamobrẽ non fieri dicebã posse, ut de frigiditate uno uerbo pronunciarem. Neq; ut sola prostrata facultate, uel induratis solum instrumẽtis, pulsus interim minor fit: ita etiam ob solam frigiditatem, quomodo nũc diximus, non accepta perfrigeratione de usus exolutiõe. Neq; eñ eo unquam, cor, ut perfrigeretur uehemẽter, deueniat, nisi sit ipsum perfrigeratum. Quid dico, intelligas clarissime, si eos qui in itinere ex ingenti frigore obeunt, cõsideres. Omnes eñ simul ut frigidum expirant aerem, pulsum quoq; minorem habent, minimum tamẽ illorum prius nullus, q̃ ad extremã perfrigerationẽ sit perductus, obtinet: ubi nõ tantum usus est immutatus generandorum pulsuum, quod aderat à primo illis: uerum etiã, quia perditur iam naturale cordis & moderatum tẽperamentũ, debilitatur facultas. id quod solet plerũque ijs subito accidere, non, ut in alijs affectibus, paulatim. de quibus est unus, quem hoc loco habemus in manibus, per quẽ pariter & longus pulsus apparet, & angustus, humilisq; in longis morbis. Qui enim ita habent, in periculum hi non minus pręsens ueniũt, q̃ illi, qui in itinere decedunt: non repente his tamẽ paruus pulsus, sed pedetentim uenit marcescẽtibus. unũ etẽ marcoris hoc genus est, quod Philippus seniũ ex morbo appellat. Nam nõ ex frigiditate torridus marcor, cæterũ ex facultatis sola imbecillitate imbecillos pul-

sus & paruos creat. Separatur à priore, motus uelocitate & crebritate & duritia caloris & feruore. Verum de his non est huius disputationis differere, sed ad institutum reuertor. Longus, angustus, humilis & pulsus cum longius ab natura trinis dimensionibus discesserit, si talis citra duritiem appareat, à quibusnã procedat & quot causis, abunde aperuimus. At ubi cum duritie coniunctus est, una iã huic adest uel languidus pulsus, uel medius inter lãguidũ & uehementẽ: qui nec euertat tactũ, nec ab eo euertat: ut memores simus, nullum alioquin inter lãguidũ & uehementẽ mediũ esse. declarat aũt in corpore is affectus esse, qui reddit arteriam duram. Hæc est siccitas, uel constrictio à frigore, uel tensio. Siccitas quidem in ardẽtissimis febribus, ubi praue producuntur, pręcipue ex torrido marcore, certis & melancholiæ & quartanæ febris generibus. Cõstrictio ex frigore fit per frigidæ intempestiuũ potum & immodicũ, uel per balneas similes, ex refrigerantibus itẽ pomis intẽpestiue ingestis, uel præter modũ: deniq; ex ijs, quæcunq; multũ solent frigidæ pituitę gignere, quem Praxagoras uitreum succũ solet appellare. Tensio ex conuellentibus affectibus, & ingentibus inflãmationib. Ex scirrhis uero constrictio arteriarum atq; tensio nascitur. Quod quidem accidit potissimum ex iocinore & liene, ex his enim uisceribus pulsus apertissime uident & perpetuo duri scirrho præsertim affectis: & uero etiã in magnis inflammationib. Sed tactu eiusmodi affectus deprehendent, & per urinas, & alui excremẽta, per uniuersi corporis deniq; colorẽ & linguæ. Iã etiã per febriũ genus. Qui porrò alij corporis affectus pulsum creant durũ, partim originem ex recentibus offensionibus repentinam trahũt: reliqui omnes pedetentim. Offensiones, quæ inducũt eiuscemodi affectus, sunt uini potio intempestiua, & aquæ frigidæ. Sæpe etiam poma refrigerantia, & frigidum balneum. Deprehendes noxam à uino illatam, cũ subito pulsus non durus modo sit, sed maior etiam, & celerior, & uehementior. Cæteras à uino in communi discernes, quòd nec magnitudinem adiunctam, uec uehementiam, nec celeritatẽ habeant. Singulas seorsum, nunc clarius, nunc obscurius & per coniecturã. Clarius, ubi symptoma aliquod cõsequatur, quod pomis solet succedere. Inflatio uẽtris, inquam, aut mordicatio corruptorũ, aut stomachi aliqua cõpressio, aut deliriũ, ut à pomis uinosis: aut uomitus, aut alui deiectio humidior & largior. Hæc scilicet non per signa, sed ipsam aperte demonstrant, substantiã comestorũ. Quòd nisi horũ quid adsit, nec à uino signorum, aqua frigida est quæ offendit, uel pota, uel intẽpestiue in ipsa lotos. At uero ut hæc securius omnia confirmare possis, metuentiũ & angore correptorum pulsus magno indicio sunt. At si prius dictis postea hoc semper addas, ægrotũ aliter ac præscriptum sit, fecisse, magis confirmatam præstabis & suspiciendam prædictionẽ, ut subinde fidem astãtes non habeãt, nec ex pulsibus credant tale quid dictum esse, sed consciorum aliquẽ detulisse ęgroti peccatum. Tangendi autem accurate sunt pulsus, deinde quod indicant signa proferendum, ac tum denuo sunt tangendi, animaduertendũq; ecquid ægrotus cõmotus sit. Qui si omni sit perturbatione liber, uide nũ quod commemoratorum signorum aut omiseris, aut parum probe perpenderis. Si uero sit perturbatus, atq; uideatur angi uel uereri, caue mox signo adhibeas fidẽ. Frequenter enĩ fit, ut nõ, quò conscij sibi talis admissi sint, angãtur ægroti: sed quòd ita ferè sint cõparati, ut statim expauescant. At his mox pulsus consistit. Qui uero planè in culpa sunt, quàm tu diu de eo confirmes quicquã, tam diu metus proprius pulsus apparet. Atq; peccata, quæ hactenus exposuimus, omnia aut inflãmationibus, aut scirrhis, aut siccitatibus, aut uiscerum per frigiditatem cõstrictionibus augendis, alterationem, quã diximus, inducũt. Neruorũ uero originẽ si quid occupet tale, affectum conuulsiuũ creat. Sic appello illos affectus, qui ante mortẽ necessario conuulsionis aliquod habent symptoma. Qui quidem moriũtur omnes etiã calidi, contra ac illi, qui corripiunt syncopa. hi enim uehementer etiam frigidi uiuunt adhuc. Quibus uero neruorum propaginem occupauit conuulsiuus affectus, cum planè iam expirauerunt diutissime permanent calidi. Horum pulsus omnium statim primo occursu exercitatis in tangendo tensionem produnt, & motum ueluti conuulsiuũ detegunt. Quòd si quis, cui cõmemoratus pulsus est, ab aluo plura deijciat, id quod euenit ex iocinoris scirrhis, non amplius hi habent pulsum longũ, sed aut moderato assimilem longitudine, aut etiã breuiorem. Iam hoc quoq; in omnib. duris pulsibus pariterq; paruis operæpretiũ est nosse, citissime uibratos eos effici: & qui uibrati non sunt, uel de uitalis facultatis imbecillitate, uel de exolutione usus, uel amborũ concursu nõ recipere illos eũ motũ. Nam siquidẽ usus magnã distẽtionẽ postulet, uisq; efficere uitalis ualeat, sed unũ refragetur corpus arteria, quod attolli in magnam distẽtionem per duritiam nequeat, uibratio in eum statũ incidit. Nulla præterea ratione fiat arteriæ uibratus motus. Quocirca hic pulsus, qui uidetur uibratione uacare, aut extremam imbecillitatem facultatis, aut exolutionem usus declarat maximam. At uibratus si sit, uigoris continuo nonnihil annunciat facultatem obtinere, nec pulsuum usum generandorũ semel esse dissolutum. Nec uero deuenit ad maximam paruitatem, sicuti diximus propositũ pulsum facere. Ad eũdem modũ si pulsus citra uibrationem lõgior iusto sit, angustiorq; et humilior, non longissime tamen de natura in singulis his diuerterit, sed aliquantũ: attendendum est, durúsne sit & nõ uibratus, an planè duritia liber sit. Si enim durus sit, sed absq; uibratione, frigiditatẽ, uel facultatis imbecillitatẽ indicat, uel utranq; simul. Hæc discernito ex consequentibus. Nam cui talis pulsus ex sola perfrigeratione sit, statim adiũctam tarditatẽ habet, raritatemq;. Cui ex imbecillitate facultatis, sociã sibi remissionẽ habet. Quòd si iam usus constet immotus, tanto erit pulsus celerior

rior naturali & crebrior, quãtũ à modo deflexerit paruitas. Sin autẽ quo facultas sit imbecillior, eo dissolutior usus sit, pulsus esse similis in utraq; differentia moderato uidebitur, nec celerior, uel tardior, uel crebrior, uel rarior. At si excedat alterũ, pro excessus ratione, sicut ante est dictum. Si uero simul & durus & uibratus sit, significabit eosdẽ affectus, à quibus diximus supra durũ pulsum cõstitui: uerũ non imbecillam facultatem tamen, ut in illis: neq; dissolutũ usum. Quanta uero utriusq; sit noxa: in facultate, declarabit uehementiæ & remissionis differentia, unà cũ quantitate uibrationis: in usu, differẽtia celeritatis & crebritatis cum uibrationis item quãtitate. Reliqua ex antedictis etiã cõijcito. Haud aliter si nõ paulũ, nec multum tribus differẽtijs de natura deflectat, sed sic mediocriter & medio modo, ex dictis discrimina notato. At sæpe in eiuscemodi pulsibus, ijs dico, qui pusillã à natura in longitudinẽ, angustiã & humilitatẽ habent mutationẽ, non modo nihil animaduertitur duritiæ, uerũ mollitudine etiã præditi sunt insigni: id quod & huic accidit de causis genere ijsdẽ: uariatur autem quantitate in singulis. Siue enim propter facultatis imbecillitatem minor moderato pulsus fiat, facultatis ostẽditur maior offensio: siue propter exolutionẽ usus, maius & huius esse uitiũ. Quo enim tunicæ mollitudo ad distentionis magnitudinem est promptior, hoc causam, quæ moliatur paruũ pulsum, declarabit esse maiorem. Sanè imbecillitas facultatis, quàm sit magna, satis ex quantitate remissionis apparebat. Huc cumulus accessit, quod nũc diximus. At usus dissolutio in quantum inciderit uitiũ, ex solis, quæ diximus, signis inuenitur: de quibus dicemus etiã inferius nõnihil, ubi cõnectemus mutuo pulsuũ genera. In præsentia eñ hoc nõ instituimus, sed cũ exponere de genere quantitatis distentionis cœpissemus, simul alia attingere sumus coacti. Quare redeamus ad primum institutũ, ac ad reliqua genera transeamus. Neq; eñ, quod alios item ex tabella pulsus percurramus, causam arbitror ullam esse. Verũ eadẽ ratione & uia, quam instituimus in lõgo, angusto, & humili, reliquos singulos explorabimus, ac primum remouebimus, qui propter corporis habitudinem longitudine, uel latitudine, uel profunditate uariant, ut non magni tantum, uel parui uideantur. Deinde causas considerabimus, per quas aut iusto maiores fiunt, aut minores. Atq; de genere pulsuum quidem, quod consistit in quantitate distentionis, satis in præsentia.

Celer & tardus pulsus quid denotent. Cap. V

Posthac de illorum in celeritatem & tarditatẽ mutatione, quod ipsius motus est arteriarum genus in primis proprium, agemus. Porrò sumendũ hic quoq; est ab distinguenda homonymia initiũ. Nam dicitur celer pulsus, nunc ut cum moderato comparetur, nunc ut cũ quolibet alio. Præterea ipse ille moderatus interim absolute dicitur, quem in optima conspicimus natura: interim de unoquoq; homine, qui inculpata sit sanitate. Hic ex comparatione absolute moderati existimatur, do-

A cetq; quodnã sit tẽperamentũ. Ac celerior quidẽ calidius, tardior frigidius declarat tẽperamentũ. Verum solam planè nõ est inuenire mutationem in celeritatẽ & tarditatem, nec in sanis, nec in affectis corporibus. Nã qui calidiore est temperamẽto, quàm simpliciter moderatus, si pulsum habere uideatur celeriorem, eum habet necessario maiorẽ: & cui pulsus est aliqua occasiõe solito celerior; omnino etiam maior est. Neuter tamen est horum necessario crebrior. Siquidem crebritas illis, ubi calor accumuletur copiosior, accedit. Itaq; cũ celeritate modo magnitudo, modo etiã crebritas coniuncta est. Atq; etiã interdũ sola crebritas: cũ præterito aliquo, qui, ut potest in præsenti, maximam obtineat distentionẽ, deinde reuersi parẽ offendamus magnitudinẽ, sed celeritatem maiorẽ. Huic

B eñ simul crebritatẽ necesse est increuisse. Quòd si quem relinquamus, qui usum habeat pulsuũ remissum, ac reuersi in celeritatem pulsum inueniamus auctũ, tũ nõ auctus tantũ celeritate est, sed & crebritate planè & magnitudine. quãdoquidẽ usus exolutio in raritatẽ clarius, deinde in tarditatẽ, postea in paruitatem pulsum cõuertit. Et item quoq; mutationes in tarditatẽ pulsuũ, partim ex moderato statim in raritatẽ simul mutanẽ, subinde etiã in paruitatẽ, ubi amplius usus sit imminutus: partim ex statib. nõ naturalibus: nũc aucto usu, sæpe unà cũ mutatione in paruitatẽ, interim cũ raritate, nõnunquam cũ mutatiõe in utrãq;: nũc diminuto usu mutationes fiunt pulsuũ in tarditatẽ cũ

C raritate & paruitate. Habes primas & simplicissimas pulsuũ mutationes in celeritatẽ & tarditatẽ, harũq; causæ præcedẽtes, & externæ eadẽ inueniuntur ratione, atq; illæ quas de magnitudine, & paruitate exposuimus. Mistę uero mutatiões atq; cõpositæ cũ uehemẽtia & remissione uel duritia uel mollitudine cõstãt. Quę etiã examinãdæ sunt atq; discernẽdæ eadem uia rationeq;, quam, cũ de lõgo, angusto, & humili disputaremus, declarauimus, quo cognoscamus, quæ causa sit, quãobrem in celeritatẽ uel tarditatem pulsus uariauit. Potest enim, uti diximus, ob usum auctum pulsus in celeritatẽ creuisse. Potest etiã ob mollitudinẽ arteriæ, & facultatis robur. Sed enim cum nõ uariet mollitudine, duritia, uehemẽtia, remissione, solus mutationem usus induxerit. At si cum horũ aliquo, cau-

D sa inquirenda & explorãda præpollẽs est, sicut ante declarauimus. Exẽpli gratia, si simul & celerior esse & mollior uideatur, animaduertendũ est, tanto ne celerior sit, quãto mollior, an magis. Nam si quanto est mollior, tãto etiã celerior sit, alterationem ab sola mollitudine mutuauit. Sin celerior quàm mollior, non à mollitudine tantũ, sed & ab usu aucto. Cõtra si mollior quàm celerior, quãto mollior est, tantum detraxit solius usus exolutio. Ad hunc modum, si pariter celerior & uehemẽtior sit, si tanto celerior sit, quanto uehemẽtior, considerãdum est. Ita enim celeritatis solum facultatis robur causa sit. Sin celerior quàm uehemẽtior, quo celerior est, hoc de usu aucto accepit. At si uehemẽtior quàm celerior, non robur tantum facultatis, sed etiã fri-

gíditas aliqua alterauit pulſus. Si iam celerior ſimul et mollior uehementiorq́; appareat, ſingulari experientia opus eſt cogníturo, utrum tanto celerior ſit moderato, quanta ex ambabus cauſis facta acceſsio eſt ex mollitudine & cõtentione, an non tanto. Nam ſi tanto, ob illa ſola eſt immutatus: Si magis, acceſsit incrementum uſus: Sin minus, etiã propter uſum exolutum. Eadem ratio in pulſuum mutatione in tarditatẽ ineunda eſt: ex uſu ne duntaxat exoluto, an ex imbecillitate facultatis, an ex duritia inſtrumentorũ orta alteratio ſit. Ac ob uſum ſolũ uariaſſe probabile eſt pulſum, ſi quando nec durior, nec imbecillior inueniat̃. Ob facultatis infirmitatẽ, ubi quãto languidior ſit, tanto etiã tardior. Atq; ob duritiã item inſtrumentorũ, cum tanto ſit tardior, quãto durior. Sin aũt tardior moderato uideatur, quàm languidior, in eum ſtatum ex imbecillitate & frigiditate incidit, cauſamq́; in eo exuberantem ex collatione reperies ad naturalem & moderatum. Si enim numeris forte quinq; de natura remiſsio deflectere uideatur, & quindecim tarditas: pręſtare in eo pulſu cõſtituendo frigidam cauſam, non imbecillitatẽ facultatis eſſe cauſam dicẽdum eſt. Sin quindecim tarditas numeris appareat, decem aũt remiſsio, in huius pulſus conſtitutiõe frigiditatẽ excellit imbecillitas. Quòd ſi non perinde ſit tardus ac languidus, ex facultatis imbecillitate & calore quoq; is natus ſit. Ac magnitudinem quidẽ utriuſq; cauſę ex proportionis exceſſu inuenies. Atq; hoc memoria tenendũ eſt, hæc omnia dici amoto aſcititio motu. Pari modo ubi cum mutatiõe in tarditatem inuenitur aliqua durities, attẽdendũ eſt, ex ſola duritie mutatio, an ex ambabus incidit. Si enim quãto tardior ſit pulſus, tanto etiã uideatur durior, alterationis ſola durities cauſa eſt. Si uero tardior q̃ durior, non modo durities, uerũ etiã frigiditas. Atq; inuenias ad eundem modum hic fortiorem cauſam, atq; declaratum eſt paulo ante. At ſi magis ſit durior, q̃ tardior, nõ nomine duritiæ tantũ, uerum caloris etiã talis euaſit. Et uero hic quoq; ex proportionis exceſſu perſpicies cauſæ utriuſq; magnitudinẽ. Iam uero ſi tardior ſimul & durior ſit atq; languidior, exercitatum hic quoq; oportet eſſe, qui ſit perſpecturus, an tãto tardior ſit moderato, quantũ acceſſit ex utriſq; cauſis imbecillitate & duritia, néc ne. Etenim ſi tãto, ob illas eſt ſolas mutatus: Quod ſi magis, adiuncta iam eſt uſus exolutio: ſi minus, etiam propter uſus incrementum.

De quatuor generalibus differentijs, quæ ſunt in diſtentione. Cap. VI

Quando iam ſatis de his tractauimus, quod ad hunc locum attinet, hic diſputationem aliquantiſper ſiſtamus, ac prius q̃ aliud genus in manus ſumamus, quædã faciamus ut commemoremus, & ad ſuperiorem & inſequentem ſermonem accommoda. Nam quatuor cum ſint in diſtentione arteriæ generales differẽtiæ, prima eademq́; pulſuum propria, quæ in qualitate conſiſtit motus: altera, quæ in quantitate diſtentionis: neq; hic nos, neq; in primo De pulſuum differentijs libro de priore A magis propria uerba fecimus, quòd cognitu difficilior ſit: ſed de illa, quam dignoſcant tyrones clarius, & quæ ideo ſit ad denunciandum aliquid utilior. Hæc habet extra ordinem illud quoq; pręter alias omnes, ut complecti ſeptem & uiginti uideatur pulſuum differentias, ſint uero reuera tres. Nã in cæteris quidem omnibus generibus, quot natura ſunt differentiæ, tot apparent. Reliqua ſunt in diſtentione duo genera pulſuum, alterum facultatem, alterum arteriæ indicat tunicam, quod quidem eſt poſtremum, immo uero nec propriũ, nec affine, ſed genus pulſuum aduentitium. Habent autem hoc duo hæc genera, ut cauſam ſemper, à qua generantur, oſtendant aperte: duo illa genera ſuperiora non perpetuo. B Etenim duobus obuenit generibus poſterioribus, ut ab una utrũq; cauſa conſtituatur: primis uero duobus ut ab omnib. cauſis, quas tres frequenter demõſtrauimus eſſe. quo etiam in generibus duobus primis difficilior ſit oratio, ac plurium ad cauſam inueniendam indigens diſtinctionum. In reliquis duobus cum genus eſt cauſæ unum utrobiq;, tum uero quantitatis notitia certa.

Cauſæ continentes uehementis, languidi, mollis, & duri pulſus. Cap. VII

Vehemẽs pulſus à facultatis ſemper robore fit: ac quo ſit uehementior, tanto robur ſignificat maius eſſe facultatis. languidus ex facultatis imbecillitate: ac quo ſit lãguidior, hoc facultatẽ quoq; imbecilliorẽ eſſe demonſtrat. C Haud aliter durus pulſus efficit̃ ab arteriæ tunica dura. Mollis à molli. Præterea quãtitas pulſus duritiæ & mollitudinis, arterię declarat quãtitatẽ duritiæ & mollitudinis. Sed uero qui medius eſt inter durũ et mollem, qui etiã uocat̃ moderatus, primus natura eſt inter eos, ſoluſq́; naturalis. At inter languidũ & uehementem hac ratione medius eſt nullus. quòd lãguidus ſit oriundus ex facultate imbecilla & à natura deſciſcente: uehemens autem ex firma & recte habente. Verum alio modo, ut ante retulimus, medius ſit aliquis inter languidũ & uehementem. Modus autem dignoſcẽdi per tactum adhibitum eſt. D Nam cum à pulſu euertitur, uehementẽ eum uocamus: cum ille euertat pulſum, languidũ: ubi neutrũ ſit, mediũ dicimus hunc ſortitum locũ eſſe inter languidum & uehementẽ: qui quidẽ non aliter atq; languidus, præter naturam eſt. Alterationes pulſuum quædam in remiſsionem & uehemẽtiam & ſolæ fiunt freq̃uẽter, & ab una cauſa. Cum enim tunica arteriæ unà cũ uſu in naturali cõſtent ſtatu & nonnihil facultatis uigor alteratus ſit, languidior hic quàm uehementior priore pulſus redditur: de alijs uero generibus cum eo nihil mutatur. Atq; hoc pacto ſolæ fiũt & ab una cauſa. Alio modo ab una quidem cauſa, ſed non ſolæ. Nam ubi diſſoluta admodum facultas ſit, uel cõtenta, ut non dum à cauſis alijs continentibus ſit immutatus, mutari pulſus ab una cauſa accidet, genus uero non unum commutatum eſſe. Nam ſi longe facultas imbecillior ſit, non languidũ modo, uerum etiam paruum pulſum creabit; & quia paruum,

ſtatim

statim etiam crebrum. At robustissima cum uehementissimum, tum etiã maiorem excitat pulsum, simulq́; si nihil uariet usus, rariorem. Mutatio iam pulsuum in duritiam & in mollitudinẽ, siquidem ab una causa procedat, omnino aliquod una de alijs generibus mutabit. Quod si sola cõstet, ex cõcursu pluriũ causarũ constituitur. Simul autem & sola & ab una causa nequaquam fiat, nisi minimo planè spatio discesserit de natura, ut ꝙ minimo fiat pulsus durior, pari tamen magnitudine. At sic nec celeritas mutabit, nec crebritas. Verum apertior si fiat maiorq́; durities, nõ poterit pulsus non esse minor, tantoq́; etiã crebrior, quanto minor. Si uero simul & durior facta sit tunica arteriæ, & calor increuerit, hoc pulsus moderato durior erit, quo arteriæ tunica: at magnitudine æqualis moderato: modo quantum calor mediocritatem excesserit, tanto tunica arteriæ naturali sit durior. Quando iam de his quoq; satis dictum est, quantum requirit præsens argumentum, deinceps de præcedentibus & externis duorum generum, quę nunc explicauimus, causis agemus.

Causæ præcedentes, quæ robur augent & opprimunt. Cap. VIII

Causæ præcedẽtes, quæ robur facultatis augẽt, partim in ipso insunt corpore, ac humores quidã sunt semicocti & crudi, qui iam concoquantur: & naturæ ad iudicationem impetus, siquidem hic sit etiam in eodem genere: ad hæc ira. Partim extrinsecus adueniunt, ut uinum, cibus, exercitationes moderatæ: & etiam quæ intemperiem corrigunt ipsius corporis & cordis & arteriarum, siue illi cibi sint, siue potus, siue etiam medicamenta. Dissoluũt uero facultatem, inedia, uigiliæ, solicitudines, mœrores, uacuationes immodicæ per aluum, uel

A per urinas, uel uomitum, uel uterum, uel profluuium aliquod sanguinis, uehementes dolores, uel singulares, ut quem stomachicũ affectũ uocant, qui syncopam inducit. His adiunge omnia, quæ cordis uel arteriarum creant intemperiem, siue in corpore illa contineantur, ut in succis, uel solidis partibus, siue foris etiam his antecedant. Quippe hæc dissoluunt omnia facultatem immodice humectando, desiccando, calfaciendo, refrigerãdo, digerendo. At uero, quæ causæ pręcedentes & externæ pulsum duriorem efficiunt, supra exposuimus, cũ de longo simul & angusto & humili dissereremus. Nihil est ergo, cur easdem hoc loco recẽseamus: sed tantum si mollis causas addiderimus, finem hic faciemus libri.

B *Causæ præcedentes & externæ mollis pulsus.* Cap. IX

Mollem reddunt arteriã, humidus cibus, ac frequentiores balneæ, somni multi, mollior uita & uoluptates. Atq; hæc quidem intra septa manent naturæ. Pręter naturam in comate, lethargo, aqua inter cutem, & siquæ sunt alia, quæ arteriarum tunicas imbuunt larga humiditate, maxime pituitosa: de quibus infra, cum de morbis dicam, prolixius agam. Nunc iam tempus est, ut hunc librum finiamus, si in summam, qui in eo sit fructus, subduxerimus. Est autem hic. Præsentem affectionem singularũ causarum continentiũ pulsus primum indicant. qua cognita præcedẽtes & externæ causę deprehenduntur ipsius primæ inter illas. atq; in hoc constat præteritorum pręsagatio. Futurorum C uero ex ijs, quæ ad affectiones comitantur, petuntur præsagia. Quorũ quemadmodũ unumquodq; fiat, in sequentibus libris declarabo. prius in secũdo tamen horum commentariorum, quod restat adhuc, instituimus persequi.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI

Quatuor esse in uniuersum differentias pulsuum secundum contractionem arteriarum, similes illis quæ à distentione desumuntur. Vnam tantum ex eis quatuor differentijs dignosci, nempe quæ est secundum celeritatem & tarditatem, & propterea ex hac sola aliquid præsagiri posse. De præsagatione ex pulsuum frequentia & raritate. De præsagatione ex pulsuum rythmis, ex Herophili sententia. De præsagatione ex pulsuum inæqualitate. De præsagatione ex pulsibus intermittentibus. D Quid in pulsibus rythmi significent, quid inæqualitas. Quid præsagiat pulsus intermittens: quid pulsus, qui in una distẽtione duos habet ictus. Quid significet pulsus caprizans, quid dicrotus, quid undosus, uermiculans, & decurtatus, quid tremulus. Quid ordo præsagiat in pulsibus, quid eius perturbatio.

ALITER

Cap. I. Metabasis. Quid celeritas & tarditas contractionis significent. II. Quid crebritas & raritas indicent. III. Quid rythmi annuncient. IIII. Inæquales pulsus quid significent, & primo de intermittente: Curq́; is in senecta & pueritia minus sit letalis ꝙ iuuenibus: De raritate pulsuum: (quod longa raritas non planè exitialis sit, quid ab intermittente differat rarus pulsus: Diuturnioris raritatis causæ.) V. Crebri et intercurrẽtes quid denotẽt. (semper adhæret syncopis. Durissimus & mollissimus æque periculosi: Inter omnes extremos optimus est uehementissimus.) VI. De præsagatione ex inæqualibus in uno pulsu agere incipit: & primum de intermittente in uno pulsu. De uibrato, de caprizante. VII. Quid significent pulsus, qui in una distentione duos habent ictus. (Quod inæqualitatem intemperies etiam cordis et arteriarum concitant.)

VIII. Caprizans pulsus et dicrotus quid denotent: et quomodo ipse in dicroto dignoscendo deceptus sit: Dicrotorum affectus et origines tres. IX. Vndosus et uermiculans quid denuncient. X. Decurtatorum duplex genus, et quid significent. Pulsus aboletur bifariam. Digitorum numerum non omnes arteriæ eundẽ recipiunt. Inæqualitas unius pulsus sæpe latet, plurium non item. XI. Contrarius pulsus superioribus quid denotet. XII. Pulsus tremulus (qui languidus simul et paruus est, raro cõtingit, et à uibrato differt) quid significet. XIII. Quid ordo et eius perturbatio enuncient.

GALENI DE PRAESAGATIONE EX PVLSIBVS LIBER SECVNDVS

Quid celeritas & tarditas contractionis significent. Cap. I



E primis quidem & quasi maxime elemẽtalibus pulsibus, qui in distentione arteriæ dignoscuntur, disseruimus superiore libro. Nunc de reliquis exorsi à contractione tractabimus. Habet quatuor hæc quoq; genera pulsuũ, quot scilicet distentio. uelocior etenim & tardior, maior, minor, uehemẽtior, languidior, si naturam ipsam spectes rei, contractionis motus fit, & hercle etiã arteriæ corpus aut durum efficit aut molle. haud dignoscas tamen horum generũ, præter tarditatẽ unam et celeritatem, ullum. immo ne has quidem ubiq;, sed in illis pulsibus, ubi sensu contractio animaduerti posit, ut in primo libro De pulsibus dignoscendis docuimus. Iam etiã in libro De usu pulsuũ arteriæ functionem demonstrauimus contractionem esse non secus ac distẽtionem. Vtraq; enĩ naturalis caloris tuetur mediocritatem: distentio ueluti inspiratio quædã excessum ardoris refrigerando, & uentilatione, quod extinguitur, incẽdendo: contractio in modum expirationis fuliginem expurgando. Ergo celeritas cõtractionis indicio erit fuliginosorum excrementorũ ingẽtem colligi numerũ, expurgariq; id temporis, quando cũq; inueniatur. Tarditas cõtra, nec eius multum excremẽti coaceruari, eoq; nec requirere euacuationem. Magna enĩ copia ex putrescentib. humoribus aceruatur, qui febres accendunt necessario. Cum corpus bonos humores habeat, pauca omnino, In alijs affectibus, qui medij inter hos sunt, proportione singulorũ affectuũ: inter edẽdum & dormiendum, plus: per uigilias & inedias, minus. Eadem planè ratione pro ciborum natura: in illis, qui prauos humores gignunt, plus: in his minus, qui probos. In febribus ad eundem modum, in accessionibus, plus: alijs tẽporibus, minus. Adeoq; plus ex crassis & lentis humoribus, qui pituitosi sunt, & quos appellant crudos: & biliosis minus, & melancholicis: medio modo ex sanguine, qui scilicet etiam putrescit ex inflammationibus. unde oriuntur febres, cum aliæ, tum illæ, quarum adeo est immodicus ardor, ut cutem deurant, & affectum generent, quem carbunculum uocant. Eiusdem ferè naturæ sunt herpetes depascentes, quos appellauit Hippocrates edentes. Scilicet in omnibus his putrescunt humores. Alio iam modo putrescentes in asperis arterijs succi. Pulmonẽ enim suo uitio contagiunt, ac putrescit die hoc etiam uiscus. Ac contrahuntur in asperas arterias uel per distillationem de capite, uel ex pleuritide, uel peripneumonia, uel pulmonis affectu, uel angina, uel ex pure quod influxit. Originem hinc ducunt putredinis, quòd minus probe expuantur. Nã ut sunt uitiosi, & locus calidus est, maturã

A desiderãt euacuationem. Subinde etiã fit, ut cum pulmonis rumpatur uas aliquod, immittat sanguinis in asperas arterias aliquid. qui quidem diuturnitate putrescens excitat tabem. Quò etiam deuenit celerius sanguis, quem uasa corrosa emittũt. In omnibus his, quos collegi, affectibus, alijsq;, qui putredine sint aliqua humorum præditi, arteriarum motus, quo intrò feruntur, augetur & in quãtitate, ut arctius illæ cõtrahantur. sed hoc quidem sensu planè non dignoscas. At celeritatis clare animaduertitur incrementum facileq; uiro experto in hoc opere, qui nec ingredi quidem ad experiẽdum prius posit, quàm quæ de dignoscendo prodidimus, didicerit: quorũ nos nihil ex priscis medicis docuit ullus, sed progrediuntur quidam usq;
B ad uerisimilem orationem, ac cõmentationes scilicet Herophilias quasdam de pulsuum rhythmis conscribunt. Aliqui inanem loquacitatẽ uocãt eam meditationem, semelq; eam repudiant. Si uerum quæris, respiciendam esse neutri animaduerterunt celeritatem & tarditatem distentionis contractionisq;, quarum multa ualet utraq; indicare, uti summatim nũc declarauimus, explicaturi post hac, cum de morbis agemus, latius.

Quid crebritas & raritas indicent. Cap. II

Nunc quidem ad crebritatem me, raritatemq; cõuertam. quarum duplex est utraq;, quòd etiam quietibus contigit arteriæ duplicibus esse, uni ab distentione ante contractionem, alteri post contractionem ante distentionem. At quiddam am-
C babus est commune: aliquid proprium utriq;. Cõmune ꝗ duabus de causis abbreuiãtur, uel quòd prior productus sit motus, uel quòd sequens anticipet. Contrà protenduntur, si uel breuior fuerit prior motus, uel si remoretur posterior. Vtriq; proprium, quod denotare solent. Illud autẽ ab ijs planũ est significari, ꝗ ex producto altero motu uel anticipãte altero potest prodi, aut cõtra ex abbreuiato altero motu, & morante altero. Quãdo enĩ syncerus calor, paucissimisq; inquinatus excremẽtis distentionẽ cõcitat maiorẽ simulq; celeriorem: contrà qui confusus excremẽtis est putribus, contractionem: ubi ex anticipatione uel magnitudine distentionis pulsus crebrior fiat, calorem pu-
D rum indicabit multum in corpore increuisse. ubi uero, quòd maturius incipiat contractio, impuri copiã atq; excremẽtis referti caloris arguet. Nec aliter cum rarior pulsus externa quiete sit, siquidẽ ob distentionis paruitatem, perfrigeratum calorẽ demonstrabit esse: sin ob moram cõtractionis, fumosa imminuta esse excremẽta. In quiete interna è diuerso, si ex productione contractionis creber sit pulsus, suppullulare abundantiam fumosorum excrementorum: si ob maturiorem distẽtionis exorsum, auctũ calorẽ esse. At uero cũ rarior in hac quiete pulsus est, si ob imminutam contractionẽ, pauciora annũciabit excrementa: imminutum calorem

lorem esse, si ob distentionis moram. Quod si con iuncta ambo sint, ut & protendatur motus prior, & alter anticipet, siue in externa hoc quiete, siue accidat in interna, compositum declarauerit affectum ex illis, quorũ sigillatim significabat utrũq;. Itidẽ si pulsus sit rarior, in utra hæc coierint ambo quiete, contractus prior motus, & multum tardãs alter, erit affectus tum quoq; duplex atq; compositus ex utroq;, quæ iã ante declarauimus, cũ alteruter deminutus sit motus, rectus aũt et tardans alter. Verũ enimuero non perinde est aperta utriusq; quietis cognitio. Externa enim clare sentitur, internam uero ne obscure quidem, nedum euidẽter sensu dignoscas. At sola ad hanc aspires coniectura, si colligas ex impetu utriusq; motus: præcipue in ijs pulsibus, in quibus clare sensus ualet assequi contractionẽ. Ac de hoc quoq; genere pulsuum, quantum refert ad propositum, diximus.

Quid Rhythmi annuncient. Cap. III

Nunc postulat sermonis series, ut de rhythmis exponamus, de quibus prolixius Herophilus disputauit, obseruationem potius & experientiam prodens, quàm rationalem docens methodum. Nam rhythmos pulsuũ per singulas ferè animaduersos ætates conscribit. nec primum quibus illos in naturis obseruauerit, nobis declarat, deinde ex ipsa institutione manifestus est, quòd cõfusam habuerit, nec distributã contractionis atq; quietum notitiam. Nam si contractionem in senibus usque ad decem prima tempora extendi putet posse, planissime ueram contractionẽ sensit nũquam. Hæc enim interim nõ tam diuturna est, quàm distẽtio: interim æque diuturna. Interim, ut scribit ille, diuturna quidem est, non quintuplo, ut autumat, tamen, sed paulo maior. Reliqua errata, & confusiones, inauditasq; absurditates, quib. scripta scatent Herophili de rhythmis dignoscendis, partim ex tertio commentario De dignoscendis pulsibus, partim ex illis, quæ seorsum in Herophili artẽ de pulsibus scribã, cognoscas licet. Nunc uero (quia nec historiam hac lucubratione nec confutationẽ complector: sed, quæ perspexi, doceo) ad inæquales pulsus conuertam orationem.

Inæquales pulsus quid significent. & primo de intermittente. Cap. IIII

Horum duplex est genus. Quidam in uno ictu inæqualitatem habent, alij in aceruo, quam iuniores medici inæqualitatem solent appellare συσ-ματικὴν. aceruum scilicet etiam σύσημα appellãt. Igitur de inæqualibus pulsibus hoc in communi omnibus sciendum est, quod in secundo libro De pulsuũ causis ostendimus, ex oppilationibus eos, aut ex compressionibus instrumentorum, aut humorum abundantia ad facultatem quidem collatã, aut ex cordis inæquali intemperie constare: incommodiorem porrò esse unius pulsus inæqualitatem ea, quæ in aceruo consistit. Quinetiã haud quaq; moueri arteriam, quod uocatur intermittere, siue in unũ pulsum, siue in aceruum inciderit, periculosum est, ut nulla omniũ specierũ alia, quæ inæquales sunt. At seorsum de utriusque generis omnibus speciebus dicendũ est, incipiendumq; à pulsuum collectiua inæqualitate. Meditemur uero orationem, primum in inęqualitate collectiua, quòd apertior inęqualitate sit unius pulsus. Intermittẽtes pulsus facultas, uel ꝙ grauetur ab humorum copia, creat, impedita quominus motũ debito tẽpore auspicetur, uel propter crassitudinẽ, uel propter copiam humorũ, quæ obstruat aut oscilla cordi uicinarũ arteriarũ, qua attrahit materiã rursusq; emittit: aut ex oscillis quadamtenus uniuersam uasorum capedinem. Sæpe etiam foris illis, quasi uinculum sit, copia eiuscemodi offunditur. Nonnunquam instar oneris grauat. Interdum etiam spatia, in quibus distendunť, occupat. Est cũ inflammatio, uel scirrhus, uel alius id genus tumor, qui cingentia arterias corpora teneat, earum arceat distẽtiones. Si uero ipsarum arteriarum tunicas tale quid insederit, maius est discrimen. At uero si ipsius corpus cordis, hoc iam malum est extremum. Etenim hi subito syncopa corripiuntur. At intemperies cordis non est perinde exitialis, immo uero inflammatione longe mitior. Cuius quidem imbecillitas facultatis comes est, pulsusq; languidus præter eum affectũ indicat nihil. Nam moderato cor præditum temperamento, pulsum edit uehemẽtem: prauo languidum: ac est in utroque excessus & defectus, prout maior uel minor sit tẽperamenti mediocritas. Etenim latitudinem demõstrauimus habere quã pulsus habent etiam non minus ex maiore uel minore intẽperie. Verũ paruum & languidũ sola intemperies pulsum reddit, non statim inæqualem tamen: nisi cum humoribus facultas cõparata contentis in ipso corde & in cõtinentibus cum ipso arterijs uenisq;, robore ijs cedat: quod aliud nihil est, ac copia humorum facultate maior. In eiuscemodi enim affectibus adiuncta necessario ad paruos ac languidos pulsus inæqualitas est. At cum debilitata duntaxat facultas est cordis, non degrauať tamẽ ab humoribus, hic omnes pulsus parui sunt & languidi. Ex facultatis uero imbecillitate nulla illis adest inæqualitas, nisi quando ipsum etiã corpus cordis inęquali intẽperie teneať. de qua paulopost dicemus. Nũc ad intermittentes me refero, qui rarioribus finitimi sunt, uerũ ab ijs secernuntur, ꝙ rhythmũ pulsus totũ intermittẽtes perdiderũt. Quòd si nõ unius modo tempus pulsus quiescat, sed diutius, etiã clarius is intermittere uideať, periculosiorq; hoc erit priore, quo quiescat diutius. Itaq; cũ duorum pulsuũ tempus arteria cõsistat, haud scio an superstes esse quisq; posit. unius certe tẽpus pulsus aut paulo amplius sæpenumero conspeximus intermittente motu arteriarum confirmatũ hominem esse, præsertim cum ætatem ageret senilem. Quanquam hoc uideri absurdum posit. Etenim si uel sua sponte imbecillus senex est, laborantq; eius etiam ante ualetudinis infirmitatẽ facultates, quẽ expectemus euẽtum, si ad ætatis imbecillitatem, altera accesserit ex morbo? Nempe hac de re non est periculosum, sed eo potius leue, ꝙ imbecille facultates à paruis sæpe occasionibus fiat ut offendantur

dant: at firmæ tantũ deijciunt à maximis. Itaq; qui habitu sunt ualente, & admodũ diu in morbos nõ inciderunt, periclitant, si incidãt. At uero imbecilli, quiq; assidue obiecti ad omnes causas sunt, facillime seruantur q scilicet de his nemo, cũ à qualibet lædatur uel minima, expectet causam magnã. Robur ualidorum omnẽ excipit causam paruam, ut à solis magnis uincat. Quamobrẽ intermittentes pulsus minus habẽt senes q̃ iuuenes perniciales, mox pueri ab illis, quòd (quia cum concoctrice facultate sint ualidissima, tum corpore mollissimo, atq; facile perspirabili,) cõcoquant digerãtq; per halitum intemperies inæquales, copiamq; humorum, & crassitudinẽ. Quare etiam hi in minus periculum ueniunt q̃ iuuenes, cum pulsus intermittãt, duobus nominibus: tum q facultate, quæ pulsibus præsidet, imbecilliore q̃ iuuenes sint, ut à minoribus causis, sicut senes, superentur procliuius: tum q concoctrice firmiore, ut facile offensę corrigantur. His additur perspiratus facilitas non mediocre ad tollẽdos morbos momentum: quod etiã Hippocrates confirmauit. Hæ si tibi rationes probant, utaris licet. Sin secus, at, ut docet experientia, rẽ scito ita, ut diximus, habere. Itaq; præter cæteros in pulsibus intermittentibus iuuenes, minus his pueri, minime senes in periculũ uocantur. Neq; uero quicq̃ habet admirationis inæqualiũ perniciosissimũ esse intermittentẽ. Nã cæteri quidem uitiosi aliquatenus sunt motus: at intermittens in motus positus est abolitione. Siquidẽ quo tẽpore intermittit pulsus, tũ nihil arteria mouet. Ac ferè quantum inter se sanitas, mors, & morbus differunt, tantũ naturalis motus ab immobilitate, & prauo motu. Quod instar naturalis motus sit sanitatis, uitiosus motus morbi, & immobilitas imaginẽ referat mortis. Nã qui in ipsis functionib. statuunt sanitatẽ & morbũ, nõ in corporis affectionibus, ex quibus functiones obimus: his non instar est sanitatis motus arteriarũ naturalis, cęterũ aperte dicetur sanitas. itemq; uitiosus motus, nõ instar morbi, sed ipse scilicet morbus. Ac immobilitas extinctio quædã atq; mors, siquidẽ integra diutius constet. Nã si hactenus procedat, ut unius pulsus uel alterius uideat tempus quiescere, instar uetерni est, aut apoplexiæ cuiuspiã, aut resolutionis actionũ uoluntariarũ. Qualia ẽm hęc in aliud principiũ sunt, quod sedẽ habet in cerebro: tale quiddã pulsuum est quies aduersus principiũ, quod in corde situm est. Et ut rectè de illo est dictum, apoplexiam non posse fieri, ut propulsetur, si ingens sit: sin leuis sit, non sine magno negocio. ita etiam dicetur hic rectè, quies pulsuum, si sit diuturna, ut tollatur, non fieri posse: si breuis sit, non citra negocium. Porrò diuturna est, quæ excedit duorum pulsuum tempus: breuis, quæ intra duorum pulsuum tempus manet. Quies uero temporũ unius pulsus inter omnes intermissiones moderatissima est, multiq; ex ea senes pariter & pueri euaserunt, iuuenum autem ne ex hac quidem ullus. Verum longam raritatem quidam imperitia adducti, quòd intermissionem existimarẽt esse, ex hoc

A pulsus uitio quosdam arbitrati sunt iuuenes fuisse superstites. Est quidẽ hæc quoq; grauis, pręcipue iuuenibus, nõ tamen plane exitialis: pueris & senibus multo etiam leuior. Porrò autem mors à pulsibus intermittentibus repentina corripit, non aliter ac ab apoplexia. Vtrobiq; enim cordis calor extinguitur destitutus respiratione. At raritas quidem ab intermittẽte pulsu discernitur prolixitate temporis: interdum etiã, quòd raritas interim habet æqualitatem coniunctã omnium ictuum: intermittens autem pulsus necessario est inæqualis. Nunc enim in trinis, nunc in quaternis, ac nonnunquam in quinis ictibus, uel etiam in pluribus intermittere inuenitur, & quiescere unum motus tempus aut etiã plura. Iam simul cum illo aliquod

B mutatur aliud genus, conuertiturq; ad inæqualitatem. Et hoc etiã in raritatibus diuturnioribus est perpetuum, ut tardior, quàm par est, reddatur motus, nunc tanto quanto raritas, nunc plus aut minus: prout, qui id uitiũ concitat pulsus, comparatus affectus sit. Est autem eorum pulsuum ingens frigiditas causa generãdorũ, quę occupet uel corpus cordis, uel spiritum & sanguinem, quem continent eius sinus, uel partẽ aliquam uicinam. Atq; si corpus ipsum cordis teneat ingẽs frigiditas, ita languidissimos reddit pulsus & tardissimos & minimos, ut maxime hæc uiget. Quę uero proficiscatur ex parte alia, raritatẽ longius q̃ cætera, quæ diximus, genera à natura auertit. Itaq; quidam in illis sunt, qui cum pulsus habeant non longe mino-

C res iusto, & tardiores, languidioresq;, tamen è uestigio pereunt. Mors aũt tum minus potest declinari, cum teneat frigiditas corpus ipsum cordis. Repentina porrò & in altera differẽtia fit. Ac moriuntur priores illi inter dormiendũ potius, ut iam non amplius expergiscant. Alteri hi cum illo modo, tum etiam inter loquendum nonnulli eorum, ut imperitis cõmode uideantur habere, subito, ut qui animo deficiunt, expirant. quorũ quibusdã simul prorupit sudor, aliquibus non prorupit. Hoc symptoma atq; hic affectus quosdã ægrotãtes, cũ insperato, & præter omnẽ rationẽ febre liberent: atq; etiam nõnullos sanos potissimũ in senectute, arripit. Ac raritas quidem pulsuum tantam habet perniciem: at intermittẽtes multo maiorẽ. Siqui-

D dem generantur hi producta raritate: ac cũ procurantur, reuertunt per raritatẽ ad pristinam mediocritatem. Nemo enim fuit quisq̃, qui ab intermittentibus pulsibus alia ratione superstes esset: uerum, quomodo dixi, omnes. Producta enim primũ admodũ raritas excipit intermittẽtẽ pulsum, ab illa quies fit etiam atq; etiam breuior, dum reditum sit ad naturalem mediocritatem.

Crebri & intercurrentes quid denotent. Cap. V

Illis pulsibus, quos commemorauimus, aduersantur alteri duo, raro creber, intermittenti intercurrens: quos illis Archigenes arbitratur perniciaIiores esse, à crebris falsus, quòd & præcedant, & socij sint syncopæ: atq; ab intercurrentibus, q peripneumonicis interim, qui in statu periculoso sunt accidant: nonnunq̃ item febribus, in quibus

oppilatæ

oppilatæ uel cõpressæ sunt principes arteriæ. At qui si originem respicias horum pulsuum, uanam reperias sententiã Archigenis. Nã intercurrẽs ex crebritate fit inęquali, quòd functionem obijt cor minus plenam, ac postularet usus. Iam id ipsum fit, ubi à copia humorum oneratum cor sit, aut instrumenta obstructa aut in arctũ coacta. quæ quidem causa erat etiam intermittentiũ. At dissident hac re inter sese, quòd repugnat in intercurrentibus & decertat cũ noxijs causis facultas, In intermittẽtibus hoc piget illam facere. Sanè iudicationem sæpe pulsus intercurrentes attulerunt. Siquidem ad naturã pertinet uehementer ad depugnãdum paratam. Quòd siqui ex eiuscemodi iudicationibus extincti sunt, nõ hoc arguit maioris periculi esse affectum pulsuum intercurrentium quàm intermittentium. Multo enim maior numerus perit ex intermittentibus, & item quoq; ex ualde raris, quàm ex crebris. Certe quidẽ febres omnes ualde ardentes pulsum habent crebrũ, quorũ extra periculum quædã sunt. Qui uero in syncopa sunt crebri, propter remissionẽ sunt periculosi, quæ perpetuo cõiuncta est cum omnibus syncopis. Et uero languidissimi pulsus, siqui alij, periculosi sunt habendi: quales in syncopa sunt. Omnino attendere cõuenit extremitates in omnibus generibus pulsuum. Nam exitiosa esse uel Archigenes fatetur. At quæ sit exitiosissima, nec ille, nec alius nauiter expendit quisq;. & quidem in confesso est, quæ pulsuũ extremitas cæterarũ pernicialissima uideat, genus etiã illius exitiosissimum merito existimandum reliquorum generum. Ita etiam si cum alterum alteri comparamus, extremitatẽ alterius inueniamus exitiosiorem, non immerito totum genus affirmemus exitiosius esse. At crebritas quidem summa non secus ac syncopis, adest febribus uehementer ardentibus, quæ nõ prorsus sunt perniciosæ. Raritas uero nunquam uacat periculo, sicut nec remissio, nec paruitas. Siquidẽ tres hæ pulsuũ differẽtiæ, cum ad summã perueniãt, perpetuo periculosæ sunt. At nõ magnitudo, nec uero etiã uehementia. sed hæc omniũ una extremorũ non modo libera periculo est, uerũ etiam summum cõmodum, si dignoscere eam queas. Vltima magnitudo, ubi cõiuncta sit cum mollitudine morbosa, periculum creat: sin cum salubri aliquo arterię statu, tum nihil ei subest mali. Millies em in febribus tutis illis quidem, at calidis & ardentibus, pulsus fit, cum robusta facultas sit, maximus. Quare nec ex cõparatione extremorum pulsuum genus crebrorum ostendas perniciosius esse raris, uel genus intercurrentiũ genere intermittentiũ. Cũ uero huic orationi proposita esset solorũ horum demonstratio, nunc autem etiã attigit obiter alia quædam genera, nihil est factum damni, quòd accessorium, ut si institutũ sit, persecuta, ob oculos disciplinam illam proposuit de magno, paruo, uehementi, languidoq; pulsu. Iam præstiterit etiam, ut reliquam illis differentiam addamus tarditatis celeritatisq;. Videtur enim & hic quoq; uelocium genus tardis esse securius, siquidẽ extrema celeritas extre-

A ma tarditate. Etenim summa tarditas, non secus atq; raritas, tum incidit, cum calor natiuus extinguitur. Celeritatis procedit incrementum ab usu urgente, atq; omnino à facultate ualida. Archigenes uero etiã hic labitur, qui formicantem pulsum habeat pro celeri. Neq; is enim pulsus prorsus celer est, neq; summũ attingit crebritatis. Nã leues esse crebritatis, magnitudinis celeritatisq; extremitates, hinc perspicias. Delige iuuenem sanum, ac uelocissime iube currere. tres mox extremitates citra ullum incõmodum hominis uel præsens uel imminens deprehẽderis. Durissimus iam pulsus (neq; enim hæc prætereunda differentia est, quò sit integer & absolutus sermo) perinde est, ut mollissimus, periculosus. Nam ex scirrho ille, aut B inflammatione insigni uisceris, aut ex constrictione per frigus, aut ex siccitate ab ardẽtissima febre profecta, aut ex ualida conuulsione. Hic ex alto comate, et aqua intercute Leucophlegmatia, unóque uerbo ex immodica humiditate habitus gignitur. Quare oratione summatim repetita, sermonis hic finem faciamus. Omnes pulsus, qui longe à naturali mediocritate discesserunt, non sunt boni. lãguidissimus uero & tardissimus rarissimusq; omnium pessimi sunt. Ab illis minimus, mollissimus, durissimus. Inde creberrimus. At nõ celerrimus uel maximus, sed sunt hi modice periculosi. Vnus uero inter omnes extremos optimus est uehementissimus. Verũ de his aliter sensit Archigenes, nec ullam tamen demonstrationem in sermo- C ne protulit. Quam enim haberet? nec ei assentiebatur experiẽtia. sed impositum ei ab illis est, quæ paulo ante connumeraui. Cui ergo stat opera artis nauiter obseruare, meditando ad ægrotos, quę docuimus, expendat. Quod quidem, certo scio, facient, qui ueritatem colant. Sed quoniam satis hæc explicauimus, nunc iam de inæqualitate in uno pulsu dicendum est.

De intermittente in uno pulsu. Cap. VI.

Est periculosissima hic quoq; omniũ intermittens. Hæc fit, ubi distentionem interpellat quies. Cuius multæ sunt species, omnes illæ quidem periculosæ, sed mutuo plus uel minus dissidẽtes. Vbi enim uehementior secundus motus sit priore, cõmodius est: ubi languidior, periculosius. Is tar- D dior item, signum est periculosius: celerior, commodius. Hi enim pulsus generantur, cum simul & certat natura & impeditur ab insalubribus causis. Ergo cum reijcere illas quodammodo ualeat, atq; ueluti uinculo aliquo soluta motum à quiete præstet priore potiorem, signum est cõmodius. Cum deteriorẽ, periculosius. Melior autem motus est uehemens & celeris, languido & tardo. At uero prior motus alteri nihil excellit penè in magnitudinis & paruitatis differentia. Potest enim in simili pariq; affectu, nunc præcedẽs quietem pars motus maior esse, nunc insequens, nũc ambæ esse pares. Cæterũ duritia & mollitudine nunquam distẽt arteriæ duo occursus, eò quod maius spatiũ requirat ea mutatio, cum uel in collectiuis inęqualitatibus raro in una consideratione pulsum offendas duritia &

& mollitie inæqualem. Vibratus tamen magis alter sæpe occursus, tũ in unius pulsus inæqualitate, tum in collectiua apparet priore. Quocirca imperitiores fallat fortasse, quasi durior sit. Symptoma uero est uibratio duræ arteriæ, cũ amplius cogitur ui distendi. Atqui nõ fit tum reuera durior, sed uiolenter impulsa, ut distẽdatur amplius, hoc habet symptoma. Atq; est quidem uibratus occursus æquali deterior, nisi tunica arteriæ ex causa repentina indurauerit. Pessimus uero cuius tempus quietis sit prolixius. Intermittẽs in uno pulsu inæqualitas omniũ inæqualitatũ est incõmodissima. Causas enim habet genere easdem, ac collectiua: sed deterior illa est multo. Nam illa, si nihil aliud, at simplices motus confici præter ullum obstaculum permittit. Hæc ne hos quidẽ pro lege naturæ obiri sinit, sed obstat, motuq; priuat arterias, non in tertio quoq;, uel quarto, uel pluribus etiã pulsibus, sed in ipso statim primo. Quæ igitur diximus de illa, hæc sunt ad hanc omnia transferenda, sed cũ accessione, unaq; hac diuersitate, q̃ præsentem mortẽ denunciat. In hoc genere pulsuũ caprizãs est, cuius exposuimus naturã, aliorumq; omnium in libro primo de eorum differentijs.

Quid significent pulsus, qui in una distentione duos habent ictus. Cap. VII

Porrò aliud pulsuum genus est in una distẽtione inæqualium, qui in communi habent binos ictus, causam tamen non habent cõmunem. Cæterum horum sunt, ut declarauimus in secundo lib. de pulsuum causis, tres unde generantur, causæ. De duabus in illo libro diximus. Nũc uero etiam commemorandi gratia dicemus de tertia. de qua tãtum iam dictum est, inęqualem eam esse intemperiem ipsius corporis cordis. Verum totam eius explicationem in hunc locũ reiecimus. Nunc iam locus est eius declarandæ. Atq; etiam reliquos omnes pulsus inæquales, quia ratio cohæret, qui ipsius corporis cordis succedãt inæquali temperiei hoc sermone percurram, inducamq; hic rursus orationẽ ab apertissimis inæqualitatibus, quas collectiuas appellant. Corpus cordis facultatẽ quandam obtinet, quæ distẽdit & contrahit, non temere illam quidem, nec fortuito à natura donatam, neq; ociosam, sed sicut alijs locis demõstrauimus, tuendi gratia innati caloris. Hæc in contractionibus fuliginosum excrementũ effundit: in distentionibus allicit refrigerium. Itaq; cum ex æquo calidum uel frigidũ, uel purũ uel turbidũ sit, omnes eius partes pari impetu ad functionẽ cõtendunt. Vbi uero aliæ calidiores, aliæ frigidiores sint eius partes, ac hæ omnino mundæ, illæ abũdantia excrementorũ cõfusæ, non eodẽ omnes impetu ad munus feruntur: sed hæ anteuertunt, illæ cunctantur. Atq; hic maiorem numerum, & nauius ad opus contendentem pauciores imbecilliores q; consequuntur. Neq; enim diuelli illæ neq; distrahi ab se mutuo, quæ unius instrumẽti sint partes, possunt. Vt aũt plures & maiori ui ad actionem properantes uniuersum cor excitant: ita contrà, ubi pauciores sint, quæ ad motum properant, quæ consistũt

A plures, uniuersum in longiore quiete continẽt. Iã uero etiam motus qualitatem ex præpollentibus in se partibus comparat totũ uiscus. Nam calidiores si motui pręsint, maturior simul, & celerior maiorq; fit distẽtio: sin frigidæ, serior, tardior, atq; minor. Ac subinde motus principatus maiori numero partiũ defertur: sæpe etiam magnitudini usus. Quæ enim mire quippiam desiderant, hæ expeditiores ad opus & intentiores sunt, etiam si numerum æquent nòn requirentium. Sed si longe alteræ plures sint alteris, pro illarũ ratione mouet' perpetuo uiscus & agit. At si paulo alteræ alteris, uel plures sint, uel planè pares, non possunt perpetuo alteræ esse superiores: sed uicissim uincũt, atq; uincunt'. Itaq; uarios efficiũt & inęquales totius uisceris motus.

B Sint eñ, exempli gratia, plures, at non multo, partes frigidæ calidis: hic primam actionẽ necesse est minorẽ, tardioremq; esse: nec nõ quietem in harum uictoria longiorem, q̃ si superarent calidæ. Iam etiam altera cordis actio uincentibus frigidis fiat: à qua iterum quies. Quin etiam tertia & quarta præterea actio & quies ex frigidarũ uictoria obeatur, quid partes calidiores, quibus maiore pariterq; celeriore atq; crebriore motu est opus, nònne deficient eo, quo indigent? Itaq; interea fient calidiores, ac nonnihil impertiẽt caloris etiã uicinis. Quo minus cordis primus status seruabitur. Siquidẽ ut numerũ augebunt calidiores partes, & magis erunt q̃ antea calidæ, Quod quia perpetuo fit, erit aliquãdo cum hæ etiã uicturæ cõ

C trarias sint, ut & maturius se ad opus conferãt ob usus stimulũ, ipsamq; reddant actionem celeriorẽ atq; maiorẽ omnibus prioribus motibus, quibus præerant frigidæ. Accidet igit' interea, ut quæ excellebant, iusto fruantur refrigerio: quæ uero erãt frigidiores, largius iam refrigerent': itaq; diuturnitate immutetur iterum totius cordis status, ut uincant frigidiores. Nam cum abunde calidiores fruantur refrigerio, ipsæ uero frigidiores præter modum refrigerent', unaq; finitimis frigiditatem impartiant, non poterũt sic frigidiores non fieri plures. Simulq; interim motum totius cordis necesse est denuo ad talium usum fingi, fieriq; eius raras, tardas, & paruas distẽtiones, quales posuimus pri-

D mo fieri. Proinde quæ retulimus paulo ante de illarum immutatione: hæc nũc cõmemorentur iterũ, simulq; de reditu in pristinum statum, quæ diximus ante, ad memoriã reuoca. Nam ita demum probaturum me puto tibi pulsuum continentem uariationem, dum intemperies illa in corde consistat. Eodem modo posteaq; ob fumosorum excrementorum numerum intemperie uiscus corripiatur, in collectiuam inæqualitatẽ motus pulsuum erumpet. Neq; uero mirum est uel inęqualitatem unius pulsus fieri ob cordis intemperiem. Etenim partes arteriarum calidioribus eius partibus oppositæ, & calidiores fient alijs, & dilatabuntur magis, celeriusq; mouebunt'. frigidioribus oppositę, & ipsæ erunt frigidiores, & mouebuntur tardius, & minus dilatabunt'. Cum uero oppositum sit totum uas calidioribus cordis partibus, tũ celerius

mouebitur

mouebitur, tum magis distenditur hoc, quàm illa quæ frigidioribus obiecta sunt. Et etiam præter cor, intemperaturæ quædam arteriarum peculiariores, inæqualitates illas commemoratas concitant magnitudinis, paruitatis, celeritatis, tarditatis, raritatis, crebritatis. Quæ si longe de natura deflectant, etiam uehementiæ, & remissionis. Iam uero etiam in ipso corde, omnibusque præterea arterijs ex uisceris illius inæquali intẽperie plures in una distentione motuum differentiæ prodibunt, partim illam ad celeritatem concitantium, partim sustinentium & morari cogentium, adeo ut etiam in medio interim ascensu subsistat. Id quod & illis usuuenit, qui in itinere uel alio quouis modo alteros cunctantes trahunt. Retracti enim ab illis inordinate frangunt impetum & interpellant, ut non eodem semper modo moueantur, immo resistant frequenter. Qui si obnitentes, ac retrahentes trahant nõ modo eorum impeditur motus, ut uel tardius, uel nequaquam interdum procedant, uerum etiam retrahuntur aliquando rursum. Atque hæc quidem cordi & arterijs omnia accidunt per inæqualem intemperiem.

Caprizans pulsus & Dicrotus quid denotet. Cap. VIII

Caprizans autem ex genere est illorum quidẽ, qui in quiete intercipiũtur. nonnunquam tamen eiuscemodi cordis affectus consequitur: ut etiam dicrotus, qui ex genere est intrò retractatorũ. comitatur tamen nonnunquã & ille cordis inæquali intemperiei: atque adeo, cum collectus sit in multis eius partibus ingens excremẽtorum fuliginosorum aceruus. Nam si unà contingat, ut quædam omnino sint præcalidæ, aliæ fumosa fuligine præfocentur, ad contrarios prosilient motus: ut alteræ distentionem moliãtur, alteræ considant. Itaque siue distendatur arteria opera earum, quæ distendunt, succedet contractio interim distentioni uel citra externam quietem: siue contrahatur, agentibus ijs, quæ contrahunt. Quorum utrunque pluribus modis fiet. Aut eñ plane uincet secundus motus priorem: aut aliquantum retrahet, uictor autẽ prior modum institutũ cõplebit, ut tres numero differentiæ fiant & in distentione & contractione. Prima, cum distẽtionem, priusquã mensuram impleuit, cõtractio excipiat. Altera, cum prorsus completæ succedat externa quiete perdita. Tertia, cum distentionem motus contrarius nondum absolutam retrahat, qui debilior redditus reliquũ sinat compleri. Haud aliter etiam contractionem distentio nunc absolutam cõsequitur, nec permittit cõsistere, nunc etiã priusquã confecta sit, impeditam & uictam excipit. Nonnunquam retrahit nonnihil, superatur tamen. Hi motus arteriarũ fiunt interdũ uel extra affectũ cordis, aut propter earum inæqualem intemperiem, aut facultatis imbecillitatẽ, aut propter duritiẽ tunicæ. de quibus & si sermonẽ iam ante habuimus in secũdo libro De causis pulsuũ, tamen hic exponã, sed summatim: si huius primũ admonuerimus, quod de inæquali cordis intẽperie modo explicauimus, in hãc nos cõmentationẽ produxisse, cum quòd etiam

A tũ inuestigaremus de ea et expẽderemus lõga experientia, sicut alia omnia, quæ dixi & sum dicturus: tum quòd nihil dum in illis commentarijs attulissemus de facultatis essentia. Neque enim prius hoc decretum, quàm undique reperissem constans, pronunciare fui ausus. Nunc quãdo essentiam facultatum adducti sumus nihil esse præter qualitatem tẽperamenti, omniaque & in dignoscendo, & prædicendo, & curãdo conuenire cũ hoc decreto animaduertimus, nõ absurde nos arbitramur fecisse, qui pulsus hic comitãtes cordis inæquali intemperiei explicauimus. In quibus sunt nonnulli, uti dicebamus, qui etiã absque illa cõstent. Itaque dicrotus quidam est pulsus uibratus, quem primo quidem solum ferire iterũ putaui uerbis deceptus Ar-

B chigenis, qui geminis mallei ad incudem ictibus ipsum assimilat. Cũ eñ durũ quiddã resultare ab altero duro statuissem, à quibus adductus sum circa notionẽ rei in errorem, ex ijsdem in dignoscenda ipsa sum lapsus. At posteaque incumbẽs semper & instans sedulo, ut contractionẽ dignoscerẽ, tandem arteriã manifesto sensi modo mollẽ & nõ uibratam considere aliquantũ, moxque distentionem conficere: post hac affectus obseruaui qui habent eos pulsus, & tandẽ aliquãdo à multa obseruatione, hæc potui cõperto, quæ nunc expono, affirmare. Sanè mihi uidet etiã Archigenes accurate pulsus bis ferientes obseruasse, sed parũ bene eos declarare: & affectus, quibus comitantur, ignorare.

C Neque enim ita nude eos, neque mallei geminis ictibus ad incudem assimilaret: neque præteriret unde procedãt, originem. Id quod etiã nos multo post tẽpore assecuti sumus, nec non huius cõmentationis alia cõplura. Tuque rem esse ita cõperies, si diligẽtiam animũ inducas & studiũ ad opus cõferre, quale nos adhibuimus. Nam absque eo, nec cognoscere de illis quicque ueri ualeas, & ipse operam ludas. Tres ergo affectus hactenus, originesque bis ferientium pulsuum inuenimus. Vnam uibratorũ, hac sola re ab illis distinctam, quòd cum breuem pulsus longitudinem habeat ex utraque parte arteriæ, obscura uibratio sit. quamobrem dicrotus, nõ uibratus uidetur. Alterã, in qua nõ uibratus est pulsus, sed arteria dura. adeoque facultas imbecilla, ut à

D corporibus incũbentibus degrauetur: tamen aliqua parte sita ad cutem attollatur libere. Hãc eñ cum solam percipiant tangentes, erit aliquando pulsus dicrotus, ubi præ oneris leuitate exilientẽ illam partes utrinque cõsidentes nec consequentes retrahãt à corporibus impositis depressæ, quæ idcirco nec sensibilem cõcitant motum, nec quem concitant, hunc concitant similiter parti arteriæ conspicuæ, cæterum cunctantem & morantem. Interea enim fit ut ab illis, quæ prius exilijt, retrahatur, cum dura est arteria. Nam alioqui in eiuscemodi affectibus nõ fiat retractio. Atque hi quidem duo pulsus tum dicroti sunt, tũ duri. Tertius, qui ex intemperie nascitur, haud est dicrotus, sed bis modo pulsans, neque necessario durus, quem si uelit quis dicrotum appellare, nihil refert. Hoc tantum meminerit, non referre hunc corpora reper-

caussa à duris dura, sed, ut paulo ante diximus, cõ certantibus fit mutuo duabus facultatibus, & quę distendit, & quæ contrahit cor. At quibus in morbis, quibusq; de causis, & affectibus ad inæqualē cor intemperiem deueniat, nihil est quod nunc dicam, sed in proximis commentarijs explicabitur. Tantum hoc loco satis sit, inæquali intemperiei cordis, quę quidem ipsum corpus teneat uisceris, comitari pulsum bis ferientem, consequi etiam illum, qui perdidit externam quietem. Ad hæc illum, cuius impeditur distentio. Præterea demonstrauimus illos, quorum motus interpellatur quiete, comitari omnes inæquali cordis intemperiei. Quinetiam citra interpellatam distentionem qui inæquali repræsentantur tarditate & crebritate, plane etiam hi præter alias à quibus gigni eos demonstrauimus, & hanc causam obtinebūt, de qua sermo habetur, inæqualem cordis intemperiem: siquando adeo inter se contendant calidæ partes cum frigidis, ut subsistere interim necesse habeāt calidæ retentæ à frigidis: interim celerius frigidæ moueri à calidis attractæ.

Vndosus & uermiculans quid annuncient. Cap. IX

Aliud ad superiora genus est inæqualitatis in uno pulsu, quod non raro animaduertitur, nec in paucis affectibus: immo præter cætera frequēter, atq; in multis. Inuenitur hoc tum, cum arteriæ propinquior pars principio prius mouetur. In quo genere undosus, atq; uermiculans pulsus sunt: quos mollis arteria, & facultas non ualida constituunt. Ac uermiculans non modo nõ ualidā, sed & exolutam facultatem denuntiat. Vndosus interdum hoc ipsum duntaxat significat non firmā esse, non statim tamen exolutā: interdum etiā mediocriter firmam, cum præsertim decretorium sudorē promittit. In humidis eñ inuenitur & pituitosis morbis, cum ipsa solida corpora nimia humiditate imbuta emollita sint. Id quod potissimum accidit in morbis lethargicis, & febribus quotidianis, illisq; etiā, quas humidas ac fumosas appellant. Iam etiā tarditatem, & raritatem, magnitudinemq; pulsus in ijs omnibus acquirit. qui si præterea altitudinē, & uehementiā nactus sit, decretorium sudorē significabit. Magis hic sperandus est, si plures uehementes, & alti appareant, quàm contrarij. Qui si æqualiter appareant, salubrem simul, & breui sudorem promittunt, maxime si indicia appareant concoctionis morbi. Siquidem liquet utiq;, nec inflammationē ullam, nec scirrhum, nec constrictionem ex frigore, nec immodicam siccitatē, nec affectum conuellentem corpus hominis, si undosus sit pulsus, tenere: quòd nec indurescere in eo pulsu, nec tendi arteria possit. Etenim molli omnino, ut modo dictum est, ea est opus: quo cum robur, quod excitat et distendit, claudicet alicubi, illic hæc decidat, ac uelut undæ formam efficiat. At dura & contēta, etiā sicubi, infirma quæ ipsam attollit facultate, remissa sit, ea ipsa tamen pars unà cum illis, quæ ex utroq; latere sunt, attollitur. Proinde in dura arteria, ne si quādo reperias quidem eiuscemodi pulsum, ut prior semper eius pars pri-

A us distendatur, undosus tum uel uermiculans fiet. Verum potius inæqualitatem habebit, quæ consistit in prima & ultima parte arterię, quę mouetur, tunicæ. Vndosi & uermiculātes, cum hoc habet, tum uero cumulum obtinent quasi undarum formam. qui in humidis occurrunt affectibus, cum nullum scirrhus uiscus teneat, nec inflammatio. Verum enimuero & in aqua inter cutem, præcipue quæ anasarca & leucophlegmatias uocatur, talem perpetuo pulsum reperies, nisi, quia indurerint scirrho quædā uiscera, acciderit, quod frequens est, aqua intercus. Nām ei quidem, quā suppressa hæmorrhois, uel menstruorum suppressio cõmisit, attendimus exactos sæpe undosos & uermiculantes pulsus comitari. quandoquidem fre-

B quenter in eiuscemodi aqua inter cutē nullum indurescit scirrho uiscus. Itaq;, ut de integro sermonem summatim resumam, undosus pulsus, ex humida molliq; arteria oritur, simulq; ex facultate moderate affecta. Vermiculās ex molli quidē, uerum ex debilitata insigniter facultate. Quāobrem etiā sine febribus ferè solet largis uacuationibus succedere, sanguinisq; profluuijs, & alui fluoribus, choleris, ualidis purgatiõibus, uomitibus uehementibus, urinis copiosis, deniq; mensium immodicis profluuijs, adhæc uacuationibus per hæmorrhoidas, sanguinisq; ab utero profluuijs. Iam fluorē etiam muliebrem, quem uocant, sudoresq; prauos hic pulsus excipit. Et uero etiam hos, quibus immodica humiditate computruit pulmo, id

C scilicet temporis, cum eorū iam laboret facultas. Verum siqua tamen eum affectum inflammatio consequatur, additur illis durities, neq; amplius uidentur uermiculantes. Proinde nec hecticas, quas uocant, febres, in quibus marcidæ sunt omnes, & quæ tabi sunt adiunctæ, cõsequuntur pulsus uermiculantes: consecuturi omnino, quod ad affectam attinet facultatē, nisi cõiuncta hisce affectibus siccitas, arterias redderet duras. Attamen habent illi prorsus huius generis pulsuū inæqualitatem, ubi fuerit insigni facultas debilitate. ob quam in priore arteriæ parte diximus prius apparere motum. quod esse Erasistratus perpetuum confirmat. Verum secus se res habere cernitur, ut nunc declarauimus.

D *Decurtati quid significent.* Cap. X

Hos pulsus excipiunt illi, quos decurtatos appellāt. Horum duplex est genus. Alterum in una distentione arteriæ, alterum in aceruo. Quod in una distentione fit, facultatis imbecillitatem unà cum corporis gracilitate arguit. Est autem admotis digitis arteria tangenda: deinde, si animaduertatur interea in arteriæ primis partibus maior pulsus, uel uehementior, uel uterq;: in postremis minor, uel languidior, uel ambo: primus digitorū applicatorum est attollendus, perspiciēdumq;, utrū similem illi, qui ante erat, cū hic sustolleretur, sequentes digiti motum percipiant: an uehementiorem & maiorem. Nam languidiorem quidem certe, uel minorem, ubi eleuatus sit primus digitus, omnino sentire nequeas. Ergo si motum similem digi-

digiti sequentes sublatũ digitum sentiant, sua spõte arteria decurtatam distentionẽ habebat, quod nobis infirmæ facultatis erit uestigium, quam in illas docuimus ex corde influere. Nam illa quando bene comparata est, usq; ad finem arteriarum omnium cõtentio, quæ attollit eas, similiter permeat. At in pulsibus decurtatis paulatim remittitur, tantoq; efficitur solito imbecillior, quãtum est à principio remota. Quòd si eleuato tu primo digito, postea motũ percipias q̃ antea ualidiorem atq; maiorem, declarat ille quidem etiamnum facultatis arteriæ debilitatem, sed minorem certe q̃ ille, quem prius diximus. quòd illic facultas remitteretur discedens à principio: hic maneat, quantũ in ipsa est, par, sed grauata ab iniectis digitis imbecillius moueatur arteria. Quod quidem minus habet periculi. Neque enim ita ipsius cordis, ut arteriæ, quam tangimus, ostendit affectum. Alterum ipsum potius debile esse cor significat: quòd protendere non perinde ac prius ab se actionẽ ad extremas usq; partes animantis queat. Quare in hoc genere pulsuum, ut exquirere ad unguem possis totum arteriarũ affectum, uarie admotis opus est digitis. Nam arteriam digiti applicati si premant, abolitus esse pulsus in hisce affectibus apparebit. Sin attingas leuiter, imaginem præbebit pulsus decurtati, & uel duobus duntaxat digitis, uel tribus, uel etiam quatuor occurrentis. Hoc ex gracilitate animantis accidet & facultatis imbecillitate. quòd quo sit gracilius, hoc plus arteria appareat: quo crassius, hoc minus. Et ex facultate item, quæ quãto est firmior, tanto plus: & tanto minus, quãto imbecillior est. Atq; in ea ratione tãgendæ arteriæ cum sublato primo digito non iam similis ad secundum pulsus permaneat, sed appareat maior uehementiorq;, est ualidior quidem cordis cõtentio, ut quæ æqualiter usq; ad finem influat: sed onerata admoto primo digito arteria deterius, cũ ille adsit, distẽditur. Quocirca remoto illo, qui degrauabat, melius. quòd si assimilis pulsus ad secũdum digitum uideatur, ac uideretur prius, quàm eleuaretur primus, decurtatus motus in ipsis arterijs est, & nõ in exploratione per tactum. id quod fit cum ex corde quæ influit facultas, remittitũ paulatim. Sin moueri arteria sublato primo digito probius uideatur, non planè tamen similiter ut ad primum digitum: ambos affectos denotat cõiunctos esse. Et sanè sic ferè solet fieri in eiuscemodi inæqualitatibus. Quare multi postea sunt pulsus respiciendi, cõparandiq; inter se accurate motus. Etenim qualis erat in prima applicatione, tales aliquando omnes fiunt. Sæpe uero minores redduntur & languidiores, in quibus pariter debilis est facultas. Sin deficiant prorsus, tum multo sanè magis declarabunt facultatis imbecillitatem. Atqui hic sunt summouendi omnes digiti, deinde spatio paruo interposito de integro admouẽdi. Etenim inuenies plerũq; cum iterum digitos admoueris, arterias pulsantes. Nam si omino pulsus abolitus uideatur, etiam in hac applicatione, sciendum est ipso illo tempore primam applicationem factam

A esse, quo arterijs usu uenit ad abolitionem pulsus tendentibus, paruam adhuc portionem motus retinere. Sed hoc, ut dixi, est rarum. Nam ferè, si paulo post iterum tangamus, offendimus pulsantes. Quare declaratur illas, cum admotos digitos non ferant, ad motus extremam remissionem deuenire. Atque hoc in causa erat, cur nos pulsus lateret. Etenim bifariam & ipse aboletur pulsus, uel quia prorsus non pulsant arteriæ, quòd extremum malum sit: uel quia pulsant quidem, sed ita languide & parum, ut sensum fugiant. Sanè est hic affectus, si remotus sit ab omni animi defectu repentino, grauissimus. Sed uero multo etiam deterior alter, in quo uere non pulsant. deterior autem multo, immo exitiosissimus & pessimus, nimirum demortuis iam arterijs.
B At uero si diutius applicatis leniter digitis, ut palpent tantũ, reciprocetur motus: is minus exitialis affectus est: Reciprocatur modo ex ultima pulsus abolitione, modo ex paruo pulsu & languido. Quorum quidem uocantur etiam reciproci utriq;. sed hoc interest inter hos, quòd illi decurtati sint reciproci, hi deficientes reciproci. In huiuscemodi æstimandis ita debemus partẽ componere, quãcunq; tangamus, ut subter arteriam noster tactus sit. Ita fiet enim, ut quàm minimum à digitis premantur & ab obiecta cute. Poterit autẽ re ipsa quilibet perspicere, quàm hæc digitorum applicatio ad dignoscẽdum referat obscurum motum. Equidem non raro cum admouissem superne digitos arterijs, nullum motum a-
C nimaduerti: quem, ut primũ conuerti membrum, percepi statim. Omniũ uero sunt pessimi, qui ab amisso motu minime reciprocantur inuerso membro. Minus his, qui inuerso illo uidentur moueri. quibus etiam minus, qui sunt decurtati, nõ tamen perdunt planè omnem motum. Iam etiam his minus reciproci decurtati, adeoq; si multis simul digitis occurrant. Cui equidem maximè animũ aduertendum censeo, & attẽdendum accurate, qua sit corpus gracilitate. Nam si corpore semel gracili occurrat motus arteriarum pluribus digitis, nõ hoc facultatis robur, cæterũ corporis efficit marcor. Sed cum modice est gracile, si tribus uel quatuor digitis occurrat motus arteriæ, non mediocre, ut in talibus, bonũ est. Videtur enim in agen-
D do aliquid retinere uigoris. Numerus autem digitorum, quibus motus est occursurus, suus cuiq; arteriæ est. Neq; eñ æque omnes extãt, & secũdum cutem positæ sunt. Ad hanc rem magnopere refert naturam tenere ipsius ægroti. Quibusdam enim sua spõte pulsus minor est, aliquibus breuior. Vnicuique enim modus quantitatis ad suam naturam referendus est. Hæc si nos naturæ ipsius ægroti proprietas lateat, ex communioribus differentijs conjecturam facimus, temperamenti corporis & habitudinis. At in temperamento præsertim calidi & frigidi differentiam respicimus. In habitudine, gracilitatis & corpulentiæ. Ac fit interdum, ut ambæ inæqualitates pulsuum, tum quæ in uno pulsu, tum quæ in aceruo consistit, concurrant. Sæpe quoque illa, quæ in uno pulsu cõsistit,

non adest: quæ autem in aceruo, reperitur manifeste. Atque cur lateat inæqualitas unius pulsus, causa duplex est: aut affectionis paruitas, aut ipsorum pulsuum breuitas. Nam si affectio, quæ decurtatos in aceruo concitat, non perinde grauis sit, in una distentione est æqualis, in pluribus autem decurtatam inæqualitatem acquirit. Sin ingẽs sit affectio, breui autem pulsus quantitate ut uni duntaxat digito occurrat, ut uerissimus sit certissimusq; decurtatus, non perceperis eius inæqualitatẽ. Pluribus enim digitis occurrat oportet, quæ in uno pulsu inæqualitas decurtata erit. Ex his igitur liquet, utrunque genus decurtatorum pulsuũ significare facultatis imbecillitatem. Verum si in una distentione sit, ægroti etiam gracilitatem corporis demonstrat. In aceruo fiat nõnunquam uel sine gracilitate. Magnitudinis noxæ in utroq; genere rationem docuimus inueniendæ. Ac de decurtatis pulsibus hactenus.

Contrarius pulsus superioribus quid denotet. Cap. XI

Sunt qui memoriæ prodiderunt, reperisse aliquando se commemoratis genus pulsus contrarium. Nam in carpi arteria, quæ fere solet tangi, apparuisse sibi aiunt latiorem pulsum ad inferiorem terminum, decurtatum illum quidem etiam, uerũ partem eius tenuiorem non deflexum ueluti ad digitos, sed superiorem regionem & secũdum cubitum tenere. Equidem arbitror illos homines, quos se cum eiuscemodi pulsibus inuenisse aiunt, non ob temporaneam causam eos, sed propter natiuam conformationem partium secundum carpum habuisse. Siquidem raro quidem talis cõformatio, sed reperitur tamen, ut pars arteriæ, quæ ad carpum est, collocata sub ipsam cutem sit: superna pars eius tota, quæ superior est, tecta sit maiore mole carnis: inferior, quæ ad ipsum carpum tẽdit, affatim demergatur in profunditatẽ. Hisce hominibus, nõ per morbum solum, uerumetiam per sanitatem pulsus decurtatus uidetur. Superne quidem, & ad cubitum, quod angustiã habeat: inferne atq; ad carpum, quòd latitudinẽ. At istos, qui de hisce pulsibus, ut insalubribus scripserunt, rem parum diligenter attendisse apertum sit cum ex alijs, quæ prodiderunt, tum quòd nõ ascripserũt, quid denotent. Scilicet hoc in aperto est, nihil illos ex his comperisse ostendi, qui ex natiua conformatione nõ ex insalubri affectione proficiscãtur. Quamobrem sæpenumero dixi, nihil perinde facere ad dignoscendos pulsus, ut pulsus natiui, quem quisque habet, notitiam. Etenim aliæ etiam arteriæ sunt, quæ contra ac illæ comparatę sunt, ut sola cute in superiore regione sint intectę: cum uero descenderint ad carpum, demergantur. Itaque horum etiam uidetur decurtatus pulsus. Aliorum item natura circumnuens pulsus est & innuens utrinq; præter cõmunem naturam. quem nõ morbus, aut ulla deniq; causa præter naturã, sed creat conformatio natiua. Quæ nisi calleamus, quando ex natura proficiscuntur, in maximos errores impingemus. Fit enim, uti docuimus, pulsus decurtatus in quibusdam ex causis præter naturam. In nõ

A nullis tamen inuenitur etiam ex propria conformatione. Quomodo etiam innuens & circumnuens, quem uocãt. Atq; hic quidem, si arteria ita sit conformata, ut eius pars dunxat media nudę subiecta cuti sit, partes autẽ utrinq; altius demergantur. Fit etiam ob imbecillitatem facultatis, quæ attollere onus nequeat. Qui quando affectus ingrauescat, flexum in alto quendam pulsus repræsentat, non circuli figuram. quem flexum non male Archigenes appellauit γωνίωσιν. Nam altitudo arteriæ non ut circuli iam figura, sed ut uertex trianguli mouet tactum. Et magis iam ei hoc accidit horrescenti & rigenti ex frigore, uel quamlibet aliter induratæ. Itaq; hunc subinde est cernere initio grauium accessionum, cum frigore inuadentium.

B non in his tamen omnibus, uel solis, ut quidam putant. Nam si arteriarũ durities flecti ægre queat, facultasq; imbecilla grauetur utrinq;, perdit circuli ueluti circumferentiam, refert autẽ uerticem trianguli. quòd propter duritiam arteria nequeat paulatim flecti, & ad profunditatem utrinque inclinari, sed uibretur potius, quàm flectatur per duritiam. Qui quidem illis affectus freqũetes in accessionibus bene refrigerantibus sunt. Accidunt tamen interdum sine inuasione accessionis, ut contra in accessiones, quæ non perfrigerant, pulsus talis prorsus nõ cadit. Sed quoniam de his latius posthac statuimus dicere, præstiterit nõ diutius huic loco immorari.

Pulsus tremulus quid significet. Cap. XII

C Porrò ex horum etiam genere est pulsus tremulus, qui non perinde est conspicuus. Quando uero, ut in secundo libro De causis symptomatũ declarauimus, imbecillitati facultatis cõsequitur tremor, necessarium est ideo tremulum pulsum etiã languidum simul & paruum esse, atq; hac de re fugiunt tremuli motus: qui, ut cognoscantur, insignem distentionem requirunt. At tremulus pulsus imperitis interdum uidetur uibratus. Vnde adducuntur sæpe eum uidisse. uerum hoc loco non requirunt hæc prolixiorem orationem, quòd secundo libro De causis symptomatum, quid inter tremorem & uibrationem intersit, explicaui. Ex quibus clare, qui pulsus uibratus sit, intelliges. Et hoc etiam tremulum infrequentem esse, & apparere id temporis tantum, cum nec facultas semel

D prostrata sit, atq; arterię tunica mollis, habitudoq; corporis gracilis. Ita enim futurum est, ut nec pulsus magnopere parui sint, sed germani natiuis: nec planè languidi, sed ut applicatos digitos, qui ei, ut innotescat, sunt necessarij, facile ferat. Quòd si quando pulsus tremulus incidat, facultatem imbecillam, atque tunicam arteriæ renunciat mollem, & uero etiam corporis gracilem habitum. Sed de inæqualitate, causisq; eam efficientibus hæc sufficiunt. Etenim si quid prætermissum sit, facile assequetur, qui hæc, quæ nunc docuimus, diligenter edidicerit, & illa, quæ secũdo libro De pulsuum causis exposuimus.

Quid ordo & eius perturbatio annuncient. Cap. XIII

Restat ut de ordine & eius perturbatione dicamus.

mus. Sane uidetur quisque ordo perturbationi eiusdem generis præstare. Eiusdem generis addidi, quòd fieri posit, ut perturbatio ordinis ex altero genere, præstet ordini alterius generis. Exempli gratia, qui magnitudine inordinatus est, uel celeritate, minus incommodus est intermittente in ordine aliquo. Item productus rarus, licet ordinem aliquem seruet, deterior est inæquali in uehementia & magnitudine & celeritate. At eiusdem generis ordo potior esse perturbatione uidetur. propterea quòd naturæ nostræ ordo cum primis familiaris sit. Non tamen ita absolute hoc pronunciandum est, sed hac adhibita distinctione. Ordo fixam quodammodo causam & perpetuã esse uidetur indicare. Perturbatio ordinis uariãtem, nec in una manẽtem, uel magnitudine, uel specie, uel regione. Talis autem causa non perniciosior, sed incertior censenda est. Potest enim hæc commigrando nunc in regionem ignobiliorem, nunc in nobiliorem se conferre, itaque uel mortem repentinam, uel salutem afferre. Ordo uero nõ inexpectatum habet, sed certum euẽtum. Ordo enim in incommoda inæqualitate, ut, exempli gratia, in intermittente, certo cum exitio coniunctus est. Qui uero est in moderata, ut in inæqualitate magnitudinis & paruitatis, constanter est lenis. Perturbatio ordinis, si in nobiliorem partem causa migret, quæ concitat inæqualitatem, lenem potest periculosam reddere: & periculosam contra lenẽ, si hic quoque transeat causa in ignobiliores ex nobilioribus. Nihil igitur certi, nihil ordinis perturbatio firmi habet: neque tale, quale ordo, uel bonum, uel malum. Veruntamen si cum uehemẽtia pulsus fiat aliqua ordinis perturbatio, siue æqualis, siue inæqualis sit uehementia, cum signa coniuncta sint concoctionis, expectanda aliqua iudicatio est: multoque magis, si huc alia signa iudicationis accesserint. Itaque hac etiam re perturbationes ordinis antecellunt ordinibus, quatenus cum cætera oĩa paria sint, ad iudicationem procliuior natura sit in ordinis perturbationibus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII

Qui proprij sint pulsus singulorum cordis intemperamentorum. Qui proprij sint pulsus inæqualis in corde temperamenti. Qui proprij sint pulsus omniũ febrium.

ALITER

Procemium. De dictis, & dicendorum ordine.
Cap. I Caloris intemperiei circa cor, arterijs ab iniuria adhuc liberis, qui pulsus sint peculiares. II. Cor calidius & arterias frigidiores qui sequatur pulsus.
III. Frigidæ cordis intemperiei qui pulsus peculiares sint. (Dicrotus cui affectui proprius. Dicroti & uibrati causæ cõtinentes. Multa de pestilenti febre, eiusque per uaria signa dignotione: Et de pulsibus febrium, in quibus cor tanto calidius est iusto, quanto materia quam continet aut quæ uicina sunt ei frigidiora.)
IIII. Qui sint pulsus in ijs febribus, cum cor calidius sit, quàm uicina ei frigidiora. Febris ex putredine humorum pulsus. Institutum duplex eorum qui nihil docent: aut enim confugiunt ad proprietatem quæ exprimi non posit: aut nomina proferunt, quorum significationẽ nec obseruãt nec interpretãtur. V. De propria nominum significatione & metaphora. (De alba febri & duro pulsu apud Archigenem.) VI. De febribus per pulsus dignoscendis. VII. Pulsuũ mutatio ex intemperie siccitatis & humiditatis, cordis & arteriarum.

GALENI DE PRAESAGATIONE EX PVLSIBVS LIBER TERTIVS.

PROOEMIVM.



HACTENVS quæ uis insit in unoquoque pulsu, declarauimus. Nũc de his agemus, qui affectiõibus sunt peculiares. Affectionem hic uoco, quicquid præter naturã sit. Ac peculiares cuique pulsus, tum qui perpetuo illi comitẽtur, tum qui frequẽter. Quicquid præter naturã est, ut aliàs demonstrauimus, aut affectus sunt, à quibus primo functio læditur, aut causę horũ, aut symptomata. Dicã primo de affectibus. Quando hos etiã partim ostendimus similaribus corporibus proprios esse, partim instrumentalibus: exordiar de similariũ affectibus. Hi sunt octo numero, ex intẽperie omnes profecti, sed inter eos hoc interest, quod quidã simplices sunt, cõpositi alij. Simplices intẽperies sunt, calor, siccitas, humiditas, frigiditas. Cõpositæ, frigiditas unà cum siccitate, calor coniunctus cum siccitate, frigiditas cum humiditate, calor cum humiditate. Demõstrauimus eñ in commẽtarijs De tẽperamẽtis, explicauimusque queadmodum interdum sanum esse calidum & humidum dicamus, ac queadmodũ morbũ, qui functionem aliquã immodica humiditate & calore offendat. Huius præterea admonendũ est pulsum per intemperiẽ, nisi affectæ arteriæ sint uel cor, nunque alterari. & posse etiã arterias nihil læso corde affectas esse. at affecto corde, ut innoxiæ permaneant arterię, haud fieri posse: sed in partẽ eas necesse esse uenire intẽperiei, uel maiorẽ, uel minorẽ. Nam frigida et calida intẽperies cordis prõpte permeat in omnes arterias. Humida atque sicca ægrius.

Caloris intemperiei qui pulsus peculiares sint. Cap. I

Exordiar igitur à caloris intemperie, in qua hoc primũ distinguã, posse, quo hoc tẽpore fiat, uel naturaliter arterias cõparatas esse uel læsas: idque, aut omnes, aut quasdã. Quæ in naturali sunt statu, ex

æquo cordis intemperiẽ recipiẽt. Quæ uero præter naturã affectæ sunt, harũ mistus erit status, ut partim retineãt propriũ affectum, partim à corde accipiant. Faciamus primũ arterias ab initio liberas esse omni iniuria, cum cor incaluerit. Deinde uideamus iam, quos hic affectus pulsus habeat necessario, & quos plerunque. Atque hoc rursus in memoriã reuocemus in proximo nos libro explicauisse, & in opere etiã De pulsuũ causis præpollenti calori pulsus peculiares, eosque recenseamus: ut ex ijs æstimemus, qui huic affectui sint perpetui, & qui ferè accidant. Peculiares copioso calori sunt, magnus, celer, creber. At magnus non tantũ calorem excellentẽ, sed & instrumẽta requirit mollia, atque facultatẽ ualidã. Itaque non erit calidæ intẽperiei perpetuus. Et celer item postulat firmã facultatẽ ac instrumenta, quę prõpte distendant. Ita ne hic quidẽ perpetuus est. Nam creber quidẽ, si largè usui à magnitudine & celeritate satisfactũ sit, nulla fiat ratione. Siquidẽ hoc etiã ostendimus. Si nõ impleatur usus, fiat. Proinde perpetuus ne hic quidem est. Quare nec ex peculiaribus fit perpetuus ullus. At ex illis, qui peculiares sunt, non perpetui tamẽ, nunc maior uincet, nunc celerior, nũc crebrior. Nam si calor solus increuerit, & in naturali statu maneat facultas instrumentaque, cum mutatio est parua, magnitudo tantũ pulsuũ augetur: cum maior, etiã celeritas: cũ insignis, iam etiã crebritas. Hic animaduertẽdus est etiã atque etiam in unoquoque genere pulsuũ excessus defectusque. Nã si ad magnitudinẽ declinent plus quam ad celeritatẽ & crebritatẽ, non ita copiosum puta esse calorem cordis. Si uero ad tres illas iuxta, cõtinuo tum maiorem in modũ immutabuntur, tum largum prodent calorem. Quòd si magnitudinẽ superauerit celeritas, multo iam magis. Si item crebritas, adhuc magis. Si uero maximus pulsus idemque celerrimus sit & creberrimus, summũ incrementũ significabit caloris. Sin celerrimus atque creberrimus sit, nõ autẽ maximus, hoc nisi facultas sit imbecillior, uel arteria durior, nulla alia ratione accidat. at est pulsibus inseparabilibus utrunque perpetuo adiunctum. nihilo minus cordis hic etiã calorẽ mõstrat. Iam quoque ubi ingens sit crebritas, nec simul celeritatis & magnitudinis par incrementũ, calorem quidẽ etiã tunc oportet esse copiosum, sed uel facultatis imbecillitatem, uel instrumentorum duritiem. Imbecillitati autẽ adiunctus erit languidus. Duritiei durus pariter & uibratus. Si durus citra uibrationem sit, atque summe creber, imbecillem facultatem coniunctam multo calori nunciabit. Omnino uero hic languidus etiam erit, & syncopę ostentabit periculum. At commemorandũ hic etiam est, qui fieri possit, ut calor cor teneat permultus, & ualeat facultas. Nam si robur temperiem, imbecillitas intemperiem consequitur, intemperies in cor unà cum immodico calore inuadet. Proinde debilitari facultatem oportebit. Qui tãdem igitur, cum pulsus pariter, & maximus, & celerrimus, & creber, uehemensque sit, non modo calorem in corde amplum, uerumetiam facultatis

A firmitatem esse diximus? Nempe quòd cum alijs nos locis, tum in febribus dignoscendis aliud esse demonstrauimus incalescere & incaluisse. Nam ubi corpus cordis à substantia calfiat, quam continẽt eius uẽtriculi, potest firma facultas esse. quod etiam est in causa, cur plurimum, celerrime, & creberrime illi inspirẽt: ac maxime, celerrime, creberrimeque pulsent repugnante adhuc calfacientisubstantiæ corde, & foris alteram, quæ refrigeret, parem calori alliciente. Quòd si quando succubuerit, atque in eundẽ delapsum sit, in quo est substãtia, quam uentriculi continent, calorem: iam tum incaluit, nec posthac incalescit tantum. Cuius sequitur intemperiem imbecillitas facultatis. Ac si largius incaluerit, & per ipsum totum calor febrilis permanauerit, febrem excitat, quam hecticam uocant. Interim contrà fit, ac nunc exposuimus, cum

B substantia iusto frigidior sit, quam continẽt sinus: corpus autem largius eius incaluerit. id quod his usu uenit, qui crudos frigidosque humores & pituitosos aceruarunt, aut uehementissima ira concitati sunt, aut nimium uigilauerunt cum graui solicitudine, aut ob aerem pestilentem spiritu attractũ offenso cordis corpore, deniqueob uenenosę cuiuspiam proprietatẽ qualitatis, quę aliquo modo ad cor penetrauerit. Hæc ego commemoraui, ut nequis in admirationem adducatur, qui possit dominãte calore uigere cordis robur. Itaque, unde digressi sumus, reuertamur. Cordis calor, pulsus, ut diximus, uariat. Verũ quia duorũ generũ est, aut

C à putribus genitus humoribus, cuius acris qualitas & fumosa est: aut cũ humiditatis defectu à natura remotus sola quantitate: Ille prior cõstans & obfirmatus est: hic non diuturnus, ac balneis, exercitationibus, cibo calido, uini potui, animique affectibus, uerecundiæ etiam atque iræ comitatur. An uero in hoc genere sint ullæ febres, ut illæ quas lassitudo, uel feruor, uel frigus, uel bubo, uel ira cõmittit, in cõtrouersia est. De quibus etsi in commentarijs de febribus sermonẽ habuimus, tamen hic tantũ dicam. Calor, qui diuersus est à natiuo, breuem habet internam quietẽ, celeriorẽ autem quam pro portione distentionis contractionem. Qui quantitate sola uariat, maiorẽ simul & celeriorem distentionẽ contractione. Siquidem solum is calor quærit refrigeriũ: quod distentionẽ docuimus

D suppeditare. At fumosus, cũ hoc maius requirit, tum uero multo maxime excrementorũ expulsionem: quod munus erat contractionis. Itaque distentionem quoque hic longe citatiorẽ reddet, & contractionẽ longe maxime. Qui eiusmodi non est, contractionẽ minime cor mutabit: distentionem autẽ hactenus, quatenus septa transilijt moderati temperamenti. Cæterum inferius hæc amplius declarabimus, ubi de febri tractabimus.

Cor calidius & arterias frigidiores qui sequatur pulsus. Cap. II

Nunc de arterijs disputemus, cum contra ac cor affectæ sint. cum illud, inquam calidius iusto sit, arteriæ autem frigidiores: quòd aut humores contineant frigidos, nondum putrescentes: aut si qua polleat alia frigiditas. his tũ necesse est ex suo

pro-

proprio affectu frigidis esse, ac calefieri à corde. Quia uero & facultatem quæ ipsas moueat ab illo mutuantur, unaq; est contẽtio, quæ unà cũ corde distendat arterias atq; contrahat, quiddam necesse est motui cordis conueniat cum motu singularum arteriarũ, & aliquid inter eos intersit. Nam motuum prima exordia in idem incidẽt tempus, siquidẽ ab illo facultatẽ citra omnẽ offensionem recipiãt. At magnitudinem, & celeritatem, & uehementiã non ex æquo utraq; obtinebũt. sed cor tunc singulis arterijs maiorem, celeriorem, uehementioremq; pulsum habebit. Etenim motus illæ principiũ à corde habent. Rationẽ uero sui singulæ motus, prout cordi consentiãt. Consentiunt autem, quæ simili sunt tẽperamẽto, quomodocunq; cor agat. quæ dissimili, quatenus ex illo immutatus fuerit. Quocirca arteria frigida potest à corde calfacta, nec paruũ pulsum, qui frigidæ est, edere: nec magnum, qui calidę: sed inter utrunq; mediũ, qui moderatus est & naturalis. & celeritate etiam moderata pulsus erit horũ affectuũ. Itemq; uehementia moderata. Quod dico clare intelliges, si altera manu eodẽ tempore cor, altera aliquam arteriam tangas. Principia enim motuum animaduertes unà fieri, sed dissidebunt magnitudine, celeritate, & uehemẽtia. Nonnunq; accidet, ut arteriæ eodẽ tempore non accipiãt ex corde influentem facultatẽ: uerũ quæ cordi propiores sunt, primæ: posteriores, quæ remotiores. Quod potissimũ accidit, ubi incidãt in idẽ temporis arteriæ frigidiores & cor imbecillius. Quòd si etiã ipsarum arteriarum frigidiores sint partes, quæ lõgius à principio distant, quod in accessiomib. quibusdam, & in febrib. accidit lipirijs, nõ solum incipiẽt maturius, uerũ etiã ipsum motũ reddẽt celeriorẽ & maiorẽ partes cordi propinquiores. Ad hæc cõtẽtio per eos status in omnib. imbecilla uidet̃, sed in remotiorib. magis, ita ut in ijs pulsus lãguidior sit q̃ pro natura superiorũ. Nonnunq; percipit̃ in corde huiuscemodi pugnãtia temperamentorũ. nam modo frigidius uisceris corpus æquo est, & in uẽtriculis contẽta substãtia calidior. modo ediuerso substãtia frigidior, cor autẽ calidius. Vbi etiã pulsus fiunt moderatis similes. Nam medius quodãmodo status hic effic̃ ex duob. cõtrarijs cõflatus Qui sanè affectus, uel optimos medicos fallunt. quod nũc quoq; in maxima pestilẽtia accidit. quidam inde ab initio ad finẽ usq;, alij per totũ morbũ probũ pulsum habebãt, qui perparũ deflexisset de natura. qui quidẽ præter cæteros perierũt: animaduertimusq; eos primis statim dieb. et pestilẽtia laborare, & pessime affectos esse ex acredine caloris, atq; ipso caloris genere, deniq; q pulsus parũ pręter naturã immutati ijs, in eo statu perpetuo maneãt. Nã in genus præcipue hecticarũ, quas uocãt, febriũ incidunt huiusmodi pulsus. Siqui essent inter ægrotos, qui se negarẽt febricitare, his febris occupato ipso cordis corpore, planè confirmata erat, &, ut ita dicã, in habitu. Etẽm febriũ hecticarũ duo hæc sunt ꝓpria signa, si perpetuo sibi illæ similes sint, nec inuasionẽ ullã accessi-

A onis, nec incrementũ, nec uigorẽ, nec remissionẽ habeant: nec febricitare se percipiat ægrotus. hos pulsus nihil est necesse maiores iusto, atq; interim ne crebriores quidẽ esse, at omnino celeres tamẽ. Itaque iure sane censuerunt plurimi medici atq; præstantissimi celeritatẽ febricitantium pulsibus perpetuã esse. Sed de his inferius. Quod in sermone præteriuimus, ubi aer, quem spirando attrahimus, infectus putredine sit, ac putredo ad corpus cordis peruenerit, illi pulsus fiunt. Nec iam quicquam habet admirationis, si eos pulsus, quos memorauimus, tali affecti peste habeant, nec si pestilentem animã, nec si omnino morituri sint. quam enim excogites medicinam ad putredinem, quæ cor occupauit? Nam quibus calor hic putridus
B ad humores, quos continent cordis sinus, uniuersus deflexit, non autẽ corpus ipsum uisceris, multi horum fuerunt superstites. Deprehenduntur affecti hac peste, si febrem primum percipiant, deinde si non æqualiter perpetuo febricitent, ad hæc si pulsum non habeant præualidum. Siquidem qui intemperiei comites sunt corporis ipsius cordis, imbecilli sunt omnes. Habes pulsus, quos cor intemperatum calore creat.

Frigidæ intemperiei qui pulsus sint peculiares. Cap. III

Intemperaturæ frigidæ planè efficiunt contrarios, paruos, tardos, & raros. Hosq; uel in tres pro portione differentias commutant, uel aliquas earum, aut aliquam plus uel minus: alias, aut aliã minus uel plus. At hic eodem modo, ut prius decla-
C rauimus, attendenda est, quæ deficiat uel exuperet. Primum crebritatem immutabit, deinde celeritatem, postea magnitudinẽ: siquidẽ illæsa sit facultas. Nam si quid hæc quoq; offensa sit, perspicies illud ex propria pulsuum & perpetua qualitate, quam remissionem appellamus, quæ ad paruitatem & tarditatẽ potius q̃ ad raritatẽ pulsus immutat. Nam cum facultas plurimum laborat, & si coniuncta sit frigiditas, pulsus extreme quidem parui fiunt, sed nõ tardi extreme, imò nõnunquã moderatis similes. crebritatẽ tamen non abijciũt pristinam, sed etiam adaugent. At ubi paululũ facultas debilitata sit, & frigiditas uigeat plurimũ, longissime ad raritatem pulsus deflectũt, parũ ad paruitatem, medio modo ad tarditatem. Eodem
D etiam arteriæ modo, si in natiuo temperamento constẽt, mouebunt̃. Nam si cum cor sit frigidius, hæ calidiores æquo sint, cordis pulsum tantũ alterabunt, quantum de natura desciuerint. Itaq; interdum etiam similis erit moderato pulsus arteriarum, quod ad magnitudinẽ & celeritatẽ attinet: cũ cordis pulsus minor & tardior sit. Iam hoc clarũ est, uacare hosce affectus febre, refrigerato dũtaxat ipso corde ab succis frigidis ijsdemq; lẽtis & crassis. Sanè infrequens est hic affectus, tamen incidit interim, præsertim cum cõtineant̃ in pulmone eiuscemodi humores. Atq; cõtingit ferè pulsibus eiuscemodi affectus simul inæqualib. per oppilationes esse, quas illi succi secundũ oscilla moliuntur uasorũ ex corde enatorũ. Verum arteriæ, si quãdo fiat, ut perinde atq; cor frigidiores iusto

sint, augebunt remissionẽ eius motuũ, in eodem retinentes genere. ut cũ tardius cor, minusq́ & rarius q̃ naturæ lex postulat, pulset: illę etiã hoc pulsent tardius, minus, rariusq́, & uero etiam languidius. Accidit uero aliquando iam frigidius iusto cor esse simul & fumosorũ plenũ excremẽtorum. quo tempore pariter & minor & rarior fit distentio, cõtractio celerior. Videret̃ etiã diutius se arteria intrò recipere, si in perpetuũ eius motus percipi posset. nũc sensum id preterit. At produci internæ quietis tempus ultra q̃ par est, patet uel tãgentibus. Hoc tempus conflatũ docuimus ex tribus esse tẽporibus: primo extremitatis cõtractionis, altero internę quietis; tertio principij distẽtionis. Ergo prolixe hoc tempus per illum affectũ producet. Tempus uero externæ quietis aut breuius q̃ cõueniat erit, aut moderato assimile. Nam cum studeat pulsuum molitrix facultas excremẽta excernere, properetq́ ad illã actionẽ, cuius hæc nomine illi data facultas est, fit ut quies minus sit diuturna, quomodo illã etiã quæ alterã actionẽ præcedit, contractionem, inquam, extendit: quia cor quod frigidius iam est, remisse ad actionẽ progreditur unius adhuc tantum gratia usus uentilandi: altero iam qui maior erat, refrigerãdi amisso. Reliquus enim tertius cor in his solum affectib. excitat ad actionẽ, ubi moueatur magnopere animal, aut uacuatio accidat larga, arteriarum quidem ad modũ reseratis externis oscillis, ut in balneis, deniq́ si quo modo largiter sit sudatum: internis uero, in purgationibus, præterea in affectib. ut choleris, intestinorum torminibus, ac cum uehementer uellicantur intestina. At uero ubi ipsum corpus cordis inciderit in intemperiem aliquam inæqualem, non poterunt pulsus cum ipsius cordis, tum omnium animãtis arteriarum in uariam non degenerare inæqualitatem. Quin etiam collectiua quã uocãt, illaq́ unius pulsus omnium erit generum. quod perpetua fiat in magnitudinem, paruitatem, celeritatem, tarditatem, remissionẽ, crebritatem, raritatem mutatio. At in duritiã & mollitudinẽ haud fiat continens unquam mutatio: id quod sæpenumero declarauimus. Non uibratus autem interdum & uibratus perpetua sese uicissitudine in hisce affectib. excipiũt, adiuncta ad cordis intemperiem duritia, uel tẽtione arteriarum. Ostendimus enim, si recte memini, in huiuscemodi affectibus, ubi magnopere cor contendat arterias distẽdere, uibrationem in motum incurrere. Quo tempore facile dicrotus pulsus exoriatur. In qua distentione, multi sanè laboris est affectũ planè explorare: quòd nõ intemperiem tantum cordis illa inæqualitas, sed & instrumentorũ læsionẽ & copiã humorum comitatur. Nam hæ inæqualitates posteaquam obstructionem sequuntur cordis oscillorum, comitent̃ porrò etiam eius intemperiei inæquali, non est procliue deprehẽdere affectum. Ergo pulsus, qui bis feriat, corporis uisceris propriũ est symptoma intemperiei, sicut probauim⁹ in proximo libro. ac à dicroto distat mollitudine. uerum si durities accesserit, iam etiã hoc

A indicium labefactatur. Etenim in dicrotũ conuertitur communem plurium affectuum. Vibratum uero dicrotũ generari docuimus, ubi pulsus, qui absolute est uibratus, diminuta sit longitudo. Dicrotus uero non uibratus, æque est ac uibratus durus, sed talis per suam tarditatem efficitur, & corporum onus incumbentium. Quocirca permultas uterq́ hic causas consequetur, numero tamen inter se facultatum, à quibus creantur, & occasionum differunt. Permultis enim uibratus dicrotus, paucis non uibratus comitabitur. Ac commemorandum quidem primum est, quot causis absolute uibratus succedat, quas ante omnes recẽsuimus. Mox causam eius quasi continentem. fit eñ ubi amplius cogitur distendi durum corpus arteriæ, uel tensum. Ad hæc tertium, quod cum facultatis imbecillitas huc accessit, aut cõformatio natiua, uibratum pulsum demõstrauimus oriri. Iam dicrotus non uibratus fiebat ob duritiam arteriæ, breuitatem pulsus, & pondus corporum incumbentium ex utraque parte sensibilis motus. Etenim in eiuscemodi affectibus, ubi ab utraque parte medium, dum attollitur, retrahatur, rursusq́ copuletur cum illis, generatur pulsus dicrotus. Hæ sunt illorum quasi continentes quædam causæ.

B Præcedentes autem multæ sunt cuiusque, quæ etiam expeditæ, & ad manum sunt habendæ, qui quicquam sit præteritorum exploraturus. Pulsus qui bis ferit ex inęquali proficiscitur ipsius corporis cordis intemperie. Tactu uero ad dignoscendam contractionẽ planè est opus exercitato. Cuius si rudis sis dignoscendæ, nihil inter hunc pulsum tibi & illum intererit, qui in ascensu subsistit, & quiescit paulisper. Dignoscetur, si quid habeat roboris. Nam qui undequaque est remissus, huius latet contractio. Sed fit plerunque, ut omnibus pulsibus, qui bis feriant, adsit uigor. Neque enim ad eam altitudinem peruenient, si omnino deficiãtur uigore: aut multo molliores sint quàm conueniat, necesse est: ut languidi simul & parui appareant. qui quidem etiam in lethargicis affectibus animaduertuntur. At tum quiescentem paulisper nequeas distinguere à bis feriente. Proinde nec ipsos quidem affectus ex hoc quidem discernere poteris. Aliud tamẽ est indicium, quo poteris. Atque hoc proprium est signum uitiosæ temperaturæ ipsius corporis cordis. Nec causa est, quin breuitatis gratia, ut pulsum aliquem, uel febrem hecticam, ita inæqualitatem nos hecticam appellemus. Si cui minus nomen probetur, stabilem illam uocet. Stabilis est, si deinceps permaneat par. At uero si cętera simul omnia indicia febrem hecticam esse declarent, multo hercle dignosces certius inæqualem intemperiem tenere uisceris corpus. Sed hęc explicauimus in differentijs febrium. Omnia deniq́ sunt reliqua animaduertenda, præsentia, præcedẽtia, & externa. Nam cum peripneumonia, suppuratio, pleuritis, phthisis, denique aliquis illic abscessus exortus sit: uel asthma, uel morbus quispiam ex distillatione, uel cruentum sputum, aut reiectio partis alicuius pul

C

D

monis

monis,aut breuiter quicquid, qua de re exundantia, uel crassitudo, uel lentor humorum obsideat pulmonem,accurate considerandum est, ecquid ex arteriarum obstructione pulsus inæqualis fiat. Sin horũ nihil sit, ipsum est uiscus explorandum, præsertim si anteacta ægroti uita nec crassis succis, nec lentis uideatur corpus implesse,à quibus aut foris offusis, aut obstruentibus arteriarũ oscilla inæqualitas concitetur.Nam si quid horum, uti docuimus,uel inflammatio,uel omnino tumor præter naturam illic exurgat,aut affluẽtia humorum deprimat facultatem,incidunt pulsus in inæqualitatem. Quare si nec adsint indicia, quib.noscuntur hi affectus, nec hectica inæqualitas & stabilis duret,intemperies existimãda inæqualis est corpus cordis inuasisse. Quæ cum etiam sit duplex,altera in succis eius proprijs, altera in partibus solidis: illa ex succis profecta unà cum totius corporis palpitatione fit:hæc ex solidis partibus absque palpitatione. Quare si quis hæc quæ retulimus ediscere cum arte cupiat,quæ de hecticis febribus scripsimus, colligat diligenter ex cõmentarijs De febribus,& libro De marcore. Atq; his signis cordis inæqualis intemperies dignoscitũ & distinguitũ à similib. affectibus. Si qua sit alia intẽperies uisceris,ut aliam ipsum corpus temperiem habeat,aliam sanguis & spiritus qui sunt in eius sinibus,inæquales pulsus nunq; efficit: sed ex affectuum confusione pulsus medium quendam statum sortiuntur. Confusiones affectuum modo prorsus inter se contrariæ sunt, modo non prorsus.Prorsus dico affectus contrarios inter se, temperamento: ubi quo calidior moderato alter sit, hoc sit frigidior alter. Non prorsus, ubi alter plus altero deflexerit. Potest etiam, si eiusdem ambo generis sint,in quãtitate esse differentia: cum uel calidius cor ipsum materia sit in sinibus contẽta, uel cum hæc remotior à natura sit corde. Et frigidius item corpus cordis potest esse, uel materia. Hi concursus non perinde omnes dignoscuntur conspicue.licet tamẽ interdum obscuros aliunde colligere. Prima cõmemorata mistio,in qua cordis corpus præter modum calidum est; arteriæ autem frigidiores, differentijs trib.constat. Aut tanto illud calidius est, quãto hæ frigidiores: aut multo illud calidius, quàm hæ frigidiores: aut minus illud calidius, quàm hæ frigidiores. Prima differentia pulsum repræsentat ad unguem moderatum tum magnitudine, tum celeritate, atque crebritate. Ad remissionem autem tantum depellit, quanto spatio naturalem temperaturã uiscus reliquit. Equidẽ animaduerti in hisce subinde affectibus, insigne etiam incrementum celeritati accessisse; non tamen hoc conspicuum perpetuo est. Atq; hoc alterum indicium maius tibi uidetur suppeditaturũ. Quantum enim corpus ipsum arteriæ desciuerit à moderato temperamẽto, conijcere est ex celeritate. nam procliuius ad motum est calidius corp⁹, si reliqua sint paria. Quare si, q; corpus ipsum cordis in naturali statu constãs, uel à materia, quã continẽt uẽtriculi eius, aut pulmo-

A nis cõsuetudine inflammati, uel alia quapiã parte uicina calfiat, pulsus refrigerij gratia in magnitudinẽ, celeritatem, crebritatem cõmutetur: primatum erit in magnitudinem mutatio, altera in celeritatẽ, tertia in crebritatẽ. Sin calidius sit partibus cum ipso continẽtibus, quæ in naturali statu sint, celeritas motus primum increscit, deinde magnitudo. Vnde cũ pulsus manifestum incrementum celeritatis percipiamus, magnitudinis uero atq; crebritatis nullã alteratione, magnopere in hoc corpore desciuisse ad calorem cor censemus, uicinaq; ei ad frigiditatẽ. Iam simul pulsuum insignis remissio & conspicua in eiuscemodi corporibus animaduertitur. Quòd si nec celeritas clara, nec remissio sit, exiguo calore corpus uisceris puta au-

B ctum. Hæ febres complurib. medicis imponunt: nimirum quòd febre ipsi se liberos esse ægroti affirment. Neq; febrẽ, quia parua est, & quia uiscus incaluit, corpusq; uisceris calor inuasit, aduertũt. Sed de hoc frequenter diximus. Breuiter non est magna febris ulla hectica, maxime si paucum calorẽ uiscus habeat. Qui igitur calor in uniuersum corpus deriuatur ex corde, hic sensum solus inducit ipsius inæqualitatis fastidiosæ. quamobrẽ balneas desiderãt, ut alij fastidiosi omnes & inæquales ex lassitudine, uel adustiõe, uel lotione intermissa, uel exercitatione. & plerìq; scilicet capiunt balneo, recreariq; se dicunt. Depulsam enim inæqualitatem esse totius corporis, nec magnopere quicq; se offendi, balneo referunt acceptum. Et sa-

C nè non læduntur forsitan horum quidam. uerum huius loci non est ista meditatio. In febrium enim curationibus de omnibus his disputabimus: siue separatim uisum fuerit eas, siue in methodo medendi tractare. Nam ad præsens institutũ solã dignoscendi uiã tractabimus. Sanè uideat quibusdam perplexa & incognita, si quãdo nec differentia ulla pulsũũ à naturali statu deficiat, & se ipse ęgrotus febrẽ nõ dicat percipere: ac inæqualitatẽ, quæ una molesta erat, balneis procurauerit. Et ut rem difficiliorẽ faciã, ne ex urina quidẽ petere in eiuscemodi affectib. firmam notitiã semper licet. sed est etiã ferè anceps, colore & compage similis naturali. Sexcẽtos tales in pestilẽtia diuturna conspeximus, ubi medicos cerneres nihilo plebe pre-

D stantiores, imò uero imperitiores multo nonnullos experiente plebeo. Vulgus enim ferè, si nihil aliud, at expirationem ægrotorũ uideas obseruare: quæ si fœteat, peiorem casum expectant. At illi quidẽ usu tale signũ in pestilentib. febrib. inuenerunt. Tu non usu modo, sed & ratione æstima. Iam os etiam attendũt. Quòd si illic aliquid coloris pestilentis cernant, eos peste confirmant laborare. Equidẽ medico hæc puto clariora esse quàm uulgo. partim enim illorũ colorẽ erysipelatosum, partim colorem habẽt depascentib. herpetib. assimilem, diffusum per plures partes scilicet quàm à primo. Et si manum thoraci exercitatus medicus admoueat in explorando febrili calore, ne tũ quidem prætereat eũ affectus. Inspicienda porrò pręcæteris urina est. Etenim cõturbata quorundam

eorum

eorum uidetur esse & aquosior, ac nonnullorum A
multo quàm pro natura tenuior. Atque hæc qui-
dem certissima est. necnon quæ naturalibus un-
dequaque similis est colore & crassitudine, hæc
etiam ad secundam spem certissima est, quæ si su-
blimamento probo sit prædita, multo etiã est cer
tior. siquidem sedimentum sit candidum, læue, &
æquabile. Præsertim sublimamẽtis animus est ad
hibendus. Nam quædã quæ subliuida quodãmo-
do sunt, fugiunt: & item alia quę aranearum latas
telas referũt in modum lanæ congestæ. At si quid
tale animaduertas, aut nullũ plane sublimamen-
tum innatare urinis, in peiorem partem hæc inter
pretare. Si cõtraria uideas, quæ retuli modo, non
potest fieri, ut male affectus homo sit. Ex his igi-
tur discernas, utrum inęqualitate quapiã affectus B
sit, an pestilens morbus & exitialis, qui hecticã fe
brem habeat, eum prehendat. Præterea ex ijs quę
balneum consequuntur. Etenim cibum respuũt,
& sitiunt præter modum, ac frigidam postulant.
Etiam oculi illorum sunt accurate inspiciendi.
Nam inter lauandum manifeste redduntur calidi
& flammei. quidam postea tales permanẽt. quos
plane sciemus teneri peste. At in pestilentia, qua-
lis nostra memoria fuit, & uiget etiamnum, nun-
quam experiri quisquam homo possit. Sciẽdum
tamen nonnunquam incidere sine peste has ip-
sas febres: ut de illis prodiderunt omnes insignio
res medici, uocantq; pestilentes. de quarum tota
natura disputaui latius in Differentijs febrium.
Nam hoc quidem loco, nõ quemadmodum quis C
optime febres dignoscat, tractamus, sed quemad
modum ex pulsu optime. Quinetiam dixi fortas-
se plus æquo de febrib. ex ipso cordis corpore ex
citatis. Quare ad pulsus nos referamus, & quod
residuum est de febrib. hecticis persequamur. Ete
nim sunt, ut docuimus, pestilentes non paucæ in-
de usque ab initio hecticæ, distantq; ab omnibus
alijs febribus, quæ ex magna putredine oriuntur.
Præterea etiã mœrorem interdũ sequunẽ & iram
à primo quædam hecticæ. Aliter nescio an ulla fe
bris inde usq; ab initio fiat hectica. At tẽporis diu
turnitate multis alijs succedũt, quas dilucide do-
cet, etiam si cum alijs connectantur, sicut declara
uimus, perpetua æqualitas, & alia quæ in libris
De differẽtijs febriũ docuimus. Notitia autem ex D
pulsibus, quomodo nuper diximus, initio adhuc
atq; primis dieb. non facile paratur, cum speciem
adhuc communem habeãt cum diarijs febribus:
uerum elapso triduo iam clariores fiũt etiam pul-
suum indicio. Siquidẽ aperte hæ celeriores, q̃ de-
ceat pulsus habent. atq; ut inter eas nihil intersit
aliud, febrili quidẽ certe calore manifeste secun-
dum thoracẽ præditæ sunt. pulsusq; tãto sunt lan-
guidiores iusto, quantũ calor creuerit. Hactenus
de febrib. in quib. cor tanto, q̃ natura postulat, ca
lidius est, quanto quam cõtinet materia frigidior.
Materiæ addamus securitatis gratia corpora illa
omnia, quæ cor attingũt. puta ex uiscerib. pulmo
nem: ex membranis cum illam quę cor uestit, περι-
κάρδιον uocant: tum quicquid thoracẽ prope cor
intersepit. Etiam consuetudo huic uisceri inter-
cedit cum aere, quem cõtinet tegumẽtum, quod
cor circumijcit: necnon cũ arterijs & uenis: qua-
rum penetrare maxima ostia cernis ad sinus eius.
Hæc omnia non aliter atq; materia pulsum cor-
dis immutãt, uocenturq; breuitatis gratia omnia,
quæ recensuimus, uicina cordi.

Qui sint pulsus in ijs febribus, cum cor calidius sit, quàm uicina ei frigidiora. Cap. IIII

Deinceps de illis febrib. dicamus, in quibus cor
calidius est, quàm uicina ei frigidiora. Nam in hu
iuscemodi affectib. pulsus celeriores simul, & ma
iores, & crebriores, lãguidioresq; iusto erũt. Lon
gius tamẽ ad remissionem & celeritatem, minus
ad crebritatem & magnitudinem diuertent à na-
tura. Stabilis & constans harum generatio est, ut
cæterarum hecticarum. Quod si non ita lõge ui-
scus à natura desciscat ad calorem, uicina ei longi
us ad frigiditatem, minores pulsus in his & rario-
res erunt. celeritate uel similes erunt naturalibus,
uel tardiores. Similes, si non multo frigidiora uici
na sint. Tardiores, ubi multo longiore interuallo
hæc ad frigiditatem à natura deflexerint, q̃ ad ca
lorem cor. Remissio hic etiã quantitati caloris re-
spondebit. At uero si frigidius iusto sit ipsum cor-
dis corpus: materia porrò reliquaq; uicina illo ca-
lidiora, erunt & hic tres numero differẽtiæ. Et ua
riabunt pulsus in unaquaq; sicut superiores. Pri-
mum æque refrigeratum sit cor, ut incaluerũt ui-
cina: tardior æquo erit is pulsus, si insignis fuerit
alteratio. Huic respondet remissio. Nam magni-
tudine nihil de natura decedet, nec uero etiã cre-
britate, quod animaduerti possit, aut insigniter.
At cũ nõ multũ de natura est discessum in utraq;
partem, difficillime, ut ante dixi, exploratur di-
scrimen. Atque in his præsertim corporib. obscu
rum est, quorum ignoramus naturalem statum.
Nam hunc si prius nouerimus, poterit etiam ani-
maduerti breuis mutatio, si quis uersatus sit in ex
plorandis pulsibus. Vt autem paulo ante, cum ui
sceris calidioris, & uicinorũ ei frigidiorum consi-
deraremus pulsum, febrẽ diximus esse hecticam:
ita nunc si uiscus sit frigidius omnino, q̃ naturalis
modus permittat, & uicina calidiora, febricitabit
quidẽ homo, nõ hectica tamẽ, quã uocant, febre:
sed uel diaria, uel ea, quæ putredini humorũ con-
sequitur. Hæc utraq; signa propria sunt diariæ fe-
bris coniunctæ cũ frigidiore corpore cordis. Vbi
ex ęquo de natura uterq; pulsus deflexit, nihil ma
gnitudine à naturali differt, nec etiã crebritate pe
ne quicq̃, quod perspici possit, nec item celerita-
te, ni utraq; insignis sit mutatio. Languidior uero
tãto erit, quãto uiscus frigidius. Qui putredini hu
morum comitaẽ, etiã par est perpetuo huius ma-
gnitudo, nõ tamen ut naturaliũ, neq; aliorũ gene
rum. uerum cum de natura aliquantulũ desciuit,
nihil ferè: sin maiore interuallo, aperte in contra-
ctione pulsus celerior fit: sicut superior in distẽtio
ne. Iam etiam clare in extrema quiete crebrior, &
languidior apparet tanto, quantũ refrigeratũ est
cor. Contrà iã magis refrigeratũ cor sit, q̃ uicina
incalue

incaluerunt, ac febris sit diaria. horũ pulsus manifeste languidiores erũt & minores, tardi nõ perinde aperte, sed si uicinis sibi frigidius sit corpus cordis. Iam etiam rari ac parui pro portione erũt. At uero febris sit ex humorũ putredine, horũ pulsus languidus erit perinde ut superior: sed illo etiã minor in distentione tardiorq;. At cõtractio naturali celerior erit. Ac magis etiam in illa tempora accessionis incidet id, in quibus est initium & incrementũ. Nam in uigorib. quidem minus, ac minus etiã in remissionibus. Porrò autẽ tertium genus cõmutationis ponatur, hoc est minus ad frigiditatem cor declinauisse, quàm ei uicina ad calorem, ac febrem esse diariã: pulsus habebit hoc corpus tanto quàm par est imbecilliores, quanto corpus cordis sit intemperatius, atq; maiores & celeriores naturali, sed maiores quàm celeriores ad hęc crebriores erũt. Hæc omnia sunt accipienda pulsibus nec in duritiam nec in mollitudinem aperte mutatis. Nam si hic sint etiã mutati, discessus eorũ ad mollitudinẽ omnino magnitudinẽ & raritatẽ augebit. Addet interdum & celeritatẽ. Equidẽ iam omnes mihi uideor febriũ, quas ex pulsibus sumas, differẽtias percurrisse. Siquidẽ sanè earum essentiã rectè in cordis nimio calore posuimus. Iã inter febres affectus non paucos alios attigimus contrarios febribus, in quibus cordis affectus frigiditas est. Præterea de mistis affectib. diximus, quorũ ex contrarijs inter se cõplicatis mistio constat. Iamq; transeundum aliò mihi erat. Sed quãdo in magnã dissensionem, nescio quo pacto, qui de pulsib. commentati sunt, inciderunt: propter eos uisum mihi est, quæ hoc in libro iam tradidimus, in quo de febribus ex pulsib. dignoscendis tractaui, summatim repetere. Imò si uerum fatendum est, potissimum hoc propter Archigenẽ statui facere. Nam cum habitus sit diligentissimus in cõmentatione De febribus, nihil nos propè, non aliter ac Erasistratus, docet. Nempe eorum, qui nihil docẽt, duplex est institutum. quidam ad proprietatem quę exprimi nequeat, cõfugiũt. alij proferũt quidem nomina, tamẽ nec quæ significant, obseruant: nec quàm illis significationẽ attribuãt, interpretant̃. Nanq; durus pulsus, quem perpetuum Archigenes febricitantibus confirmat esse, nomen duntaxat est, nec rem denotat ullã, nec planè, nec liquido intelligi potest. De quo pulsu in libris De differentijs pulsuũ latius disputauimus, & etiam in libris de dignoscẽdis ijs: maxime autẽ in ijs commentarijs, quibus interpretamur simul & examinamus quæ in libro De pulsibus Archigenes scripsit. Sed hic tamen etiam operæpretium est nonnihil de ijs summatim exponere.

De propria nominum significatione & metaphora. Cap. V

Vt singula alia nomina apud omnes Græcos singulas res indicant, ita etiam quæ occurrũt sensibus, his nomina quædam posuerunt, separatim quæ differentias auditus significant, separatim quæ differentias odoratus, uel gustus, uel tactus. Neq; scilicet alij sensui tribuunt album, nigrum, flauum, fuluum, pallidum, fuscum, cæruleum, reliquaq; colorũ nõmina, præter oculis obiecta. Neque etiã alijs austerũ, dulce, amarũ, acerbũ, astringens, salsum, salsuginosum: præter quàm quæ gustantur. Nec iam ullis alijs calidũ, frigidum, siccũ, humidum, molle, durum: uerũ his quæ tangunt̃, omnes attribuũt. Nam si aliò traducas hæc nomina, illa usurpatio uocat̃ metaphora. Habent uero & alia itẽ metaphoras ex similitudine aliqua & conuenientia. Ex qua similitudine pedes, uertices, lateraq; montis dicunt̃. Nam ut animalium infimæ partes pedes sunt, uertex omniũ supremæ: sic in mõtib. permissum est poetis supremas partes uertices uocare, & infimas, pedes. Si quis igit̃, cũ de animali loquat̃, & pedes dicat uel latera, noluerit pedes more omniũ accipere, neq; latera, ut institutum est: sed ita dicat latera accipienda esse, quo modo de monte Brilleso dixit Callimachus:

Brillesi latera sunt oræ, quam tenuere:

sanè quàm ridiculus sit, duplici utens & reciproca metaphora, nõ à proprijs ad propria. Haud aliter si cum de morib. aut uino durum dicitur per metaphoram, de corporibus quæ tanguntur disputans nolueris, ut solent omnes, nomen interpretari: uerum sicut uinum dicitur durum, aut homo, aut mores. Huic simile est, si cum sermonem habeas de rebus uisibilibus, atque album dicas, prohibeas ex omnium instituto accipi: sed quãdo febres aliquas Archigenes albas appellauit, ita esse etiã intelligendum colorẽ album. At quemadmodum quidem non uidebitur is sanus esse, si quod proprium nomen colori tribuitur, transferre duplici differẽtia ad eũ ab improprijs studeat: sic sanè, qui de simplici corpore sermonem instituit, & per metaphoram uult durum nomen accipi. Etenim in ijs omnib. fit oratiõibus, ut nihil auditores proficiant, cum & prohibeantur propriè dicto, nec quicq; intelligere aliud possint. Quem enim alium accipias colorẽ prolato albo, consueto prohibitus, & accipere ex metaphora albarũ febriũ iussus. Sic item durus pulsus, quẽ Archigenes in re tangibili induxit, nisi propriã significationem habeat, nimirũ hanc uulgarem: sed ut ille ex metaphora uinorum uult, prorsus obscurus est atq; incognitus, talisq; ut si scindapsus dicat̃. Etiam posset quoduis aliud nomẽ proprio febriũ pulsui tribuere, & aliquid uideretur dicere apud homines scilicet in distinguẽdis significationib. imperitos, simplices aũt & adductos, uirũ senẽ, qui tam clarus esset, artemq; multũ illustrasset, nõ facturũ unquam, ut talem obscuritatẽ temerè sermoni induceret, ut nomina proferret nullius significationis. Iam uero si quis pulsum febricitantis amarũ dicat esse, ac nomen amarũ, ut ad gustum referimus interim, uelit accipi: nihil sane, quod clarius intelligamus habebimus, quàm si acerbũ, uel austerum, uel acidum audiremus pulsum esse: quòd ex omnibus his res molesta & non naturalis repræsentetur: quæ autem sit illa, non declaretur. Quanquã in eiuscemodi metaphoris à proprijs ad aliud non proprium traductio fit, res permissa omnibus & uulgaris. At in significatione duri pulsus, cuius

cuius autor Archigenes est, quod nec concessum est, nec usitatū, nec omnino fuit, aut poterit esse; intelligere oportet nos significationem ad propriam ex metaphoricis reuersos. Ita nomē quidē audias, at rem intelligas nullam. Verum quid sermonē de his producam, cum alias diffusius de his disputauerim? At superiora summatim repetamus, ac de omnibus febribus dicamus.

De febribus per pulsus dignoscendis. Cap. VI

Tria esse in summa genera illarū, alio loco docuimus. Quemadmodū uero quodq; ex pulsibus dignoscat, declarabo hoc loco. Omnes diariæ in magnitudinem, celeritatē, crebritatemq; pulsus quantum in ipsis est mutāt. Nam si cōcurrat alius affectus, mistam oportebit esse mutationē ex illa & hac, quæ comitat febri. Pari modo febres hecticæ pulsus in easdē differentias cōuertunt, quantū in ijs est, ampliusq; in his mutat celeritas. At quæ ortæ sunt ex putredine humorum, in uigoribus utrunq; habent motū celerē & distētionis & contractionis. Præterea crebritatē ex æquo mutant cum externæ quietis, tum internę. In initio accessionis non perinde, sed magis augēt cōtractionis celeritatē. In incrementis cum hanc, tum etiā externam quietem plurimū concitāt, ut pulsus in illa creberrimus uideat. Habes pulsus, qui soli febrium per se proprij sunt. Reliqui omnes, qui febricitantibus accidunt, aliū potius affectum q̃ febres sequunt. Quorum etiā affectuū sunt duo genera, aut facultatis, aut instrumētorū uitiū. Quippe ad causas inueniendas, quæ mutāt pulsum, tria hæc sunt animaduertenda, instrumentū, usus, & facultas. Demonstrauimus enim quæ ex singulis horū generibus de natura deflectentib. accidere pulsib. oporteat. Quo minus est mirū, si inter sese præclari isti medici dissideant de febris proprijs pulsibus, errentq; omnes, ut qui nec genera partiuerint pulsuum, & profectas ex facultate uel instrumentorū uitio alterationes pulsuum arbitrentur proprias ipsis febrib. esse. ut inuadentis accessionis quidā crebros & paruos, alij ad hæc languidos, iam nōnulli etiam inæquales, sunt qui tardos etiam, contra alij celeres posuerunt indicia. Tametsi quædam febres incōpressas, ut isti uocant, inuasiones faciunt. In quibus pulsuum prima mutatio in magnitudinem & celeritatem fit. Mox his succedit augescētibus crebritas. Reliquorum pulsuum quos memoraui, in illis nullus apparet, nec initio accessionum, nec in incremento, nec uigore. Verum hos nec rigor, nec horror, nec ferè ulla inæqualitas, quin ne frigus quidem partium extremarum uel superficiei, nec uellicatio, aut grauitas, aut compressio stomachi unà incessit. Plerisq; uero uel unum de his uel plura comitantur. Nonnullis paulo post uomitus: qui aperte declarat, & ex eo quod in uentriculum uitiosi succi confluxerūt, quosdā illorū uellicatos esse, alios cōpressos, aliquos nauseasse. Clarissime enim recedit in plerisq; initijs de tota superficie externa sanguis, confluitq; in uiscera. Vnde compressiones & obstructiones fiunt, distētionesq; arteriarū præcipuarū,

A propter quas initijs talium accessionū coniuncti sunt pulsus inæquales, quemadmodū etiā languidi ob stomachū & facultatem affectam. Ad hunc modū fiunt & parui ob imbecillitatē facultatis, et ob frigiditatē. Et iam tardi quoq; ex ingenti frigiditate. Verum contractionē perinde ac distētionem nullus horū tardā fecit. Sed hoc perpetuum est, & præ cæteris propriū inuasioni febris ex putredine humorū ortæ, ut arteriæ cōtractio efficiatur celerior. Et si quis in cognoscēda contractione est exercitatus, perpetuum hoc & constās initij accessionis signum habebit, ubi uigore aliquo ut frequenter admonuimus, pulsus præditus sit. Nam in languidis contractionem docuimus dignosci non posse. B Hoc igitur etiam atque etiam meditandum tibi est, siquidem cognoscere ad unguem uelis initium accessiōis. Quemadmodum autē ingredienda sit meditatio, copiosissime in libris De dignoscendis pulsibus declarauimus. certissimū est hoc signū, nitendumq; illo maxime est si aperte, cum inquiris, appareat. Equidē in multis, quorum antea pulsum nunquā tetigeram nec per sanitatem nec per ægritudinē, hoc fretus uno signo, nunquā sum lapsus. Nam cæteris quidem omnibus, siue frigescat totum corpus, siue os uentriculi, quem per abusum uocamus stomachum, siue deferatur sanguis in profundum, uel ex mœrore, uel metu, uel alia de causa, similis tarditas est pulsus & in arteriæ distentione & contractione. Iam ei etiam coniuncta est in utraq; quiete raritas. C In solis uero inuasionibus febrilibus, ut distentio interim tardior fiat priore, certe contractio celeritatem nanciscitur. Ad hæc restringit externas quietes, ut hic pulsus crebrior euadat. At non in interna, sed uel perinde ut in priore, uel paulo id tēporis uidetur rarior. Cōparanda uero est prior quies quantum ad tactum præsenti. hocq; memoria tenendum, conflatam esse eam ex fine contractionis, & initio distentionis, atq; ex interposita inter has quiete. tum expendendum, quantum utrinq; ei ex parte motuum delitescente accessit. id quod expendendum est comparando cum uigore. Nam si æque pulsus uigore præditus nunc sit, ac ante fuit: quāto tēpus sensibilis quietis longius fiat, tantum etiam est putandum esse reuera D extractam quietem. Si lāguidior quàm prius effectus est, arbitrandū est & ob hoc partem suppressam esse motuum, quæ quieti, quam sentimus, ad ueram inueniendam detrahenda est. Nam si paulo pulsus quàm ante languidior fiat, multo autem rarior, ueram quietem puta esse productam. Sin multo remissior, et rarior paulo, ut sensus iudicat, minime censebis protensam esse ueram quietem. Eodem modo, si cum paruam remissionem assecutus pulsus est, insigniter tibi crebritas uideatur aucta, contractam arbitrare ueram quietem. Itaque in quibus languidior pulsus est factus tempore quo exploramus, animaduertēdum est. In quibus uero pari est uigore, in his facile, uti diximus, si animum aduertas, interna quies dignoscitur. Proinde cum nihil pulsus uariet, nisi in cōtractione

ne

ne sit celerior, id habe initij accessionis signum perpetuum. simulq́ fit hic pulsus in æterna quiete crebrior, natura incumbēte ad excrementum fumosum abstergendum: quam ob rem celerius contrahebatur. Ac sic quidem celeritate tantum contractionis, cum primum id generatur, uariare à priore pulsus uidetur. Paulo post etiam fieri creber in externa quiete, quòd citius arteria considere incipiat. At diariæ febres non habent hoc, quia putredine humorum uacent. Nec iam etiā hecticæ: quòd nisi aliter cum ijs affectus casu coeat, ne incipiant quidem unquā. Ita in quibus præsertim febribus quæritur accessionū initium, tenere nos hoc indiuulsum signū debemus. Quòd si primo die, cum recens de sanitate homo in morbum incidit, pulsum tāgamus, statim nobis genus etiam febris hoc signum ante oculos proponet. Vna enim inuadere cum febriū accessione, quæ putredinis alicuius humorū comites sint, perhibēt. Iam in differentijs febrium docuimus in eodem genere quo hunc, pulsus esse, qui ab inflāmatione excitantur, sed à pulsib. ab humorum putredine concitatis, hi sola duritia discernentur. Siquidem pulsuum ortorū ex inflammationib. durus est occursus. Quare si durū occursum, quem efficit distentio arteriæ, discernere ab eo uales, quē generat frigiditas & duritia, tres prædicere hinc causas præteritas poteris, potū frigidæ, meracius uinū, inflāmationē, quam non solum ante causam fuisse accessiōis, sed permanere etiā dicemus, frigidæ atq; largioris meri potum antecessisse eum quidē, sed quem concitauit affectum, adhuc durare. ac indurescunt quidem ex nocuis frigidæ potionib. arteriarū tunicæ, & ab uino immodice poto desiccantur. Nam si neruorum simul principium lædat uinum, etiam intenduntur non aliter atq; illæ quæ conuulsionē prænunciant. In inflammationib. uero absq; propria tunicæ duritia tenduntur, uocaturq́ pulsus tum etiā durus ob uim ictus: non induruit tamē per se arteria, quomodo cū uel desiccata sit aliqua ratione, uel magnopere perfrigerata, uel affectum cōparauerit scirrhosum. Atq; hęc quidē sic distinguito. Quę primo die nequaq; obtinent istud signū, à febrib. putridis separabis: ac uel diarias censebis uel hecticas. At febris hectica rarissima à primo existit. quin tamē id temporis possit nasci, nihil causæ est. sed uidimus etiam nonnunquam tales. Reliqua harū omnia signa alio in opere explicata sunt, ubi de differentijs febrium tractauimus. Quæ uero pulsus suppeditant, nunc persequemur. Nec magnus pulsus, nec uehemēs cum hecticis febribus unquam concurrunt, sed si alterutrū habeant horum, nō sunt hecticæ. Si simul utrūq; habeant, planè sunt diariæ. siquidē eorum contractio, quemadmodū diximus, nō properet. Propria enim est eius quę consequitr putredinem humorū, celeritas: cuius singulas differētias in cōmentarijs, quorum memini, sum persecutus. Hæ sunt, ut summatim cōmemorē, omnes quæ circulatim accedunt, atq; omnes cōtinuæ, ubi tertium diē superēt. Eiusdē generis sunt quæ inflammatio-

A nibus comitant. Ac in remissionib. celeritas contractionis dissoluit, præsertim cum ad integritatem aut prope eā peruenerint. Initio accessionū generat, si aliqua ratione humores incendantur: ac per incrementum auget. Vbi prope iam attigerint uigorem, succensis humoribus, feruescentibusq́, ingens incrementū suscipit distentionis celeritas: contractionis permanet par celeritas. Vbi iam uigeat planè febris, in illa accessione ad summam celeritatē distentio peruenit, & diminuitur celeritas cōtractionis. Verum pleriq; medici, precipue qui sensu negant contractionē percipi posse, longe absunt ab signo quod exposuimus, omnium febrium ex putredine ortarū, initijq́ in illis singularum accessionū. Nonnulli, sed sanè pauci

B obscuram imaginem rei uidentur conspexisse. Quamobrem adeo confuse atq; obscure scribunt ut qui conijcere ualeat, quid dicant, sit nemo. In his Archigenes est, quod uidebis, si librum eius De pulsibus legere uelis, & cōmentarios De signis febriū, aut certe horum compendiū. Et uero nos etiam libros eius De pulsibus unà cum interpretatione obscurorum locorū expendimus atq; examinauimus octo commentarijs. At uero mihi quidam uident optime dixisse, si adiecerimus sermoni quandā distentionē, pulsuum ex utraq; parte mutationē initij accessionis esse nunciam. Quam adiunctam distinctionē uolo, ea hæc est, si mutatio citra aliam occasionē acciderit. Occasiones aūt partim externæ sunt, non medicis modo,

C sed plebi etiā perspectæ, cibus & potus sumptus, quiuis motus, & animi affectus iratorū, aut metu percitorū, aut angore, aut quamlibet aliter cōmotorum. Partim ex ipso corpore originē ducūt, de quibus paulo ante uerba feci. ubi horroris, rigoris, refrigerationis, atq; confluentium in uentrem mentionem facerem. Nam si laboranti tale nihil acciderit, repentina in quamcunq; rem sit, mutatio accessionē præmonet: si celerior maiorq; pulsus fiat, calorem ad arteriarum fontē suppullulare: si tardior uel minor, frigiditatē. Itemq; consentiet crebritas cum caloris abundantia, cōtra cum frigiditate raritas. Et remissio etiā quāuis alio ex symptomate oriatur, peculiaris est accessionū ini-

D tijs. quòd in uentrem tum confluant humores uitiosi, atque offenso eius ore facultatem afficiant. At pulsuū inæqualitas, quæ ferè inuadit unà cum accessionibus, compressarum uel obstructarum modo arteriarum, aut copiæ humorum maioris facultate est signum. quæ etiā ratione accessionis possunt accidere. Quæ igitur pulsuum mutationes fiunt, cum cordis calor augetur, uel confluūt intrò humores, aperte hæ uidebūtur accessionis initium annūciare: siquidem, ut diximus, ab alijs occasionibus sint remotæ. Quæ uero cum crescit frigiditas, hæ non etiā uidebuntur febris accessionem nunciare: sed si hic quoq; alias omnes occasiones secludamus, declarabit frigiditas nobis iā iamq́ febrem iri accensum. Suffocat enim tunc, quia materia, quæ in profundum cōfluit, mire sit frigidior, ut periculum sit, ne semel principiū extin-

guatur. Qualia exempla extra corpus multa conspiciuntur, si quando materiam simul & multã, & quæ nõ facile succedat, affatim in modicũ ignem cõijciamus. Nam statim periculũ est, ne extinguatur. Si non extinctus sit, sed restiterit, paulo post succendere totã materiã incipiet, caloremq; generabit, primo fumosum, tandẽ etiã flammeũ, dum prorsus deuicta materia puram excitet flammã. Nam ab ea flamma quod defluit, non fumus, sed fuligo est: Græcis duo nomina sunt, ἄιθαλος & λιγνὺς: utrũq; enim materiæ adustum excrementum, quod in sublime fertur, significat: quod uero decidit, cinis & fauilla. Ita finge in febribus, ubi aceruus materiæ humidæ initio accessiõis ad cor peruenerit, primum mortis periculum esse. quod periculũ maxima mutatio pulsuũ in raritatẽ, tarditatem, paruitatemq; prænũciet. Nã si his insignis remissio successerit, extẽplo peribunt. Sin autem absit remissio, cõtendit natura hãc superare: atq; arteriarum motum maiorem, celeriorem, crebrioremq; excitat. ut uterq; motus celerior quidẽ fiat, sed clarius contractionis, increscatq; hic breui manifeste, dum augescat accessio. tandem ubi materiam superauerit, calor quasi flamma incenditur. Atque is est uigor accessionum, ubi fuliginosum natura excrementũ expiratione & contractione arteriarũ expellit. Quod uero est ueluti cineritiũ, non perinde, quia crassum est, potest excernere: sed per insignes quosdam meatus educit. Hoc in partib. inflammatis pus est. in ipsis uasis sedimentum urinæ. At de his in cõmentarijs De differentijs febriũ latius diximus. Pulsus autem illas mutationes singulis temporibus accessiõis necesse est habeant. Iam etiam in initio, ut diximus, nõ male quidam mutationẽ eorum in utranq; partem statuerunt. Sed ad omnimodã illorũ signorum certitudinẽ danda est opera, ut scias discernere pulsuũ omnes alterationes ex alijs occasionibus: in quas quanquam uitet, frequẽter incurrit Archigenes. Itaq; in uerbositatẽ, & institutionis confusionem incidit, cum proprijs & perpetuis singulorũ temporum signis cõmisceat ea quæ frequenter consequuntur: tametsi sumi ex minimo methodo possint. Nam purum calorem motus distentionis declarat. Atq; eum qui est ueluti fumosus, cõtractionis. Cæteræ pulsuum alterationes, aut ob facultatis aut ob instrumentorum fiunt mutationẽ: quarum utraq; ex causis quibusdam præcedentibus, quæ ferè alias etiam externas comitant. Ac quò sit sermo clarior, appellabimus, quæ ex corpore procedũt, causas, unde uel facultas uel instrumenta alterant, præcedentes. Harum ipsarum quæ positæ extra corpus induxerunt alterationem, causę sunt externæ. Harũ nos methodũ omnem in alijs cõmentarijs, quos inscribimus De causis pulsuũ, exposuimus. Itaque nihil miri est, si expedita hæc quis memoria cõplexus, meditatusq; uia artificiali ad prompte dignoscẽdos quosuis pulsus causas interim quæ præcesserũt in ægrotis, inueniat. Atque hic quidem finem sermonis faciamus.

A *Pulsuum mutatio ex intemperie siccitatis & humiditatis cordis & arteriarum.* Cap. VII

De intẽperie humiditatis & siccitatis, quæ cor teneat, ipsasq; etiã arterias & singulas separatim, & omnes in cõmuni, deinceps agã. de quibus etsi ante ego nõnihil attigi, tamẽ orationis seriẽ, quæ tractari hæc separatim postulat, ac si dixissemus nihil, ita absoluemus. Nam cor si siccius euaserit, q̃ naturalis status fert, unà om̃es secũ arterias alterabit. Interim in una hoc parte animalis arterijs, uel in plurib. accidet. Est cũ sint cõtra quidem ac cor affectæ, quod ad se pertinet, arteriæ: sed tamẽ etiã recipiãt eius affectionẽ: ut cõflet illis medius quidã affectus in humiditate & siccitate. sicut ante in caloris & frigiditatis intẽperie explicauim9.

B Causæ sunt præcedentes, quæ arterias indurent, aqua sulfurea, & aluminosa: & ne multis, quęcũq; uim habent exiccãdi, nõ aquæ modo, sed & medicamẽta, diu parti cuipiã corporis applicata. cuiuscunq; arterias hæc intẽperies tenuerit, ipsum pulsum reddit duriorẽ. Maxime uero in plerisq; atrophijs, cum arteriæ partiũ nutritione defectarum fiunt duriores, tum pulsum creant duriorem. Cor ipsum ad intemperiẽ inducit uictus, si diutius sicco utaris. Præterea medicamentorũ exiccantium esus & potio. In quibus est uinum merum, defectus cibi, uel alia quapiã de causa, uel ob famem publicam. Interim etiam ob potum, ut in longis nauigationibus. Ad hęc immodicus labor, seniũ, solicitudo, tristitia, diutinæ uigiliæ, febris hectica,
C præ cæteris marcida. Hæc igitur quæ memorauimus omnia, nunc singula, nunc bina, nunc terna, nunc plura cõiuncta cor siccius efficiunt, tantoq; quàm par est duriorem pulsum, quãto sit siccitas maior. Causæ humidæ intemperiei sunt œdemata, quæ partes diutius tenuerũt, aqua inter cutem leucophlegmatias, qui item cor alterat. deniq; omnia principum uiscerum œdemata cum arterias humectãt & cor, tum pulsus efficiunt molles. Pulsuum causæ mollitudinis mediocris nec insignis hæ sunt, ciborum copia humidiorum, multum ocium, somnus longus, balneæ à cibo. Durorum pulsuum ante demonstrauimus esse paruitatem, mollium magnitudinem. Iam etiam has consequi celeritatem & tarditatem. Ad hæc crebritatem
D & raritatẽ. Declarauimus præterea aliarum causarum concursiones. Causas nunc dico primas & quasi continentes generationis pulsuum, usum & facultatem. Itaq; accidentium cordis ex intemperie nihil iam reliquum est. At non tamen tumores in illo excitant, qui pulsus alterent in duritiem, quemadmodum in cæteris uisceribus inflammationes & scirrhi. Prius enim pereat homo syncopa correptus in illorum tumorum ortu. omnia igitur quæ cordi accidunt, quæ pulsus mutet, retuli. Quamobrẽ hic finire hunc librum certum est mihi, ac progresso ad quartũ, omniũ aliarũ corporis partiũ exponere affectus, quicunq; intemperiem & tumorem præter naturam comitantur, ac qui singulos pulsus consequitur.

GALENI DE PRAESAGATIONE EX PVLSIBVS LIBER QVARTVS.

PROOEMIVM.



VARTVS hic liber nobis est de Præsagatione ex pulsibus. In primis duobus singulorum pulsuum positorũ expendimus autores affectus. in tertio singulorum affectuum proprios pulsus inuestigauimus. Cœpimus autem ab ijs, quæ cordi accidunt, in quibus sunt omnes febres, ut in libris, quos de ijs scripsimus, probauimus. Quod reliquum est adhuc, aliarum omnium partium affectus, quibus cor consentiens cõmutat pulsus, omnes ordine explicemus, contrahamusq; in methodum eos, quomodo ante fecimus alios. Atque hoc de omnibus in communi est sciendum, totius corporis pulsus, prius quàm consentiat cor parti prius affectæ, in communem alterationem fieri non posse ut trahatur: in parte aliqua, licet offensionem cor non sentiat, arteriarum motus uariare posse. Posteaquam iam huius admonuimus, primo loco instrumentorum respirationi seruientium affectus exponamus, deinde nutritiorum, mox capitis, postea artuum, & propatularum animantis partium, postremo genitalium.

Pulsus, quos creant pulmonis affectus. Cap. I

Ac partes animalis respirationi seruientes duę duntaxat sunt, pulmo & thorax. Nutritionis multo plura quàm duo instrumenta, iecur, uentriculus, intestina, lien, renes, utraque uesica. Celerrimam cordi et omnium maximam noxam dat pulmo. Sedem habet enim omnium ei coniunctissimam, eiq; uasis quammaxime affinis est, & confluxus est per maxima ostia inter utrunq; sinum. Quamobrem si quando euaserit solito calidior, continuo cor calfacit. Si frigidior sit, nec hoc intermittit. Nam humiditatis & siccitatis intemperiem non perinde ac illas: sed citius etiam has tamen, quàm cętera instrumẽta impartit. Tum plethorici eius morbi, maxime cum erysipelas uel inflammatio inuaserit uiscus, cordis statim functiones alterant. Et affectus quoque, quos committit fluxio pituitosa, in consensionem secum cor trahit. Sed ab intemperie initium exordiendum est, quæ absit à fluxione. Ac primum in manibus sumam calorem. Ergo si à pulmone excalfacto cor paruũ calorẽ contraxerit, pulsus efficit qui comites esse usus pulsuũ amplificati solẽt. Qui affectus si diuturnior sit, in periculũ uocabit illud, ne in febrẽ hecticã incidat, cuius nos ante indicia declarauimus. Atq; perinde pulsus alterabunt, siue solum per se cor intemperatũ sit, siue consentiat pulmoni. Iam etiã respirationis forma in eodẽ erit statu, siue febrili intemperie cor solum affectũ sit, siue pulmoni consentiat. Maiorẽ tamẽ in toto sinu thoracis æstum percipiet, qui ex pulmone laborat: atq; calidã plane animã reddet: sitietq; etiam altero magis: & calidiorib. erit faucib. atq; lingua, eaq; ferè sicciore. Quòd si malũ ingrauescat, inficiet lingua atro colore, quã omnino asperã habebit. At si pulmo sit refrigeratus, cor, quod ei consentit, pulsus primo in eam adducet alterationẽ, quam ante consequi ostendimus dissolutũ usum. Temporis longitudine cum frigiditatẽ hecticam cõtraxit, pulsus excitabit, quos huic, si polleat, attribuimus. Ac nimirum cætera conueniunt his, quibus solum cor est refrigeratum, cum illis, quibus pulmo. Alterum enim necessario alteri consentit. Quibus uero refrigeratus est primus pulmo, hoc habent extra ordinem, ut sentiant frigidam respirationem. Iam si siccitate intemperatus pulmo fuerit, à primo pulsus penè nihil alterabit, tandem consentiente illi corde duriores efficiet. His fauces, tametsi nihil sitiant, prõpte arescunt. Humida intemperies uuidas reddit fauces, sitim extinguit, & die ad mollitudinem pulsus traducit. Habes pulsus simplices intemperaturas. Ex his cognosce compositas. Nam ad aliud propero genus, quod ex fluxione dixi oriri. Communem habet hoc omnium inæqualitatem pulsuum. Obstruuntur enim facile & constringuntur atq; comprimuntur per eas fluxiones principes arteriæ. Nec minus ob humorum copiã maiorem facultate: quòd scilicet tam cõiunctum pulmoni cor sit, & confluxum habeat per magna ostia. Ac inæqualitas quidem communis est omnium fluxionum quæ impingunt in pulmonẽ, eaq; nunc maior, nunc minor est pro crassitudine humoris & abundãtia. Minor ex subtilib. & paucis, insignior ex crassis & uiscidis copiosisq; fluxionib. efficit:

quòd hæ obstruāt magis cōprimantq́ ac grauēt. At alterationes pulsuum in cæteras differētias, ex calidioribus fluxionibus, quales ab copioso calore: ex frigidioribus, quas excitari ante ab defectu docuimus. Duriores quàm oportuit fiunt per siccam intemperiem, et inflammatos atq; induratos pulmonis tumores: contrà molliores ob œdemata. Iam nec respirationis unum genus est per intemperiem & fluxiones. Frigida intemperies par uam, tardam, raramq́ respiratione creat nō aliter atq; pulsus. At fluxiones frigidæ pulsus similiter mutant. Respirationem nec paruam, nec tardam, nec raram reddunt. Quia enim cōstrictus pulmo est, paucus spiritus recipit. qui quòd naturæ non satis efficit, fit ut altera actio statim celeris efficiatur & magna. Quæ habent solæ dyspnœæ, quod declarauimus in libris quos de ijs conscripsimus, ut thoracis distentioni quantitas attracti spiritus aduersetur. Maxime enim thorax dilatat, sed non attrahitur animæ plurimum: uti cum apertus pulmo, nec obstrictus esset. Genus igitur respirandi omnes fluxiones idem habent. At non eadem omnib. suffocatio, sed omnibus calidioribus comitatur potius, quandoquidem largiore attrahi spiritum natura tum postulat. Nam solam intemperiem nullum suffocatiōis periculum excipit. Iam pulsus etiā præter superiores differētias in aliam incidit, ex eo quòd fluxio nunc in ipsas impingat solas asperas arterias, nūc in læues & uenas: uel q inter eas occupet cunctas intercapedines. Si arteriæ tantū asperæ sint oppletæ, nihil prorsus duritia uariant. sin leues, quia totius animantis arteriæ intenduntur, pulsum efficiunt duriorem. Oedemata tantum abest ut induret eum, ut etiam molliant, diuturnitate arteriarum tunicas humectando, nec quicquam intendendo, id quod in tumoribus inflammatis & duris usu uenit. Quare noli iam nomina expectare peripneumoniarum, uel asthmatum, uel aliorū pulmonis morborū, cum affectus teneas pulmonis. Nam institutionē per nomina primam habere significationis cōtrouersiam: alteram, numeri morborum ignorationem, multis sæpe locis declarauimus.

Pulsus, quos creat thorax affectus. Cap. II

Sed ad thoracis morbos eadem uia & ratione progrediēdum nobis est. Intemperaturæ easdem alterationes inducunt, ac paulo ante illæ pulmonis. Tumores pro multitudine & genere singulorum humorum, qui efficiant eos. Variant autem, quòd citius cor & magis pulmoni consentiat: minus atque tardius thoraci. Alia præterea erit uarietas: quòd interim affecta pars thoracis sit, interim succingēs costas tunica. Maior siquidem tensio est, ubi duræ partes & spissæ intumescant. Vnde etiam pleuritici semper duriorē pulsum quàm peripneumonici habent. At æqualis est prorsus pulsus in tumoribus, qui cōsistunt ad costas, non ut in pulmonis tumoribus inæqualis. Neq; enim magnis uasis neq; uicinitate propinqua cum corde coniunctus est thorax. De genere dyspnœæ hoc loco nihil necesse habeo dicere, ut in pulmone opus erat distincto. nam modo cor offenditur primum, modo pulmo. Exposita est enim & facilis eius affecto thorace cognitio.

Qui pulsus fiant affecto iocinore. Cap. III

Iocinore affecto pulsus ex intemperie uariant, ut superius docuim⁹. Si excitati sint tumores preter naturam, conueniunt fere etiam in his, sed minus ex inflāmationib. indurescunt, quàm ex thoracis inflammationibus: & tanto quidem, quanto q ex pulmonis magis. Nunquā etiā ex thoracis uel iocinoris tumore fit mollis pulsus, eo q nec innascit his instrumentis œdema pituitosum. Compactior enim thorax est, q qui eam fluxionem admittat. Iecur non compactius modo, sed & innata facultate alterat pituitā. At iocinori proclíuius cor, etsi remotius quàm thorax sit, uinculo cauæ uenæ consentit.

Septo transuerso affecto, qui pulsus fiant. Cap. IIII

Consentit porrò septo transuerso præter omnes alias thoracis partes, quòd ex ipsa caua uena in hoc uenæ inseruntur. Tensionem uero nulla perinde alia pars infert arterijs, præcipue si neruosa eius pars affecta sit. Ac si ab solis excremētis citra febres intendatur, dolor & dyspnœa à primo consequitur. Postea putrescentibus excrementis febricitāt. Si ex fluxione, quæ incumbit in ipsum, omnino hæc sit uel flauę bilis uel calidi sanguinis & tenuis oportet. Nam crassum sanguinē, & pituitam lentam propter densitatem nunquam recipiat. Hi delirabunt necessario, pulsumq́ habebunt insigniter durum, itaq; etiam paruum, quia uero ambo hæc, & calor est copiosus, proinde creberrimum quoq;. Pulsus iam affecto septo transuerso citra febrem, durus est & paruus: non multo tamen crebrior, sed uel admodum parum, uel nulla ex parte in eam incidit mutationem. At uero omnia quæ magnis pleuritidibus accidūnt, respondent symptomatib. partis neruosæ septi trāsuersi, tum q succingens costas tunica multis neruis prædita sit, tum q adhæreat septo transuerso, membranisq́ thoracē intersepientibus, per quas ad cor continuatur. Ac maximū sane indiciū exitialis pleuritidis est, si pulsus sit magnopere durus, itaq; paruus etiā, & ob ambo hæc caloremq́ creberrimus. Pleuriticus cum tali pulsu nemo est seruatus ullus. Hi minus q quibus inflāmatū est septū transuersum, delirant. Propius enim principium emittunt nerui septi transuersi. Verū quando de pulsibus dicere institui, non est mihi in cæteris signis immorandum. In commentarijs enim De locis affectis, latius de his diximus.

Qui pulsus fiant uentriculo affecto. Cap. V

Ventriculus affectus intemperie, pulsus ita ut superiora immutabit. Si tumore secundum fundum, more aliorum. Sin ad eius os is constiterit, pulsus ob neruorū multitudinem erit durior: non ita durus tamen, ut ex septo transuerso. Multum enim concedit huic, tametsi non cedat neruorum magnitudine: sed quia hi nerui insigni sensu sunt præditi. Molles sunt enim & magni, atq; ex ipso principio sunt enati. Verum quia carnosa est corporis

poris substantia, duritia inferior est & succingente & septo transuerso. quæ corpora robusta sunt, & dura spissaq́; unde cum intumescũt, uehementius tenduntur. Præterea illorum nerui non secus atque ipsa instrumenta duri robustiq́; sunt: uentriculi, ut diximus, molles. Quare ex septo trãsuerso & succingente tunica durissimi, itaq́; etiam parui fiunt pulsus. Quòd si calor quispiã cum iisdem ut in inflãmationibus & febribus, sit coniunctus, simul creberrimi. Ex ore uentriculi nunquam ita durus pulsus fit, ꝗ nec ipsi nerui, nec pars sit robusta. Verum parui & subinde crebri, quia propter eximiũ sensum defatigat̃ quamprimũ & deiicit̃ facultas. Exposuimus enim quos pulsus dolor, præsertim si facultatẽ lædat, efficiat. Ac quemadmodũ ob dolores qui afficiũt uentriculi os, statim debilitat̃ facultas: ita nec copiã humorũ sustinet, ne paulisper quidẽ: sed degrauatur & defatigatur pulsusq́; efficit inæquales. Diximus in superioribus libris facultatẽ copia materiæ degrauatã qui pulsus comitent̃, atq́; etiã qui debilitatã. Quæ offensiões facultatis cũ uẽtriculos ambæ comitent̃, iure pulsus reddit interdum lãguidos, paruos, crebrosq́; interdũ inæquales, cũ in illis trib. quæ memoraui generib. tũ uero in celeritate & tarditate.

Qui pulsus fiant affectis cæteris nutritionis instrumentis. Cap. VI

Porrò in nutritionis cæteris instrumentis, nihil iam laboris est, mutationes pulsuum inuenire, si priora omnia quæ exposuimus, quasi elemẽta respiciamus, ut nihil obiter prætereamus. Quæ eñ propiora cordi sunt, & magnis uasis ei copulata, celerius & magis in consensionem trahent: quæ remotiora sunt, & paruis affixa, minus & tardius. Eodem modo quæ dura & robusta, neruisq́; prædita sunt plurimis duris, facile pulsus hæc efficiãt duros. Quæ contrà, molles. Quæ sensu uigent, utroq́; incõmodo facultatem afficiunt. Quare nulla difficultate ipse inuenias tua sponte, quem quę pars quibus in affectibus pulsum creat. Vt uesica et uterus loco inter se nihil differũt. Sed durior uesica & neruosior est. Vnde pulsus inflãmata duriores facit ꝙ uterus. Vterus celerius eos & magis conuertet in magnitudinem paruitatemq́; atque reliquas differentias. Maiores enim arterias habet uenasq́;, & multo prius ex magnis dorsi uasis expullulant, quàm quæ inseruntur uesicæ. Dolores utriq; instrumento, quatenus neruo ex æquo prædita sunt, pares sunt. Quatenus spissius est & durius uesicę corpus, maiores sunt huius. Etenim qui obsepti in spissioribus corporibus & constipati sunt humores, hi maiorem dolorem, quàm qui in rarioribus sunt & mollibus, concitãt: nimirum qui tendant uiolentius, cuius comes erat doloris magnitudo. Hac ratione & uia omnium partium inuestigandæ sunt differentiæ.

Qui pulsus fiant partibus quæ extra inguina & alas sunt affectis. Cap. VII

Sed exercitandi gratia differentias ego explicabo aliarum partium, quæ sunt extra inguina & alas. Quando his omnia sunt à superioribus aliena, quemadmodũ & ipsis his mutuo inter se. Est tamen quod his inter se & etiam cum superioribus cõueniat. Nam ꝙ distãt multum à corde, ambobus est cõmune, magisq́; inferioribus. sed inter se substãtiis & officiis differũt. sicut quiddam habent inter se & cum superiorib. omnibus commune, in omnibus differentiis, quas commemorauimus. Etenim sunt in his ipsis quoq́; quædam duriora & densiora, aliqua rariora & molliora, atque hæc pluribus & maioribus, illa paucioribus minoribusq́; uasis & neruis prædita sunt. Ac partim eorum acutiorem sensum habent, partim secus. Horum diuersitatem functionum ignorat nemo, & maxime earum partium quæ supra alas sitæ sunt. Crura enim & manus actionum uoluntariarum gratia condita sunt genere inter se similium. Oculi, aures, lingua, membranæ cerebri, ipsum cerebrum, omnesq́; colli partes longè sanè dissident functionibus ab artuum partibus. Quocirca adiunctam esse par est suam cuique speciem symptomatum, quæ non ex æquo pulsus alteret. Vt, sint licet eodem loci cerebrum, membranæq́; ac cæteræ capitis partes, si inflammatæ illæ sint, febricitent necesse est & delirent. Si aliæ, non necessario. Nam musculorum temporalium inflammationes, febres, deliria, spasmos, sopores frequenter inducunt, si magnæ sint, non semper: neque cum paruæ sint, illa symptomata concitant. Cerebrum ipsum ubi incurrerit in morbosam intemperiem, symptoma necessario, quod intemperiei familiare est, inducit. In caloribus immodicis, si quando soli hi per se steterint, delirium. si coniuncti sint siccitate, unà cum uigiliis. quod scilicet est proprium siccitatis symptoma: ut humiditatis altus somnus uel coma. Refrigerationis eius symptoma est perpetuum, fatuitas, quam uocant. Si concurrat humiditas, iis comitatur altus sopor. Quòd si multo, quàm modus naturæ fert, humidius euaserit & calidius, soporem illum inducit coniunctum cum uigiliis & delirio. Cuius omnem speciem declarauimus alio in libro, de Comate quod descripsit Hippocrates. Vehemens frigiditas cerebri, si accedat siccitas, motu priuat uniuersum corpus. Non tamen hi comatosi sunt: sed sublatis oculis intuentur inconniuenter. Iam pulsus, propter quos hæc retulimus, si perquam sit calidum cerebrum citra siccitatem, in statu arteriæ sunt moderati & similes natiuis: magnitudine uero hactenus superant, & celeritate, & crebritate, quatenus prauus calor natiuum excesserit. Si non modo sit calidius, sed siccius præter naturam, statim utique etiam membrana ipsa tenuis, quæ tegit cerebrum, in eandem uenit affectionem. unaq́; cum illa cuncti nerui atque arterię pulsum duriorem nanciscuntur, quòd eorum tunica contendatur atque desiccetur. Nam de consensu principiorum disputauimus alias. Quòd si ex biliosi humoris affluentia in calidum et siccum affectum cerebrum deuenerit, etiam magis tenduntur arteriæ. Ita quem inducit calidus sanguis & quasi feruidus, siccitas minor, &

& maior tensio quum ipsas membranas corripit, tum neruos atque arterias. Biliosus uero succus, si pallidus sit, cuius hic mentionem facimus, quia tenuis est & subtilis, non perinde in mollibus corporibus inhæreſcit. Ita nec in tumore attollit ea. Sanguis calidus sepitur arctius, & obstruitur. quo excitat tumorem maiorem, & tensionem ualidiorem. Proinde etiam atque etiam attendendum est arteriæ corpus, per siccitatem'ne, an per tensionem uideatur durior. Si ob siccitatem uideatur, alterutrum est existimandum obsidere cerebrum, uel intemperiem calidam & siccam, uel copiam bilis. Si ob tensionem, inflammationem. Si propter ambo, ipsum etiam affectum puta conflatum esse ex sanguineo & bilioso humore. Qui perpetuo omnes delirant. Differunt inter se; quod qui intemperie sola affecti sunt, modice hoc habeant, & infirmas omnes uoluntarias actiones. Qui bilioso humore, non eas habeant infirmas, & mirum in modum delirent. Qui ex multa bile feruente ob putredinem hoc patiuntur, facile deficiuntur mente. Quorum etiam sunt duri pulsus utraque de causa, siccitate & tensione. Simulq; parui ob duritiem: & iusto celeriores, quia febricitant: etiam crebri, quod non satisfiat usui. Humidæ intemperaturæ cerebri, molles diuturnitate efficiunt, ac hominem comatosum. Si ad illas accesserit febrilis calor, morbus appellatur lethargus. & pulsus est non modo mollis, sed & magnus. Si uero putrida pituita ita cerebrum afficiat, erit tum etiam morbus lethargus. Pulsus arteriæ speciem præbebit quæ tendatur, tametsi sit mollis. At magni in morbis hisce omnibus hactenus erunt, quatenus auctus sit calor. Celeritas aut omnino minima est, aut his nihil prorsus crescit. Eodemq; crebritas modo. Hæ autem unà cum caloris copia omnes increscent. Si uero commisceatur ex bile & pituita affectus, nec prorsus uigilãt, nec in profundo sunt comate: sed in soporem deferuntur, desipiuntq;, nec genas ualent attollere. Et breuibus, comatosi hi sunt & uigilant. Itaque & pulsum habent ambigentem inter complicatos mutuo affectus. Sin frigiditas morbosa cerebrum afficiat, cum illi cor consentiat, tardiores atque rariores æquo pulsus erunt. Ac si absq; materia, sola intemperies cerebri sit, citra tẽsionem. Sin autem unà cum materia, eaq; melancholica, fiet ut arteriæ tendantur, itaq; pulsus durior uideatur. Sic cum pituitosa non simpliciter, sed si crassa atque glutinosa pituita sit, intendentur. Duros enim tumores excitat hic humor. Si humida & flatuosa, abs qua generatur potissimũ œdema quod uocant, sine tensione mollis pulsus erit. Si confusa pituita & mista ex utroque illarum genere fuerit, simul mollis erit, & nonnihil intentus. Neque hoc obscurum est, quin si pulsus sit mollior, erit etiam maior quàm antea. Iam uero quod genus illis aliorum symptomatum accidet, poteris per te ipse ex antedictis colligere. Mihi quidem non est consilium diutius hic immorari, cum illa in commẽtarijs De locis affectis prolixe explicauerim,

A nam nunc quidem non omnia indicia attendere, sed quæ ex pulsibus duntaxat comparantur, proposui. Itaque pro cumulo & obiter alia quædam symptomata adiecimus aliena. Quare finem hic faciam de his dicendi, & me cõuertam aliò, quod referat ad institutum. De quo tametsi longius egi in commentarijs De locis affectis, tamen, ut hic quoq; declarem, res postulat.

Membranis cerebri affectis qui pulsus fiant. Cap. VIII

Subtilis membrana, quæ cerebrum amplectitur, nisi unà cum cerebro, sola mihi nullũ istorum affectuum subire uidet posse. Nec etiã cerebrũ citra membranam. sed siue citra fluxionem intemperies, siue etiam in alterutrum horum incubuerit fluxio, statim impartiri mea quidem sententia affectum oportet alteri. At dura membrana, quo B niam longissime à cerebro dissita est, affecta esse sola potest. Cuius affectus si insignis sit, ut cor ad consensionem solicitet & arterias, pulsus in modum cerebri affectuum alterabuntur. calidi enim affectus usum augent: frigidi cum hunc remittũt, tum arterias pedetentim indurant, præcipue eas, quæ corde sunt altiores. Sicci ualidum & durum pulsum reddunt. Humidi mollem. Attamen non ita mollem & durum, ut cerebrum: sed duriorem, & minus mollem. Siquidem corpora sua sponte dura, quæ in affectus indurantes inciderunt, maximam contrahunt duritiem: Sic quæ natura mollia sunt, si in humectantes & liquefacientes incurrant, semel remittuntur, mollescuntq;. Sin dura ar C ripiantur humectãtibus affectibus, aut mollia indurantibus, nequaquam assequantur extremum contrarij sibi status. Hac ratione nunq; ob membranarum œdema pulsus fiet ita mollis, ut ob cerebri & pulmonis. Neq; ex cerebro & pulmone inflammatis perinde durus, ac ex membranis. Verum his, qui duri per membranas sunt, similis ille est, qui ob septum transuersum & tunicam succingentem. Qui cerebri & pulmonis gratia molles sunt, ita sunt molles, ut nullus alius. His præ cæteris uicinior est ille, qui ex iocinore & liene oritur œdemate affectis. Nam scirrho etiam hæc uiscera obsessa pulsus satis duros efficiunt. Minus, si inflammata sint, quàm si laborẽt scirrho. Cerebrum & pulmo fortassis ne admittunt quidem scirrhũ. D Duris enim corporibus & spissis hic affectus, nõ raris & mollibus familiaris est. In communi autem de omnibus, quæ commemorauimus, licet non referamus sigillatim, sciendum est: affectus si nimium frigidi sint & supra omnem modum, duros pulsus facere: alioqui non. Præterea arterias uiciniores in mollitudinem & duritiem transire magis. Quæ longe disiunctæ sunt à locis affectis, aut si interpositum sit cor, minus. Quod si teneas, nihil est de cæteris morbis faciei, colli, artuum, quod alia præcepta requiras. Nam pars affecta, si spissa & dura sit, pulsus efficiet duros, siue inflammata, siue scirrho affecta, siue supra modum refrigerata solicitet arterias. Si carnosior sit, eaq; uel inflammata sit, uel scirrho indurruerit, duros quidẽ, sed minus superioribus. sin œdema habuerit, mol

les. Ac consentient arteriosis celerius uicinæ omnes arteriæ & cor. Venosis secundum has, tardissime autem neruosis. Dic enim hæ & insigniter læsæ motum arteriarum immutant. Nil mirum ergo est abdominis & thoracis inflammatis musculis facile comitari febres. Quamobrem & pulsus fiunt magni, celeres, & crebri. sed durus in illis pulsus, uel conuulsiuus nunquam fit. Si ulnæ, uel tibiæ musculi inflāmati sint, maxime qua parte tendines egerminant, facile conuulsione corripiuntur. Facillime etiam pulsus tenduntur ac indurescunt. Thoracis etenim & uentris carnosi musculi sunt. Neruosiores manuum & pedum. Adeoq; si tendo aliquis in summis manibus, uel pedibus inflammatus sit, prompte illis pulsus durus fit, prompte item conuelluntur. Iam uero admodum duri fiunt pulsus ex scirrho iocinoris, uel lienis. sed ijs, quibus ad eum modum sunt duri, nullum cōuulsionis periculum est. Ac cum insigni lien scirrho affectus esset, frequenter conspeximus non consecutam aquam inter cutem. Iocinori uero succedit necessario. Fitq; tum pulsus, mirum præditus signis utriusque affectus, tum tunica ipsa arteriarum humidiore molliorecq;, tum indicante aperte tensionem ex scirrho, atque ita duriore. Ipsa sua sponte aqua inter cutem citra uiscerum inflammationem pulsum nō intendit. Illa exoritur propter hæmorrhoidum immodicam uacuationē, aut insolitam suppressionem. Itemq; menstruorum suppressiones & immodicæ uacuationes aquam inter cutem gignunt. Vteri affectus mulierum, declarauimus ante, quemadmodum uarient pulsus, cum uesicæ eum compararemus.

Testibus affectis qui fiant pulsus. Cap. IX

Vnum etiam reliquum est, de testibus ut dicamus. Nam hæ partes etsi intra inguina sint, statim febres inducunt, propter uasorum uicinitatem, ubi inflammatæ sunt. Etenim superne ab renum regionibus uena & arteria descendunt per peritonæi foramina ad testes, uasa sanè magnitudine insigni. Etiam ipsa tunica erythroides adnata peritonæo est. Quare merito si hæc sit inflammata, pulsus durus fit, ac proinde minor. Ex testibus nō ita durus, & magnus causa febris. Quæ enim partes arteriosæ & uenosæ sunt, febres magis excitant. Quæ neruosæ, aut omnino non, aut paruas. At tetanos generant & spasmos. Omnia iam, quæ instituerámus, absoluimus. Nam singularum partium omnibus affectibus recēsitis, declarauimus quem quæ mutatio pulsum creat.

Futura ex quibus sint præsagienda. Cap. X

Nunc ergo quod inprimis operæprecium est, compendiose hæc in pauca capita reducamus. Nam præsentium cognitio, nihil aliud est ac affectuum inuentio. Cognitio præteritorum, nihil etiam aliud atque inuentio causarum, quæ affectus inducunt. Quare si in his commentarijs omnes affectus explicati sunt, omnes autem causas effectrices partim in alijs commentarijs exposuimus, partim in superioribus De causis pulsuum, nihil iam desideretur ad præsentienda præterita,

A uel præsentia. Nam futurorum sumi præsagia ex præsentibus, etsi sæpe iam ante demonstrauimus, tamen omnia nunc etiam summatim necesse est percurramus, hinc inducto exordio de euentis, quæ expectantur, dignoscendis. Vnum est ac primum quidem, quò erumpet morbus, ad exitiúmne, an ad salutem. Alterum ab hoc, quo potissimum hoc tēpore accidet. Tertium iam, quinam modus erit mortis & salutis. Hæc omnia ex affectibus præsagiuntur. ex quibus, ut ostendimus, morbi genus, & facultatis imbecillitas uel robur dignoscitur. Hæc si inter se conferantur, futura præsentiuntur. Morbus enim cognoscitur ex loco affecto eiusq; affectu. Facultas ex commodo temperamento, uel intemperie corporum solidorum.

B Nam si imbecillitates quædam ob spiritum animalem accidant, breues sunt illæ, & symptomatum ratione consequuntur. Hæc si inter se conferantur, si facultas uigori morbi est sustinendo, oportet superstitem hominem esse, siquidem nihil admissum sit extrinsecus. Sin autem sit impar, moriatur necesse est. Tempus, quo utrūq; horum accidet, ex his præscietur. Euadent, qui erunt superstites, illo tempore, cum morbum semel superatura est natura. Morientur tunc temporis, quo facultatem morbus adeo prosternet, ut functio aliqua ad uitam necessaria pereat. Et uero etiam ratio tum mortis, tum salutis indidem præscietur. Functiones enim, quæ ad uitam requiruntur, abolitæ, partim suffocant, partim uitalem facultatem

C prosternunt, partim pro portione & uitalem prosternunt & suffocant. Vitalem facultatem suffocant affectus, qui ex thorace, pulmone, aspera arteria, summo gutture, faucibus'que procedunt. Nonnulli etiam ipsum statim cor occupant. Qui prosternūt facultatē, ex stomachicis, quos uocāt, affectibus, unde syncopa corripiuntur: ex iocinoris etiam diuturnis, propter quos cibum non sentiunt: præterea ex longis doloribus, uel uehementibus. Ad hæc ex omnibus hecticis febribus: breuiter ex corporis cordis ingenti intemperie, quoquo modo siue per se hæc inde ab initio, siue propter alia uiscera constituatur, deijcit uitalem facultatem. Iam uero etiam animalis facultatis imbecillitates cerebri ingenti intemperiei comitantur.

D Eiusdem quasi suffocationes impletionibus eius uentriculorum, et obstructionibus meatuum, qui in eos penetrant. Proinde cui status facultatis perspectus ad unguem sit, locusq; affectus, & eius affectus, hic ad futura præsentienda est peritissimus. Quemadmodum uero dignoscēdæ sint partes affectæ, in alijs commentarijs explicauimus. Ac quomodo etiam illarum affectus, cum in illis, tum maxime in libris De iudicationibus, & etiam in hac lucubratione. De facultatibus sæpe diximus multisq; locis. Atque ex actionibus cognoscuntur & ex agentium intemperie. De cæteris facultatibus egimus alio loco. At de illa, quæ molitur pulsus, quam scilicet appellamus uitalem, & in his commentarijs uerba fecimus non pauca, & faciemus etiam nunc.

De facultate uitali cognoscenda, & de iudicationibus per pulsus præsagiendis. Cap. XI

Cum om̃es pulsus per se languidi sint, infirma facultas est. Quod per totũ corpus fiet, cũ ipsum cordis corpus intemperatum sit. In una parte, cum sola illa pars. Vbi earundem arteriarum nunc languidus pulsus sit, nunc uehemẽs, facultas nõ est per se quidem imbecilla, sed abundantia humorum degrauatur. Solam autem nec in toto corpore hanc inæqualitatem, nec in una parte inueni unquam: sed alia simul tria genera immutantur, fiuntq; inæqualia. Tria genera inquam, magnitudinis & paruitatis, celeritatis & tarditatis, crebritatis & raritatis. Etenim magni, parui, medij: celeres, tardi, medij: crebri, rari, medij: nõ aliter ac languidi, uehementes, medij facultatibus accidunt à copia humorum grauatis. Ac si pulsus uehementes & magni numero contrarios uincant, minus facultas offenditur à copia. Sin parui & languidi, magis. Et inæquales item in uno ictu, quos interpellato quiete motu, quosq; perpetuo diximus fieri, hi omnes si fines motuum ualidiores & celeriores efficiant, nunciant facultatem esse robustiorem omnibus, qui languidiorem & tardiorem efficiant. De differentia decurtatorum satis etiam est dictum. Cum ergo in tali statu pulsuum altus pulsus uideatur, apertum est illum permagnum esse, ut ante diximus. Declarabit etiam superiorem iam naturam copia esse. At languidus pulsus nunquam altus est. cæterum magis & minus uehemens, quo altior simul & uehementior euaserit, robur facultatis nunciat, liberumq; motum. Simul enim cum ea mutatione mutari prius necesse est inæqualitatem, ac primum magnos & altos pulsus contrarijs multo plures fieri: deinde omnes ordine æquales. hi excretionibus necesse est iudicentur. Nec altos tantum & uehementes pulsus hoc comitatur, sed etiã magnos pariter & uehementes. At certius & firmius, si alti sint. Hic cõtractionis motus est attendendus. Semper enim abijcere inuenies eam, priorem celeritatem, & minus hoc & magis eam facere. Itaque discretio tibi hinc modi iudicationis suppetit. Melior enim iudicatio solet expectari à contractionis celeritate plus remissa. Si huc alia signa accedant concoctionis, quæ sum omnia complexus in commentarijs De iudicationibus, optimam iudicationem promittit hic status. Quòd si contractionis celeritas parum sit remissa, aut morbus haud dum uideatur concoctus esse, expectanda quidem est iudicatio per excretionem, non tamen undequaque probata, sed aliquid habebit malarum iudicationum aut unum, aut duo, aut etiam simul omnia. At si pulsus sit magnus & uehemens, nec præcedat illa inæqualitas; non semper portendit excretionem. Altus semper quidem, sed si non præcesserit inæqualitas modicas excretiones spondet. Copiosas cum multas sequãt inæqualitates, quæ declarent facultatem copia onerari. Miraberis optimis iudicationibus altum unà & moderatum celeritate in contractione pulsus, præsertim con-

A sequentibus excretionibus antecedere: & non in distentionibus arteriarum, cum in se attrahant: sed in contractionibus, quãdo excernunt. Quod mihi uidetur præcipue Archigenem adduxisse, ut putaret arterias in contractionibus attrahere aliquid: in distentionibus excernere. At fieri hoc non posse, in libro De usu pulsuum docuimus. Quæ uero sit causa, quamobrem altus simul & celer in contractione pulsus promittat decretorias excretiones, hoc loco explanabimus. Non eadem est facultas uitalis, quam uocant, & nutritia naturalisq;. Illius enim hoc unum opus est, generatio pulsus. Naturalis id, quod familiare est ad nutritionem, allicere, & quod est alienum, excernere, præterea retinere alterareq; familiare alimentum.
B Ad nutrienda enim corpora postulat hæc omnia. sicut ad natiui caloris tuendam mediocritatem, distentionem & contractionem arteriarum atque cordis. Quam facultatem nec in stirpibus inuenias, nec in animalibus frigidis, cuius generis sunt ostrea, & quæ petris, uel alijs duris corporibus adnascuntur. Animalia calida, maxime sanguine prædita, apertissimam hanc facultatem & uehementissimam obtinent. Hæc in contractionibus pulsuum eijcit solum fuliginosum excrementum, quod obstiterit naturalis caloris mediocritati. In distentionibus item, quod se refrigeret, allicit. Altera facultas nutritia conueniens attrahit alimentum, & incommodum excernit. Distincta igitur facultatum principia sunt, ut in com
C mentarijs de Hippocratis & Platonis placitis ostendi. Cæterùm in singulis instrumentis inter se confunduntur. Nam arteriæ quatenus nutriuntur, facultate nutritia gubernantur, cuius excernere alimenti excrementa munus est: alteriusq; uitalis, fumosa excrementa expellere. Quæ cum abundant, arteriæ maximam simul & celerrimam contractionem moliuntur. Quòd si fieri posset, ut digito intrò in eas immisso, pulsus exploremus, percipiamus eas penitissime intrò ferri. Sed quoniam hoc non potest, celeritas primum potissimumq; attendenda est. Deinde contractionis quantitas, si probe ad eam dignoscendam sis exercitatus. Cum uero hæc excremẽta nulla sint, concoctiq; sint humores, qui antea putrescebant,
D altera facultate naturali concoctorum excrementa excernit. Hæc per omnia membra permanauit animantis, perq; carnem, & neruos & ligamenta, ossaq;: non per solas arterias & uenas est distensa. Atque hæc est illa facultas, quæ iudicationes efficit: cuius quatenus participes arteriæ sunt, excrementum expellunt. Altera facultate pulsatrice, quam solæ hæ obtinent, in contractionibus fumosum excrementum excernunt, atq; in distentionibus attrahunt refrigerium. Vsus non perpetuo par utriusq; est, sed præpollentis usus excellit nonnunquam. Itaque etiam ex se pulsum figurat, siquidem ei facultas respondeat. At uero si fumosum excrementum præpolleat, plurimum contrahitur, distenditur autem non plurimum cor cum arterijs: sed hactenus duntaxat, ut satis refrigerij ab ex-

ab extrema contractione suppetat ijs. Sin autem paucus fuerit fumosus calor, copiosissimus uero mundus & purus & quasi flammeus, in distentione plurimum attolluntur: & contrahuntur eatenus tantum, quatenus satis fiat alteri usui. Quare semper æqua magnitudine distentio est atque contractio: nisi, cum digitos casu admouerimus, repentina fiat mutatio. Interest autem hoc, quòd nunc foras motus magis feratur, nunc intrò. declarat'que, quemadmodum diximus, si ille, qui intrò fertur, præpolleat, esse in arterijs fumosum quendam calorem: igneum & purum, si ille, qui foras. Vnde altus pulsus excretionem significat, concoctis iam humoribus, qui inducebant febrem, comitans. Semper porrò omnis excretio naturæ lege perfecta sequitur concoctionẽ. Etenim in uentre conspicitur natura excrementum à concoctione excernere. Cæteras excretiones, quæ cibi concoctionem præcedunt, nunc quòd uellicetur ab illis, quæ continet: nunc quia degrauatur, ante tẽpus concoctionis cogitur moliri. Haud aliter totius corporis facultas, posteaquam satis familiarem succum concoxerit singularum partium, tum demum excrementum excernit: nisi quid eam, ut diximus, irritet importune. Copia excrementorum tum ex plethoricis signis, quæ præcesserunt, tum ex præsente caloris inflammatione præsentitur. Ob quem ipsum calorem pulsus magni uidentur & alti. Quare sunt pessimæ excretiones, quæ pulsum nec magnum obtinent, & celerem in contractione ostendunt. Porrò autem si etiam se plus intrò recipiat, fumosi hic excrementi affluentis in primis est nuncius, simulque crudi morbi. Si præterea sit pulsus languidus, periculum est syncopæ. Si uero pituitosior morbus sit, cum ab inæqualibus pulsibus mutatio fiat in plures uehementes & magnos, iudicatio erit per abscessum: maxime si diuturnus sit, magisque etiam cum adhuc hyeme, & in frigida ætate, natura, & regione. At in quam potissimum corporis partẽ erupturus sit abscessus, non est præsagire ex pulsibus. Sed, quod in commentarijs De iudicationibus diximus, spectandæ sunt inclinationes naturæ, quas etiam in libris De iudicationibus rationem motus diximus declarare. Cum enim pulsus omnino ad excretionem spectat, si adiuncta habeat profluuij sanguinis signa, de naribus sanguis profluet. His si careat, ex alia quapiam parte dispicienda est excretio. Sed de his omnibus satis in commentarijs De iudicationibus disseruimus.

ARGVMENTA CAPITVM IN LIBRVM DE VRINIS, PERPERAM GAleno adscriptum. citatur Galenus cap. 3. Et cap. 16. alter de urinis tractatus incipit. Inter caput 13. & 14. multa leguntur in Græcis superflue, quæ Cornarius rectè omisit.

CL. GALENI DE VRINIS, LIBER SPVRIVS.

Iano Cornario Medico interprete.



RINARVM differentiæ particulares multæ sunt. Verum primariæ duæ, fusura, & id quod subsidet. Appello autẽ fusuram, ipsam urinã, à diffusiõe. Id uero quod subsidet, id quod alio modo in urina apparet. At fusuræ rursus totidẽ sunt differentiæ, duæ uidelicet, cõpages, & color. Quorum utrunque in alias rursus diuiditur. Compages quidem, in tenuitatem, & crassitiem, & eam quæ ex utrisque est moderata. Et hæc quidem quæ moderata est, quia secũdum naturam habet, non amplius diuiditur. Tenuis uero bifariam secatur. Aut enim tenuis mingitur, & manet tenuis: aut turbatur, & fit crassa.

2 Et prior quidem extremã cruditatẽ indicat. Neque enim natura aggressa est in hac cõcoctionẽ. Altera uero quę tenuis est & turbaẽ, maturã coctionẽ incipere indicat. Atque hęc est tenuis urinæ tum diui-

diuisio, tum significatio. At uero crassa etiam ipsa similiter ut tenuis, aut crassa mingitur, & manet crassa: aut considit, & fit tenuis. Et prior quidem urgere, altera uero sedari crassiorum humorũ feruorem indicat: & incipere ipsorum secretionem. Atq; hæ sunt fusuræ iuxta compagem differentię.

Colorum in urinis differentiæ. Cap. 3

Cæterum quandoquidem dum huius diuisionẽ faceremus, meminimus etiam differentiæ ipsarum iuxta colorem, age & has deinceps exponamus. Prima igit̃ est alba, deinde pallida, cõsequenter fulua, quarto loco flaua, post hanc rubicunda, postrema nigra. Et ex his extremæ quidem duæ sunt, alba & nigra. Reliquæ inter has medium locum tenent. Est igitur pallida proxima albæ. Fulua uero procul ab alba abest, sed propinqua pallidæ. Rursus rubicunda propinqua est nigræ, sed à fulua & pallida remotissima. At flaua propriam habet præ alijs mixturam, duos colores fuluum ac rubicundum complexa. Vnde etiam splendicantem appellauit ipsam Galenus libro primo De iudicationibus: & meritò sanè, splendicat enim & claritudine quidem accepta à fuluo, illustratur à rubicundo colore. Proinde hic est urinarum iuxta colorem inter se ordo. Alba, pallida, fulua, flaua, rubicunda, nigra. Et fit quidem pallida, ubi modica bilis aquositatem tinxit. Fulua uerò, ubi copiosior. Rubicunda est à sanguine. Nigra à nimia adustione, & quibusdam alijs causis, uelut paulo post dicetur. Alba uero extremam cruditatem significat. Et hæ sunt simplices, tum in compage, tum in colore, fusuræ urinæ differentiæ.

Compagis & coloris complicationes. Cap. 4

Reliquum fuerit & complicationes harum referre, ac considerare quæ ex his inter se complicari possunt, & quæ non, & ubi complicatæ sunt, quid significant. Sit igitur urina compage cruda, & sit sanè tenuis, & hac tenui permanente, accedat color, & sit perfectè alba, ita ut sit urina ipsa tenuis & alba. Talis urina multa significat. Aut eñ uirium debilitatem indicat, uelut quum in senibus apparet. Sed & in diuturnis morbis plerunq; tenuis & alba apparet, propter debilitatem. Similiter etiam in quibusdã debilibus à natura. Significat autem & obturationem, uelut cum in phreniticis apparet. In quartanis itẽ febribus, si in principio mingatur, obturationem significat. Atræ enim bilis humor crassicie sua uias obstruens, urinam uelut percolatam, reddit tenuem ac albam. Maximum porrò aliud malum talis urina significat. Nam si in ardente ac æstuosa febre apparuerit urina tenuis & alba, phrenitidem significat. Nam quũ febris copiã bilis indicet, urina uero non ex ea coloratur, palàm est ꝙ non manet in uasis ipsa bilis, sed propria sibi leuitate ad cerebrum accurrit. Si igitur ubi urina tenuis est & alba, non adest phrenitis, febre præsente ardente, de futura phrenitide prædicimus. Si uero talis est urina, & phrenitis adest, mortem ut plurimum denunciat. Non enim seruari possunt cerebri uires à bilis impetu,

A & mordaci ipsius acrimonia. Et hæc quidem significat urina tenuis & alba. Sit rursus urina compage cruda, hoc est tenuis, colore uero moderate cocta, ita ut sit pallida. Talis debilitatem indicat. Nam in colore quidem urinã coxit, utpote quod hoc facile esset. Non autem in compage, propter difficultatem. Sit rursus tenuis, & permutetur color ac sit fulua. Talis priore quidem melior est. Est tamen cruda, propter compagem. Sit alia tenuis, sed flaua. Hæc non solum cruditatem significat, sed etiam materiæ inopiam. Velut si quis iunior inediam pertulisset. Docet etiam multam in profundo corporis caliditatem, parere bilem, uelut in febre tertiana. Indicat etiam uigilias & curas. Detur rursus urina cruda compage tenuis,

B sed rubicunda. Talis non consistit. Si enim rubicundus color à sanguine fit, Sanguis autem à coctione, Coctio uero compagem crassefacit, manifestum est quòd rubicunda cum tenui non consistit. Nam etiamsi aliquando tenuis urina rubicundum colorem habuerit ammixtum, tamen is non exactè rubicundus est, sed sanguinis serum refert.

Postrema complicatio est tenuis & nigræ, quæ neque ipsa consistere potest. Est enim niger color, aut inde quod atræ bilis humor expurgatur, aut propter frigiditatẽ, aut nimiã sanguinis adustionem. Quæ tria crassatam urinam faciũt. Quòd autem tres relatæ nigræ urinæ differentiæ crassam compagem habeant, hinc manifestum redditur. In febris quartanæ declinatione, & atræ bi-

C lis solutione, urinæ apparent nigræ. Fiunt autem nigræ, eo quod atræ bilis humor expurgatur. Est autem hic essentia terreus, & compage crassus. Itaque etiam urinas facit crassas. Similiter etiam ex nimia sanguinis adustione, urinæ nigræ fientes, crassæ sunt. Adustio enim & assatura, si sanguinis humiditatem resiccat, clarum est quod compagem crassam facit. Manifestum est item quòd inde etiam urinæ crassæ fiunt. Nam & colorem transsumunt, & fiunt nigræ: & compagem adusti sanguinis referunt. Quin & frigiditas congelatione sua materiam crassefacit, & urinæ compagem similem efficit. Et sic rursus urinæ fiunt crassæ, uelut ostendi.

Crassæ compagis cum coloribus complicationes. Cap. 5

D Et de tenuis quidẽ urinæ cum coloribus cõplicatione, prædicta suffecerint. Nunc uero cõpagẽ permutemus, & sit urina crassa, eaq; crassa permanente alteretur color, & sit alba. Talis urina multum crudum humorem in corpore colligi indicat. At uero sit alia urina crassa & pallida. Verum hæc in complicationem uenire non potest: Sicut neq; crassa & fulua, neq; crassa & flaua, coire possunt. Tales enim colores propter materiæ inopiam fiunt, & uirium debilitatem. Crassitudo uero propter contraria. Proinde manifestum est & fuluam, & pallidam & flauam urinã cum crassicie consistere non posse. Sit sanè alia urina crassa & rubicunda, talis urina consistit, & sanguinis copiam significat, uelut in continentibus febribus.

Reliqua

Reliqua est crassa & nigra, & hæc consistit, ac A atræ bilis humorem multum euacuari significat: uelut in febris quartanæ declinatione, ac atræ bilis solutione. Atq; hæ sunt crassæ urinæ cum coloribus qui ipsi coniungi possunt complicationes.

Eius quod subsidet complicationes. Cap. 6

Porrò incipiamus de complicationibus eius quod subsidet, hoc modo. Sit sanè primum album, & imam regionem teneat, sit etiam leue, nõ tamen æquale: Sed hodie quidem coctum, cras uero non item. Talis urina debilitatem significat, quæ materiam æqualiter semper coquere non potest. Sit aliud album quidem, & imum locum tenens, non autem leue, sed diuulsum & inæquale. Hoc priore deterius est. Illud enim ostendebat naturam per multas inæqualitatem sustinere, hoc B autem in una coctione: id quod pessimũ est, quẽadmodum etiam autumnus malus est, quia inæqualis. Cæt erum si quidem per quatuor aut quinque dies fieret, minus malum esset. Si uero in una die fit, peius existit. Eodem modo etiam diuulsa prioribus deteriora sunt, si quidem in una coctione naturæ interpellationem indicant. Interpellat autem naturam spiritus interlapsus, & humoris qui emittitur continuitatem diuellit. Quandoquidem igitur proposuimus id quod subsidet secundum naturam, & in colore, & in loco: præter naturam uero in compage: manifestum est quod hoc sic habente, æqualitas & inæqualitas in compage existunt. Primum itaque æquale diuulsum, malum est. Multitudinem enim crassi spiri- C tus indicat in profundo, qui à natura attenuari nõ potest. Sit uero aliud diuulsum inæquale, hoc est, aliquando tale apparens, aliquando non eiusmodi. hoc priore melius est, modicum enim spiritum indicat, atque hunc breui attenuãdum. Et res admiratione digna à natura consequitur, ut Aequalitas quidem sit mala, inæqualitas autem bona. Et sanè merito hoc sic contingit. Nam mala eandem uim habentia, praua existunt. Sic igit̃ & pulsus intermittens, qui semper idem apparet, pessimus est. Verum si quandoque talis appareat, quandoque non: minus priore malum indicat. Sic igitur & diuulsum inæquale, diuulso quidem, sed æqualiter apparente, moderatius malum est. Et de D hac quidem complicatio ne prædicta sufficiunt.

Eius quod subsidendo innatat complicationes. Cap. 7

Sit alia complicatio talis. Id quod subsidet coctum sit colore, & sit album: non autem imam regionem teneat, sed mediam. Et quum habeat mediam regionem, sit primum leue in compage, & æquale in tempore. Tale coctionem significat, sed non perfectam. Non enim subsidentia est, sed media coctio. Quod enim in medio uehitur ac innatat, subsidentia est ex natura, sed loco differt. locum autem permutat ob spiritus redundantiam. Si enim non perfectè attenuatus fuerit spiritus in coctione, sed à uera subsidentia exclusus fuerit, propter crassitiem, impellit illam, & ad summam superficiem sublimem effert, & uocatur Nubecula: aut ad mediam regionem, & appellatur Innatans: aut spiritus omnino non est, & infra in fundo apparet, & nominatur subsidentia. Et de eo quod subsidendo innatat hæc dicta sint. Nam relata tria situ tantum euariant. locum autem permutat spiritus interlapsus. At spiritus à coctione fit. Et siquidẽ p perfecta fuerit coctio, & natura spiritum attenuat, subsidentia perfecta coctionem indicat. Si uero spiritus attenuari nõ potuerit, sed ob crassiciem ex humore digeri nequiuerit, incõctum habet humorem, unde & non perfectam coctionẽ significat, sed obscuram & mediam, ex quo etiam mediam occupat regionẽ. Non enim est spiritus multus. Nam si summũ locum obtinet, & Nubecula facta est, significat quidẽ coctionẽ, eo quod facta est, uerum leuem, quoniã multus & crassus est talis spiritus. Et manifestũ est quòd ex loco nihil amplius discimus, quàm mensuras eorum quæ alioqui significantur. Si enim id quod subsidet nigrum fuerit, malũ est. At si id nubecula fuerit, leue est malum. Si subsidentia, perfectum. Atq; de situ quidẽ relata sufficiunt. Indicat enim neq; bonum neq; malum, sed boni ac mali mensuras. Quandoquidem uero quatuor in eo quod subsidet requirimus, colorẽ, locũ, cõpagem & tempus: Dictum autem est de tẽpore, de loco, & de cõpage: quod reliquum est de colore addamus. Cæterũ quia albũ erat id quod secundũ naturam habebant, hoc albũ non sit, uerũ nigrũ, aut liuidum, aut pallidũ, aut rubicundum.

Eius quod subsidet cum coloribus alijs complicationes. Cap. 8

Rubicundum igitur à sanguine seroso fit, & cruditatem significat, sed non mortem. Quòd igitur periculum nõ inducat, bonitas & familiaritas materiæ indicat. Quòd uero cruditatem significet, & propterea morbum diuturnum, ex hoc manifestum redditur. Ex humoribus alij ex pituita fiunt, uelut est pituita serosus humor. Alij cum sanguine, uelut flaua bilis & ater humor. Quum igitur id quod subsidet in urina, rubicundum apparuerit, colorem à seroso humore habere significat. Serosus aũt est humor ante sanguinẽ. Natura enim perfectam tincturam sanguini non addidit. Et manifestum est quod nondum coctus est. Si uero hoc ita habet, tempore natura opus habet ad sanguinis coctionem. At uero nigrũ id quod subsidet, aliquando frigiditatẽ indicat, aliquando caliditatem. Distinguatur autẽ hoc modo. Si quidem præcessit liuidum, deinde sic factum est nigrum, causam habet frigiditatẽ. Si uero prius cum uiro re pallidum fuit, & sequutum est nigrũ, palàm est quòd à caliditate tale factum est. Liuidum porrò frigiditatem, & uirium mortificationem indicat. Atq; sic sanè quatuor in eo quod subsidet expedimus, colorem, locum, compagem, & tempus. Horum autem omnium comparationem fecimus.

Oleosarum urinarum differentiæ. Cap. 9

Oleosarũ urinarũ aliquæ colorẽ olei habẽt, aliæ speciem olei præ se ferunt, aliæ oleosæ sunt. Et primæ quidem, colliquationis principium significãt. Quæ uero olei speciem præ se ferunt, exactiorem

priore

priore olei misturam habent. Significant autē affectionis augmentum. At oleosæ urinæ totæ per totum, & in colore, & in compage, uelut oleum sunt, & significant tales augmenti uigorem. Iam uero etiam ubi oleosæ urinæ, renum pinguedine resoluta fiunt, per notas quasdam distinguamus. Meminit autē & Hippocrates renum pinguedinis resolutæ, dū inquit. Quibus pinguis subsidentia & subita, his renum affectionē significat. Sed & ipse distinctionem fecit, dum addidit, subita. Nam in renibus cito excernitur. Verum in totius corporis pinguedine, non item cito, sed planè tarde. Nam ex eo quòd ab his uenis distribuitur ad propinquas, & illinc ad uicinas, & post temporis tractum ad renes & uesicā, manifestum fit quòd post multum temporis excernitur. In renibus uero propter transitus uicinitatem, cito excernitur. Nam uox subita ex Hippocrate reddita hoc loco, cito significat. Et hæc de oleosis urinis sufficiunt.

Eruoformes subsidentiæ Cap. 10

Quum caro colliquatur, subsidentiæ eruoformes fiunt. distinguūtur autem coctione, & cruditate, & acutæ febris præsentia. Si enim est febris, totius corporis affectio est. Sin minus, renum. Et rursus, si urinarum cruditas adest, totius corporis malum est. Si uero coctio quidem affuerit, subsidentiæ autem eruoformes fuerint, renum est affectio. Et meritò sanè cruditas dominatur, quum totius corporis affectio est. Nam uasa quæ coctionem faciunt ægrotant. Verum in renibus nō est cruditas. Non enim renes coquunt urinam. Et de pinguedine ac carne relata suffecerint.

Laminosæ urinæ.

Quum solidæ fuerint affectæ partes, primū quidem aliquandiu raduntur, & fiunt urinæ laminosæ. Sed & uesicæ affectus, tales indicant. distinguuntur autem notis de renibus relatis. Si enim affuerit febris, totum corpus affectum est. Sin minus, uesicæ affectus est. Sic cruditas quoq; totius corporis est, coctio uero uesicæ.

Furfuraceæ urinæ.

Quum autem febris in profundū uasorū subierit, subsidentiæ furfuraceę fiunt, exiliores quidem laminosis, uerum crasiores. Sed & tales rursus uesicæ affectiones significāt. Et ex relatis itidem affectio distinguitur. Si enim affuerit febris, totius corporis affectus est. Sin minus, uesicæ.

Vrinæ crasiores polentæ partes referentes.

Postquam uero febris unà cum affectus occupatione, maiori longitudine ac latitudine corripuerit, tales furfuribus ampliores fiunt, & polentæ crasiores partes referentes appellantur. Sed & hæ duo significant, aut sanguinis adustionem, aut uehemētem solidarum partium colliquationem. Si quidem igitur albæ fuerint, solidarum partium affectio est. Si uero rubicundæ, sanguinis.

Vrinæ fœtidæ. Cap. 11

Fœtida urina putrefactionem, & naturæ mortificationem significat.

A *Vrinæ serosæ (ἰχωρώδη) & sandaracham referentes.* Cap. 12

Tales hepar ulceratum significant, & ipsam essentiam resolui. Et tenuis quidem ipsarum pars serosi humoris colorem: crassa uero sandarachæ habet. Et plerūq; mortē significant. Si uero seruentur ægri, hydropem.

Compagis fusuræ & eius quod subsidet complicationes, Cap. 13

Restat in pręsenti tractatione cōsiderare ipsius fusurę, & eius quod subsidet cōplicatiōes, & quid significant. Nam superius relatæ coniugationes, priores quidem solius fusuræ sunt, posteriores uero eius quod subsidet. Nunc autem fusuræ ac subsidentiæ differentias complicabimus. Et quid una

B quæq; complicationis differentia significet apponemus. Sit igitur primū in fusuræ compage urina incocta, hoc est tenuis: & in colore alba. In tali urina non potest id quod subsidet inesse. Tenuitas enim materiæ inopiam significat. Quomodo igitur ex his subsidētiam fieri supponere possimus? Sed neq; si pallida sit, aut fulua, aut flaua, maneat autem tenuis, quicq; subsidet. Nam in his natura præ materiæ inopia, urinam in colorē transmutat. Quare si uoluerimus complicationes facere fusuræ simul cum subsidentia, tenuem reijciamus, & supponamus crassam. Sit igit urina colore alba, compage crassa, in hac est subdentia. & quod subsidet erit album, sed non leue. Nam crudus humor multus in talibus colligitur, quare co-

C lore quidem coquitur. Compage uero cruda existit. Sit rursus crassa, & coniungatur color rubicūdus. Nam ad pallidam, & fuluam, ac flauā crassa non copulatur, propter relatas causas. Si itaque rubicundæ crasitudo fuerit ammixta, uelut in febribus continentibus, signum est cruditatis, & in fusura, & in subsidentia, iuxta utriusq; & fusuræ, & subsidentiæ, tum compagem, tum colorē. Sit rursus crassa, sed nigra. Et hæc cruditatē passa est, tum in fusura, tum in subsidētia, & in colore, & in compage. Porrò sit urina in compage moderata, coloribus autem permutetur: At talis alba esse non potest. Si enim alba est, cruda est. Si tamen talis appareat, & natura colorem coquere non potuit, quomodo compagem moderate crassam fe-

D cerit maiorem laborem requirentem? Igitur moderata cum alba consistere non potest. Raro autē cum pallida, nisi largior bilis copia se ingerat, ita ut colorem fuluum ac flauum non accipiat, cōpagem uero moderatam habeat. Et tamen etiamsi consisteret, neque sic subsidentia fieret. Quare & hanc compagis cum subsidētia complicationem reijciamus.

Vrinæ malæ quæ sint. Cap. 14

Vrinæ autem malæ sunt hæ. Cum uirore pallidæ, liuidæ, nigræ, sanguinolentæ, ualdè crassæ, fuluæ ualdè meracæ, fuluæ & tenues, & quæ nullam subsidentiam habent. prauæ sunt & fœtidæ. Itemq; pingues ac oleosæ, & quæ assumpti potus copiam excedunt.

Subsi-

Subsidentiæ & nubeculæ malæ quæ sint. Cap. 15

Subsidentiæ & nubeculæ prauæ sunt, liuidæ, nigræ, caliginosæ, uariæ, diuulsæ, crassiores polentæ partes referentes, furfuraceæ, eruoformes, pituitosæ & fœtidæ. At quæ nullam subsidentiam habẽt penitus malæ sunt. Atq; hæc quidem uniuersæ urinarum species, multas diuersorum morborũ causas significant. Et horum augmentũ ac decrementum: secretionem ac cõcretionem: coctionem ac cruditatem: & futurorũ periculorũ modos. Oportet autẽ medicum in omnibus his copiam & uim causarũ cõsiderare, & excessum ampliorẽ cauere.

Alia de urinarum differentijs tractatio. Cap. 16

In febrilibus maxime morbis urinarũ notæ utilissimæ sunt. Quandoquidem uero quicquid præter naturam habet, ex eo quod secũdum naturam habet reperitur, ab his quę secundum naturam habent incipiamus. Vrina igitur optima est in hominibus in sanitate ac bona habitudine degentibus, subfulua & flaua aut subflaua, & crassitudine moderata, & colore manens talis qualis micta est, leuem & æqualem ac albam subsidentiam habens per totum tempus, copia autẽ pro ratione assumpti potus. At in mulieribus urinam secundum naturam colore albiorẽ uirili esse oportet, & copiosiorem subsidentiam habere. Verum in puerili ætate, multam crassam subsidẽtiam ipsas habere oportet, propter puerorum edacitatem, & inordinatos ac intempestiuos motus. Leuem autem subsidentiam Hippocrates uocat, cohærentem & indiuulsam indicare uolens. Aequalem uero dicit esse eam, quæ per totum semper similis mingitur, & non hodie cocta, cras incocta: & quæ subsidentiam aut fusurã totã non habet inæqualem. Quærimus igitur in urina secũdum naturam, colorem, & corporis compagem, & ea quæ præterea in fusura apparent, ueluti nubeculam, id quod innatat, & in fundo subsidentiam. Manifestum igitur est quòd si urina in aliquo horũ mutetur, cruditatem in uenis indicet.

Vrina quæ sit optima in ægris. Cap. 17

Optima quidem igitur est urina in ægrotis, quę simillima est urinæ sanorum, subpallida aut subflaA ua, albam & leuem ac æqualem subsidentiam habens. Defectuosior est ea quæ id quod innatat, album & leue & æquale habet. Hac autem crudior adhuc est, quæ nubeculã eiusmodi habet. In quibus enim spiritus est in profundo crassus ac crudus, si quidem modicus fuerit, materiã ad fundum uasis deferri permittit. Si uero copiosior, is sanè crudus in profundo spiritus subsidentiam ad fusuræ superficiem propellit, & appellatã nubeculam facit. Prout igitur ualidus spiritus, subsidentiam diuidit ac sublimem facit, ita crudior urina euadit. At uero in tertianis exquisitis ac febribus diarijs, nubecula sola, aut id quod innatat, sæpe ad morbi solutionem suffecit. Quandoq; etiam solus bonus urinæ color satis fecit.

B *Non omnis alba subsidentia bona est.* Cap. 18

Sæpe uero albus color eius quod in fusura subsidet, idiotas decipit, ut bonam subsidentiam putent, quæ bona non est. Cõtingit enim crudum ac album humorem unà cum urina excerni ac subsidere, & bonæ subsidentiæ imaginem exhibere. Quandoq; etiam hepate aut renibus affectis, pus cum urina excernitur, & subsidẽs artificem fallit. Verum hæc primũ quidem distinguitur, si homo ex renibus aut hepate laborauit, aut alia aliqua parte, quæ per urinas expurgari solet. Deinde etiam fœtida reperitur ea urina quæ pus habet. At uero crudus humor à bona subsidentia distinguitur cõpagis inæqualitate. Non enim cohærens sibijpsi manet, sed diuiditur in paruas uelut arenulas, & omnino non leuis est, ueluti uera subsidenC tia. Et in bonis quidem urinis, primũ apparet nubecula. Deinde descẽdens, facit id quod innatans appellatur. Postremũ apparens in fundo uasis, facit subsidentiam, ubi uidelicet perfecte fuerit cocta. At in crudis humoribus, statim ab initio multa copia ad fundũ uasis subit, unà cũ hoc quòd tota fusura mali coloris existit. Deinde paulatim coquitur ac attenuatur, & ad medium fusuræ locum eleuatur, & innatans appellatum facit. Postq; autem plurimũ attenuatus ac coctus fuerit, in superficie fusuræ insidet, & nubeculam facit, seducitq; inscios, ut morbũ in deterius progredi suspicẽtur.

ARGVMENTA LIBRI PRIMI DE CRISIBVS.

Quòd ad cõtemplationem de crisibus maximum sit cognoscere partes morbi, quæ uniuersalia tempora nominantur, principium scilicet, incrementum, status & declinatio. Quòd decretoria signa à signis concoctionis differant. Signa decretoria aliquãdo, cõcoctionis uero nunquam perniciosa existunt. Vniuersalia morbi tempora cognoscere necessarium est scire: & cõcoctionis signa ex urinis, sputis, & excrementis inueniuntur. De dignotione & præcognitione uniuersalium tẽporum morbi, quæ eum nosse oportet, qui futurum morbum præcognoscere exacte debeat. Quòd eum, qui debeat dignoscere bonam & malam crisim, sæpius particulares homines conspexisse oporteat.

ALITER.

Cap. I. Tradendorum ordo, & quæ præcipua in crisibus dignoscendis sit contemplatio. II. De quatuor morborum temporibus. III. Augmentum, status & declinatio morborum tempora, quibus indicijs deD prehendantur. IIII. Principij dignoscendi modus. V. Signorum criticorum à signis coctionis differentiæ. VI. Principij morborum diuisio. VII. De principio trium dierum latitudinem obtinẽte, & de signorum differentia. VIII. Principij seorsim notitia, & signorum prognostica. IX. Dictorum repetitio, unà cum principij cognoscendi traditione. X. De temporum uniuersalium præsenti indicatione. XI. De dignotione & præcognitione augmenti, status & declinationis ab egestionibus. XII. Notitia temporum morbi ab urina. XIII. Signorum uires potius quàm multitudinẽ esse considerandam in morbis. XIIII. Signorum triplex diuisio. XV. De signorũ uirtutibus. XVI. Generalis temporum uniuersalium notitia. XVII. In febribus tẽporũ præcognitio. XVIII. Temporũ morbi à sputo dignotio, & Anaxionis exemplum. XIX. Terminus principij ex coctione aut incoctione. XX. De temporibus rursum.

CL. GALENI DE CRISIBUS LIBER PRIMUS.

NICOLAO LEONICENO INTERPRETE.



1 SIVE subitam in morbo mutationem, siue ad meliorem statum inclinationem solam, siue eam quæ antecedit agitationem, siue integrã omnem morbi solutionem, siue eam tantum quæ bona sit, crisim uelit quis appellare, non est mihi de his nisi obiter hoc in loco distinguere propositũ: sed potius quo pacto hæc omnia quispiam optime præcognoscat, percẽsere institui. Optimũ autẽ prænotionis eorum principium, quod etiam futuri uigoris in morbo summi. Sic autẽ appellatᷓ uehementissimum totius ægritudinis tempus.

II Sunt enim omnia eius tempora quatuor numero, principium, incrementum, status, & declinatio. Quædam uero ægritudines ob earum malignitatem, atq; ob ægrotantis imbecillitatem, statim in tempore incrementi hominem occidunt: sicut & quædam aliæ in ipso uigore. An uero etiã in declinationis tẽpore aliquis morbus possit occidere, non sine ratione quæsitum est. Sed de hoc procedente sermone determinabitur. Has autem quatuor partes quidam uniuersæ ægritudinis tempora appellant. Eandem autem ob causam tempora uocant uniuersalia, ut quæ à particularibus differant, in quæ singulæ accessiones diuiduntᷓ. Definiuntur autem non dierum (ut quispiam existimauerit) numero. Neq; enim fieri potest ut morbus qui in quatuor diebus sit finiturus, ęqualia habeat tempora partium cum eo qui usq; ad quadragesimum diem debeat extendi. Et omnes quidẽ hucusq; consentiunt. Quomodo autem iudicare atq; distinguere huiusmodi tempora oporteat, non etiam in hoc omnes inuicem concordant, sed nonnulli quidem, si anticipẽt aut subsequantur accessiones, considerant: hi uero ad earum longitudinem respiciũt: alij ad magnitudinem, quam etiam uehementiam nominant. Quidam & hæc ipsa, circa remissiones considerant. deinceps inuicem altercantur, cum liceat quæ diximus omnia coniungere, ac pręterea quæ dicentur uniuersa. hac enim uia uix quispiam exquisitã faceret præsentis temporis coniecturam. Si uero quidpiam ex his indiscussum relinquatur, tantum præcognitioni nocebit, quantum uel magnitudinis, uel uirium, quod prætermittitur, obtinebit.

III Nunquid igitur morbus augeatur, non ex eo tantum cõiecturari oportet, quod accessiones anticipent, sed etiam earum longitudinem oportet annotare, & magnitudinem quoq; ac morem: qui cum symptomatibus si contingat, uel sine his euenit, sicut etiam in intermissione & declinatione, hæc eadem existimo consideranda. Voco autem intermissionẽ, quando febris in quietẽ desierit. Declinationẽ oẽm eius partẽ quæ uigorem ipsum subsequetur usq; ad secundæ accessionis principium. Nam anticipatio sola per seipsam non est sufficiens signum incrementi: ꝙ sæpe morbi proprietatem cõsequitur potius quàm eius incrementum: cum & quartanæ & tertianæ & quotidianæ febris quidam circuitus usq; ad integram solutionem ita anticipare uisi fuerint. Consueuerunt autem medici, tales febrium figuras, anticipantes nominare: sicut alias uocant tardantes, quæcunq; statim ab initio futuri temporis aliquid posterius assumunt. Sed & in his plus quàm proportio exigit, uel anticipare, uel subsequi: alterum incrementi, alterum declinationis indicium est: simpliciter autem anticipare uel subsequi, neutrius. Oportet autem non solum aduertere nunquid secũda accessio consuetam anticipauerit horam, sed nunquid etiam longitudo temporis eadem, aut magnitudo æqualis, aut quæ nunc adest, sit malignior aut simplicior. Hęc ipsa etiam sunt in intermissionibus & declinationibus inspicienda. Longitudinem quidem temporis facile est cognoscere. Magnitudinem uero, quam & uehementiam uocant, & morem, quem etiam modum appellant, tum ex propria morbi specie, & ex accedentibus ei symptomatibus, ea quæ propriam ipsius complent naturam, contemplando: ueluti si contigerit in pleuritide, ad lateris dolorem pungentem respiciendo, & febrem acutam, & tussim, & spirandi difficultatem. tum ex ipsis quæ superueniunt symptomatibus, si multa, si diuturna, & ualida, atq; maligna etiam extiterint: aut contra, pauca, ac breuis temporis, & parua, & simplicia fuerint. Sic et intermissionis ac declinationis tempus, si longius præcedente, uel breuius, aut tolerabilius, uel minus tolerabile, aut si quod ex accessione symptoma remanserit, aut omnia cessarunt. Si ex ijs quæ diximus adsint peiora, morbus augetᷓ manifeste. Si uero meliora, declinat. Sit enim ut accessio consuetam anticipet horã: longior etiam fiat atq; uehementior, malignior q;, & cum multis prauisq; symptomatibus inuadat: sit etiam ut declinationis tempus breue fiat, neq; omnino facile, neq; omnino symptomatum accessionis expers: neminem futurum arbitror qui de huiusmodi ægrotãtibus quæret, nunquid morbus in eis ad magnitudinẽ crescat. Rursus uero fiant his omnia contraria, tardet accessionis initium, longitudo autem eius ac magnitudo minor existat: cesset etiam malignitas, & ijs qui superueniunt symptomatibus, minoribus ac simplicibus factis, uel neq; omnino superuenientibus, intermissione etiam uel declinatione toleratu facili ac longa succedente, omnes accessionis casus siue symptomata auferente. Nam & hæc manifestiora sunt declinationis indicia, sicuti priora augmenti. Cum uero quæ ad accessiones duas pertinent, æqualia fuerint: morbũ in uigore consistere demon-

demonstrant. Nunquid igitur plus quàm erat opportunum, à nobis est dictum? aut aliquid ab Hippocrate prætermissum, ubi docet quo pacto quispiã ex circuitibus inueniat ægritudinis incrementum? Ait enim accessiones esse inuicem conferendas. An celerius fiant, aut nõ: & an ad longius tempus, aut non: & an magis, aut non. Nam hoc, an celerius fiant uel non, nihil aliud ostendit nisi utrum accessio horam consuetam anticipauerit, uel tardior facta sit. Illud autẽ, an ad longius tempus uel non, nunquid longũ perdurauerit tempus, an breue. Magis uero & minus, reliqua omnia quæ à nobis explicata sunt, in se cõprehendit. nam & magnitudinem, & morẽ ipsius morbi & superuenientes etiam casus, eorumq; insuper numerum, in eo quod dicitur magis ac minus, comprehendi existimes. Sic & ipsius declinationis, ut quæ sit totius accessionis pars, magis ac minus ex eisdem reperies intentionibus. Incrementi autem & ascensus & augmẽti (his enim omnibus nominibus secundum ægritudinis tempus appellãt) si celerius fiat accesio, si longiori tempore duret, si magis etiam indicia sunt: sicut his contraria signa, declinationem ostendunt, si uidelicet tardius fiat accessio, si breuiori tempore duret, sitq; omnino præcedente debilior. Vigorem uero seu statum indicant, si in eisdem permaneant. Etiamsi sæpe in morbis nullum sensibile tempus inuenitur huiusmodi, sed habente adhuc quarta (si ita contigerit) accessione indicia augmenti, quinta superuenit accessio, quoniam uidelicet status momẽtaneus extiterit, adeo ut nemo cũ adesset agnouerit: sed ut exquisite dinoscatur, primum declinationis tempus sit necessarium. Simile quiddam accidit in morborũ augmentis. Nam sæpe prior accessio principiũ simul habuit & ascensum & uigorem, scilicet in prima sui parte principium, deinde ascensum, postremo uero statum seu uigorem. deinde secũda accessio manifeste uidetur declinare. Sed præsente quidẽ secunda accessione, tunc demum cognoscere qualis fuerit illa quæ præcessit, præter id quod unusquisq; medicus id facere potest, rem etiam magni momenti in usu medicinæ destruit, præcognitionem scilicet, de qua plenius in libris De arte curatiua diximus. Generosi autẽ medici, atq; arte Hippocratica digni est officium, futurum statum præcognoscere, cum omnem uictus rationẽ ad ipsum inspiciens instituat. Eadem ratione principiũ morbi atq; augmentũ, non ubi iam perfecta sunt, sed multo antea, præstabat agnoscere.

IIII Video tamen plurimos medicorum neq; præsentis etiam principij notitiã habere, sicut apprime admirabilem Thessalum, qui in principijs reprimere iubet, etiam si morbus fuerit adstrictus pro sui natura egens relaxatione. Quo pacto uero quispiam ipsum principiũ agnoscat, tanq; rem notissimam, dicere prætermisit. sed hoc non paruam habet dubitationẽ. Nam si primum exquisite aduentum pro principio morbi totius statuere oportet, indiuisibile erit, atq; sine tempore. si uero primam accessionem, scimus hanc aliquando & to-

A tum augmentum & statum in seipsa comprehendere. præter id quod extra omnem rationẽ est, ut qui in septem ad summũ diebus morbus finiri debet, & qui ad sex menses extendi, omnesq; qui in medio tempore terminantur, solam habeant primam pro principio accessionẽ. Sicuti enim neq; omnes morbi augmentum, aut statum, aut declinationem æqualis habent temporis, eodem arbitror modo neq; principium. Neq; tamen si quispiam primam accessionem præterierit, iam poterit principium circumscribere. Nam si secunda statim subsequatur quæ habet augmenti indicia, & post ipsam tertia & quarta, & sic aliæ deinceps omnes: qui primam omiserit accessionem tanq; non principium, uel omne tempus medium usq; ad statum dixerit esse principium, atq; ita omnino sustu

B lerit ascẽsum: aut primo relicto principio, non amplius habebit. Quæ nam est huius dubitationis medela? si quidẽ uelint quæ sunt ab Hippocrate scripta perdiscere, facilis atq; expedita esset ista doctrina. nunc uero præter id quod quæ sunt ab Hippocrate optime tradita, nolunt addiscere: illa quæ ignorant, damnare conantur. Sed impossibile quidem est imperitis inuenire medelam, nobis uero perfacile. Inquit enim: accessiones & constitutiones morbi ostendunt, & anni tempora, & circuituum inuicẽ incrementa. Quod quidem morborum constitutiones, quandam ueluti eorum formam nominat, secundum quam ex talibus & tantis constituuntur uniuersalibus temporibus, mini

C ma quispiam coniectura comprehenderit. Nam cum in primo Epidemiorum libro ante dixisset, Sunt autẽ modi & constitutiones & accessiones harum quarumlibet febrium, deinceps subiungit: statim enim, continua quibusdam incipiens florescit, ac uiget plurimum, & ad difficilius attollitur: circa autem crisim, & simul cum crisi extenuatur. est autem cum incipit mollis ac latens: insurgit autem atq; acerbatur singulis diebus, circa crisim autẽ satis emicat. Ex quibus uerbis manifeste ostendit se qualemcunq; ex totius morbi temporibus compositionem, morbi constitutionem nominare. Quo igitur modo, morbi, & anni tẽpora, & circuituum adinuicem incrementa, uniuersalis tempora morbi cõmonstrabunt? Nam hoc erat quod

D quærebamus. Etenim quartana febris inuadens non solum habet accessionẽ primam principium: sicut neq; exquisita tertiana usq; ad diem septimũ suum potest principium extendere. eodem pariter modo & de alijs morbis iudicandum. Nam febris ardens, & morbus lateralis, & inflãmatio pulmonis, Græci καῦσον, πλευρῖτιδα, περιπνευμονίαν uocant, breuis temporis habent principiũ. Morbus autẽ comitialis, & articularis, & coxendicum & renum affectiones, longi temporis. Sic quidem à morbis ipsis. A temporibus autem anni, hoc modo: æstiuæ quartanæ magna ex parte breues sunt, autumnales uero longæ, & præsertim quæ ad hyemem protendunt. Sic & omnis morbus alius æstate quidem breuiorem, hyeme uero diuturniorem habet iudicationẽ: & principiũ sic æstate breuius,

hyeme uero longius habebit. similem quoque seruabit in alijs temporibus proportionẽ. Sic quidem & anni tempora morborum constitutiones prænunciant. Accesſionũ autem incrementa hoc modo. Accesſiones enim dicit inter se esse conferendas, an accelerant uel non, an longius durant uel non, & an magis uel non. nam si hæc omnia cõiunxeris, ad exquisitam cognitionem propius accedes. Si uero nihil ex istis animaduertẽs putas posse morbi principiũ cognoscere, aut ab incremento distinguere, nunquam prope accedes ad ueritatẽ.

V Nunquid igitur hæc ad exquisitã temporum morbi sufficiunt cognitionẽ? nequaquam, sed habent aliquid quidem artificiosæ coniecturæ: tantũ uero ab exquisita ratione deficiunt, quantũ illã quæ nullo modo est superant. Quid uero illis additum, exquisitam faciat prę cognitionem, si totum leges Aphorismum, intelliges, in quo ita scribitur: morbi autem, accessiones & constitutiones ostẽdunt, & anni tempora, & circuituum adinuicem incrementa, siue quotidie, siue alternis diebus, siue in longiori tempore fiant. Sed & ex ijs quæ mox apparent: ueluti in laterali morbo si sputũ statim appareat incipientem morbum facit breuiorẽ: si uero posterius, longiorẽ. Et urinæ, & alui excrementa, & sudores uel bene uel male finiturum, & longum uel breuem futurum morbum, cum apparuerint, cõmonstrabunt. Hęc quidem ab Hippocrate in Aphorismis scribuntur. In primo aũt libro Epidemiorum omnes inquit coctiones excrementorum undiquaque tempestiuas & bonas, & iudicatorios abscessus considerare oportet. Deinde subinferens inquit: Coctiones celeritatẽ iudicij, & securitatem sanitatis ostendunt. Sed coctiones hæ quidem omnes ijs adsunt quæ coquuntur. Quæ nam igitur hæc sunt? Non alia sane quàm illa quæ mox apparẽtia nominauit. Nam quæ propria sunt morbi accidentia, simul cum morbo inuadunt, atque incipiunt: reliqua uero omnia mox apparent. Inuadunt igitur unà cum morbo laterali & febris acuta, & lateralis dolor pungenti similis, & tussis, & difficilis respiratio. Mox apparẽt autem quædam ut ipsi morbo propria, nonnulla autem ut cõmunia omnibus febricitantibus. Propria quidem ipsius morbi, primũ quidem, si nihil educatur cum sputo: quod sufficiens est morbi coctione carentis indicium. Secundo autem, si educatur quidem, sed non bonum. Est autem & hoc duplex. unum quidem, quod solum caret coctione, alterum uero, quod etiam prauum existit. Ab his uero omnibus id quod coctum est separatur, quod etiã proprie sputũ appellãt. Neque enim quod sanguineum est, ac biliosum, atque spumosum, ita nominamus, sed potius expuitiones uocamus. Cum uero neque sanguini, neque bili pallidæ, uel nigræ cõmistũ fuerit, id quod tale fuerit, iam sputũ uocamus. Quando igitur hoc statim apparuerit, morbum facit breuiorem: cum uero nullo modo educitur, aut crudum, indicat morbum in longius debere protẽdi. Si quid aũt prauũ expuitur, periculum imminere significat. Si quid autẽ malignũ fuerit, mortem mi-

A natur. Quid igitur sit sputũ, nunc non est opus exponere. Quæ uero proprie expuitiones nominantur, ex his quæcunque subflauæ, & subfuluæ, & subpallidæ, & subspumosæ, & tenues existunt, solam cruditatẽ significant: nullum uero insigne malum prænunciant. Quæ uero sine alia cõmistione sunt flauæ ac fuluæ, crassæ, atque spumosæ, & uirides, uiscosæ, atque rotundæ, atque his etiã magis nigræ, sunt prauæ. Considerandum etiam quis sit eorum eductionis modus. nam si facile expuantur, cõstat quidem bonas esse, contrarias uero malas. Et quid oportet nos plura dicere, cum posſimus uerba quæ in libro De præcognitione scribuntur, apponere? Sputũ oportet in omnibus doloribus qui sunt circa pulmonẽ ac latera, celeriter expui ac facile, cõmistumque uideri uehementer flauum sputo. Neque

B in dubio est, quòd hoc loco Hippocrates sputum uocat id quod secundum naturam se habet, cui flauum admistum esse oportere inquit. Verbum autem illud uehementer, nonnulli quidem neque omnino adiungunt, quidam uero ad cõmistum referunt, ut sermo uterque ita se habeat, cõmistumque uehementer sputo, uideri flauum: uel flauum uehementer, cõmistum sputo. Sed prior sensus est artificiosior. Semper enim omniũ motus inæquales, & eorum quæ plurimũ distant cõplexiones damnat Hippocrates. Experientia quoque ita esse probatur: neque etiam ratio dubia est: non tamen eam nunc explicare foret opportunum. Quod autem uerbum illud uehementer, ad cõmistum relationem habeat, ex ijs etiam patet quæ subiunguntur.

C Si enim (inquit) multo post doloris principiũ expuatur flauum, uel fuluum, uel multam excitans tussim, uel non uehementer cõmistum, peius efficitur. Videtur enim in hoc loco Hippocrates quę cunque in secundo sermone dicuntur, ijs opponere quæ in primo dicebãtur. uerbo quidem celeriter, id quod multo post principium doloris expuitur. uerbo facile, illa, multam excitans tussim. illis uero, mistum uideri flauũ uehementer sputo, impermistum simpliciter, ac solum flauũ, tum quod ex utrisque cõmistum est, colore scilicet sputi naturalis, & flauo uel fuluo, non tamen uehementer. Sed & post hæc subiungens manifestius dicet, suã adhuc mentem aperiens, his uerbis: Nam flauum im-

D permistum existens, periculosum. Impermistũ est autem id quod sputo non cõmiscetur. album autem, & uiscosum, & rotundũ, inutile. Deinde rursus paulatim ad difficiliora sermone progrediẽs: Malum autẽ quod uiride est ualde, & spumosum. Ac deinceps addit: si uero ita sit impermistum, ut etiã nigrum appareat, omni alio peius est. Ex proprijs quidem morbi lateralis ita distinguere oportet. Sed præterea inspicienda sunt omnia quę sunt morbis acutis cõmunia, quæ deinceps connumerat, ita scribens: sunt autem hæc bona, facile perferre ægritudinẽ, bene spirare, & esse doloris expertem, & sputum facile expuere, corpus totũ æqualiter calidum esse, & molle, & sitim non habere: urinas autem, & alui excrementa, & somnos, & sudores, quemadmodum scriptum est, singula bona esse

esse percipere. Hæc itaque bona signa sunt, tum eorum instrumentorum quibus uis spirandi est demandata, propria, tum quæ præterea omnibus alijs morbis acutis cõmunia existunt, continuatim deinceps inuicẽ scripta sunt. Atque ipsis adiungens subinfert: mala autem sunt his contraria, difficulter perferre morbum, spiritũ magnum esse, ac crebrum, non cessare dolorem, uix sputum expuere, uehementer sitire, corpus inæqualiter sentire calorem, & uentrem quidem ac latera calida esse uehementer, frontem autẽ ac manus frigidas, & pedes frigidos: urinas uero, & alui excrementa, & somnos, & sudores, quemadmodũ scriptũ est, singula hæc mala esse cognoscere. Scriptum autẽ est de his in eo uolumine quod prognosticon inscribitur, in quo similem huic ipse tradit doctrinam, B qualẽ & nunc in sputis. Sicuti enim in his hoc quidem est coctionis signũ, hoc uero cruditatis, hoc autem mortis: & quod coctionis est signum, si in principio statim post appareat, propere salutẽ subsecuturam ostendit: quod autem cruditatis, morbum in longius tempus extendi debere: signũ autem exitiale, hominem moriturum significat: & si ualde exitiale fuerit, cito: si uero remissius extiterit, in longo tempore: eadem in urinis ipsis & alui excremẽtis, & reliquis omnibus de quibus est sermo futurus, distinctio est adhibenda. Etenim hæc omnia, nonnulla quidem coctionis, nonnulla uero cruditatis, & quædam etiã mortis indicia sunt. Nigrum enim sputũ, præter id quòd crudum est, etiam mortem portendit. Sic & urina nigra non C cruda solum, sed etiam letalis est. Est autem simpliciter crudum, quod album est ac tenue, quod aquosum nominamus.

VI Rursus igitur ad aphorismum redeamus, in quo ita scribitur: accessiones autem & constitutiones, morbi ostendunt, & anni tempora, & circuituum adinuicẽ incremẽta, siue quotidie fiant, siue alternis diebus, siue longius tempus intermittant. Sed & ex ijs quæ postea apparuerint, cõiecturam accipere oportet: uelut in morbo laterali, si sputũ statim morbo incipiente appareat, breuem futurum significat. si uero posterius, longiorem. & urinæ etiam, & alui excremẽta, & sudores, & bonam & malam crisim habituros, & cito uel tarde finituros morbos, cum superuenerint, indicant. Nã hæc D omnia liquido sunt eorũ quæ in prognosticis scribuntur, compendium: cum antiquus autor sola capita quæ in libro particulatim scribũtur, in Aphorismos transferre tentauerit. Quæ nam igitur sunt hæc capita? (Sæpius enim repetere mihi uidetur melius, ut qui mentẽ uelit adhibere, discat & morbi principium cognoscere, & futurum statum prę uidere) Hæc sunt, ut ipse dicit, forma morbi, & natura temporis, & accessionis circuitus, & quæ in morbis mox apparent. Erit autem mihi sermo in eodem exemplo, adhibita breui distinctione de nominibus, quibus, ut par erat, ueteres utebantur ad solum mentis conceptum explicandum, cum omni studio incumberent ad exquisitã rerum cognitionem. Iuniores uero ferè omnes circa nomina suam conterunt uitam, minime de rebus soliciti. Principium igitur morbi, & primum insultũ indiuisibilem primæ accessionis, ueluti nunc, quoddam sine latitudine uocant. Sed etiã aliquod tempus latum, quod etiam in ipso nunc obseruamus, quando dicimus nunc esse hyemem uel æstatem, uel aliquod aliud tẽpus. Quòd igitur in nullo sermone tali, qualis est is quem antea scripsimus Aphorismus, & multi alij qui postea dicentur, principium uocet Hippocrates primum illum & indiuisibilem morbi insultum, unicuique liquet. Quomodo enim circa morborũ principia considerandum esse, an statim morbus uigeat, in eo significatu dictum quispiam posset arbitrari? Vel illud: Incipientibus morbis, si quid mouendum uidetur, moue: consistentibus uero, melius est conquiescere? Vel hoc, In principio morbi si facies talis erit? Nam facies illa demortua de qua ista dicunt, neque illo exquisite principio morbi unque fieri potuisset. Eodem modo cum dicitur: In acutis morbis raro, & in principijs utendum purgationibus: de principio intelligitur quod ad tempus latum extenditur. Multo magis cum scribitur: Circa principia & fines omnia debiliora, circa statum fortiora. Neque in alio sensu dictum est: In quorum morborũ principijs nigra bilis uel infra uel supra exierit, mortale. Eodem modo in libro De ratione uictus quæ seruatur in acutis morbis in connumeratione illorum uehementium accidentium subintulit: Hæc autẽ si in principijs appareant, uehementissimum delirium ostendunt: ut plurimum autem moriuntur. Eodem modo se habet etiã in Aphorismo de quo paulo ante facta est mentio, ubi inquit: Veluti in laterali morbo si sputum statim post appareat in principio, morbum ostendit breuiorem. Neque enim primum exquisite insultum hoc loco significat, tum quia huic sensui rerum natura repugnat, tũ quia dicere non potuisset, post appareant. Quo modo enim different ab ijs quæ simul inuadunt? illa enim exquisite eiusmodi habent principium inuicem, & cum uniuerso morbo. post apparent autẽ quædam statim in prima die, quædam in secunda, quædam in tertia, quædam in quarta, quædam cum processerit morbus.

VII Principium uero secundum latitudinẽ cõmuni quadã & prompta imaginatione in qua nullum adhuc est artificium, in prima accessione continetur. Atque idcirco quædam statim cum incipiunt, statum accepisse dicuntur: quemadmodum in primo epidemiorum ubi inquit: statim enim, continua quibusdam incipiens florescit ac uiget. Nam uerbum id, incipiens, hoc loco non dicitur de uero morbi tempore, alioqui repugnaret ei florescere atque uigere, sed de eo quod subsequit principium, exquisite dictum, quod, ut plurimum, ad tertium extẽditur diem. Omnino enim febris hęc ubi principium illud sine latitudine fecerit, deinde hoc pacto ascẽsu usa proprium recipit statum, quædam in prima die, quædam in secunda, non tamen in primo insultu primæ accessionis posse aliqua febris habere statum. Sed siue in primo die

siue in secundo istum habeat, atque hinc usque ad integram solutionem extendatur, nullum sensibilem alterius accessionis insultũ accipiẽs, hæc statim ab initio propriũ habuisse statũ diceretur. Et hoc est quod ab Hippocrate dicit: statim enim, continua quibusdam incipiẽs florescit ac uiget. Tale igitur est: Si sputum laterali morbo statim post apparuerit in morbi principio, eum facit breuiorem. id est antequam secunda accesio inuaserit. adhuc enim lateralis morbus diceretur incipere, non solum quando huiusmodi accessio ascensum habeat uel statũ, sed in tota declinatione, atque omnino antequam secunda inuadat accessio, quæ ut plurimum in laterali morbo tertio fit die. Quodcunque igitur coctionis signũ post apparuerit, breuem & salutarem morbum futurũ ostendit. Tale quidem est sputũ quod B in morbo laterali apparet. Nã cuiusque partis in corpore superfluitas, eam quæ illi inest affectionem ostendit, si cocta quidem fuerit, salubrẽ, cruda autem, ægram. Ita igitur & illa scripta sunt: alui autẽ excremẽta optima sunt, quæ mollia sunt, & cohærentia, & quæ eandem exitus horam seruãt quam in sanitate habuerunt. Quantitas uero esse debet pro ratione cibi qui assumitur. Nam si exeuntia talia fuerint, uentrem inferiorẽ sanum esse indicant. Et sputum quoque cum fuerit exquisite simile illi quod aduenit sanis, integram sanitatẽ instrumentorum quibus uis spirandi est demandata, significat. Si quo modo autem impediatur, atque à naturali recesserit habitu, tantum ea læsa esse demonstrat, quantum ipsam formam naturalem amiserit. Quod uero illi quod secundũ naturam est, maxime contrarium existit, crudum est, magnamque ostẽdit membrorum affectorum imbecillitatem. Quod si etiam uitiosæ causæ aliquod signum habuerit, quemadmodum nigrum, pernitiosum hoc est. Ita etiam in urinis se res habet. Nam & hæ quæ sanorum urinis similes sunt, uenosum instrumentorum genus satis robustum esse demõstrant. quæ uero crudiores sunt, eiusdem imbecillitatem significant. Quæ uero maxime sunt sanorum urinis contrariæ, hæ quidem omnino sunt crudæ, & maximam indicant imbecillitatem uenosi generis uniuersi, Quæcunque uero & superantis causæ prauitatem ostendunt, ueluti nigræ, hæ sunt penitus exitiales. Hęc igitur tria signorum genera propriã D cuiuscũque membri coctionem significant: nempe inferioris uentris excrementa, quæ secundum naturã se habuerint. Venosi uero generis, urinæ, Instrumentorum autem quibus spiramus, sputa. sicuti uero hæc, locorũ ipsorum ex quibus excernuntur, indicia præbent: eodem ut arbitror modo, & urinæ renum & meatuum per quos urina defluit, & uesicæ, & penis. Sed urinas quidem quæ in harum partium morbis accidunt, in Aphorismis separatim Hippocrates scripsit. quæ uero acutis accidunt ægritudinibus, in prognosticis: quoniã hic liber, ut iam sæpius ostẽdimus, de solis est morbis acutis. Et cum in eodem libro cõpleuisset omnem de urinis sermonẽ, postea in fine subiunxit, Non decipiaris autem si uesica quopiam uitio affecta,

A aliquam ex his urinã reddiderit. Neque enim totius signum, sed ipsius per seipsum. Sicuti igitur uesicæ meminit, facto in ea sermonis exemplo: ita & renes, & uasa deferentia urinam, & penem subaudire oportet. Maxima autem ad hæc demonstratio sunt quę ab ipso in Aphorismis sunt scripta. Sicuti enim uesicæ, ita & renum ægrotantium signa conscribit. Quibus, inquit, in urina crassa, frusta carnis parua, aut ueluti capilli exeunt, ijs à renibus excernuntur. Hęc igitur tria signorum genera, ut dixi, singula quæque coctionis præbent indiciũ. Vrinæ quidem, eius quæ fit in uenis. deiectiones autem, eius quæ in uentre, sputa uero, eius quæ in spirandi instrumentis. Neque unquam usu contingit quin bonum aliquod magnum ostendant coctionis indicia. Sanguinis autẽ profluuium è naribus, & sudores, & tumores qui iuxta aures fiunt, & reliqui à loco ad locũ impetuosi defluxus, si in tempore quidem fiant opportuno, prodesse possunt: intempestiua autem, nihil iuuant. Quo fit ut mihi uideatur hęc eadem innuere libro De humoribus ubi scribit, Decernentia in melius, si non statim appareant. Etenim non hæc tantum, sed difficultas spirandi, & dementia, & lachrymæ, & uigiliæ, & graues somni, & tenebræ obortæ oculis, & splendores obuersantes, & uẽtriculi fastidia, & oris uentriculi dolores, reliquiúe casus atque dolores qui singulis partibus corporis eueniunt, exigunt distinctionem, & quando iuuent, & quando noceant, & quando non modo nihil prosint, sed etiam signa sint deteriora. Quemadmodum igitur principij uocabulum, nullum determinatum tempus significabat, eodem arbitror modo neque id uerbum statim. tantam uero temporis latitudinem obtinet, quantam & principij nomen. Liquet autem quòd etiam sæpius pro ilicet, aduerbio statim, utimur: ueluti in eo dicto uidetur usus Hippocrates. Insunt autem modi & constitutiones & accessiones singulis hisce febribus. statim enim, continua quibusdã florescit ac uiget. nam hoc uerbũ statim nihil significat quàm ilicet: quemadmodum ut arbitror, in libro De ratione uictus quæ in morbis acutis seruatur, ubi ita inquit: Nisi ergo quispiam curet quantum decet, sufficientẽ esse modum huiusmodi sorbitionis ptisanæ, sæpius nocebit. quibus enim cibus statim cõclusus fuerit, his nisi quis subeuacuatis sorbitionẽ dederit. Id uerbũ statim, tale aliquid significat. Sunt autẽ eius uerbi significatus quam plurima exẽpla & apud omnes alios Græcos, & maxime apud Hippocratẽ. Ad alterum autem transgrediamur. Cum enim inquit: signa decretoria non statim appareãt. hic statim quàm primum significat, hoc est in principio morbi. Non sunt autẽ eadem decretoria, & quæ coctionis indicia dicuntur. non enim fieri potest quin ista omnino uel bene uel male decernant. At uero coctionis signa salutem quidem hominis, non tamẽ per crisim omnino, futuram ostendunt. Neque enim si subitam in morbo mutationem intellexeris, neque si pręcedentem perturbationẽ, necessario coctionis signa horũ aliquod erunt, cum illud accidere possit

posſit, ut morbus in longiori tempore paulatim coctus, ad integram deueniat ſolutionem. Oſtendetur autem & in ſequetibus adhuc manifeſtius, quomodo differant omnia decretoria ſymptomata à coctionis ſignis. Nunc uero hoc tantum oſtendiſſe ſufficiat, quòd coctionis quæ in ſpirandi inſtrumētis fit, ſputa: eius uero quæ in uenis, urinas: illius autem quem in uentre, excremēta, ſigna ſtatuere oportet. Et quòd in febribus omnibus: quoniam uenoſi generis ſunt affectiones (nam & arterias in hoc genere cōprehendimus) ad urinas præcipue attendere oportet. In ijs autem qui laterali morbo afficiuntur, primum quidem ſputa, ſecundo loco urinas: quoniam is morbus omnino cum febribus iungitur. In affectionibus autem uentris, ſi ſine febre fuerint, ſola excrementa inſpicere oportet. Si autem cum febre, etiam urinas. B

VIII Propriū igitur uniuſcuiuſq; morbi principium, coctionis ſignis determinatur. Differt autem ab eo quod ſecundū latitudinem principium dicitur, quod nullum habet artificium, quòd ultra tertium diem non extendi intelligitur: ſicut etiam in libro prognoſticorum manifeſtiſsime oſtenditur. Nā cum antea dixiſſet, Si in principio morbi talis fuerit facies, poſtea ſubiungit: ſi autem longior morbus fuerit quàm triduanus, aut quadriduanus: principium ſecundū latitudinem manifeſte nobis oſtendēs, uſq; ad tertium diem extendi. Verum autem uniuſcuiuſq; morbi principium, quod etiam partem ipſius eſſe diximus, uſq; ad multos quaternarios extendi contingit. tunc enim primū finitur, cū coctionis ſigna apparuerūt. Reliquum uero deinceps tempus uſq; ad ſtatū, iam alterum tempus eſt, quod augmentum & aſcenſus nominatur. Deinde poſt hæc ſtatus, qui eſt uehementiſsima totius morbi pars. Vltima uero omnium eſt declinatio. Coctionis igitur ſigna (ſępius enim quæ utilia ſunt repetere conuenit) nunquam male apparent: decretoria autem eſt ubi male. neq; enim in augmentis, neq; in principijs, ſed in ſtatibus illa apparere conuenit. De ijs quidem quæ in augmentis ac ſtatibus apparent, poſtea dicemus. Iam uero de ijs quæ uidentur in principijs, dicamus: illud prius ad memoriam reuocantes, quòd in reliquo ſermone qui ſequitur, duo principij ſignificata prætermittentes, & primi inſultus qui ſine latitudine eſt, & alterum primæ acceſsionis, de ſolo tertio diſſeremus, uidelicet cruditatis. nam & huius artificioſa quædam cognitio, & plurimum oſtendere natura aptum eſt. Neq; igitur ſudores, & uomitus, & alui excremēta, neq; tumores poſt aures, neq; profluuia ſanguinis ſi eo tempore appareant, unquam per criſim ægritudines finierūt: Hæc igitur iam etiam ueluti cauſæ, morbos finire creduntur. Quæ uero ueluti horum ſigna ſunt indicatiua, deliria exiſtunt, atq; uigiliæ, & ſomni graues, & dolores, & lacrymæ, & difficultates ſpirandi, & tenebræ oculis obortæ, & quęcunq; ſimilia. Etenim hæc ſi abſq; coctionis ſignis apparuerint, ſunt peſſimarum affectionum indicia. Hæc igitur quæ uniuerſa uidentur ueluti cauſę & ſigna criſis,

A non ſtatim appareant, hoc eſt non in primo morbi tempore, quando omnino nulla adeſt coctio. Reliqua autem tria quæ coctionem oſtendunt ſigna, etiam ſi in prima protinus acceſſionis hora apparuerint, ad bonum apparent.

IX Rurſus repetentes dicamus. Hæc uniuerſalia morbi tempora ex morbis ipſis primum coniecturari oportet quantum extendi debeant, deinde ex anni temporibus, & circuituum proportione, & præter hæc omnia ex poſt apparentibus, in quibus prima & pręcipua ſunt coctionis ſigna, ex quibus circunſcriptū exquiſite poſſis principium agnoſcere. Ex hoc autem futurum ſtatum coniectura artificioſa, quā paulo poſt aperiemus, agnoſces. Voco autem coniecturam artificioſam, quæ propè ad ueritatem acceſſerit. Sicuti igitur nō habetur exquiſita principij cognitio antequam incipiat aſcenſus: ita neq; aſcenſus antequam ſtatus inuadat. Exercitandum eſt & hoc in loco, ut prius ingruentem ſtatum cognoſcamus, deinde ſic præcognoſcamus. Quoniam uero et horum omnium dux eſt Hippocrates, æquū eſt ut hoc in loco eius uerba exponentes, ſermonem tranſigamus. Præſtat uero fortaſsis, antequam aggrediamur hæc facere, pauca quædam eorum quæ nuper diximus, apponere. quod enim prius tanquam morbi partem principium inuenire quærebamus, utrum æqualis ſit temporis in omnibus morbis, aut in ſingulis proprium tempus habeat (de quo diximus Theſſalum delirum illud inueniſſe præceptum, C Oportet in unoquoq; morbi principio adſtringere, etiam ſi morbus ex conſtricta fuerit communitate) primus omnium Hippocrates diligentiſſime oſtendit: non tamē quid ille dicat intelligunt, ob enarrationis breuitatem. Impræſentiarum autem ſufficiat ex uno dicto priſci autoris mentem explanare. Nam & alia, niſi quis omnino indiligens fuerit, ſimili modo quiſpiam inueniet. In medium autem adducemus iſtum aphoriſmū: cocta medicari & mouere, nō cruda, neq; in principijs, niſi turgeant. quod uerbum proprie de animalibus dici cōſueuit quæ ad coitum rapiuntur. tranſlatum autem eſt ad eas quæ properant & celeriter mouentur ægritudines, & præcipue cum laborantis ſenſus ab inordinata humorum & ſpirituum agitatione irritatur. D Nam in his tantum quiſpiam rationabiliter pharmaco uteretur, cum per ſe habet adiuuantem ad facilius attrahendum, ſuperabundantiū humorum motum: quemadmodum qui præter id quòd omnino crudi ſunt, ſtabiles etiam & fixi ſunt, purgantium medicaminum tractibus difficulter obediunt. Sic etiam illa dicta ſunt. Quicunq; inflammationes ſtatim in principio morborum ſoluere tentant, de eo quidē quod intentum eſt atque inflammatum, nihil adimunt. neque enim cedit cruda adhuc affectio. quæ uero morbo reſiſtunt, & ſana ſunt, colliqueſcere faciūt. Sed harum rerum contemplatio ad eos pertinet libros in quibus De curandi arte tractatur. Quòd igitur Hippocrates uocet principiū totū illud tēpus morbi in quo omnino crudus eſt, iam liquet.

Nam cum antea dixisset quòd cocta pharmaco purgare oportet, subiunxit, Non cruda, neque in principijs: ac si principium existat, quando crudus incoctusq; est morbus.

X Quomodo igitur (nã rursus repetenda sunt quę prius cum de ipsis loqueremur omisimus) terminum aliquem quispiam ita manifestũ præfiniet ultimæ parti ascensus, queãdmodũ fini principij? Quomodo aliter q̃ status indicia inspiciendo? Dicit aũt & hęc Hippocrates in uno quidẽ sermone: in principijs quidẽ & finibus omnia sunt imbecilliora, in statu uero fortiora. In altero uero, hoc, Vbi quidẽ peracutus est morbus, statim extremos labores habet. Quomodo igit̃ hoc ipsum cognoscimus, q̃ nũc fortissima sit ægritudo, & maximas habeat accessiones? Si enim simul atq; ex toto debeat fieri trãsmutatio, (quod per crisim impræsentiarũ dicemus terminari) principiũ crisis, ultimũ ascensus terminũ esse statuendũ est. Si uero paulatim, ad eas quæ fiunt in periodis accessiones est attendendũ. Si enim celerius, & longiori tempore, & magis (ut ipse dicebat) fiãt, liquet morbũ ad statum ascẽdere, atq; augeri: sicuti cum ad contrariũ mutatio subsequitur, cessat atq; declinat. Cõtingit aũt nõnunq̃ duas accessiones, ubi maxime factæ fuerint inuicẽ æquales, status tempus circũscribere: nõnunq̃ uero unã omnibus alijs præcedentib. reliquisq; sequentibus esse maiorẽ. Ad tres aũt extendi accessiones status tempus, in morbis acutis non admodum accidit. In diuturnis uero, non modo ad totidem, sed longe plurimas. Ita quidem cognoscere oportet tempora uniuersalia, aut cũ fiũt, aut nuper facta. sed quæ futura sunt, alio modo.

XI Qui ut magis clarescat audiẽtibus, necesse est prius dicere de alui excremẽtis, & de urinis, sicuti etiam prius diximus & de sputis. Alui igitur excrementum optimum (ait Hippocrates) est molle, atq; coniunctum, quod ea hora exierit qua tempore sanitatis consueuerat. quantitas uero eius sit pro ratione cibi assumpti. Hoc est, ab ipsius consistentia, & quantitate, & tempore excretionis, facit dinotionem. Quia uero inferiorem uentrem sanum ostendunt huiusmodi excrementa, idcirco subiungens inquit. Tali enim existente exitu, inferior uenter sanus erit. Nunc uero inferiorẽ uentrem uocat ad differentiã thoracis. Propterea igitur neq; coloris meminit excremẽti, quoniam non magnam uim habet ad inferioris uentris affectionem indicandã. Nam quòd id excrementum sit bene concoctum, sufficiunt indicia prædicta, quòd uidelicet sit molle, atq; coniunctum, & non anticipet tempus naturale, neq; posterius exeat: & eius quantitas sit pro ratione ciborũ assumptorũ. Sicuti uero si hæc omnia adsint, omnino coctũ est, ita non etiã si horũ aliquid nõ adsit, omnino incoctum est. fieri enim potest ut hic quidẽ uenter circa propriũ opus robustus sit, sed uel propter uehementem adiacentium partium caliditatem exugatur atq; exiccetur quod bene concoctũ fuerit, aut propter distributionis imbecillitatem liquidius quàm oporteat egeratur. Quod quidem molle

A & coniunctum est, cõcoquendi uim ualidam esse liquido ostendit, ac simul digestionem optime fieri, ac præterea nullam uentris partibus inflammationem esse. Si cui uero id uerbũ læue prætermissum esse uidetur, nam quod bene concoctum sit, id protinus etiam læue essẽ oportet: hic non recte discernit. Nam quod cõiunctum est, fieri non potest quin etiam læue sit. nam unitum oportet esse in partibus omnibus, & ueluti unum existere exquisite. si uero aliquæ quidem eius partes integræ & asperæ & duræ uiderentur, aliquæ autem liquidæ & aqueæ, quomodo hæ forent simul iunctæ? Nam hoc pacto inter se dissoluerentur, & asperæ quidẽ & duræ partes seorsum consisterent, liquidę aũt tanq̃ aqueę & tenues adhuc remanen-

B tes non possent solidis alligari, neq; ullam per se cum illis habere cõmunionẽ: circũfluentes uero undequaq; & defluentes, inæquale, neq; ullo pacto coniunctum facerent excrementũ. Quod quidem tale est (dico aũt molle atq; coniunctum) omnino uentris sanitatem ostendit: sed simul etiam illud indicat (ut dixi) nullũ ex ijs quæ circumiacent membris, aliquo modo pati, & digestionem optime fieri. Nam ubi ipsa non integre fieret, omnino liquidum esset excrementum. Si uero excretionis seruetur tempus quod fuerat in sano corpore, ex eo liquet neq; coctionis tarditatẽ adesse, neq; ullã potentiæ uel retinẽtis uel expellentis imbecillitatem. nam si tardius q̃ oporteat excernatur, coctiõis tarditas, aut motus quo per intestina defer-

C tur, ostenditur. si autem citius, potentiæ retinentis debilitas. neq; id euenit propter robur alteratricis: cum fieri non possit ut qui ægrotat, acute prę sertim, uentrem habeat robustiorem quàm sanitatis tempore: cum bene cum eo agatur, si non multum sit imbecillior. Si uero cum aliquo morsu celeriter exeat, id ex irritatione quapiam contingit, neq; robur aut imbecillitas aliqua exinde significatur. Sed si sine morsu aut aliquali accidente in tẽpore opportuno excernatur, tres uentriculi uires uigere demõstrat, alteratricẽ, retentricẽ, & expultricem. Quòd uero quatuor sunt uires in qualibet nostri corporis parte, alibi ostendimus: neq; nunc oportet aliquid horũ ita incidentiũ demõstratiõe perdiscere: quoniam de his singulis separatim scri-

D psimus. Reliquũ est igitur ut ostendamus oportere alui excrementa quæ emittuntur, ad ea quæ intus assumuntur, seruare proportionem. Excrementum igitur molle, atq; coniunctum, & quod horam qua excernebatur sanitatis tempore, seruat, nisi etiam seruauerit ad ea quæ intus assumuntur cõuenientem proportionem: aliqua eius pars intra cæcum, & id quod uocatur colon intestinũ, retinetur, aut in alijs tenuibus inuolucris. Non est autem hoc neq; sicuti signum, neq; sicut causa bonum. sicuti signũ quidem, quoniam uim expultricem nominatam ac propulsoriam debilem esse significat. sicuti causa autem, quoniam ibi quædam superfluitates intus remanent, quas potius emitti oportebat: adeo ut quod habet hæc omnia prædicta signa excremẽtum, firmiter indicet inferioris

uentris sanitatem. Quod si ex his ullum deficiat, nonnunquam ipsius uentris aliquem affectum significat, aliquādo aūt digestionem esse offensam, aut aliquod circunstantiū organorum non esse sanū, aut aliquod accidens obtinere, sicuti & in morsu dicebatur. Quodnā igitur erit exquisite secundum naturam se habens excrementū? Quod neq; in uentre, neq; in circūstantibus organis aliquod erratum esse significat. Tale autem est quod præter ea quæ prædiximus omnia, etiam illa duo recipit quę Hippocrates ipse scribit deinceps in hunc modum: subfuluum autem erit, & nō admodum fœtidum. si enim fuluum purum, uel nullo modo subfuluum extiterit, sed etiam secūdum ciborum calorem, alterum duorum significat, scilicet plus flauæ bilis in uentrem defluere, aut nihil omnino. Horum uero primum quidem si circa initia fiat, biliosiorem morbum ostendit. si uero declinationis tempore, corpus integre expurgari. De his quidē in sequentibus exquisitius dicemus. Incoctum aūt excrementum est tenue, & asperum, & humoris expers, & qd' ex cibis seruat qualitatē. Tertiū præter hæc est excrementorū genus, quod nō ex ciborum fit dispositione, sed ex confluentibus ad uentrem ex toto corpore superfluitatibus, quod aliquid potest indicare, ueluti id quod paulo antea purum fuluum dicebamus. Sed hoc quidem, quando amaræ bilis humor impermistus & multus ad uentrem fluxerit, existit. Viride aūt, est ærugino sæ bilis indicium, sicuti nigrum, uel atrę bilis, uel sanguinis in eo loco perusti. Si aūt ueluti liuidum quoddā in excremento apparuerit, ubi non fuerit tale aliquid intus assumptū, partiū internarum ualidum frigus ac uelut mortificationē indicat. Si uero pingue, ubi non fuerit tale aliquid assumptū, pinguis colliquationis est signum. Quin etiam uiscosum, nisi & hoc ex cibi natura tale sit, colliquatiōis est indiciū. Sed quod quidē pingue est, ex pinguedine fit liquefacta. quod uero uiscosum, ex ipsis solidis animalis partibus cōtabescentibus: quare multo deterius. Et quidē quod uehemēter fœtet, si etiā hoc ex cibo non accidat, uehementem putrefactionē ostēdit. Vt aūt summatim dicamus, in omnibus nisi pro cibi qualitate talia fuerint excremēta, ita oportet affectionem considerare: adeo ut sicubi hoc taceatur, subintelligere tamen oporteat. Et quæcunq; ab Hippocrate in prognosticis dicuntur, ita dicuntur: semper distinguentibus nobis siquid ob aliud aliquid, non propter ægritudinē fiat. Reliquū est ut de stridente & spumoso & uario dicamus. Stridēs quidem, ab eo qui fit sono cum excernitur, nominat̄. Indicat aūt ipsum excrementum, flatum, cum tenui humiditate habere permistum, organa autem in unum coacta, atque in angustum restricta. Spumosum uero fit (sicuti etiam in exterioribus accidit) cum scilicet feruidus, uel aliquis flatuosus spiritus humiditati commistus est. Primum, immoderate caliditatis corpus colliquantis, secundū uero est inæqualis perturbationis effectus. Varium autem, uarijs corpus affectibus obnoxium ostendit. ob hoc igitur, & diuturnū, & malignum existit. multi enim affectus ad coctionem longiori indigent tempore, periculumq; afferunt affectui ęquale. Nam simplex affectus facilius concoquitur, & minus est, quàm multiformis, periculosus. Sic quidem de excrementis iudicare oportet.

XII Deinceps de urinis dicamus. Ex his igitur illa optima est, quæ urinæ sanorū simillima. Quæcunq; uero nō est talis, simpliciter incocta est, uel præter hoc & perniciosa. Coctum igitur & incoctum nomine quidē sunt unum, sicuti sunt genere: plurimam uero in eo q magis aut minus, differentiam habent. His igitur etiam manifestissimos terminos tentemus apponere, quibus quod est in medio discernatur. Quæ quidē optime cocta est, eam, in ijs qui supremum sanitatis obtinent gradum, considerare oportet. talis enim est subfulua, & subflaua, magisq; subfulua, q subflaua: statim uero & hæc mediocrem crassitatem habet. Nam quæ crassior est atq; tenuior, coctionem imperfectam significat. Siquidē altera nondum in humorem cōuersa est, altera uero adhuc conturbata est. Hoc autē intelligere licet ex ijs quæ tenues ac puræ excernuntur, posthac uero uel remanent semper tenues, aut paulo post cōturbantur: quoniam utræq; coctione carent. eo autem differunt, quòd altera nondum concoqui cœpit: alteri uero, quoniam flatuosi spiritus ipsi permisti sunt, perturbatio quædā, ueluti in nouis uinis adhuc ferueścentibus, inest. Nam cum triplex sit urinarum turbidarum differentia, quia uel cum tales mictæ fuerint, paulo post residēt, uel semper similes permanent, uel puræ quidē minguntur, postea uero conturbantur: praua quidem est ex dictis tertia, bona autem prima, media uero inter utranq; secunda: quoniā quę statim quidem residet, parum aliquid inæqualis turbulentiæ superesse demonstrat. Quę uero semper manet similis, uigere adhuc quæ est in sanguine agitationem ostendit. Quæ uero extra conturbatur, parat incipere cōcoqui. quare & lōgiori tempore, & uirtute forti indiget ad coctionem. Sed quæ turbulenta mingitur, statimq; subsidentiam bonam habet, morbum haud ita multo post concoquendum significat: atq; idcirco melior. Medio autem loco se habet secunda. nam ea quæ ex uigente fit conturbatione quantum malitia differt ab ea quæ adhuc futuram perturbationem significat, tantum superat eam quæ iam quiescentem obtinet. Quæ uero ad summum incocta est, has omnes uincit. est autem aquosa exquisite, neq; iam coqui incipiens, uelut turbulenta, neq; in futurum parans, sicuti quæ paulo post perturbatur, sed ueluti desperatæ coctionis accidēs. Atque hic talis est uenosi generis affectus, qualis uētriculi exacta cruditas. Cum uero etiā statim mingitur in uas urinariū, uocatur à nōnullis hydrops in matulā, hic affectus, alij διαβήτην à pertrāsiendo appellarunt. quidā uero alius antiquus urinæ profluuiū nominauit. sed de nominib. alibi cōsiderat̄. Verū hęc affectio talis est, qualis circa aluū leuitas intestinorū, extinctio (ut diceret quispiā) utri

usq;

uſq; uirtutis, & retẽtricis, & alteratricis. At hæc in
ter omẽs urinas crudas peſſima exiſtit: ſed poſt ip
ſam eſt aquoſa, quæ quantũ quidẽ ad cruditatem
attinet, priori ſimilis eſt: ſed quia nullũ aliud malũ
commonſtrat, minus pernicioſa. Illa enim nõ mo-
do uirtutis alteratricis, ſicuti alba & tenuis, ſed &
retentricis imbecillitatem ſignificat, hæc autem al
terius ſolius alteratricis. Quanto autem plures in-
ſtrumentorũ cuiuſq; generis actiones & uires im-
peditæ fuerint, aut ex toto perierint, tãto deterior
eſt morbus. Atq; idcirco peſſimum eſt urinæ pro
fluuium, quoniã duplex eſt uitium. Praua autem
ſufficienter eſt, quæ tenuis & alba eſt, ſicuti aqua.
nam ſimplex quidẽ eſt affectio, ſed ultimæ eſt im-
becillitatis indicium. Huic proxima eſt altera uri-
na, quæ in multis apparet morbis, ut uideatur mi-
ſtam habere formam uini tenuis atq; albi. Eius au
tem generatio eſt ex ea quam nuper diximus alba
& aquoſa, ut quæ paucum ſeroſum humorem ex
bili fulua ſuſceperit. Nam & ſi exterius in aquam
puram aliquid de ochra coloris ſpecie, aut parum
ipſius bilis inieceris, talis tibi aqua repræſentabit.
Hæc quidẽ urina proxime accedit ad crudã. Poſt
hãc eſt ſubpallida. Deinde pallida quæ iam & ſub
fulua eſt. Si enim in aquã inieceris uel fului coloris
parum, uel pallidi multũ, ſimile tibi uidebitur. hęc
uero quantum ad colorem attinet, iam coquitur.
Oportet autem tantum eam diſcedere ſua craſſitu
dine ab aquoſa, quantum colore, ſiquidem bene
concoqui debeat. Optima autem omnium urina,
ſubfulua et ſubflaua eſt: quemadmodũ & antea di
ximus: ueluti ſi etiam extra tale quid facere uelles,
partem ſanguinis ſubtiliorem atq; ſeroſam, ac bi-
lem fuluam aquę permiſcẽs. Sermone autem non
poſſum exprimere miſtionis quantitatem, ſed uel
ab altero oportet addiſcere de optima urina, aut
per te ipſum experiẽtia percipere qualis ſit urinæ
ſecundum naturam ſe habentis forma, eam in ſa-
nis corporibus perquirendo. Nam cum adhuc co
quitur ſanguis, urina quæ mingitur, læuẽ & æqua
lem & albam ſubſidentiã ac multam facit: iam ue-
ro perfecta coctione color quidem urinæ intendi
tur, minus aũt ſubſidet. Et ſi longiori poſt hoc tem
pore hominem à cibo prohibueris, uidebis ipſam
fieri ſemper magis fuluã. Nam & in cõmentarijs
De potentijs naturalibus oſtendebatur, quicquid
alimenti ſupra modum caleſit, & preſertim ſi pin-
gue fuerit, & dulce, uerti in amaram bilem. Quo-
niam uero & flauam & fuluam & pallidam nomi
nãt huiuſmodi bilem, pleniq; ſunt medicorũ libri
in quibus hoc uel illo modo appellatur, ſicuti in
quibuſdam indifferenter: melius eſt hoc in loco il
lud rurſus annotare, ut exactius quis dicta aſſequa
tur, quòd fuluus color ad flauũ proxime accedit:
in hoc autem differunt, quòd alter magis ad albũ,
alter ad ſplendidum uergit. Nam & amara bilis ali
quando fulua apparet, aliquando flaua, ſæpius aũt
& pallida tibi uidetur eſſe. Siquidem albior & tur
bulentior facta ſit, fuleſcit. Si uero ſplendens ſit
& purior, flaueſcit. Nam quod ueluti igneũ in bile
ſplendet, ipſam reddit flauiorem. Quantum uero

A flauo fuluum eſt albius, tantum illo pallidũ. quan-
to rurſus minus album eſt flauum q̃ fuluũ, tãtum
flauo rubicundum: quia & ſanguinis color non-
nunq; flauior exiſtit, nõnunquam rubicundior ap
paret. unde & ſanguinem ipſum aliquando flauũ,
aliquando rubrum dicunt. Nunquam uero ſan-
guis maxime flauus eundem habet cum bile ad
ſummum etiam flaueſcente colorem: ſed eſt illa
quidẽ flauior, ſanguis uero rubicundior. nam qui
apprime flauus eſt ſanguis, medius eſt inter bilem
ac exquiſitum ſanguinem in ijs, qui ſecundum na
turam ſe habuerint. quare ſi uterq; humor in ipſo
coniungatur, nunquam fiet exquiſite flauus, ſed
ſe ipſo tamen magis flauus. Hæc igitur cauſa eſt ut
appellationes confundantur. Quantum autem ad
B uſum refert, facillimum inuenire eſt quòd urina-
rum quæ ſecundum naturam ſe habent, terminus
eſt in optime ſanis corporibus primum coctionis
ſanguinis tempus. & qui hanc fuerit contempla-
tus, deinde ueluti regulam aliarum urinarum ſibi
ſtatuerit, quæ nam ipſam mutant affectiones, faci
le inueniet. nam ſi colorem exquiſite ſeruauerit,
ſubſiſtentiam uero albam & læuem & æqualem
& multam fecerit, ſic quidem coctionis etiam ſi-
gnum exquiſitum fuerit: plus autem de humore
qui crudus nominatur, euacuari demonſtrat. Qua
re & in pueris omnibus ferè, & perfectam ętatem
habentibus, qui ocioſam uitam degunt, aut quo-
uis alio modo pleni ſunt, ſatis multam habent uri-
næ ſubſidentiam, quoniã in his omnibus plus eſt
C de inconfecto & crudo humore. his quidem pro-
pter deſidem uitam, illis uero propter ſatietatem:
pueris uero & ob ſatietatẽ, (uoraciores eñ ſunt)
& ob id etiam quòd una uentriculi operatio non
poteſt duobus ſimul ſufficere, augẽdo ſcilicet atq;
alendo. antequam ergo in ipſo ſufficienter alimen
tum coctum fuerit, ipſum ad ſe corpus trahit, atq;
hinc fit ut plurimũ crudi humoris coaceruet. Hæc
quoq; cauſa eſt ut ijs qui ex ocio & repletione fe-
bricitant, ſi ſanitati reſtitui debent, neceſſario plu
rimum ſubſideat: contra, ijs qui ex inedia & labo-
re, fuluæ quidẽ & bilioſæ urinæ. ſoluit enim mor-
bus prius quàm aliquid ſubſideat, plerunq;. ſuffi-
cit enim in his nebula, & ſuſpenſio in medio uaſis
innatans bona. talis aũt eſt alba, & læuis, & æqua-
D lis. nam & ex ipſis ſanis qui multum laborant, &
pauciori cibo ueſcunt, ſunt urinæ bilioſiores. qua
re neq; ſimpliciter Hippocrates uituperauit uri-
nam fuluã, ſed quãdo ſimul cum fuluedine habue
rit ſubtilitatẽ. Ita igitur inquit: Donec fulua fuerit
urina ac tenuis, morbũ crudum ſignificat. Liquet
aũt q̃ neq; aliquid ſubſidet huiuſmodi urinis. neq;
enim cõtingit ut quę tenuis ſufficienter fuerit, uel
ſi multo tempore quieta ſteterit, aliquã recipiat ſe
cretionẽ, adeo ut craſſior pars quæ in ipſa pende-
bat, ſubſideat, tenuior uero ſuperferatur. nã hoc ſo
lũ aduenit ijs quę aliquã craſsitudinẽ habet. Nõ ta
mẽ ſi etiã mediocriter craſſa fuerit, et breue quicq;
qđ ſubſideat habuerit, iã cocta erit. Si eñ uel fari-
nę hordei craſsiori, uel folijs, uel furfurib. ſimiles
ſubſidẽtias habuerit, uel nigras, uel uirides, uel liui

das, uel fœtidas, præter id quod quæcunque tales sunt, cruditatem habent, etiam alioqui sunt perniciosę. Nam farinæ hordeaceæ crassiori similes, duarum sunt affectionum indicia, grandis scilicet colliquationis, & caliditatis æstuosæ, quæ sanguinem adurit. At quæ folia repræsentãt, sunt uasorum partes superficiales, quę scilicet omnino sunt resoluta, ac contabuerunt. Ita & furfureæ, præterquam quod hæ crassiores ac minores sunt, folijs autem similes latitudinem ac tenuitatem maiorem obtinẽt. Nigræ uero subsidentiæ uel excedentem caliditatem atque igneam ostendũt, uel ex frigiditate uehementem extinctionem. Sic enim & extrinsecus nostri corporis partes nigro affici colore uidemus, partim scilicet ex nimio calore, ut qui se soli exposuerũt: partim ex uehementi frigore, & ueluti mortuæ quemadmodum in senibus, aut quibuscunque alijs supra modũ perfrigeratis. Ipsarum itaque totarum urinarum color niger, atque etiam eorum quæ in ipsis innatant, aut quæ supra ueluntur nebularum, ad easdem causas refertur, calorem scilicet immoderatum, aut mortificationem ex perfrigeratione uehemẽti. Pessima igitur est omnis urina denigrata, adeo ut neminẽ unquã seruatũ uiderim ex ijs qui talem urinã minxerunt. Minus uero perniciosa, si solũ id quod subsidet, nigrũ fuerit: atque adhuc minus, si solũ id quod in medio innatat: ac multo minus etiã, si nebula. Color uero uiridis fit in transitu ad nigrum, & quoddã ueluti principiũ nigri. Nam si morbus malignus fuerit, & uomitibus & alui excrementis, & urinis uiridibus postmodum nigræ superueniunt. Color autem liuidus est tantum frigiditatis effectus: odor uero grauis, putrefactionis. Quòd si ueluti oleũ mingatur, colliquationis est signum. Tales quidẽ urinæ prauæ sunt. Quæ aũt bene coloratæ sunt, & subsidentias habent albas & leues, & æquales, aut nebulas quasdam, aut innatantia similia, omnes urinas bonitate præcellunt, & præsertim in quibus subsidentia læuis fuerit. Secundum bonitatis obtinẽt locum, in quibus innatãtia talia sunt: Tertium, in quibus nebulæ. Hæc igitur coctionis signa sunt. Reliqua uero omnia partim cruditatem, partim perniciem portendunt. Nã quæ alba est & quæ tenuis & quę turbulẽta, cruditatẽ. At quæ farinæ hordei crassiori, aut folijs, aut furfuribus similia habent, quæ nigra, aut uiridis, aut liuida est, aut oleaginea, aut fœtida, perniciẽ significat. Quæ aũt subfulua, aut subflaua est, adhuc aũt tenuis: qua quidem tenuis, cruda existit: qua uero talem habet colorem, iam coquitur. est aũt media inter eas quæ sunt exquisite crudæ & coctę: sicuti & quibus quędam alba sunt & læuia quę in medio innatãt, diuulsa uero & minime continua. hoc uero etiam in subsidentibus contemplari oportet, si non modo alba sint & læuia, sed si omnino ęqualia, & quia in nulla parte diuulsa sint, & quia omni tempore talia sint. nã si alternatim mingatur pura in subsidentibus, semicoctum esse morbum ostendit. De his igitur omnibus admirabilis Hippocrates primus omnium quos scimus, optime docuit, & quo pacto in uiris qui-

A dem & mulieribus nigræ urinæ pessimæ sunt, in pueris aũt aquæ similes. nam in his magis consuetæ crassiores, in perfectis autẽ magis fuluæ. quod uero maxime contrarium est consuetis, perniciosum. Sed & de subrubentibus urinis, & statim habentibus subsidentiam subrubentem, ac læuem, recte dixit quod sunt quidẽ satis salutares, sed diuturniores ijs quas paulo ante semicoctas nominaui. Sanguinis enim serosa superfluitas istas tingit. Oportet autem non modo hanc, sed etiam aliquid fuluæ bilis admisceri. Si uero calor naturalis adeo est imbecillis, ut neque flauam generet bilem, neque sanguinem exquisite coctum, sed adhuc sero similem, atque liquidum: quod quidem ad sui coctionem tempore egeat, est manifestũ. quòd uero hæc affe-

B ctio sine periculo sit, materiæ natura cõmonstrat: quæ neque tenuis, aut aquæ similis est, neque integre crassa, sed neque acris quidem aut putrida, optima uero existens, & prope naturam sanguinis.

XIII Sed postquam de urinis, quantum ad præsentia erat necessarium, omnino dictum est: reliquũ est ut dicamus, quod polliciti sumus facere, præcognitionem status atque aliorum temporum morbi. Ergo si unum quidẽ aliquod tale signum aut etiam plurium collectio firmiter indicare posset id quod futurum est, neque ipse Hippocrates dixisset artem longam, neque nostri temporis medici admirarentur, an fieri possit, ut hæc omnia ad prænotionem medicam perueniant. Quoniam uero neque signũ ullum ita fidele est, ut exquisite osten-

C dat singula ex futuris temporibus: sed neque quæ secundum concursus quosdam signa sunt complicata, sola possunt experientia iudicari, (multi enim numero hoc pacto concursus fierent, adeo ut nemo eos posset enumerare, neque obseruare, neque memoria tenere,) idcirco necessariũ est signi cuiusque naturã exquisite considerare, si quis uult recte prę cognoscere: ut ex ui uniuscuiusque præcognitionẽ faciat. Neque enim quæ plurima sunt, illa omnino paucioribus sunt potentiora. Sæpe enim signum unum forte multis debilibus fidelius existit. Hæc igitur admirabilis dicebat Hippocrates in li. Præcognitionũ. Signa ediscentem omnia, iudicare uires eorũ, inuicem cõparantem oportere. Quare et rationabiliter secundũ uires eorum tradidit disci-

D plinam, non simpliciter, deinceps bona signa connumerans, deinde rursus mala, uerum annotãs in appellationibus uniuscuiusque naturam, perniciosum & graue nominans & grauius & grauissimũ, & minus graue, & magis graue. Sic & prauum & prauius & prauissimũ, & mortiferũ quoque per Iouem, & malum simpliciter, nonnunquam uero ualde adijciens utrique signorũ generi, & ijs quæ nunc dicta sunt praua, & ijs quæ bonũ aliquod ostendũt. Nam & in illis hoc quidem optimũ dicit, hoc uero bonum simpliciter, hoc aũt magis, hoc uero minus. Tale uero est & quod dicit ualde magnam habere uim ad salutem. Nõnunquã uero nihil ex his addens, quòd temporis indicium erit, & longæ solutionis meminit, nobis, ut arbitror, de hisce omnibus ratiocinandum relinquens, quæ neque omni

no

no praua sunt, neq; penitus extra periculũ, sed cũ uiribus quidem fortibus, salutaria: cum debilibus aũt, periculosa. Hæc igitur non solũ legenda sunt in Hippocratis libris, sed & memoranda sæpius, atq; obseruanda in ægrotantibus. Nam ex continua inspectione exquisitã eorum potestatis habemus notitiam. Semper aũt mente reuoluere oportet ac cõsiderare quæ nam sunt signa optima, quæ pessima, & quæ in medio confinio horum ueluti gradus quosdam habentia, nõnulla quidem optimis, nõnulla uero deterrimis proximiora, & quæ quidẽ minus, quæ uero sunt magis, eo q alternis modo ꝓpe illa, modo procul reperta sunt: & quæ nam exquisite media ponenda sint inter bona & mala signa. Deinde considerandũ quæ nam semper mala sint, & quæ semper bona, & quæ nam in totius morbi temporibus permutentur, cum aliquando bona fiant, aliquando mala, & nonnunq; fida, nonnunquã uero infida. Etenim hoc ab Hippocrate dictum est admiratione dignum, quòd ijs qui non secundum rationem leuiores facti sunt, neq; credendum est, neq; pertimescendum ualde quæ praue uenerunt contra rationem. Quod nisi quis nouerit, nequaquam poterit manifeste præcognoscere: sed aliquãdo instante crisi nihil à uulgari quopiam differre uidebitur, sed simul perturbabitur ac compauescet de futuris: nonnunquam uero existimans liberatum esse à morbo ægrotantem, atq; ei uictus libertatem permittens, magni alicuius mali occasionem afferet. omnino aũt male uictum instituet, futurum statum nõ præcognoscẽs. Nisi quis enim ad hunc respiciens statum, ab initio uictus modum adhibuerit, fieri non potest quin magnum malum aliquod afferat ægrotanti.

XIIII Hæc igitur iam nos dicamus, quemadmodũ proposuimus, singula per genera diuidentes. Et primum q signorum omniũ triplex est differentia transigamus, deinde singulorũ uires, postmodum quo pacto quispiam morborum tempora præcognoscat. Triplex quidem signorum omnium natura qualis sit, mihi antea dictum est: sed nihil deterius est nunc repetere, q nonnulla quidem cruditatis, & coctionis, quædam mortis & salutis sunt signa. Hęc quidem duo sunt genera. Tertium aũt & aliud genus est, quod crisibus adiacet. Coctiõis igitur & cruditatis signa, alui excrementa, & sputa, & urinas statuere oportet. Mortem autem atq; salutem portendentia sunt quæ unà cum istis excernuntur, & quæ per totum apparent corpus, de quibus latius in libro prognosticorũ Hippocrates scribit. Quantũ ad crises attinet, aliquid quidem ualent & nonnulla ex his: est tamen proprium atq; præcipuũ eorum genus: quod totum in sequentibus explicabimus. At cruditatis & coctionis signa semper stabilem habent propriã potestatem, siue statim in primo die, siue in sequentibus apparuerint. At modi morborum signa tripertita sunt. nam quædam, ut supra dicebatur, in urinis & alui excrementis & sputis apparent, quædã in affectione totius corporis inueniũtur, quædam in animalibus & naturalibus uidentur operationibus. hæc uero non omnia fidelia sunt in omnibus morbi temporibus, sed deinceps ipsa diuidemus. Criticorum autem accidentium duplex quidem natura est: quoniam aliqua sunt tanquam causę & signa, aliqua tanquam signa solum. Infida uero est uniuersa eorum natura, & contraria significans ac faciens in diuersis morborum temporibus. In his autem totum est præcognitionis studium. nam in alio quidem tempore secundũ aliam affectionem critica sunt, secundũ uero aliam aliquam affectionem, uel morbi tempus, accidentia uel signa praua fiunt, critica uero neq; omnino sunt. de hisce uero ab Hippocrate etiam sæpius dictum est. Sufficit autem imprę̃sentiarum unius dicti ex secundo epidemiorum libro meminisse. Decretoria quæ non cernunt, quædam mortalia sunt, quædam uero difficulter decernũt. Hoc uero haudquaquam inest coctionis aut cruditatis signis, sed ex his singulum, unũ quod fit atq; idem semper significat: ut uerbi gratia, urina quæ bene colorata est, & albam & læuem & æqualem habet subsidentiã, coctionis est signum. Tenuis autem, & quæ nullam subsidentiam habet urina, semper est cruditatis signum. Et quæ quidem coctionẽ significat, bona est semper. quæ uero cruditatem, non bona, siquidem eorum, quæ prius diximus, recordamur. At uero si capitis dolorem, aut dementiam, aut uertiginem, aut difficilem spirationẽ, aut anxietatem aut grauem somnum inspexeris: nihil in his stabile, neq; bonum neq; malum poteris præcognoscere: secundum eandem rationem neq; sudores uel uomitus, aut uentris aut urinę multum profluuiũ, aut sanguinem de naribus, uel de uulua, uel de hæmorrhoidibus emanantem, aut parotidas, aliosq; à loco ad locum impetuosos defluxus. Hæc enim omnia & decernentia & non decernentia sunt, secundum duplicem modum, aut quia nullo modo decernũt, aut quia male. Nam colli dolor, uel temporum grauitas, uel splendores obuersantes oculis, atq; uertigines, & capitis dolores, & lachrymarum inuoluntarius effluxus, faciesq; unà cum oculis rubens, aut labrum infernum agitatum, uel uigiliæ aliquę, uel somnus grauis, sunt tantum signa crisis aliquando, sicuti & creber anhelitus, quem ἄσθμα Gręci uocant, & quædam anxietas uel difficultas spirandi, & præcordiorũ substractio, & stomachi fastidium quoddam, uel nausea & æstus, & sitis uehemẽs, & oris uentriculi dolor, & non posse decumbere, & delirare atq; exclamare. fiunt igitur & hæc iam imminentis crisis indicia. Alterum genus non solum signorũ decretoriorũ, sed etiam causarum obtinet uicem. Sunt uero hęc, uomitus, & excrementa alui, & multitudo urinarum, & sudores, & sanguinis fluxus è naribus, & parotides, atq; à loco ad locum impetuosi defluxus. Contingit autem neq; in primis accidẽtibus quæ tantum sunt signa crisis, neq; in secũdis, quæ & signorum & causarum uim habent, crisim ex necessitate sequi. Aliud uero genus est signorum simul atq; accidentium, quod neq; decretoriũ nominatur: quoniam neq; ostendit, neq; facit crisim: neq; omnino

fidum

fidum est sicuti coctiones, neq; infidum ex toto, sed est inuenire inter ea quædã bona simpliciter, quædam autem mala. atq; hæc quidem esse talia, ut plurimum omnibus inest. Mente igitur constare, atq; ad ea quę offeruntur, bene se gerere, bonū. Bonum etiam facilis spiratio, & facilis tolerantia, & pulsuū bonitas, & facies simillima sanis, decens accubitus, & totius corporis æqualitas, & quæcunq; alia Hippocrat. in prognosticis scribit. His contraria, mala, hoc est intollerantia, pulsuum malitia, & spirandi difficultas, quæ maxime frigido spiritu efflato fit. atq; alia multa quæ in prognosticis ab Hippocrate dicta sunt definiente signi cuiusq; potentiam. Quæcunq; enim simpliciter bona & mala nominat, sæpius talia existunt.

XV At quæ ab eo optima & pessima dicuntur, & quibus præsertim adiunxerit id uerbū λάγϖα, talem uim habent, ꝙ semper unum quoddam ostendunt, aut raro non indicant. Hac igitur existente inter signa differentia, siquidem impossibile est distinguere quando signa decretoria crisim ostendunt, uel quando ea quę decernunt accidentia, bonam aut malam afferūt crisim: frustra ea uerba pronunciasset Hippocrates: His qui non rationabiliter leuius se habent, nō oportet fidere, neq; uereri multum mala quæ fiunt præter rationē: frustraq; nos de crisibus tractare instituissemus. Si uero neq; aliud quicquam ex omnibus neq; hæc ab Hippocrate frustra dicta sunt, erit omnino aliq̃d signū fidum, quo id quod secundū rationem est, ab eo quod præter rationem, separatur. Sed quidnam hoc sit, libenter audirem ab ijs qui ueterē negligunt medicinā. nos enim credimus uerum id esse quod ab Hippocrate dicitur, ꝙ coctio, crisis celeritatem, & salubrem securitatē significat: cruda autem, & incocta, & in malos conuersa abscessus, crisium defectum aut dolores, aut diuturnitatem, aut mortes, aut eorundē malorū reuersiones. Vnde & principij tempus, sicuti etiā diximus antea, distinguimus. Illi aūt nullum nobis principij tempus dederunt: atq; ob id nequeunt distinguere quando exitialiter quispiam se male habet, uel delirat: & quando ex imminente iā crisi: at similes uulgaribus sunt, neq; quē finem ea quæ fiunt sint habitura pręnoscentes, neq; quid facere oporteat inuenientes. Sed de his quidē etiā iterum dicetur.

XVI Quomodo uero etiam si nondum adsint uniuersalia morbi tempora, quispiam ipsa prænoscere queat, cum maxime ad usum artis sit necessarium, hoc iam transigemus. Propositum enim est statim à primo die saltem tantū cognoscere, ꝙ uel in primo quaternario, uel in secundis decernetur. Nam utrum in decimoquarto uel uigesimo die illud fiat, nondū liquet: uerum ex hoc haud magna sequitur in uictus ratione mutatio, quemadmodū si quarto uel quinto die crisis affutura esset, ac talem aliquis uictum institueret, qualis, si quadragesimo die morbus finiri deberet, institueretur: hoc enim maxime esset absurdum. Et quicunq; medicus primo uel saltem secundo die non præcognoscit morbum qui extra primum septenariū neque

A at extendi, hunc permultū erraturum sit uerisimile. Si igitur semel uel bis tali errore delinqueret, uenia dignus foret. Si uero putet nullam esse futuri status præcognitionem, hic nec minimā medicinæ artis partem est assecutus. Ego uero tantum absum ut quod futurū sit, penitus incognitū putem: ut sæpe de eo certissimam haberi scientiam existimem. Quid enim si aliquis primo statim die nullum habens signum periculosum, uerum insuper omnia salubria, acute quidem febricitet, urinā aūt mingat bene coloratā, ac mediocriter crassam? an non in propatulo est medico qui in artis operibus est exercitatus, hunc in primo quaternario crisim habiturū? & eo magis, si nebula aliqua, uel suspensio bona innatās ibi afforet, atq; etiam tanto plus, si bona subsidentia? Sed hoc quidem breuiter

B dictum est, non tamen breui tempore disci potest. omnia enim & bona & mala signa cognoscere oportet, quid id certissime sit præcogniturus, quēadmodum horum habens scientiā aiebat Hippocrates: Nam & mitissimæ febres, quæ cum signis securissimis fiunt, quarto die finiunt, uel prius: Et quæ malignitate excellunt, & cum signis grauissimis accidūt, quarto die occidunt, uel antea. Mites quidem nominans contrarias malignis: & ꝙ neutræ quartū transcendunt diem: sed hę quidem omnino soluuntur, hæ uero interficiunt, ostendens. Sicuti igitur quæ omnia habet signa tutissima febris acuta, in prima periodo decretoriorū dierum solutionē habet, sic quæ isti proxime adiacet, diē

C septimā non transcendet. Sed quæ nam est hæc? Illa uidelicet, cui nō omnia sunt tutissima signa. Dictum igitur est & antea, ꝙ nō idem sit superlatiue & simpliciter dicere quicq;. non igitur securum et securissimum, neq; malignum et malignissimum, neq; graue & grauissimū, eandem uim habent. Sit iam à primo statim die febris acuta, sed non supreme simplicissimaq;, & cum tutissimis signis, simplex tamē, et cum signis tutis, quam Hippocrates mitem nominat: ego hanc clarioris doctrinæ gratia simplicē uoco, fugiens homonymiæ ambiguitatem. Hæc febris ad secundum quaternariū progredietur. Nunquid uero uel quinto die uel sexto uel septimo finietur, procedēte sermone determinabitur. Eodem modo maligna, & cum grauibus

D facta signis. Nam & hęc quantū abest à malignissima & cum grauissimis signis adueniente, tanto et mortem afferet tardiorem. Si uero quis simplices & simplicissimas, et malignas ac malignissimas febres distinguere nescit: neq; an recte aut secus de his Hippocrates dixerit, unquā poterit experientia perpendere. Quòd si neq; signorum uires intelligat, sed simpliciter opinetur hæc quidem bona, illa uero mala tantūmodo esse: adhuc magis, tanquā uetulæ cantilenā, quæ ab Hippocrate scripta sunt, leget. Ego quidē talibus ab his cōmentarijs censeo abscedendum. At qui libros prognosticos Hippocratis accurate legerunt, istis deinceps uerba faciā. In primo quidē die (sic uero me ubiq; intelligas, totū ex die & nocte tempus in uiginti ac quatuor horas partitū accipientē) urina quidem

sit exquisite aquea, febris uero debilis. hęc ergo in longum tempus protrahetur. sed quantum hoc erit, in primis diebus cognosci non potest, neque cognitu utile est. Nam cuius gratia tali egemus præcognitione iã id habemus, uictus scilicet formam conuenientem constituere, cum status post plurimos dies sit subsecuturus. Singulis tamen quaternarijs signa diligenter obseruans, etiam ipsum status tempus, exquisitã consequi poteris cognitionem. Oportet enim (inquit) à primo die considerare, & in singulis quaternarijs adiectis animaduertere: neque te latebit quo se morbus conuertet. Hæc quidẽ etiã in sequẽtibus, pluribus, ac diligentius exequemur. Ad primi uero tẽporis præcognitionem (quod principiũ uocant) in quantũ extendetur tẽpus, iã magnũ aliquid ostensum est in primo die accipi: q̃d sequenti die adhuc manifestius est distinguere. similiter eñ & febre & urinis manentibus, non solũ q̃ nondũ morbus ad ascensum peruenerit, dicere possumus, sed q̃ neque ante septimum diem sit incepturus. Didicisti enim quòd extreme cruda est aquosa urina. Quare non solũ præsens iam principij tempus internoscere datur, uerum etiam sæpius præcognoscere quo finietur.

XVII In his quidem adeo diuturnis sufficienter est tempus longũ, in peracutis extreme angustum. Nam si statim in prima die in urinis appareat aliquod signũ coctionis, iã hic principiũ transgressum est. Nũquid igitur neque omnino incepit? an hoc quidẽ impossibile? Neque enim fieri potest ut morbus aliquis propriũ statum recipiat nõ præcedente principio, aut ascensu. Extreme uero breue utrunque horum temporũ sæpius fieri cõtingit, adeo ut in primo die morbus ad statũ perueniat. Ita igitur acuti principij ne præcognitionem quidẽ finis inquirere oportet, sed satis putare si dum adest cognosci possit, & cum q̃ primum ad ascensum cõuertitur, manifeste deprehendatur. Est aũt cõmunis talium principiorum atque ascensuum cognitio, cũ primis accessionis partibus. Idem enim & eius & uniuersi morbi principiũ atque ascensus. Nam neque ipsa statim incipit à statu. Hoc enim nõ modo nemo unque uidit, sed neque etiã cogitatione assequi potest, febrem uidelicet acutam statim in primo insultu summo in uigore cõsistere, ac si fulmine foret homo percussus. Quomodo igitur in primo die febris in statu consistere cognoscetur? Quomodo aliter, q̃ si statim habuerit signa coctionis? Tale enim quiddã accidit circa humorũ crudorum coctionem, quale etiam inflãmatis partibus aduenit. Ita aũt & de his quodã in loco inquit Hippocrates: Circa puris generationes, dolores, ac febres cõtingunt magis q̃ ubi iam est generatum. Quemadmodũ igitur iam suppurata inflammatione, febrem in summo uigore consistere non cõtingit, aut dolorem obuiare: eodem modo neque si quicque in urinis subsidat exquisite optimum. Nebula quidem sola, aut quibusdam bonis suspensionibus innatantibus factis, status tẽpus nondũ adest, ac multo magis cũ hæc ipsa defuerint, preterque si biliosus ualde morbus extiterit. Siquis igit̃ præ-

A ter ea omnia quæ diximus, sæpius mentem ægrotantibus adhibuerit, hunc nullum latebit tempus. Sed si quidem acutum fuerit, & dum præsens erit, exacte cognoscet, & statim subsecuturum præcognoscet. Si uero diuturnũ, ex multo tempore coniecturabitur, ac propius accedẽs manifestius etiã præcognoscet. Hoc enim uniuersaliter præcognoscere oportet. Quòd si non aliquod manifestũ inspiciatur coctionis signũ: quicquid temporis interiacet, principiũ esse ægritudinis. Quantũ igitur adhuc præsentibus deficit ad manifestum illud coctionis indiciũ, & à morbi motu, & natura, & tempore anni, & regione, & ætate, & temperatura laborantis inuenies. Nam si morbus natura longus extiterit, queadmodũ (exempli gratia) febris quotidiana, & uideatur tarde in hoc ægrotante moueri, ac quodã modo succẽdi, ac suffocari, & tempus anni fuerit hyems, & regio frigida, ætasque atque natura laborantis ad frigidũ declinauerit, multum interim tempus erit necessariũ ad manifesti signi generationẽ. quod totum tempus principio erit contribuendũ. Sit igitur ita ut hyberno tempore incipiat febris quotidiana in corpore ita se habente queadmodũ diximus, unà cum exquisite crudis et aquosis urinis: non modo neque intra septimum, sed neque etiam decimum quartũ diem quispiã habere posset manifestum coctionis signum. Sic autẽ appello ea quæ media inter debilia sunt, & perfectæ coctionis indicia. Perfecta igitur coctio est, quando in urinis subsederit aliquid album leue & æquale & continuum. Debilis autem coctio est, quãdo ex aquosa urina mediocriter subpallida facta fuerit. & quidem si turbulẽta apparuerit, & talis permanserit, hæc quoque occultæ & debilis coctionis est signum: & fulua etiam ac tenuis ex eodem genere est. Sed nihil horum iam principium esse finitum ostendit. hoc enim manifestius indicium semper expetit, uel solam albam, aut suspensionem innatantem æqualem, continuam, atque albam. Et quidem rubens nebula, & subsidentia talis, & sine subsidentia bene colorata urina, & crassitudine mediocris, principij finem manifestat.

XVIII Sic & in laterum & pulmonũ affectionibus, ea quæ proprie sputa uocantur, urinarum subsidentijs assimilantur. Nihil uero omnino expuere, sed tussim tantũmodo siccam habere, tale quiddam est quale in urinis extreme crudũ, quod aquosum nominamus. Quod si ab eo quod est nihil expuere, ad expuere, uerum liquida, & omnino cruda, fiat transmutatio: liquet quòd debilis & occulta est huiusmodi permutatio, & nondum est finitum primum ægritudinis tempus, quod principium diximus nominari. Quando igitur hoc quidem cessabit, atque integre ad augmẽtum morbus conuertetur? Quando cœperit expuere pauca cocta, reliquo uero omni tẽpore ab hinc usque ad statum semper eo plura ac meliora atque facilius expuente. Cum uero exquisite cocta fuerint, & multa, & sine difficultate educta: tunc status est tempus. Quando uero similiter quidem exquisite cocta, et sine molestia educta, atque eorum multitudo

minuta

minuta fuerit, dolorq; non amplius affuerit: tunc cessare statum oportet. subsequitur enim declinatio. Supponamus igitur ægrotum aliquem à morbo laterali habitũ, neq; expuentem aliquid, & urinas quidem mingentẽ tenues, sed bene coloratas. circa diem undecimũ expuere quædã incipiat, uerum liquida & cruda. hunc quidem nemo diceret ante diem undecimũ esse in alio morbi tempore, quàm in principio: in undecimo uero fortasśis uideretur cuiquã manifeste transgressus. uerum nõ ita se habet. nam dies undecimus quartidecimi index existens, secundi temporis ægritudinis manifestum ac certum principium illum habiturum cõmonstrat. Obseruabis igitur diem decimumquartũ an præostensis ab undecimo concordat: & post hunc rursus decimumseptimũ: quoniam hic uigesimi est index: quemadmodum in libris de diebus decretorijs diximus. Age iã hoc die supponamus expuisse pauca quidem, sed cocta. huic in die uigesimo posśibile est aduenire crisim, non tamen perfectam, ob talem causam, quoniam non eandem uim habet, neq; inter indices primi cum posterioribus, neq; primi decretorij cum ultimis: At ualentiores quidem primi sunt, sed iam in longum protracta ægritudine imbecilliores redduntur. Oportet igitur procedente morbo, & tũ pręcipue quando admodum crudus extiterit, magnã fieri transmutationẽ, ut secura crisis speretur. Magna autẽ est permutatio, cũ perfecte cocta minguntur atq; expuuntur. talia uero non supponebantur in die decimoseptimo affuisse. Quare nec fieri poterat ut hic ægrotus in die uigesimo liberaretur, aut perfectam crisim haberet. ideo mutationem aliquam effatu dignã fieri sat erat, cum posset in aliquo ex sequentibus decretorijs diebus integra solutio aduenire. Nunquid igitur solũ suppositio quædam cõficta est hic sermo: uel est uisus etiã talis ęgrotus: Mihi quidẽ habere hæc omnia quæ diximus, ille uidetur de quo scribit Hippocrates in tertio epidemiarum, ille inquam ægrotus à pestilẽti constitutione ordine octauus. Ita autem omnis sermo se habet: In Abderis erat Anaxion qui decumbebat circa portas Thracias. Febris acuta inuasit hominem. lateris dolor cõtinuus aderat, tusśis sicca: neq; expuebat primis diebus. sitibundus erat, & peruigil. urinæ bene coloratæ, tenues, & multæ. Sexto die delirauit, ad concalefactiones nulla fiebat remisśio. Septimo die grauius se habuit. nam & febris intendebatur, neq; dolores minuebãtur, & tusses infestabãt: difficilemq; habebat spirationem. Octauo die uenam in cubito secui: sanguis multus effluxit, qualem oportuit. dolores remissi sunt, tusses tamen siccæ insequebantur. Vndecimo die febres minores factæ sunt: paruus sudor circa caput exijt, tussesq; & prodeuntia à pulmone liquidiora. Decimo septimo cœpit quædã pauca concocta expuere, leuatus est. Vigesimo sudauit, febre liberatus est. post crisim leuatus est. siticulosus uero erat, neq; à pulmone optimę erãt expurgationes. Septimo & uigesimo febris redijt, et tusśis. eduxit plurima, & cocta. urinarum subsidẽ

A tia multa, & alba. sine siti, & bene spirãs factus est. Quarto & trigesimo die sudauit per totũ corpus, per crisim febris soluta est. Huic uero & omnia alia quemadmodum supposuimus uidentur aduenisse. Et de urinis, quamuis non pluries, quemadmodum consueuit in alijs ægrotis, sed bis saltem mentionem faciens, in principio quòd tenues essent, in septimo & uigesimo die subiungens, Vrinis inerat subsidentia multa, & alba: palàm facit tum primũ exquisite coctas urinas minxisse. propterea igitur (ut & antea dixi) in die uigesimo crisim habuit, sed imperfectam quidem, quoniam in decimoseptimo cœpit quædam cocta expuere. non tamen integra crisis subsecuta est, quoniam neq; exquisita coctio urinarum, aut sputorũ. propterea igitur inquit: erat autem siticulosus, atq; ex B pulmone non erant optimæ expurgationes. Hic igitur nobis ad memoriam reuocans quod recte dictum est. Quæ relinquuntur in morbis post crisim, subuersionem facere consueuerunt. de septimo ac uigesimo die lege enarrationem, quæ ita se habet, Septimo & uigesimo redijt febris, tusśijt, eduxit concocta plurima, urinis multa subsidentia alba, sine siti fuit. Nam cũ antea dixisset quòd in tempore intermedio post uigesimum diem & sitis remansit, & à pulmone non erant optimę expurgationes: deinceps inquit quòd in septimo & uigesimo die facta subuersione febricitauit, sine siti autẽ restitit, & optima expuere cœpit, in urinis subsidentiam habebat multam, atq; albam. Hoc C igitur est quod prius dicebatur, quòd uidelicet in morbis febrilib. tale quid accidit, quale in ijs quæ suppurãtur inflãmationibus. Sicuti enim ibi cum generatur pus, & dolores & febres præcipue contingunt: ita & hic dum concoquuntur humores qui febrem inducunt. sic igitur & in Anaxione quantum ex prima illa crisi defecta relictum erat, hoc rursus efferuescẽs in coctionis tempore, illã, quæ antecesśit crisim, febrem generauit. Hoc uero à naturali calore, nõ autem febrili prouenisse, dierum natura non minime indicat. dies enim undecimus, optimæ sed debilis coctionis principiũ fecit: deinde decimusseptimus signum coctionis manifestius ostendit: deinde uigesimus crisim imperfectam: post hos uero septimus & uigesimus D integræ coctionis indicia dedit. Propterea subinferens inquiet: Quarto & trigesimo die sudauit per totũ, sine febre fuit, atq; ex toto crisim habuit. Liquet enim quòd in septẽ diebus post septimũ & uigesimum concoctæ sunt simul & excretæ omnes ægritudinis causæ, per urinas quidem quæ febres faciunt, per sputa uero quæ thoracem infestant. Oportet autem huius meminisse sermonis & ob præsentia, & ob illa quæ dicẽda sunt: & hæc tria inuicem differre arbitrandum, & debilem coctionem, & manifestam atq; perfectam. Debilis ẽm in undecimo, manifesta uero in decimoseptimo, perfecta uero in uigesimoseptimo acta est: post quam in omnibus septem diebus morbus solutus est. & totum hoc tempus status fuit: quemadmodum & in sequentibus manifestius ostende

mus. Hoc igitur ſputum quod ſeptimo & uigeſimo die apparuit, A in primis morbi diebus ſiquidem apparuiſſet cum optimam ſubſiſtentiam urinis habentibus, fieri non potuiſſet quin in primo ſeptenario morbus iudicaretur. Primos uoco dies ægritudinis, quos primus præfinit quaternarius.

XIX Et primum igitur morbi principium iuxta ſecundum ſignificatum in hoc circumſcribi tempore prius dicebam. Et hoc eſt quod inquit: In lateralem morbum patientibus ſputũ ſi ſtatim appareat, incipientem breuiorem facit. Nam cum principium triplex dicatur, ſecundum unum quidem modum de primo inſultu, qui ſimplex eſt, & latitudine caret: ſecundum alterum uero de eo ꝗd ad tertium extenditur diem, quod ſolum mihi ſomniare uidetur Theſſalus: & præter hæc etiam id B quod tanquam pars accipitur totius morbi, quod manifeſte coctionis ſigna definiunt: de omnibus his Hippocrates uerba facit, quemadmodum ex ijs quæ antea ſcripſimus liquet, & in ſequentibus commentarijs manifeſtius oſtendetur. Quòd uero iuxta ſecundum ſignificatũ principium oſtenderit, cum dixit id ſputum quod in lateralem morbum patientibus apparet in principio, breuiorem facere: neminem latere arbitror. Sed hoc etiam ſequentibus diſtinguemus. Quo pacto uero quiſpiam aut iam præſens atq; perfectum id quod tanꝗ totius morbi pars eſt, principiũ accipitur, cognoſcere queat, aut iam futurum præcognoſcere: mihi iam uideor demonſtraſſe. Nã iam perfecti principij manifeſtũ & firmum eſt ſignum, coctio ma- C nifeſta. Finituri autem, & ipſius morbi natura, & tempus anni, & ætas laborantis: ex ſuperabundanti autem, & regio in qua ægrotat, & modus eius qui anteceſſerit uictus cum nondum morbo correptus eſſet. Specialiora uero indicia futuri finis primo ægritudinis tempore, coctiõis indicia ſunt. Et quo pacto hæc præcognoſcere oporteat quando maxime futura ſint, dicetur quidem diligẽtius & in ijs quæ ſequuntur: dicetur autem & nunc ꝙ cõſiderare oportet quantum diſtant prima cruditatis ſigna ab ijs quæ aderunt in manifeſta coctione, & quis nam ſit in morbo motus: hoc eſt, utrum acute, aut tarde ac ueluti fumigans moueatur. Vtiliſſimum uero ad hæc, imò uero ſummopere neceſſarium eſt, exquiſite ſcire dignoſcere quantum D inuicem ſuperant ac ſuperãtur & coctionis & cruditatis ſigna. nam & cruditatis ſigna non paruam inter ſe habent differentiã: adhuc aũt magis & coctionis. Siquidem integrę cruditatis indicia in primis quatuor diebus permaneant, longũ erit huic morbo principij tẽpus. Si uero debilis mediocriter in ipſo apparuerint, longũ quidem & hoc erit, ſed non priori ſimiliter. Si aũt parua fuerint cruditatis ſigna, futurũ etiam principij tempus paucũ erit. His addenda ſunt & illa quæ ab Hippocrate dicta ſunt longioris temporis eſſe ſignificatiua, de quibus in ſequentibus nobis plenior erit ſermo. Nũc uero gratia exempli huius aphoriſmi meminerimus: Frigidi ſudores cum acuta quidẽ febre, mortẽ ſignificant: cum mitiori uero, morbi prolixitatẽ. Nam ſi in primis diebus, præualentibus adhuc cruditatis ſignis, aliqua talia ſigna apparuerint, principij tẽpori addent: & liquet etiã ꝙ tẽpus aſcenſus longius erit: atq; eadẽ ratione ſtatus poſt multum tempus occurrit: ſic aũt & morbi ſolutio.

XX Quare non ſolum primi temporis in primis diebus aliquam habebis artificioſam cõiecturam, ſed etiam ſequentium. Exquiſitius aũt & magis ipſa præcognoſces, ſi ſuccedentibus quartanarijs mentem adhibueris. Nam primus qui parum euidens coctionis ſignum oſtendit, ipſe manifeſtius reliquũ principij tempus indicabit: cum iam hoc tibi ſine ulla dubitatione cõſtet, quòd uniuerſum illud tempus in quo nullum eſt manifeſtũ coctionis ſignum, primũ eſt ex quatuor morbi temporibus, quod nos principium nominamus. Nam ſi ad hoc reſpexeris, nihil erit amplius difficile inuenire an in tot primis diebus ab ijs quæ primo die tot apparuerunt, iam abſceſſerint, quot erant reliqua tranſigenda uſq; ad manifeſtam coctionẽ. Inde autem aſcenſus incipit, ſed in hoc uel aliqua defecta criſis apparebit: quemadmodum paulo antea in ægroto qui lateralem morbum patiebatur, oſtendi: uel ſi morbus expectauerit integrum ſtatum, ſic & criſis integra erit. Sæpius uero neq; ulla fit criſis poſt ſtatus tempus, ſed paulatim morbus ſoluitur, longo tempore coctionem recipiẽs. Quo pacto autem antequam fiant hæc, futura prę cognoſcere oportet, in ſequentibus commentarijs explicabitur. nam in ipſis liquido oſtendam quando in aſcenſibus, quando etiam in ſtatibus morbus criſim habeat, & quando ſine ulla omnino criſi paulatim coctus diſſoluatur. Et clarum eſt ꝙ huiuſcemodi ſolutionem, neq; criſim nomino: ſi qua uero uniuerſa fiat permutatio, & multo magis adhuc eam quæ antecedit agitationem, ita appellare conſueui. Equidem harum præcognitiones in ſequentibus dicam. Melius enim eſt non ſolum ꝙ in hoc tempore integram morbus habebit ſolutionem, ſed etiã utrum cum magna aliqua certatione, uel ſine uexatione atq; periculo aliquo, intelligere. Hæc igitur omnia in ſequentibus commentarijs oſtendentur, & præterea bonarũ ac malarum criſium præcognitiones, integrarũ quoq;, ac defectarum. In horum uero omnium principio præponã ipſorum morborum inuadentiũ dignotiones. Quoniam enim & ab ipſo morbo diximus oportere quædã de tẽporibus uniuerſalibus noſſe, ac præterea à tempore anni, & ab alijs quæ diximus: niſi eorũ omniũ ſtatim à primo die aliquam habuerimus cognitionem, ſimile quiddã multis medicorum iuniorum patiemur. Nam ſicuti illi utrunq; ignotorum, alterum per alterum mõſtrare conantur, uel quod notius eſt, per id quod minus notum eſt: ſic & nobis accidet, niſi uniuſcuiuſque morbi formã ſtatim à prima die aliquo modo dignoſcamus. Optimum igitur eſt ſi ab initio protinus (& hoc millies iam fieri poſſe probauimus) & tertianos & quartanos & quotidianos circuitus in primo ſtatim die cognoſcamus. Si uero aliquando in hoc manifeſte dignoſci non poſſit, tunc coniectu-

iectu

iecturam aliquã artificiosam habebimus, ex qua A bonam uictus ratione instituere incipiemus. Exactam aũt notitiam assequemur in secundo die, uel omnino in tertio, uel in quarto. Et hoc igit̃ ipsum melius fuerit ostendere, & præbere indicia eorum quorum à primo die statim exquisitam possumus habere cognitionem: eorumq; etiam de quibus coniecturam aliquam non rudem habere nos speramus, secũdo uero, tertio uel quarto exquisitius distinguũtur. Rursus igitur incipientes ab his primo secundũ librum, & reliqua etiam singula quæ promisimus, conuenienti ordine prosequemur.

ARGVMENTA LIBRI SECVNDI DE CRISIBVS.

Quomodo quis prima die naturam morbi cognoscere possit. Exquisitæ tertianæ præcognitiones, & quomodo differat à causone continuo: & cur tertiana per sudorem uel per uomitũ cessat. De signis quartanæ & quotidianæ: & de quotidiana cõtinua, & quartana continua. De dignoscendis cõtinuis prima die. Quòd eum, qui debet cognoscere cõpositos morbos, prius in simplicibus exercitatũ esse oportet. De dignotione febriũ, quæ ex inflãmatione, uel humorũ putredine accenduntur. De febrium diararũ natura & dignotione. B

ALITER.

Cap. I. Crisim diiudicaturũ, in quibus exercitatum esse conueniat. II. Signa febrium generalia. III. Exquisitæ tertianæ præcognitiones. IIII. Quartanæ exquisitæ signa. V. Quotidianæ puræ cognitio. VI. De febribus continuis. VII. De febribus compositis & mixtis. VIII. Dispositionũ iudicem futurum, prius in simplicibus oportere uersatũ esse. IX. Cognitio febrium compositarũ sine abscessu. X. De febrium compositarũ dignotione cum abscessibus. XI. Cõmunis febrium indicatio. XII. Subitæ mutationis in febribus agnoscẽdæ methodus. XIII. De ephemerarum febrium natura & cognitione.

GALENI DE CRISIBVS
LIBER SECVNDVS



DICTVM quidẽ & iam antea est ab initio, sed & nũc etiam melius est commeminisse, ꝙ siue uniuersam in morbo trãsmutationem subitam tãtum, siue bonam, siue eam quæ antecedit omnes ueloces alterationes, cõturbationem quispiam uelit nominare crisim, non meum est hoc in C loco propositum definire: sed quo pacto optime quispiam has omnes iam præsentes dignoscat, & futuras adhuc præcognoscat, id esse huius sermonis institutum. At cum id quod summopere est necessarium, iam ostenderimus, morborum scilicet tempora iam præsentia cognoscere, & futura præcognoscere, deinde cuiusq; ægritudinis cognitiones ac præcognitiones scribemus: & quoniam eas ex multis fieri demõstrauimus, quorum unum est ipsius ægritudinis natura: quo pacto & hanc optime quispiam posset internoscere, ad hunc secundum librum tradere distuli. Si itaq; quispiam nobis affuit in curatione ægrotantium, ex prima accessione & quotidianam febrem & tertianam, & quartanam, & semitertianam, & eam quæ ab ardo D re καῦσος appellat̃, plurimosq; alios morbos prænoscentibus: ex ipso opere huius contemplationis habuit experientiã. Quod si nunq̃ talibus prædictionibus interfuit, æquum est hunc neq; admirari de ijs quæ dicemus, antequam ueritatem in ipsis experiatur, sed neq; etiã damnare prius quàm uniuersum sermonem nostrum auscultauerit, atq; usu ipso explorauerit. Audire quidem atq; intelligere ea quæ dicuntur, omnibus cõmune est (ita enim à me clare explicabuntur, ut neminem latere posint) sermones autem nostros experiẽtia comprobare, siquidem nobiscum futurus est, illi erit q̃ facile. ꝙ si ipse per se ipsum explorare uoluerit, non æque expeditum. Verum & in pulsuum differentijs exercitatum esse oportet, atq; omnium artis operum sufficientem habere experientiã. Veram enim cognitionem, non ex ijs qui male operantur, sed ex ijs qui recte pertractant, comprobari, fit uerisimile. Hos igitur solos ad disciplinã, atq; eorum quæ docentur iudicium, sermo noster admittit: reliquos uero qui medicinæ artem adeò dedecorarunt, ut eam sex mensium fecerint disciplinam: hos neq; iudices, neq; discipulos adhibet. Alterum enim non possunt, alterum nolunt.

II Dicendum iam igitur, quo pacto quispiam in primo die morbi naturam agnoscat. Diem aũt per totum hunc sermonem nostrum in eo accipiemus significatu, ut non solum lucem, sed noctem etiam complectatur: sicuti & mensem ex triginta diebus constare dicimus, non id tempus tantum quo sol supra terram fertur, appellantes diem, sed etiam illi tempus noctis adijcientes. Sic etiam annum quodãmodo dicimus trecentos et sexaginta quinq; dies complecti. Sicuti autem de diei nomine & de eius significatu distinximus, eodem, ut arbitror, modo de ægritudine ostendere oportet, ꝙ est affectio quædam lædens operationes, & ꝙ duplex sæpe simul consistit. Hæc uero utraq; in libris de morborum differentijs sunt demonstrata. Simplicem itaq; affectionem nemo qui perspicaci sit intelligentia, in primo die ignorabit. Habet enim propria indicia. Eam uero quæ cõmixta est, non omnibus per initia contingit agnoscere. Neq; uero absurdum est, ad duplicis affectionis cognitionem duobus opus esse diebus: sicuti si triplex fuerit, tribus. At uero unam simplicem ignorare affectionẽ, absurdũ, & maxime turpe. Oportet itaq; in omnibus simplicibus exercitari, ut singulas seorsum & iam perfectas noscamus. nam nisi in hoc accurate antea laborauerimus, neq; incipientem, & paruam adhuc existentem agnoscimus: sicuti neq; oliuam uel ficum uel quercum nuper terra pullulantem poteris unquam internoscere, si iam perfectas plãtas ignoraueris, sed, quod hoc etiam maius est, neq; ipsas iam perfectas simpliciter cognoscere sufficit: sed nisi iam perfectas præcognoueris, nullã ex ijs quæ nuper natæ sunt, separatim internosces: non tamẽ neq; statim, neq; quàm pri-

mum cum in istas incideris: sed sicuti ex perfectis singulas non semel neq; raro conspicatus sufficiens ad prompte cognoscendum factus es, eodem (arbitror) modo te oportet & ex ijs quæ nuper natæ sunt, singulas nõ semel neq; bis, sed sæpius contemplando, sufficientem ipsarum habere notitiã. Quare siquid eorum quæ in hoc loco scribuntur, ad exercitationẽ referre tẽtaueris, prima aũt te experientia fefellerit, non propterea statim desperaueris prius, quàm sæpe in eadẽ exercitatione perstiteris. Neq; enim qui sagittandi artem meditatione assequi student, licet sæpius in principio aberrẽt à meta, uides ob id suũ exercitiũ intermittere, aut propter aberrationẽ animo contristari. Quando igitur sagittandi artem, minimam existentem, adeo ut etiam à mancipijs cõmode pertractetur, nemo statim incipiẽs assequi integre potest, quid de arte Asclepiadũ existimare oportet? quæ tam multa indiget contemplatione, & tam exquisita ac laboriosa in operibus exercitatiõe? Siquidem igitur unus ex eorũ numero fueris qui pro rebus pulcherrimis atq; honestissimis laborare institueris, primũ omnia quę dicentur in singulis morbis, diligẽter perdisces: deinde in ipsis operibus exercitaberis, deinde ita de his ferre sententiã tentabis num quid uere aut falsò dictũ sit. Quod si (ut diximus) otiosam & secordem uitã egeris, uel laboriosam quidẽ, sed circa deteriora, diuitias, honorẽ, & ciuilem potentiã ueritati præferendo: melius tibi fuerit neq; hanc contemplationẽ attingere, ne in plenũ cœno puteum aquã puram infundas. nam & aquam destrues, neq; puteum quicq; iuuabis. Simplicẽ igitur morborũ singulorũ affectionem (iam enim ad ueritatis amicũ me cõuerto) primo ipsam per seipsam cognoscere studeas, ac circa hoc te exerceas, non ex ijs solũ quę ipsi extrinsece adiacent, qualis est contemplatio multorũ, sed primum quidẽ ac maxime ex ijs quę secundũ propriam insunt substantiã: deinde iam ex ijs quę sæpius accidunt: ueluti in ea febre quę tertiana nominatẽ, non hoc tantũ aduertas, si tertio quoq; die fiant accessiones in febris quietẽ desinentes. (Nam si duę tertianæ fierent, aut duæ quartanæ: duæ quidẽ tertianæ quolibet die, per tertium aũt duæ quartanæ exacerbantur. Quare uel duas tertianas unam putabis quotidianã, uel duas quartanas unam tertianam.) Sed formam ipsam febrium te inspicere iubeo. neq; enim insultibus accessionũ similes sunt, neq; ascẽsibus, neq; statibus, neq; remissionibus, neq; in caloris qualitate, neq; in motu arteriarum, neq; in ijs quæ superueniunt accidentibus. Si ergo neq; tertianam ipsam per seipsam, neq; quotidianam unquam inspicere licuisset, obscura foret earum dignotio. Sed quoniam & tertianam separatim datur cõtemplari, quando incipit, atq; progreditur, & iam perfecta soluitur, eodemq; modo quotidianam: non admodum difficile est ab una quotidiana duas tertianas distinguere.

III Age igitur primũ incipe exercitari in ueris atq; exquisitis typis. Neq; eñ aliud nequicq; scripsit Hippocrates, neq; illud etiã, quòd exquisitę

A tertianæ longissimus terminus est septem circuituum. Quænam est igitur hæc tertiana exquisita? Nullũ eñ eius indiciũ scripsit Hippocrates tale, ut etiã uulgaribus esset manifestũ. Sed si ego te manuduxerim, facile intelliges quam uocet exquisitam tertianã. Quòd si te per uolumina circunuolui permisero, anteq; cõmode introducaris, nõ modo nihil utile disces neq; de tertiana, neq; de aliquo alio morbo, sed infinita erunt quæ non assequeris. Cum igitur legeris in aphorismis, morbos, qui tẽpore æstiuo maxime uigent, esse febres continuas adurentes, & tertianas plurimas: primũ aduerte, ne hoc ipsum male accipias, q; æstatem intelligit, non quæ præter naturã se habet, qualẽ aliquando ait fuisse in Cranone, cũ pluuiæ uiolentæ

B per æstũ tanto tempore descendissent. Sed si ordinem aliquẽ, ac modũ in singulis temporũ statibus annotasti, tu nunc ad memoriã reuoca, q; hyems quidẽ præ omnibus anni temporibus humidissima est ac frigidissima: contraria uero æstas ipsi est calidissima atq; siccissima. Rursus si hyems quidẽ sicca, ęstas uero humida fuerit, tẽporũ status haud secundũ naturã se habet. Neq; igitur æstiuæ ægritudines tempore ęstatis tunc abundãt. Neq; enim existimare debes q; propter anni temporũ appellationes, singulæ ægritudines accidant, tales scilicet uel tales, sed propter ambientis aeris temperaturã. Nam qualẽ hic naturã habet, ita etiã nos afficit. Secundũ hoc igitur aiebat Hippocrates, Cum uer autũno simile factũ fuerit, autumnales ægritu

C dines expectare oportet. Calidã aũt et siccam temperiem æstatẽ habere oportet, quando exquisite suam naturã seruauerit. Sed si hoc ita se habeat, liquet, q; æstas, quæ maxime talis existit, plurimas afferet tertianas febres. Nunquid igitur status tẽporis calidus & siccus magnũ prouentũ febrium tertianarũ efficiet, regio aũt calida & sicca, non etiam plusquã frigida & humida, earundẽ feracior erit? Hoc etiã omnino clarũ est. Sed nõne & ægrotantis temperatura? Hoc quoq; est necessarium. Quòd si uictu calidiori ac sicciori etiã usus fuerit, hoc est laborib. atq; uigilijs, & curis atq; tristitijs, cibisq; paucioribus ac biliosioribus, nõne etiam in hoc ipse seipso biliosior reddetur, & ideo calidior & siccior? Nam quòd ex causis calidis ac siccis

D flaua bilis aggregari consueuerit, didicimus ab Hippocrate tum ex multis alijs, tum ex ijs, quibus eam abundare æstate dicit. Hæc à me dicta sunt, & iam tertianæ febris generationẽ didicistis. quæ enim in æstate aduenerit calida & sicca, cum etiã regio talis fuerit, & laborantis natura similis, & uictus qui antecessit, ad idem spectauerit, hæc potest esse febris tertiana. Et nos quidem hucusq; biliosam febrem sermone genuimus, nondum autem tertianam, & id iure. Nam si febres continuas & adurentes (quas Græci καύσωνας uocant) & tertianas plurimas, & æstas ipsa, & aliæ quas antea cõmemorauimus causæ singulæ faciunt, communis est usq; ad hæc cũ febribus adurentibus tertianæ generatio. Sed & hoc ita se habere uidetur, & ipsa tertianæ accessio ab acutissimis maximeq; aduren

adurentibus febribus nullo modo relinquitur: sed hoc differt, quòd in hac per totũ corpus bilis defertur: atq; ideo uehemẽs fit rigor, bilisq; superuenit uomitus, urinæq; ac sudores biliosi sunt. dictũ uero de his alibi est. In alijs uero adurẽtibus febribus, quæ nullam habent intermissionem, flauæ bilis humor in uasis unà cum sanguine contineri ostendebatᷣ. atq; hæ ipsæ à tertianis differũt, quamuis eo, qui utrunq; facit morbum, humore cõmunicent, quòd in his quidem intra uenas cõtinetur, in illis uero, cum uehemẽter moueatur, per singulas corporis partes disseminatur, quo fit ut delationis impetu ipsa per seipsam expurgetur. Eadẽ causa est cur febris ex sudoribus, atq; uomitibus finiatur. In adurentibus autẽ febribus singulæ accessiones ad febris quietem non perueniunt: quoniam qui earum causa est humor, non expurgatur. sed quando in his bilis uehementius agitatur ac ueluti efferuescit, cumq; à natura inualescente per totum corpus impellitur, tũc rigor superuenit, & febris soluitur. Nam à febre adurente (inquit Hippocrates) habito, superueniente rigore, solutio. Quòd uero nõ modo causa frigida, sed & acris & calida rigorẽ faciat, in libro De causis accidẽtium ostendimus, addentibus nobis eos qui calido atq; acri medicamẽto ulceri imposito uehemẽter morsi sunt, atq; inde rigorem experti: & qui superfluitatibus pleni fuliginosis, deinde balnea ingressi horruerunt. Sic enim & febricitantes, & qui uehementẽ cruditatẽ patiunt̃, & omnes quorũ corpus superfluitatibus acribus redundauerit, siue in balneis, siue in locis uehemẽtius à sole calefactis, siue quocunq; alio citato motu agitẽtur, statim quidẽ uidemus horrere, & si diutius in eisdem perstiterint, ad rigorem, concussumq; perduci: quoniam scilicet, ubi ad balnea atq; exercitia uentũ est, qui interim humores conquieuerant, uehemẽtius moueantur. hi enim omnes agitati, & per sentientia corpora uiolẽter delati, stimulant, pungunt, ac feriunt, atq; hinc sensum inequalẽ, rigorem, concussumq; inuehunt. Hęc quidẽ igitur alibi dicta sunt.

Tertiana uero febris, quæ ex flaua bile mota ortũ habet, rationabiliter statim ab initio rigorẽ affert non mediocrẽ, hoc ipso primum à quartanæ rigore differentẽ, quoniam pungi uidetur ac pertundi corpus (talis enim est in tertianis febribus rigoris sensus) sicuti in quartana febre similẽ frigefactionẽ habet, qualis per gelu tẽpore hyberno sentit̃. Nam & illud ostẽsum est, ꝙ in quartana febre atra bilis redundat, sicuti in quotidiana, pituita. Tertianam itaq; febrẽ fieri nõ cõtingit sine rigore uehementi pungente ac feriente carnẽ. Quartana autẽ febris non primo statim die cum rigore inuadit uehementi. nam progrediente ipsa atq; aucta, unà etiã rigor augetur, sensusq; ægrotãtibus adest, non quasi pungantur, sed potius refrigerent̃, cum quibusdam ueluti cõtusionibus usq; ad ossa tendentibus. nam ita eos audire licet dicẽtes, ꝙ uideant̃ in ossibus pati lassitudinẽ, & carnẽ habere cõtusam. In quotidianis autẽ non antecedit rigor, neq; statim ab initio, neq; in progressu, sed solum frigefa-

A ctio. Nunquid igitur hęc sola sunt tertianarum febrium indicia? uel neq; etiam pulsus ullam habẽt cũ quartanis similitudinẽ? hæ enim paruos & debiles & tardos & raros adeo pulsus faciunt in inuasionibus, sicuti nulla altera affectio. tertianis uero parui quidem ac debiles, tardiq; ac rari, cum inuadunt, pulsus necessario adsunt: uerũ tarditas ac raritas non parum ab ijs abest, qui in quartanis accidunt. nam in quartanarũ principijs uidebit̃ tibi arteria quodammodo esse alligata, atq; ad interiora retracta, neq; liberũ habere ascensum. in tertianis uero neq; aliquid tale percipit̃, tarditasq; prope accedit ad eum qui secundũ naturã est motus. Cum uero quartanæ febres inuadunt quamuis ægrotus iuuenis fuerit, talis fit motus arteriæ qualis

B in ætate decrepita. His igit̃ omnibus legitimæ tertianæ deprehendit̃ accessio, ac præterea certus ordo, atq; æqualitas pulsibus inest. neq; enim in his aliqua in uno motu adest inæqualitas, neq; etiam in pluriũ collectione, quãuis hoc rarũ sit, & quod paucis accessionũ principijs solet accidere. Iã igit̃ hæc febris cũ primũ inuadit, neminẽ eorũ latebit, qui sæpius ipsam sunt contemplati, sed adhuc minus in ijs qui uocant̃ ascensus atq; augmẽta. Nam æqualem et liberã habet celeritatẽ, statimq; ad magnitudinẽ atq; uehementiã excitatur, hisq; omnibus frequentiã respondentẽ, neq; ipsi ullum adest inflãmationis signũ. Iam igitur & sitim inuehit, & hominẽ exurit, & paulopost in uigore cõsistit: calor æqualiter quaq; uersus extendit̃: nihiloq; plus

C thorax extremitatibus calet: & si manũ imposueris, in primo occursu quidem fit calor multus atq; acris, quiq; ueluti quodam cum uapore efferatur: paulo post uero à manu superatur: non uti in febribus malis adurẽtibus accidit. contrà enim illæ grauiores ac molestiores, quanto diutius perdurant, apparent. Et iam bibendi tempus adest ęgrotanti, & statim post potum plurimus uapor calens per cutem exhalat, sudoris nuncius, bilisq; superuenit uomitus, uenterq; soluitur, & biliosum mingunt. Nunc ergo uel quiuis exquisitam tertianam agnoscat. Incipit eñ sudor uaporosus ac calidus, quem admodum in balneis. totũ uero ipsis corpus æqualiter sudat: talisq; est pulsus qualis in ijs qui bene ualentes exercitãtur & balneantur, uelox scilicet

D ac magnus & uehemens, ac frequens. erat autẽ & statim ab initio æqualis. Sed præter hæc omnia etiam ad febris quietẽ desinit, uniuersum accessionis tempus ultra duodecim horas non extendens. nam hoc tempus longissimũ est in ueris tertianis. Sæpius autẽ aliquando septẽ horas accessio continet, nonnunꝗ citius aut tardius, sed non multo finitur. Hanc quidem febrẽ si nondum noueris tertianam, sed expectaueris delirã illam appellatam diatritũ, iam neq; fueris Thessalicus asinus, sed potius lapis. Si uero etiã ipso ægroto mingente urina subfulua uel subflaua, & crassitudine mediocris apparet, ac paulopost uel albã nebulã uel suspensionem innatantem optimam fecerit, iam non etiam lapis simpliciter fueris, sed is qui molaris appellatur, siquidem hanc tertianam esse ignorau-

ris, & exquisitam tertianam, quæ ultra quartũ circuitũ non progredietur. Fuluiore uero urina existente, neq; suspensione innatante aliqua, neq; nebula in primo circuitu apparente, ad septẽ circuitus extendetur. Inter omnes autem tertianas illa simplicissima est, quæ cum omnia illa nuper à me dicta exquisitæ tertianæ signa cõmonstrauerit, in urinis etiam subsidentiã & læuem & æqualem statim in primo fecerit die. neq; enim hæc ultra tertium progredietur circuitũ. Age igitur postq; diximus omnia exquisitæ tertianæ signa, quandã ueluti ipsius genealogiam per capita facientes, iam ad aliam transgrediamur. Accessio quidem incipit cum uehemẽti rigore, faciens quales diximus pulsus: deinde paulo post augetur, properatq; ad statum cum ijs quę diximus omnibus: deinde soluitur eo quo diximus modo. Ipsius uero generatio & tempestatem aridam & calentẽ requirit, &, ut summatim dicam, æstiuam, ætatẽ iam in uigore consistentẽ & naturã biliosam, quæ in laboribus, uigilijs, curis, & inedijs extiterit. Et si libet, his etiam adde id quod cõsueuit Archigenes propter lapideos istos methodicos adscribere, sit scilicet ut præsens tempestas multas tertianas populariter fecerit: ut artificiosis indicijs uulgarẽ quidem, ueram tamen, coniecturã adiungens, fidem præcognitionis adaugeas. Nunquid per deos nondũ etiam dicemus hanc esse tertianã, sed lanificorum diatritũ expectabimus? quã delirus Thessalus inter mulieres educatus sub patre flagitiose lanas pectente, male ausus est dicere Hippocratẽ & reliquos medicos ueteres expectasse. Qui tam superbe omnia medicinæ theoremata stantia ac firma pronunciauit, tertianã febrẽ inuadentẽ nequit agnoscere, sed diatritũ expectat. hoc siquidẽ admirabile est, quę quidẽ non erant certa, hæc certa dixit esse. omnia autẽ quæ uere certa erant, ignorauit. Sed huius quidẽ uetulæ nec meminisse conuenit.

IIII Postq; uero exquisitam tertianam iam patefecimus, ad exquisitam quartanam transire tempus est. Cuius principium quale sit, iam diximus antea, quòd uidelicet nihil simile habeat in rigore ac pulsibus cum tertianæ circuitu. Nunc reliqua transigamus. Sed neq; illud ratione caret, ut pulsus qui in accessionibus sunt, quamuis antea enumeratos, iterum repetamus. Si enim cognoueris pulsum ægrotantis naturalem, uel in altero ipsius morbo per initia accessionis affueris, nil amplius expectabis quin febrem inuadentẽ quartanã esse pronuncies, nam eximia quædam ad tarditatẽ ac raritatẽ conuersio fit. Ego quidẽ nonnullos meos familiares, quorũ pulsus exquisite cognoueram, iam ingruente accessione contemplatus, quòd tale principium nullius alterius quàm quartanæ febris fore cõtingeret, demonstraui, atq; ita euenit. Tu uero si artis quæ circa pulsus uersat, magnam non habes peritiam, deinde raritas ac tarditas eorum te moueat, securius tamen uelis discernere, præcepta Hippocratis hoc in loco ad memoriam reuoca, qui tempore æstiuo tertianam, autumnali uero quartanam abundare asseuerat. Primum ue-

A ro hoc ipsum considera, nunquid autumnus frigidam & siccam & inæqualem habuerit temperaturam: & tũc magis sperabis quaternos circuitus in ipso fore frequentiores. Post hæc si regio ipsa taliũ febrium sit generatrix, et si ægrotantis natura atræ bili obnoxia sit, talisq; ratio uictus antecesserit, quæ huiusmodi humorem aggregauerit, & si eo tempore quartanæ febres populariter fiant. Hæc autẽ cum illis quæ deinceps dicentur, obsignabis, si homo lienosus fuerit, uel febres erraticas passus fuerit, si augmentum & status plurimũ contraria febribus tertianis fuerint & secundum caloris, & pulsuum motum, & pręter hęc omnia si tenues & albæ & aquosæ urinæ fuerint. hæ eñ omnino tertianarum urinis dissimilimæ sunt. Tertianam qui- B dem à quartana qui primo statim die nescit distinguere, neq; omnino medici meretur nomen.

V Quotidianã à tertiana discernere facilius est: neq; enim primo statim die cũ rigore inuadit, sed ꝓgressu tẽporis perfrigeratiões potius q̃ rigores ipsis adueniũt: neq; ullus ordo aut æqualitas pulsibus assidet cũ primũ accessiones fiũt. Nouimus autẽ q; & in augmentis, motus uelocitas, magnitudo atq; uehementia, quæ omnia tertianis perspicuo adsunt, quotidianis non adsunt. sed neq; deurunt laborantes, neq; denudare corpora, & pallia iactare cogũt, neq; multũ aut freqũeter respirare, ac ueluti flammã ex ore efflare, frigidumq; potum expetere: uerũ isti cum febricitãt, minime sitiunt, urinæq; ipsis in primis diebus tales sunt quales C quartanis incipientibus adsunt: atq; in primis diebus minime sudant: sed progrediente tẽpore hoc etiã illis aduenit. A tertiana quidem adeo manifeste differt, ut nihil cum ea simile habeat. ad quartanam autẽ propius accedit. sed & ab hac differt manifeste, primũ quidem & maxime pulsibus, quos in ægrotis familiaribus quispiã exacte deprehendat: sed & rigore etiã, atq; alijs extrinsecis omnibus propter quæ accidit. nam & natura eget humidiore, uitaq; ociosa plena crapulis. Sic igitur & in pueris assidue fit: ac perrarum est quin & os uentriculi & hepar in ipsis male afficiatur. sed & cruditates antecedũt plurimæ & coquendi moræ, & acidi ructus: & cum primũ febrire incipiunt, præcordia ultra naturalem habitũ intumescunt. mag- D na uero ex parte inflantur, ac distenduntur: color his cum palliditate albus, etiã cum accessio ad statum uenerit. taliumq; ægritudinũ hybernum tempus ferax est, & status temporis humidus, & eiusdem naturæ locus. & accessionũ principium sub uesperam inuadit. Ita quidem quotidiana, tertiana, & quartana, primo die inuicem discernuntur.

VI Continuas autem febres quæ idem genus cum illis quas nuper diximus habẽt, quispiã exercitatus neq; in primo die agnoscẽdi ac distinguendi facultate carebit, secundo uero neq; si etiã fuerit imperitus. Dico autem febres continuas idem habere genus cum singulis intermittentibus, cum tertiana quidem exquisita exquisitam ardentem, cum quotidiana uero eam quæ quolibet die facit accessionem, sed nunquam desinit ad febris quie-

tem

tem. sic & cum quartana illam quæ quarto quoq; A die similiter. Nam exquisita febris ardēs cum omnia alia seruet exquisitæ tertianæ indicia, eo solo differt, q neq; cum rigore inuadit, neq; ad febris quietē desinit. Quæ uero quotidie accessionē facit quādo temporis statum, & ætatem & naturam corporis, & uictus rationē antecedentem, ac præterea pulsuū formam, caloremq; eundem habuerit cum exquisitis quotidianis, non peruenerit autem ad febris quietem, idem genus cum illis obtinēt. Eodem modo & quę quarto quoq; die accessionem facit sine ulla intermissione, nulla interposita febris quiete, eiusdem est generis cum quartana: & palàm est quòd neq; rigor in ea accessiones antecedet, neq; sequetur sudor, sicuti neq; in febre ardenti fit horum neutrum, neq; statim ab initio, B neq; deinceps usq; ad crisim fieri possibile est. In his igitur dignoscēdis quispiam prius se exerceat, atq; inuicē distinguere studeat simplices atq; impermistas eiusdem generis febres, quas ob hoc ipsum legitimas atq; exquisitas ueteres medici nominarunt. Nam quæ in sola flaua bile febris accenditur sine aliquo uisceris affectu, si quidē manente adhuc intra uasa bile accendat, exquisita febris ardens nuncupatur. Si uero per totum corpus deferatur, tertiana. Sic & si ab atra bile fit febris, cum per totum corpus delata fuerit, quartana efficitur: cum immobilis, illa quæ quarto quoq; die excrescit: sicuti si ex pituita ortū habeant, uel quotidianæ sunt, uel quæ singulis diebus exacerbātur. Nā quæ ad febris quietē desinūt febres tertianę quar- C tanæ & quotidianæ, eandem hypothesim cum cōtinuis de quibus diximus habēt, uno solo differentes, quòd per uenas uel per totum corpus in eis deferuntur humores. quare & reliqua ipsis comparia adsunt. quia uero cum rigore, uel non cum rigore, & uomitibus quibusdam uel sudoribus fiūt, & sine his, differentiam habent. Continuam quidem nomino febrem, quæ ad febris quietem, antequam ex toto soluatur, non desinit, etsi declinatio aliqua sensibilis appareat. Cum uero neq; declinatio aliqua sensibilis fiat, semper uero à primo principio febris usq; ad crisim similis perseuerauerit, erit & hæc ex genere febrium deurentium: ab ijsdē uero acutie differt. sed neq; in primo die neq; in secūdo est huiusmodi febrem prænoscere, neq; D aliter utile. Sufficit enim genus agnoscere, quòd scilicet biliosa sit atq; deurens, & peracuta. neq; enim si etiam synochum ipsam nominauerit, ut quidam medici faciunt, appellationis ratione à febribus deurētibus differt: sicuti neq; ob id quòd tres synochi differentias agnoscentes, proprium singulis ipsarū nomen imposuerunt, has quidem ἐπακμαστικὰς, id est increscētes: illas uero ὁμοτόνους et ἀκμαστικὰς, id est in eodē uigore atq; tenore perseuerantes: alias παρακμαστικὰς, id est decrescentes nominantes: iam ex hac diuersitate appellationū differre est existimandum: quare neq; ad præsentem tractatum eorum dignotio plurimum confert. Hę enim omnes in primo septenario dijudicātur. Hic uero in pręsenti est necessariū aliquam totius morbi status ac crisis in primis diebus assumere cognitionē. Si enim tertiana pura fuerit, intra septimum circuitum: si uero exquisita febris ardens, intra primum septenariū necessario finietur. Omnino autem diuturnæ sunt & quotidiana intermittens, & illi adhærens continua: sicuti & quartana, & quæ per quartum excrescit. Quare tria erunt uniuersa simplicium febrium genera: singula uero ipsorum in duas primas differentias secabunt. uel enim intermittentes, uel continuæ febres erunt. & primo die statim inuadentes dignoscentur, aliæ statim in primo accessionum insultu, aliæ uero in ascensu, quædam in uigore, quædam in primis declinationibus, uel febre uacantibus intermissionibus.

VII Quòd si morbus compositus fuerit, non æque facile dignoscetur: at hic maxime intelligentia atq; exercitatio est necessaria. Intelligentiā igitur propriam suapte natura possidēs, uel minime posidens quispiam accedet: exercitationem autem ea quæ nunc dicetur meliorē nemo reperiet. Oportet enim ad hæc exercitari, ut simplicem febris speciem agnoscat, atq; ita deinceps ad compositas transgredi. Dupliciter uero genus febris compositum constituitur, in prima quidem sectione uel quia eæ quas diximus febres citra alicuius membri affectionē cōmiscentur, uel quia ex membri cuiuspiam inflammatione accenduntur. At in utraq; harum differētiarum alteram rursus sectionem fieri contingit. Nam quæ citra membri affectionē consistunt, dupliciter cōmiscentur aliquando implicatæ, nonnunq; uero, ut quis dixerit, per se totas confusæ. sic membra quoq; inflammata. nam & ex ipsis quædam quidem ueluti cōplicantur tantummodo, quædā uero ueluti cōfusionem quandā habent affectionū. Primū igitur exercitari oportet ad hoc, ut cōplicationē cognoscamus, deinde ipsam cōfusionē, à febribus incipientes. Febres quædā cōplicātur unius generis cū alijs eiusdem generis, uel unius speciei cū alijs eiusdē speciei. Cōtingit uero nonnunq; ut etiam differētes. Nā quotidianæ tertianis, & his quartanæ, & quæ eandē speciē seruant, inuicem plerunq; cōplicantur. Quo fit ut idem homo tres habeat quartanos circuitus. Sed hos quidē non est difficile agnoscere. Quandoq; uero aliqua ex intermittentium genere cum continua, difficillimam uixq; explorabilem facit mistionem: de qua deinceps dicemus, si prius omnes quas proposuimus simplices differētias transegerimus. Nam sicuti febres, ita & patientia loca mistionem recipiunt; uel quia differentia membra propriā singula febrem accēdunt, ut lien & iecur: uel quia affectio mixta, ueluti inflammatio cum erysipelate, aut erysipelas cum inflammatione miscetur. Sed in his omnibus mistionibus dignoscendis exercitari oportet, quando iam exquisite omnes earū formas simplices tenuerimus. Alia enim est forma febris ex inflāmatione membranæ cerebri, & lateris, & pulmonis, atq; hepatis ortæ, sicut omnes aliæ febres quæ ex inflammatione partium nascuntur, diuersificantur. Sed & aliæ rursus formæ sunt earum quæ ex erysipelate accidunt

dunt. Et febris ardens maligna, uel pulmonis, uel hepatis, aut uentriculi eryſipelatibus aduenit. Diſtinguere autem oportet in ſingulis ægrotãtibus, primũ quidem, ſi ſine loci affectione ſit febris, uel ex humorum putredine, uel quia ſolus ſpiritus ſit alteratus: deinde, ſi membrum affectum febris ſit cauſa, quænam ſit eius affectio. Vbi uero horũ notitiam exercitatione comprehenderis, tũc eorum omnium miſtionem inuenies.

VIII Nunquid igitur à me exiges, ut uel de affectis locis, uel de omni febrium cõplicatione recenſeam? At ipſe rurſus operis damnabis prolixitatẽ. Hoc enim admirandum plurimi hominũ patiuntur, ut pauca diſcere expetant, & nihil prætermittere. Decẽ igitur Archigenis De febrium dignotione uolumina cum dicũt eſſe longa, ſolum legere cõpendium inſtituunt, neq; hoc ipſum omnes. Sunt autem qui & eo aliquid breuius poſtulent: ſunt qui & illum damnent, quoniam uolumen integrum De febris dignotione conſcripſerit, atque ideo hunc nolũt attingere, neq; quicq; audire aut diſcere quantum Eraſiſtratus in febris notione ab errauerit. Cum uero exigunt ſibi aliquid de febribus enarrari, primam ſtatim differentiam non admittunt, quòd uidelicet quædam ex locorum affectione, quædã autẽ ſine illa conſiſtant. Idẽ autẽ circa criſes patiuntur, ſiquid prætermiſſum fuerit reprehendentes, uerborũ tamẽ damnantes prolixitatem: quamuis hęc duplex ſit, ueluti hoc loco diſtinguam: quarũ utranq; cum ipſi uituperent, magis tamen ſermonũ carpũt breuitatẽ. Hanc quidem, ut quæ aliquid ex ijs quæ ſunt neceſſaria, prętermittat, uel ſaltẽ obſcurã tradat doctrinã. Prolixitatẽ uero, quę omnia enumerat opportuna, atq; unà falſas aliorũ opiniones refellit, longas eſſe nugas autumant: eosq; qui ſolũ utilia docent, collaudant: rurſusq; aduerſus eos qui hæc tantum dicũt, obijciunt cõtrarias aliorũ opiniones, temeritatẽq; reprehendunt, ſi ſine demonſtratione ſimpliciter proferentibus ſibi fidem uelint adhiberi. Neq; uero etiã illos tollerant qui in docendis utilibus ſermonem extẽdunt. Quare neq; mirandũ ſi eos qui de criſibus ſermones habẽtur, eodem modo accuſabunt, breuitatẽ quidẽ uituperãdo, ut quæ obſcure doceat, & multa prætermittat: neq; plura audire ſuſtinendo, atq; inſuper quę paulo ante dixi, reprehendendo. Nam & De affectis locis Archigenes tres libros conſcripſit, optime quidẽ omnium qui circa eandem materiam fuere uerſati. Hæc igitur omnia ſi in præſentẽ tractatũ transferre tentarem, atq; his præterea addere quæ à nobis inuenta ſunt, prolixitatẽ operis accuſabunt: & ſi etiam De febriũ differẽtijs omnia hoc loco tranſigerẽ, multo etiã magis uiderer ipſis eſſe prolixus. Quòd igitur nullus ſcribendi modus mordacitatẽ poſſit effugere, tam eſt antiquũ, ut etiã Plato huius rei meminerit. His autẽ ita ſe habẽtibus, mediam ſermonis formam eligere optimũ mihi uiſum eſt. Quod aũt eſt mediũ? Quod ego nũc mihi uideor attingere, illa demonſtrans quæ oportet eum de neceſſitate cognoſcere qui recte præuiſurus ſit morbi ſo-

A lutionem qualis quoúe tempore futura ſit: non omnia quidem hoc loco tranſigens, ſed ea enarrans quæ ab alijs obſcure ſunt tradita: quæ uero præter miſſa, hæc addens. Quæcunq; autem manifeſte ac recte ſunt à ueteribus ſcripta, tranſcribere: aut ijs quæ ſunt ab eiſdem male dicta, cõtradicere, ut longum opus euitare ualeam, ſuperſedi. Poſteaq; igitur in primo Aphoriſmorũ Hippocratẽ exponeremus, ibi oſtẽdimus ꝙ ex ipſius morbi natura nõ paruã liceat occaſionẽ accipere ad futura prænoſcenda, mirum uero multis uidetur ſi in primo die quiſpiã morbi ſpeciẽ agnouerit, quod nos demonſtrare tentauimus difficile quidem forte eſſe, non tamẽ impoſſibile, uiamq; qua hoc facere oportet, expoſuimus: hic mihi à ſermonis prolixitate abſti-
B nere uiſum fuit, atq; eos qui uellent hæc exquiſite cognoſcere, in Archigenis cõmentarijs De locis affectis exercitari iubere, atq; inſuper in cõmentarijs De febrium notis, & typis. Nam & forte nos in eoſdem typos tractatus edemus, ut ea quæ inſuper inuenta ſunt, recenſeamus, ac quædã quæ non recte ſcripta ſunt ab Archigene ſubtrahamus, omniaq; dilucide aperiamus. At quod ad præſens attinet, in illis oportet exercitari.

IX Rurſus igitur quantum huius intereſt operis repetentes, tranſigamus. Intereſt autẽ uiam tradere exercitationis de cõpoſitis morbis, qualem nuper de ſimplicibus fecimus. Exquiſitas enim febres, ſiue intermittentes ſint ſiue continuæ, ſtatim à principio noſcere datur. quę uero ex miſtione a-
C liarũ uariantur, atq; adulterantur, difficile quidem eſt in die primo, non tamen impoſsibile agnoſcere. plurimas quidem in ſecundo uel tertio uel omnino quarto die exquiſite poſſumus inuenire. Nulla enim eſt neq; ſpecies neq; genus morbi, quod circa tertiã uel quartã diem, cuius naturæ ſit, non poſsit innoteſcere. Inuadat igiť febris aliqua horrida ſimul, atq; omnino inæqualis in pulſibus, atq; in eo qui per totũ corpus ſentitur calore, ut ſæpe propius ſtatũ eſſe exiſtimetur, uel mediũ augmẽti obtinere: rurſus uero horrida fiat, & pulſus minores & debiliores ac tardiores & rariores habeat, & calorem quidem ab extremis partibus recedentem, circa uero uentrẽ atq; thoracẽ redundantem. hanc non abſq; ratione quiſpiam hemitritæum, id
D eſt ſemitertianã fore ſperet, uel potius iam eſſe, à multis uero in tertio die noſcetur. Sed hæc quidẽ miſta eſt ex bilioſa et pituitoſa febre, de quibus antea ſermo habebatur, non iam inuicem complicatis, ſed per ſe totas cõfuſis. Quę autẽ ex cõplicatione fit, quadrupliciter conſiſtit, uel tertiana quotidianæ cõmiſta, uel ea quæ quotidie acceſsionem habet continua, illi quæ per tertiũ cõtinua eſt: uel tertiana, ei quæ ſingulis diebus acceſſionem facit cõtinuæ: uel quotidiana, ei quæ per tertium diem cõtinua eſt. Nec ulla ex his miſtionibus in primo die exquiſite cognoſcit̃, ſecundo uero inſtanti die agnoſcere facile eſt, ac multo magis tertio: raroq; eſt ut quarta dies ad id ſit neceſſaria. Fiat enim (ſi ita cõtigerit) in primo die acceſsio unà cũ rigore, deinde calida atq; deurens febris accendatur ſto-

machi fastidium afferens, ac sitibunda, atq; ad statum celeriter properet, pulsus æquales habēs, magnos atq; ueloces, uehementesq; atq; frequentes. Sit autē una cum pulsibus & calor æqualis omnino: deinde cum uomitu & sudore finiatur, & quædam febris quies succedat. iam manifestum est huiusmodi accessionē esse tertianæ periodi propriā. Fiat autem & in sequēti die quotidianæ accessio: (neq; enim de eisdem milies dicere est necessariū) hic mentē adhibere oportet ad horas accessionū, ut aliquid de die tertio prænoscas. Nam si tertianæ febris accessio circa primā horam fieri debeat, circa undecimam autem quotidianæ: sic quidem manifesta erunt utriusq; principia: & magis si longiori interuallo disiungantur. Si uero utraq; eadē hora inuaserit, erit omnino mista accessionis forma: & ei qui diligentius inspicere quiuerit, quædā apparet facta confusio quotidiani & tertiani circuitus. Distinguit autē eos manifeste quartus dies, cū tamē sint artifici etiam in secundo cogniti. Adhuc autē difficilior est intermittentium cum cōtinuis mistio, ut pluribus omnino impossibilis uideatur. simul enim & febrem intermitti, atq; haud sine febre hominē esse, ex tali accidit cōmistione: quo nihil minus possibile esse uidetur. Sed si quis & hic exquisite posit cognoscere utriusq; febris naturā, manifeste cōprehendet q neq; huiuscemodi mistio est imposibilis. Nuper igit̃ quædā muliercula paribus diebus horridam habebat accesionē, semitertianæ exquisitæ propriā; imparibus uero, mane alterā quandā, ea quæ præcesserat longe minorē: ut altera die semitertianæ febris accesio super accesionem aduenire uideretur: quod in tali febre fieri cōsueuit. Circa octauā uero horam diei altera inuadebat accesio cum rigore uehementi, omnia exquisitæ tertianæ febris indicia afferens. Iam uero hæc confracta sudoribus ac bilis uomitibus hora tertia noctis, mox extendebat̃ ad diei paris horā secundā. Et cum iam febris quieti appropinquaret, rursus horrida atq; inæqualis accesio succedebat, quā paribus diebus fieri diximus. deinde per totā diem maligne cōpressa, ac deinceps adaucta, uix occidente sole ad statū perueniebat, ac declinare incipiebat hora quarta noctis: deinde mane rursus super abundantes reliquias additum augmentū non ualde inæquale usq; ad octauam horā intendebat̃. Et cum iam manifeste statū obtinere febris uideretur, iam febrē hanc altera febris exquisitæ tertianæ accesio suscipiebat. Hanc nos febrē statim die secunda ex complicatione semitertianæ febris atq; tertianæ factā agnouimus: longe uero certiorē tertius dies præbuit cognitionem. Atq; in spem uenimus, alterū tertianæ febris circuitū finē habiturū, alterū in longius tēpus debere protendi. quod etiam contigit. Et tunc aperte uisum est in reliqua parte ægritudinis solam superesse semitertianam, quæ principium quidē totius circuitus pari die faciebat, in die uero impari exacerbabatur. Tales quidem mistiones non est uniuscuiusq; dignoscere. Si qua uero febris in primo die exquisita tertiana deprehensa, deinde die

A sequenti similem priori omnino fecerit accesionem, hęc longe tolerabilior est, duplex existēs tertiana. Sic autē & duæ & tres quartanæ sæpius inuicem complicantur, quas accesionū forma à quotidianis distinguit. Neq; eñ q singulis diebus accesio fiat, hoc sufficiens signū est ad febres quotidianas indicandas, sed & febris, & accidentiū forma quotidianam distinguit. Oportet igitur in unaquaq; re primum artificem fieri (quibus uerbis usus est quidam ex nostris præceptoribus) deinde sic ipsa aggredi opera. Artificē autē fieri est quidē primum & maxime totius artis subiectæ materiæ simplices uires agnoscere, mox ipsarū etiam compositur as, quot et quales sint. Nam de medicamētorū cōpositione atq; usu eadem est doctrinæ uia, B quēadmodū in cōmentarijs de ipsis scriptis ostendimus: cum autē duplex materia medicis adsit, altera in qua aduenit finis, quæ sunt ipsa hominum corpora; secūda uero auxiliorum, à quibus uel ex quibus fit finis: Ea quidem quæ est de medicamentis tractatio, ad secūdam materiam attinet: at quæ nunc instat, ad primam. Nunc enim discere oportet in ijs qui de febribus sermones habētur, quòd tria sunt omnia quæ ex humorū putredine febriū accenduntur genera. quædam enim ex flaua bile (hæcq; plurimæ sunt) quædā uero ex atra, quædam ex pituita consistunt. Hic uero sermo haud parui momenti est quid nam patientibus dictis humoribus, febris accenditur. neq; enim his secundum naturam se habētibus. Sed in hoc sermone etiā illud C ostēditur, quòd non sit admiratione dignum si ex frigidis natura humoribus putrescentibus febris accenditur, & quòd omnis aliarum febrium uarietas ex horum fit cōmistione: (sed & quæ ephemeræ, & hecticæ febres dicunt̃, alia duo genera sunt, ab ijs quæ acutæ febres nominantur, separata) & quòd febris acuta uel aliquo dictorum humorum putrescente, uel membro inflammationē patiente generatur: & quòd inflāmationis uocabulum non secundum antiquam cōsuetudinē sit audiendum. Hæc uero omnia multis digna admiratione uidentur, quemadmodum & id, quod paulo ante dicebamus, si queat unquā intermittens cum cōtinua cōmisceri. Sed nihilominus hoc, si nulla quiete ægrotanti adueniente, solum intermittentes mi D sceantur. At & hoc manifeste ostendimus non tertianis tantum uel quotidianis intermittētibus, sed etiam quartanis accidere. Cum enim plures inuicem complicantur, siue eiusdem generis sint, siue diuersi, secunda plurimum anticipat aduenire anteq; prima in quietē desierit, deinde rursus tertia eidem succedit anteq; & hęc ad febris quietē perueniat. Hoc uero maxime accidit in longioribus accesionibus. Nam in ijs quæ intra primū interstitium desinūt (ita autē uocant duodecim horarum spatiū) uel multos necesse est cōplicari circuitus, uel eam quæ ex intermittentibus componitur febrem, imposibile est ad continuitatem peruenire. Multas uero earum quæ ita complicantur febrium, medici qui circa talia non sunt exercitati, siquidem acutiores uideantur, omnes uocāt semitertianas

tertianas. si uero tardius moueant, erraticas. Cum enim semel copiam acceperint putandi in semitertianis suppressiones multas fieri, & in erraticis inordinata principia: omnes sic febres in quibus nō inueniunt compositionē, semitertianas uel erraticas appellant, cum tamen sępius manifestissimam habeant proportionis similitudinē. Sicuti adolescens qui circa autumni finē, cum in prima die circa quintā horā cœpisset febricitare unà cum rigore breui, deinde cum paululum sudasset multo uesperi, mox circa horā septimā noctis, prius quàm exacte febris desisteret, febricitare rursus incepit cum rigore breui: deinde paulum sudauit in secundo die, ac circa decimā horā iterū similiter accessionē habuit, & statim similiter sudauit in nocte: deinde tertia die hora secunda cœpit febricitare simul cū rigore, anteq̃ prioris diei declinatio in febris quietem desineret. Nobis igitur omnē febris formam diligenter cōsiderantibus, uisa fuit trium complicatio tertianarū. Nam et quę primo die cœperat hora quinta, & sequenti nocte rursus hora septima, & quæ in secūdo die hora decima, & pulsus & caliditatē omnia propria tertianis habebāt, sicuti etiam rigores atq; sudores: nulla uero ex his ad quietē perueniebat, quoniam sequentis ipsam tertianæ accessionis principiū anticipabat: sic ut si nulla alia febris successisset, horis tribus aut quatuor homo sine febre perstitisset. Trium uero tertianarū cōplicatio in secunda statim die nobis uisa est manifeste. Quòd aūt anticipando accessiones facerent, tertio die primū cognouimus. nam hora secunda febris inuasit, non quinta, quemadmodū in primo: tertiani uero circuitus indicia omnia, ijs quæ in primo die apparuerant, attulit manifestiora. Ab hoc uero die deinceps obseruantes, omnes inuenimus accessiones duabus aut tribus horis anticipantes. Quare & illa quæ primæ proportione respondebat in circuitus successione, quinto die oriente sole facta est, septimo uero multo celerius, ueluti circa horam noctis nonā, deinde quæ post hanc, secūdum eandem proportionē in hora noctis septima: & quæ secuta est, hora quarta: atq; ab hinc rursus quæ successit, quarta: & quæ post hanc, quinta: deinde iterum sexta: deinde octaua hora, decima à principio accessio facta est. Secundum uero similem huic proportionē & aliæ duæ post septimā periodum non solum anticiparunt, sed etiam tardius aduenerunt; quando & mihi & reliquis omnibus manifeste apparuit, qui semitertianam febrē esse putarunt, quantū sua opinione aberrassent. Nam accessionū prolixitate ad octo horas cōtracta, ipsoq; accessionis insultu non amplius anticipāte, sed potius retardāte duabus iam horis, tunc accessiones ad infebricitationē deuenerunt, & sic iam paulatim à longitudine dementes cessauerunt, primū quidē quæ leuissima erat, deinceps quæ magnitudine secunda erat, & tertia uehemētissima inter ipsas: quod & ipsum nō mediocre fuit indiciū q̄ statim ab initio tres tertianæ extitissent. Sed cuius gratia hæc omnia dicta sunt, ad hoc rursus redeo, q̄ oporteat exercitari ut ex-

A quisite noscamus omnes simplices dispositiones, adeo ut cum solę consistunt, primo die facile ipsas agnoscamus: inuicē uero et sibijpsis cōplicatas, etiam si non in primo die, saltē in secūdo uel tertio uel omnino quarto discernamus. Nos igitur haud quicq̃ latuerunt tres istæ tertianæ in secundo die, non ob aliam causam, nisi quod earū naturā exquisite noscebamus. Tale enim quid accidit in morborum notitijs, quod nobis omnibus in tota uita contingit. nam eos amicos qui nobis familiarissimi sunt, ex longo interuallo statim primo intuitu agnoscimus. Si uero quempiam semel aut bis tantum uiderimus, uel sæpe quidem, non tamen continue, nō iam æque istū neq; ex longo interuallo, neq; primo intuitu statim agnoscimus, sed non-

B nunq̃ diu ambigimus ac dubitamus nunquid iste Coriscus, an Socrates sit. Ita & in morbis res ipsa se habet, singuli propriā habēt figurā, quam quispiam sępius contemplatus, prompte dignoscit, ac præcipue cum sola fuerit ac simplex. Earū igit̄ febriū quæ sine loco affecto ex humorū accendunt̄ putredine, tres sunt primæ ac simplices formæ, & earū scilicet quæ ex pituita, & quæ ex atra bile, & quę ex flaua ortū habent. quas si quispiā exquisite dignoscere studuerit singulas seorsum ac solas, iā non amplius difficulter earū mistiones inueniet.

X Earū uero quę ex locis affectis accidunt, iam forma omniū cōposita est. Quædā enim loci indicia præ se ferunt, quædam autē eius ob quam consistunt, causę: ueluti in morbo laterali locus quidē

C affectus est membrana quæ costis subtenditur: & cum inflāmata sit, necessario dolorē inuehit, quoniam neruosa est: sed hunc pungentem, & longe extensum, quoniam pars illa quę patitur, membrana est. Tales enim sunt sentientiū membranarum dolores. Et quidem, quoniam eadem pars unum est ex spirandi instrumētis, necessario animal difficilem habebit respirationē. Quoniam autem cordi proxima est, facile aliquid inflāmationis ei impartiet: q̄ si hoc est, febricitabit animal. Sicuti quoniam pulmoni proxima est, facile suum illi cōmunicabit affectū: cum præsertim adeo rarū ac molle sit membrū, q̄ omnē substantiam humidam facile possit admittere. Tussiet igitur statim homo, non tamē omnino statim spuet, sed siquidem multum

D ac crassum ab inflāmatione defluxerit, cum tussi expuet. si uero paucū & tenue, irritabitur quidem necessario ita ut tussis moueatur, non tamen expuet anteq̃ collectū simul atq; concoctū ad multitudinē crassitudinemq; peruenerit. Sed hoc quidem ipsius affectionis indicium est, non aūt membri affecti. Nam cum affectio sufficienter angusta fuerit, & ueluti alligans in seipsa uniuersum fluxū cohibuerit, tunc facit morbos laterales, qui sicci nominantur. Sed cum satis relaxata fuerit, atq; ad pulmonem dimiserit, tunc isti magis tussiunt atq; expuunt. hoc igitur formā inflāmationis, non autem affectum indicat locum. Nunquid uero magis pituitosus sit uel biliosus humoris qui inflāmationē facit, ex sputorū forma cognosces. Nam & spumosa, & flaua, & fulua, & rubra, & pallida, &

nigra expuunt. Ex ijs uero, quæ quidem spumosa sunt fluxum maxime pituitosum ostendunt: flaua autem biliosum impermistũ. quæ uero fulua sunt, amaram quidem et ista referunt bilem, sed nõ paucam serosam superfluitatem cum bile commisceri significant, & multo ampliorem quando pallida quis expuerit. Sic & nigra, atræ bilis fluxum ostendunt: sicuti quæ magis rubida sunt, plurimum quidem sanguinis, minimum autẽ amaræ bilis in eo qui inflammationem facit humore cõtineri significant: atq; ideo inter omnia sputa hæc sunt mitiora: sicuti nigra, magis exitialia. Et quidem in hisce omnibus accidentibus magnitudines, affectionis magnitudinem indicant: breuem autem affectionem indicant accidentium paruitates. Non igitur omnium omnia propria indicia sunt, sed singula unum quoddam peculiare demonstrant. Nã quæ & duorum uel trium rerum significatiua esse uidẽtur, si ea diligẽter perquisieris, altero quidem suorum accidentium affectum locum, altero uero affectionem, altero ipsius magnitudinem, altero eorum aliquem casuum qui subsequuntur, significare reperies. Pulsus igitur laterali morbo laborantium, hæc omnia indicat, sed non eodem modo omnia: sed qua quidem durã tensionem pręse fert, neruosum esse locum affectum ostendit. qua uero serrę similis est, inflãmationis affectũ. qua uero uelox simul et frequens ac magnus, ad inflãmationẽ cõsequi febrẽ. qua uero singula quæ diximus, maiora aut minora existunt, uel magnã esse uel paruam ostendit affectionem. Mihi uero hæc exẽpli gratia dixisse sufficiat. neq; enim nunc de locis affectis agitur, sicuti neq; de febribus, uel typis, uel causis. Sed horum singulorum memini, simul uiã quandam uolens ostendere qua sit in ipsis exercitandum, (quam si quis habeat: etsi nos proprium de ijs quæ diximus, tractatum non scripsissemus, posset & per seipsum & ex ijs quæ ab alijs scripta sunt, si modo perspicaci ingenio fuerit, & diligentiam adhibuerit, id quod superest, inuenire) simul autem & utilitatem singulorum quę dicta sunt, ostendere uolens, commemoraui & febrium differentias, & typos, & affectiones, & causas, ipsasq; affectas partes.

XI Nam in his omnibus exercitatum esse oportet qui debeat diligenter in primis nouisse diebus ægritudinis formam. Vel enim simplex est febris, uel composita, uel cum loco affecto, uel ephemera, uel hectica. Quòd si simplex fuerit, omnino humoris indicia affert ex quo genita est. Si uero cõposita: ex quot simplicibus febribus cõposita est, totidem numero humorum multitudinem indicabit. at si hoc indicet, illud etiam significabit, nunquid morbus diu durabit, an cito finietur. Nam si humor pituitosus extiterit, necessario diuturnus erit. longe uero magis, si atræ bilis naturã afferet. At si ad flauam bilem pertinebit, non erit diuturnus. Sic & locus affectus, qui quidem motu multo exercet, calidusq; est, ac rarus, & principatum gerit, acutiorem morbum futurum portendit. qui uero neq; in motu continuo est, frigidusq; ac densus & sine principatu est, ad longius tempus extẽdi debere significat. Eodẽ modo & affectio, si quidem difficilem motum habuerit, frigidiorq; fuerit ac densior, diu duraturum. si autem facile moueatur, calidiorq; fuerit ac rarior, cito solutum iri. Eodem modo & de causis iudicandum est. Quare si quis diligenter agnouerit totam morbi hypothesim, non paruum habebit ad prænoscendum momentum. Eas igitur quæ cum magno & cito se inclinante certamine fiunt morborum solutiones (quas præcipue crises nominari dicebamus) febrium earum quæ ex calidis humoribus accedun tur, proprias esse est existimandum: post has, earũ, quæcunq; membrorum sunt principatum habentium facile mobiles & calidæ affectiones. Ephemeræ uero & hecticę febres, et sine magna perturbatione, & minime subitas faciũt permutationes: sed quoniam & has per abusionem aliquando crises appellãt, de istis etiã deinceps dicet. Nunc uero finẽ imponere statuimus præsenti sermoni, ad unum omnia quæ ante diximus caput redigẽtes.

XII Subitas in morbis transmutationes si uelis prænoscere, necessarium tibi primũ est principij & ascensus ac status & declinationis habere cognitionem & prænotionem. Hæc autem assequeris & ex ægritudinis forma, & regione, & anni tẽpore, unà cum illis quæ his correspondent, ex circuituum etiã proportione, atq; etiam ex mox apparentibus. Et morbi quidẽ forma, ad has tres simplices & primas febres inspiciens, ad eam scilicet quæ ex pituita, & atra bile, & amara generaẽ. Primum igitur in ijs dignoscendis exercearis, quę exquisitæ sunt, atq; legitimæ. sic enim aliquando poteris etiam compositas inuenire. Tũc uero exquisitæ sunt atq; legitimæ, quando & ætas, & anni tẽpus & regio, ac constitutio, naturaq;, atq; ea quæ antecessit ratio uictus, præsentia quoq; accidentia, & omnia simpliciter quæ antea dixi, humoris formæ conuenerint. Manentibus igitur in uenis humoribus, continuæ ex ipsis febres generantur. Si uero moueantur, ac per totum corpus deferantur, hæ quæ cum rigore atq; horrore incipiunt uehemẽti. Cum sudore uero, omnino ad febris quietem desinentes. Est autem ex ipsis tertiana quidẽ, et quæ per tertium accenditur, breuis temporis. sicut quartana, & quæ per quartum accenditur, longi. minus uero, q̃ hæc longa quotidiana, & quæ singulis diebus facit accessionem. Si has noueris expedite discernere, haudquaquã difficulter eas quę ex quorundam locorum affectione consistũt inuenies. Nam in omnibus inflammatis particulis humorum impactio, quæ locum bene difflari prohibet, statim quidem humores putrefacit, simulq; calorem quendam excitat, qualis & in reliquis omnibus putrescẽtibus oritur. Huius igitur caloris modus cum simplex fuerit, earum alicui quas diximus febrium necessario assimilatur, uel potius (si uerũ uelimus dicere) una ex illis est, uel ad amaram bilem, uel ad atram, uel ad pituitã attinens. Audiuisti aũt Hippocratem quodam in loco dicentẽ q̃ hos uocant acutos morbos, quorum

febres in totũ continuæ sunt. Quare si seorsum ac per se singulas febres nosse meditaberis, haudquaquã difficulter cũ pulmonis, aut splenis, aut hepatis, aut uentriculi aliqua inflammatio affuerit, formam ipsius agnosces, totiusq; morbi usq; ad solutionẽ, longitudinẽ præcognosces. Omnino enim fluxus qui inflãmationẽ efficit, uel flauæ bilis est, uel atrę, uel pituitę. Si igit impermistę multęq; flauæ bilis fuerit, tũc facit erysipelata, & eos qui herpetas nominãtur: sicuti nigræ cancros & phagedenas, aut elephantes, aut aliquem ex his adeo incurabilibus morbum. Quæcunq; uero ingruente pituita in tumorẽ attolluntur, hæc œdemata nuncupantur. Simplex igitur & solus uniuscuiusq; horum quos diximus humorũ, quamlibet harũ quas cõmemorauimus, facit ægritudinũ. Sanguini uero permistus atq; cõfusus, deinde in particulã aliquã incumbẽs, uel duritiei, uel inflationi, uel erysipelatibus similes facit inflãmatiões. duritiei quidem is qui atrę bili coniungit. erysipelatibus uero similes, qui amaræ. inflationi, qui pituitæ. Cũ uero ipse secundũ naturã se habẽs sanguis, impactus in loco fluxiõi obnoxio putruerit, hic quidẽ affectus inflãmatio est: simplex uero ex ipsa febris accenditur, similis maxime ephemeris quæ ex inflãmationib. inguinũ accidunt. nã & ipsa inguinis inflãmatio ex bono sanguine fit. Liquet aũt q cum hic putrescere cœperit, nõ amplius bonus remanet, sed iam ad amaræ bilis naturã trãsit. Atq; in hoc illud seruat, triplex esse genus uniuersum simplicium febriũ. Quæ eñ ex sanguinis putredine fit, iã quodãmodo biliosa est: sicuti in naturalib. sermonib. recte ostensum est q sanguis ex moderato calore generat, flaua aũt bilis ex maiore, atra uero ex sufficiẽter immodico. Quicquid igit pingue et tenue in sanguine est, fit flaua bilis: crassum uero, ac uelu ti fex, quãdo immodice calefactũ exaruerit, atra. Flaua etiã bilis quãdoq; in atram conuertit, cum assata fuerit. duplex etenim eius generationis modus ostensus est. Oẽs igit quæ ex particula aliqua affecta febres accẽduntur, unum aliquẽ ex dictis uel simplicẽ uel cõpositum habebunt characterẽ. simplicem quidem, quando sufficienter pręualuerit unus aliquis ex humoribus dictis. non simplicem uero, quãdo cõmisti alterius potentia apparuerit. Nonnunq; aũt nõ solum apparet, sed ex æquo dominatur: & nõnunq; tres simul uiribus æquales cõmiscentur. Sed sicuti qui scit & uinũ & mel & aquam seorsum exquisite discernere, neq; horum ignorabit temperaturam: eodem, ut arbitror, modo, neq; qui facultatẽ habuit eas quas antea diximus febres singulas exquisite noscẽdi, earũ mistionẽ ignorabit. Quare in omnib. talib. principiũ illud optimũ est, tres istas febres posse exquisite discernere, quotidianã, tertianã, & quartanã. similes eñ ipsis omnino sunt cõtinuæ eiusdẽ generis adiacẽtes. Nõ igitur ad plures atq; obscuras intentiones, sed paucas & manifestas omnẽ tibi redegi exercitationẽ. in his enim exercitatus, haudquaquam difficulter in primis diebus formam ægritudinis perspectam habebis.

XIII Duo quidem genera febrium quo pacto quispiam ab initio cognoscat, exposui. Dico autẽ duo genera febrium, & quod occasione membrorum quorundam affectorum, & quòd humorum tantummodo accenditur. Reliquum est ut de tertio febrium dicamus genere, quas ephemeras appellari dicimus. Sunt autem hæ tantummodo spiritus affectiones, absq; humorũ putredine, aut mẽbri inflammatione, nisi inflãmatis inguinibus accidant. Earum autem generationis sunt occasiones, uigilię, ac cruditas, & tristitia, & timor, & ira, & curæ, deustioq;, ac perfrigeratio, lassitudo, & ebrietas, & quæcunq; similia sunt. Quomodo igitur & has in primis dieb. cognoscere oporteat deinceps exponam. Communiter omnium pulsus ad paruitatem & frequentiam promouetur, & nonnunq; ad magnitudinem. exquisite autẽ seruat eam quæ secundum naturam est æqualitatem, atq; mollitiẽ & ordinem. Sic & urinæ nonnullæ quidem suspẽsiones innatantes, nonnullæ uero subsidentias bonas habent, quędã autem nebulas: omnes uero bene coloratæ sunt: sicuti & in omnibus calor uaporosus est, sed quibusdam statim quidem in primo contactu, quibusdã uero posterius. Atq; omnibus ipsis absunt maligna accidentia de quibus docuit Hippocrates in prognosticis. Hæc igitur communia signa sunt omniũ febrium ephemerarũ: propria uero singulis quę à me dicta sunt in primo libro artis curatiuę ad Glauconẽ. Nunc uero etiam inchoabo sermonem ab affectibus animæ, à cura, à timore, & ira, & tristitia. Si quidẽ remanentibus adhuc animi affectibus consideratio fiat, ex pulsibus maxime tentandum est facere dignotionem: quemadmodum in libris De pulsibus scriptũ est. post autem etiam ex aliis inuestigãdum. Quòd si illi quidem affectus sedati fuerint, affectio uero remanserit, debile quidem & hic in pulsibus indicium inuenies illorum qui febrem induxerunt affectuum. tibi autem etiam sine pulsibus reliqua omnia sufficient. Communes enim in omnibus urinę fuluiores. Adest autem iis quidem qui ob tristitiã febricitant, acritudo potius quàm multitudo caloris: sicuti iis qui ob iram, contrario modo. Sed & tenuitas corporis in iis qui tristitia quàm in iis qui curis uexati sunt, manifestius apparet, & oculorum concauitas, & quædam insolita decoloratio. Et hæc quidem communia omnium etiam aliorum qui quocunq; modo curis implicitifuerint, indicia sunt: sed præcipue ex oculis discernendi sunt: licet enim ex his etiã in sanis animi affectum coniicere. In ægris autẽ manifestissima signa sunt ei qui inspiciendi habeat facultatem. Sic quidem illos qui propter disciplinas aut propter meditationem curis uexati sunt, ab iis quos tristitia corripuit, discernere oportet. eos autem qui nimium uigilarunt, distinguit decolorationis modus. nam subtumida ipsis facies inest. & oculorum motus manifesti: uix enim attollunt palpebras. & humiditas oculorum: sicciores enim cõtristatis sunt, & à curis uexatis. Concauitas uero commune omnium accidens est, tristitiæ, uigiliæ, curarum, non tamen

men & iræ. huic enim neq; oculorum concauitas, neq; decoloratio manifesta: At calor etiam amplior, & qui celeriter ex profundo efferatur: & pulsuum magnitudo non aufertur, quemadmodum in uigilijs, tristitijs, & curis. Quare iram quidem ab ipsis ualde manifeste distingues: illas uero inuicem, quemadmodum antea diximus. Eorum uero qui ex lassitudinibus febricitant, cutis est siccior plus quàm in aliqua alia febrium ephemerarũ. Sed hoc quidẽ omnibus qui ex lassitudine febricitant, commune est in eo accessionis tempore quod usq; ad statum fit, reliquo uero ab hoc tempore plurimis quidem quicunq; nõ supra modum fatigati sunt, humiditates quædam uel uapor calidus ex profundo attollitur, quibusdam uero etiam in ijs quæ statum subsequuntur temporibus, siccitas remanet. Fit uero hoc maxime ijs qui supra modum fatigati sunt, uel deusti, uel perfrigerati unà cum lassitudine. Et pulsus etiam non eodem modo in utrisq; se habent. parui enim ijs qui supra modum sunt fatigati, magni uero alijs sunt. At quæ ex densata cute febres oriuntur (densatur autem uel frigefacta, aut qualitate acerba subito ipsam inuadẽte: ueluti accidit eis qui aqua aluminosa se balnearunt) hæ solum ex omnibus febribus affectio adstricta sunt. Licet autem ipsas ex tactu dignoscere, sicuti et aridas febres quę ex lassitudine fiũt. Neq; enim uel harũ densitas tactum lateat exercitatum. Sed & caliditatis motus in ijs quodam modo inaugescit. Nam in primo manus iniectu mitis apparet, acrior tamen postmodum euadit, si perduraueris. Sed neq; urinæ fuluæ in talibus, neq; corporis moles collapsa, neq; oculi cõcaui & sicci apparent: sed sunt quibus & humidiores & prominentiores quàm secundum naturam esse uidentur: pulsus uero, quemadmodũ in tristitia & curis & uigilijs atq; immoderatis exercitijs, minores. Earum uero febriũ ephemerarum quæ ex inflãmationibus inguinum accenduntur, pulsus maximi sunt, et ueloces, atq; frequẽtes, calorq; plurimus, & post statum statim humiditas quædã ex profundo attolliť, sed suauis. nam acre & mordax minime omnibus his febribus adest. & rubida facies magna ex parte ipsis inest, & maioris tumoris, & urinæ subalbæ. Communis uero his febribus inest æqualitas pulsuum. Nã ex ipsis paucæ admodum eam quæ secundum unam percussionem est inæqualitatem ostendunt: sed neq; hæ ualde manifeste, neq; liquido. Itaq; à me dicta sunt hæc febrium ephemerarum indicia. De hecticis autem non est præsentis temporis sermo. nulla enim earum in primis diebus, sed in progressu temporis fit. quare de his quidem in sequentibus disseremus, hic uero libro finem faciamus.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII

Quod earũ quæ fiũt in morbis mutationes, sex sunt uniuersæ differentiæ. Subitam in morbis mutationẽ crisim simpliciter nominare oportet, & præsertim quando fuerit perfecta, & nõ, sicuti quædã ex ipsis, imperfecta. Crises quæ subitæ dicũtur, per excretiones & abscessus fieri necesse est. Quod cum aliqua perturbatione, interdum etiam cum horribilibus symptomatis accidãt huiusmodi crises. Signa bonæ crisis. Quod nonnulli sine crisi moriantur. Quo pacto quis præcognoscere possit, an crisis sit futura per sanguinis fluxum uel uomitum, uel sudores, uel inferiorem uentrem.

ALITER

Cap. I. Permutationum in morbis sex differentiæ. II. Subitariæ mutationes, crisis futuræ cõmunia sunt indicia. III. Crisis præsentis indicia. IIII. Crisis futuræ, & num morbus unà cum crisi finiturus sit, aut secus præcognitiones. V. Status præcognitio ad futuram crisim necessaria. VI. Signa quæ bonam indicãt crisim. VII. Nomina specierũ crisis. VIII. Cõtra Asclepiadem crises absq; mutatione fieri non posse. IX. Præcognitio mortis futuræ absq; crisi. X. Bonarum & malarum crisium comparatio. XI. Modus præcognitionis quomodo uentura sit crisis.

GALENI DE CRISIBVS LIBER TERTIVS



PROPOSITVM nostrum est, sicuti & prius dicebatur, omnis in morbo mutationis, prę sentis quidẽ cognitiones, futuræ uero præcognitiones dicere. Quia uero sex modis istæ fiunt, tentãdum est de singulis separatim scribere, hac prius facta memoratiõe, quod sex sunt in morbis mutationum differentiæ. uel enim subito ad sanitatem ueniunt, uel subito interimũt, uel paulatim horum utrunq; cõtingit, uel mistim. Paulatim quidem, uel scilicet morbo decrescente, uel ægri uiribus debilitatis. mistim uero, quando subita aliqua ad melius uel peius commutatio facta fuerit, deinceps usq; ad omnimodam solutionem uel mortẽ reliquum fuerit absumptum. De prima igitur quę repente fit ad sanitatẽ permutatione dicamus, & quoniã omnium quas antea diximus optima est, atq; ideo ipsam per excellẽtiã crisim nominamus: & quoniam natura ea, quæ præter naturã sunt superante, exquisite perficitur. Ex alijs autẽ permutationibus, quæ quidem ad subitam mortem, mala crisis est. quæ uero aliquam effatu dignã faciunt mutationem, nõ tamen integram solutionem, imperfectæ crises uocãtur: sicuti & quæ sensim emoriente uel uirtute uel morbo contingunt: quæ solutiones simpliciter, non crises nominantur.

II Sola igitur subita ad sanitatem cõuersio, simpliciter crisis nominať. Et quidẽ omnino fit subitis quibusdã excretionibus, aut effatu dignis abscessib. Quicunq; enim absq; ratione quieuerint, malignius retrocedunt. Antecedit aũt huiusmodi excretiones & abscessus non mediocris perturba

tio in corpore ægrotantis. Nam & anxietates, & uigiliæ, & dementię, & graues somni, & difficiles spirationes, & uertigines, & difficiles sensus, dolores capitis, colli, & stomachi, & multorũ aliorum membrorum: nonnullis uero aurium sonitus, & uanæ ante oculos apparent imagines, & lachrymæ inuoluntariæ effluunt, & urina retinetur, & labrum agitatur, aut aliquid tremulum fit, obliuio, & præsentium ignorantia, & uehemens accidit rigor, & in totum accessio consuetam anticipat horam, & multus æstus, sitisq́ intolerabilis sequitur. clamant, & saliunt sicuti furentes, neq; possunt in eodem situ recumbere. deinde repente multus sudor erumpit, aut uomitus aliquis non paucus insequitur, aut uenter subito soluitur, aut abundans fit fluxus sanguinis, aut hæc omnia simul contingũt, unde non paruus inuadit timor inspicientes. Et quispiam homo uulgaris cum istis adesset, ipsa re cogente ita pronunciauit quod iudicium tunc de uita ægrotantis ageretur. Neq; enim medicorum aliquis primus inuenit id nomen: sed omnino necessarium fuit ut qui præsens esset, cõturbaretur, atque ideo exclamaret, & crisim, id est iudicium rem ipsam nominaret. Decet autem medicum generosum neq; turbari, neq; futurum euentũ ignorare. melius autem fuerit si se ad prænoscendam futurã crisim exercuerit. neq; eñ ista cognitio quæ habetur de præsentis crisis euentu, multum distat à præcognitione eiusdem futuræ, sed ex eadẽ contemplatione utraq; perficitur.

III Etiam hæc omnia dicta sunt, partim quidem in primo libro De diebus iudicatorijs, partim in duobus libris qui hunc antecedunt. dicam uero et nunc omnia summatim, quæ & præsentem crisim quò euasura sit ostendunt, & futuram præmonstrant. Primum quidem et maximum inter omnia est considerare coctiones ex urinis, & excrementis, & sputis. Siquidem ego millies cum dum crises fierent interessem, neminem unquam uidi intereuntem qui præcedentibus coctionibus crisim habuisset. Nõ tamen æqua omnium signorum dignitas existimanda est, sed in morbis quidem thoracis atq; pulmonis præcipue sputa sunt animaduertenda: non tamen urinarum contemplatio negligenda: sed & excremẽta sunt inspicienda. Si uero tantũ febricitent sine alicuius uisceris affectione, aut inflãmatione hepatis, uel renũ, uel uesicæ, uel splenis, maxime urinis animũ oportet adhibere: sicut si circa uentriculum affectio sit, primũ excrementis alui: deinde neq; urinæ sunt negligendæ. Semper enim cũ febris affuerit uel ex sola humorum putredine accẽsa, uel ex membro inflammationem patiente consequuta, præcipue urinas inspiciendas censeo, atq; inde coctiones agnoscẽdas, sicuti & prius definiuimus. Primum quidẽ & maximũ instantis bonæ crisis indiciũ sunt coctiones. Secundum autẽ, quòd ab aliqua die indicatoria antea indicet, cui annexa est diei iudicantis potentia. Deinceps autẽ inspiciẽdum & speciẽ morbi, & morẽ. speciem quidem, an tertiana uel quotidiana, uel febris ardẽs, uel pleuritis, uel peripneu-

A monia. morẽ autẽ, an moderatus & mitis, uel prauus atq; malignus. Deinde an formæ morbi excretio respondeat. si enim sit febris ardẽs: uel sanguis è naribus profluet, uel post uehemẽtem rigorem sudor multus & calidus per totum corpus emanabit, aut per uomitum aut per aluum aliquid biliosum excernet. Ita & tertiana uomitibus & excrementis biliosis & sudoribus toto corpore fluentibus finiri debet. Plurimũ autem pituitæ in quotidianis febribus excernitur, & multi in toto corpore sudores fiunt. Finit autẽ & phrenitidem sudor multus, & præcipue si ex capite multus & calidus fluxerit, sudante simul reliquo corpore. Cõtingit autẽ aliquando q etiam per sanguinem è naribus fluentem phrenitis finitur. Non tamen lethargus

B aut peripneumonia fluxum sanguinis amant. Inter ipsas autẽ pleuritis medium obtinet locum: minus enim q febris ardens & phrenitis, magis autem q peripneumonia atq; lethargus, profluuiò sanguinis soluitur. Soluit autem etiam lienis & hepatis inflammationes sanguis à naribus proflués, cum hæc uiscera unà cum acutis febribus habent inflammationes. Et omnes quæ sub præcordijs fiunt calidæ atq; acutæ inflammationes, fluxu sanguinis narium finiũtur. Oportet autẽ per directũ fluere sanguinem, ex dextra quidem nare hepate affecto, uel locis sub dextris præcordijs positis: ex sinistra autem liene, & locis uicinis. Iuuat autẽ & sudor bonus omnes quæ sunt iuxta præcordia inflammationes calidas & acutas. Hepatis uero cõ-

C uexæ quidem partes affectæ tribus præcipue modis crisis obediunt, fluxibus sanguinis è nare dextra, & sudoribus bonis, & urinis abundãtibus. Cauæ autem partes excrementis biliosis, atq; sudoribus, nonnunquam uero & uomitibus. Magis aũt expetunt per urinas expurgari, q conuexæ hepatis partes, omnia ea quæ uel in partibus renũ uel uesicæ laborant: sicuti loca quæ ad thoracẽ pertinent, sputis ex pulmone. Sudores uero omnib. febribus proprij sunt, et præcipue ardentibus. Iuuãt aũt non parũ & efferuentes inflãmationes, quando, sicuti & antea diximus, unà cũ coctionibus emanauerint. Finiũt autem & quotidianas febres, simul uomitibus atq; excremẽtis pituitosis adiunctis. Et quartanas etiã, si atra simul ac uaria excer-

D nuntur. Semitertianas uero, si biliosa simul & pituitosa. Finiunt autem parotides, lethargos, & reliquos omnes capitis affectus. Alij́q; humorum à loco ad locũ decubitus, omnes febres diuturnas secure finire consueuerunt. Sed nondum de diuturnis morbis dicere proposuimus. nam repẽtinæ mutationes acutorũ sunt: quarũ optimam qualis sit nũc enarramus, q uidelicet oñino sine coctione nõ est, & quod in aliquo die iudicatorio fit, ac præterea ab aliquo indicatorio indicatur, et etiam crisis speciẽ facit morbo cõuenientem. Pręter hęc aũt hortor hoc loco ut ægrotantis ætatem, atq; naturã, necnõ antecedentẽ uictum, locumq́; in quo ægrotat, & anni tempus, atq; præsentem temporis statũ consideres. Si enim quemadmodum morbus forte est biliosus, hæc etiã singula æque biliosa sint

ſa ſint, oportet bilem criſi expurgari: ſicut ſi pituita ſuperabundauerit, pituitā oportet euacuari. uarijs autem humoribus ſuperfluentibus, uariam etiam oportet eſſe euacuationem. Cum uero hæc uniuerſa bene tibi fuerint explorata, tunc euētus iam tibi ſunt conſiderandi. Si enim ægrotante per criſim iudicato febris ſoluatur, atq; alijs accidentibus liberetur, & melius fuerit coloratus pro ratione euacuationis, cum melioribus pulſibus, & ad ſurgendum robuſtior, hæc optima criſis eſt. Si uero ex his aliquid deſit, tantum ab optima deficit, quanta eſt eius quod deficit uis.

IIII Sic quidem dignoſcere oportet optimā criſim præſentē: Futurā uero, hoc modo. Morbi natura conſideranda eſt, an ad amarā bilē pertineat, uel atrā, aut pituitā, uel miſtas habeat ſignificationes. Scripta aūt ſunt in libro præcedente horū indicia. Poſt hoc autē, tēpus anni, & laborātis ætas, & temperatura, & quæcūq; alia eiuſdem ſunt cōtemplationis, de quibus paulo ante ſermonem habuimus. unde facta de uno mentione reliquorum etiam ſi uel ſilentio prætermittatur, meminiſſe oportet. Nam longum eſſet omnia percurrere. Poſt hæc autem, acceſſionum circuitus ſunt cōſiderandi, ſi uel per tertiū, uel per quartū, uel per ſingulos dies eueniant, uel nullo modo eueniant, ſicuti in ijs accidit febribus quæ proprie ſynochæ nominātur. Si enim properauerint, ac ſemper proportionabiliter anticipauerint horā, aut multo uehemētius infeſtauerint, & per tertium occurſauerint, cito criſim ſubſecuturam denunciant. Si uero lente moueantur, atq; eadem inuaſerint hora, & ſingulis diebus fiant, poſt longius tempus criſim futurā denūciant. Præterea coctiones inſpicere oportet, & harum præcipue effatu dignis tranſmutationibus mentem adhibere. Si enim in diebus indicatorijs fiant, indicia ſunt quòd ſequentes iudicatorij dies ægrotū morbo liberabunt. Summatim enim, ut in præcedentibus ſermonibus diximus, uniuerſa morbi conſtitutio per quatuor dicta genera manifeſtatur, de quibus diximus Hippocratem in Aphoriſmis diſſeruiſſe, in hunc modū: Acceſſiones autem & cōſtitutiones oſtendunt morbi, & anni tempora, & circuituum adinuicem incremēta, ſiue quotidie, ſiue alternis diebus, ſiue lōgiore tempore fiant. Deinceps ita inquit: Sed & in poſt apparentibus, ueluti in morbo laterali ſputum ſi ſtatim ſuperueniat, incipientem quidem breuiorem facit. ſi uero mox apparuerit, lōgiorem. In primo autem libro de ſignis mox apparentibus, quæ quidem ſigna morbi coctionem oſtendunt, plurima diximus: & quo pacto ab ijs quæ ſigna & accidentia iudicatoria uocantur differant, explanauimus. Si igitur ea memoria retines, ſpero te facilius præcognoſcendi ac dignoſcēdi optimam criſis facultatem ex hoc ſermone adepturum. Reliqua enim coniectura quadā artificioſa cognoſcuntur. Optimam uero criſim, quam etiam ſolam criſim uocari diximus, non per coniecturam, ſed firma cognitione comprehendes. Omnia enim ſigna in talibus morbis ſtatim ab initio ſecura uidentur. Cum

A igitur talia integre fuerint, in primo quaternario criſim futuram denunciant: ſicuti Hippocrates in Prognoſtico hiſce uerbis oſtendit: Mitiſſimæ enim febres quæ ſecuriſſimis ſignis fiunt, quarto die finiuntur, uel prius. Neque enim contingit febrem omnia ſigna ſecuriſsima habentem, neque illam in qua ſunt omnia maxime pernicioſa, alteram quidem non liberare, alteram autem non occidere in primo quaternario ægrotantem: ueluti ſi hæc quidem parum ab extreme pernicioſis diſceſſerit, illa uero à maxime ſalubribus: huiuſmodi febres ſeptimum diem non contingit tranſcendere. An uero criſis uehemens & cum conflictatione futura ſit, aut potius moderata, uel neque criſis omnino, ſed ſolutio ſimpliciter: non amplius ex

B pernicioſis ſignis et ſalutaribus, ſed potius ex alijs præcognoſcitur. Duo autem ſunt & horum genera, magnitudo, & motus morbi. In quibus primis diligenter oportet exercitari, ut ipſa noſcamus, & facile à more ac morbi ſpecie diſtinguere ualeamus. Sed ſpeciem ipſam quo quidē pacto dignoſcamus, in ſecundo uolumine diximus. Nam tertiana & quotidiana & quartana & ſemitertiana & pleuritis & peripneumonia & phrenitis ſunt ſpecies morbi. An uero benignus, aut malignus ſit morbus, ex ſubſequentibus ipſum accidentibus noſcitur, quæ omnia ferè Hippocrates in Prognoſticis enumerauit. In his autem annumerare oportet coctionis & cruditatis ſigna. Magnitudo uero, & motus morbi, ab his diuerſa ſunt. Debiles

C quidem & paruæ febres quandoque ualde malignæ ſunt, & aliæ calidæ atque ardentes, ut aliquādo ſtomacho anguſtiam & calorem & ſitim intolerabilem afferant: nihil tamen habent nonnunquam periculoſum. Dictum autem & prius eſt quòd ſiue uehementiam, ſiue magnitudinē morbi quiſpiam uellet nominare, nihil differt. Ab hiſce uero omnibus differt motus: et ex tempore partium acceſsionis comprehenditur. Cum enim unaquæq; acceſsio quatuor habeat partes, principium, augmētum, ſtatum, & declinationem: uel has omnes breui tēpore acceſsio percurrit, uel tardo: uel nonnullas quidem citius, nonnullas uero ſerius. Si omnes igitur celeriter peragat, manifeſtum inde fit quòd ad criſim properat. Et omnino huiuſ-

D ſcemodi febris eſt de numero intermittentiū. neq; enim contingit ut illa quæ omnes celeriter peragat, amplius continua permaneat: ſicuti neque ut quæ in omnibus partibus prolixitatem ſeruat, ſit intermittens. Liquet autem quòd eam quidē quæ ad febris quietem deſinit, uoco intermittentem. Continuæ uero febris omnino cōuenit ut pars aliqua aut duæ uel omnes lōgæ ſint. Febris enim quæ proprie ſynocha nominatur, longus eſt ſtatus: magis autem tota hæc febris ſtatus eſt. Eius uero quæ nō eſt ſynocha, non tamen deſinit ad febris quietem, cum ſtatus alijs temporibus longior exiſtit, motus eſt uelox. quòd ſi breuior, tardus eſt motus. Cum igitur morbi ſpecies & magnitudo & motus & mos fuerint diſtincti, & ſpecies quidem ex proprijs accidentibus cognita, magni-

tudo uero ex eorundẽ quantitate, motus uero ex tempore accessionis partium, mos autem ex accidentib. superuenientibus, his quoq; adiuncta consideratione temporis anni, & naturæ, & regionis, & similium: nunquid morietur æger aut saluabitur, ad hæc tria respiciens inuenies, ad speciem, & morem, & magnitudinem. sed maxime morem inspicere oportet. Vtrum uero per crisim terminabitur morbus aut non, primũ quidẽ ex motu ac magnitudine inspicies, deinceps autẽ ex specie ipsius, deinde ex anni tẽpore, & ex alijs quæ eiusdẽ sunt ordinis. et ex superuenientibus quidẽ accidentibus, non omnibus, sed ijs quæ paulo ante memoraui, quæ uel unà cum crisi ab initio inuadunt, uel paululum anticipãt: quæ ipsa critica proprie nominauimus. Nam cũ superuenientia accidentia trifariã B diuidantur, in ea scilicet quæ morem morbi natura ostendere apta sunt, & in ea quæ affuturam proxime crisim denunciant, & quæ non solum signa, sed etiam causas crisis posuimus: primum quidẽ ex his simplex est genus: (nam quædam ipsorum praua, quædã uero optima omnino existũt) secundum uero & tertium non semper neque idem facere, neq; ostendere aptum est, sed secũdum morbi tempora uariatur. Diximus aũt latius de omnibus his in primo libro. Doctrinæ igitur manifestioris gratia ducatur ad exemplum aliquis ægrotus, qui primo die habeat signa manifestissima salutis. Huic enim omnino in primo quaternario finietur morbus: utrum uero per solutionẽ uel crisim, magnitudine & paruitate distinguitur. Siquidem magna iudicãtur omnino: quæ autem parua, soluuntur solum. Sed dies crisis ex motu inuenietur. Nam C si febris synocha fuerit, ac nullus error acciderit (nam semper huiuscemodi oportet meminisse) in quarto die sperandum est crisim futuram. Si uero cõtinua fuerit, magnitudinem ac motũ inspicere oportet. Cõtingit enim in tertio uel quinto die crisim fieri. In tertio quidẽ, si morbus sit magnus, ac motum uelocem habeat. In quinto autem, si neq; ualde magnus sit, neq; uelociter moueatur. Oportet enim crisim in idem tempus incidere cum accessione. Et ita raro accidit ut in die libera fiat crisis: ut uideatur bis tãtum Archigenes in toto tempore uitæ suæ id obseruasse, ego uero ad hanc horam semel solum. Et causa est, quemadmodum D diximus in libris De diebus iudicatorijs, ut crisis sæpius ex quarto die ad tertium & ad quintum trãsmutetur. Nam morbus qui tam subito crisim habet, omnino peracutus est. In omnibus autẽ morbis peracutis necessariũ est febres uel synochas esse, uel cõtinuas quidem, sed quæ per tertiũ exacerbãtur. Synochæ quidẽ raro eueniũt: & ubi nullus sit error, in quarto finiuntur per crisim, natura à proprijs circuitibus ad crisim perueniente. Rarũ uero etiam est ut nullus sit error. Continuæ autẽ febres quæ in accessionibus crisim habent, tertio die uel quinto rationabiliter finiuntur. Nam si quando q; etiam quarto iudicentur, ratione eius accessionis quæ tertio die fit, id patiuntur. Quę enim circa horam undecimam, si ita contigerit, diei tertij accessio inuadit, uel tertia nocte, uel quarto die, inuehit crisim. Cũ igitur primo die (rursus enim eadem repetenda) signũ aliquod coctionis manifestũ apparuerit, reliquis etiã omnibus periculũ nullum portẽdentibus: tũc proculdubio sciemus quòd in primo quaternario morbi solutionẽ subsequi sit necessariũ. Quòd si etiã eius magnitudo inspecta sit, ulteriorẽ habebis notitiã q; cum crisi finietur. Ex morbi aũt motu te sperare oportet quòd crisis uel tertio die fiet, uel quarto, uel quinto. Si quidem celer sit motus, tertio. Si uero quodãmodo tardior, in quinto. Si uero febris fuerit synocha, in quarto. Adiuuat motus celeritatem, morbi magnitudo, & anni tẽpus, & regio, & ætas, & quęcunq; alia amarę bili cõueniunt. Tarditati autẽ motus, insunt cõtraria. Aestate enim adolescens natura calidior post inediam & labores & cibos & potus biliosos tertia die crisi occupabitur, & præsertim si is qui antecesserit tẽporis status siccus extiterit, & præsens etiam: & locus in quo ægrotat, fuerit natura calidior. Si uero & tertia die crises tunc abũdauerint, adhuc certior est coniectura. Quòd si omnia contraria cõuenerint, & motus morbi tardior, neque magnitudo ualde effatu digna, & tẽpus anni fuerit hybernũ, æger aũt uel natura pituitosior, uel iã declinãtis ętatis, sperandũ est crisim ad quinti diei accessionem peruenturã. Adhuc aũt magis si locus natura frigidior atq; humidior extiterit, et pręsens temporis status consimilis, & quinta die crises abundauerint, & reliqua his proportionabilia, ueluti ociũ, repletio, & esus ciborũ pituitosorum à plurimo tẽpore. Rursus igitur alius ægrotus subijciatur, qui nullum habeat signũ coctionis manifestum neq; in primo die, neq; in secundo, neq; tamẽ perniciosum, sed omnino omnia sint citra periculum. saluabitur quidẽ & hic, sed in primo quaternario non liberabitur integre. Oportet igitur mentem diligenter adhibere nunquid aliquod signum manifestum coctionis ostẽdat. Nam si hoc fiat, necesse est ut in septimo die æger liberetur, modo interim nullus error admittatur. Si uero per crisim uel sine crisi salus sit secutura, hoc ex morbi magnitudine noscitur. Liquet enim quòd si magnus fuerit, omnino per crisim morbus finietur. Quòd si etiam motus uelocitas adiũgatur, multo magis id fiet. Quòd si aliquis error, nõ magnus tamen, circa ægrotantem factus fuerit, sperandũ est crisim in septimo euenturã. Quòd si nõ multũ uelociter moueatur, aliquis uero error circa hominẽ interim fiat, ad nonũ diem crisis transfertur. Rursus itaq; supponamus aliquẽ salubri morbo laborare, qui die quinta aliquod coctionis signũ habeat manifestum. hic, si morbus magnus extiterit, & celeriter moueatur, undecimo potius q̃ decimoquarto die crisim patietur. Quòd si minor fuerit, neq; celerem motũ habuerit, decimoquarto magis q̃ undecimo. Simul uero cũ alijs est distinguendum si & iuuenis fuerit, & natura biliosus, & tẽpus æstiuũ, & in loco calido ægrotauerit, & prior uictus, & quæcunq; præsenti attinent statui, ad calorẽ declinauerint. omnino iste die undecimo crisim habebit:

bit: quemadmodũ si omnia contraria iis quę dicta sunt, affuerint ęgrotãti, in quartodecimo. Quòd si nõnulla quidem affuerint, nõnulla uero non, atque interim aliquis error inciderit, fieri non potest ut crisis die undecimo subsequatur: sæpius uero nec die decimoquarto, quãdo magis fuerit erratũ. Sed si nullus error acciderit, mista uero fuerint accidẽtia, hic opus erit medico exercitato ac perspicaci, ut ea quæ uim maiorẽ habẽt signa distinguat, & illi quæ ab ipsis ostendit̃ crisi, fidẽ adhibeat certiorẽ in hisce adeo ambiguis præcognitionib. Si aũt neque in ipso septimo die, in aliis certe inter septimũ & undecimũ id q̃d futurũ est exquisite discere licet. Nã si magnitudo uel uelocitas motus morbi in eisdem diebus intẽdatur, ac coctionis signis effatu digna accessio facta fuerit, huiusmodi ęgrotus die undecimo crisim patietur: sicuti si cõtra se habuerint, in quartodecimo. Subiiciat̃ rursus ægrotus qui in morbo salubri in primis diebus tardiorem febris motum habeat, neque cum nimis uehementi calore, ueruntamen adsint cruditatis signa, quod quidem intra quartumdecimum diem hic non liberabitur morbo, iam manifestũ est. An uero in illa ipsa die, uel postea: ex morbi temporibus distinguendum est. Nam principii quidem signa si diu permanserint, diuturnũ fore morbum significant. Augmenti uero si in quarta uel septima die apparuerint, sperandum est aliquid in quartodecimo: sed in undecimo determinabitur. Nam si hæc tria in eo die cõiuncta fuerint, & motus uelocitas quæ sufficiẽs sumpserit incrementũ, & febris magnitudo, ac preterea manifestum coctionis indicium, fiet crisis in quartadecima. adhuc aũt magis si & anni tempus, & ætas, & ægrotantis natura, & quæcunque alia his sunt proportionalia, ad crisis celeritatem contulerint. Si uero solum manifestũ coctionis signũ die undecima appareat, neque tamen morbi magnitudo, aut motus uelocitas festinauerint: tũc ultra diem decimumquartũ crisis differetur. Sed si quidem anni tempus, & ætas ægrotantis, & quæcunque alia his sunt proportionabilia, ad frigidius declinauerint, forte sperãdum est morbi solutionem in uigesimo die secuturã. Quòd si mista signa affuerint, & dies decimusquartus coctionem insigniter auxerit, die decimoseptimo crisis occurret. Si uero neque die quartodecimo aliquid nouatum fuerit quod sit ualde exquisitum, tũc ad septimumdecimum diem est respiciendum. Si enim in eo aliquod signũ apparuerit, id fidissimum erit, quãuis ualde exiguum fuerit: uigesimoque die crisim futuram præmonstrabit.

V Quòd uero hæ crises uniuersæ quas numeraui, omnium optimæ sint, hoc est securæ atque perfectæ & coctæ, non amplius egebit demonstratione. Cum enim post signa optima atque exquisitam coctionẽ factæ fuerint, necesse est ut optimæ sint: quoniam & sola coctio crisis celeritatem, & salubrem securitatem ostendit. Neque enim uel animo concipi potest quòd post morbi exquisitam coctionem crisis mala sequatur. Exquisita uero coctio fit tempore status. Atque idcirco ab initio ipso

A nos admonuimus, nulli alteri exercitationi tã esse intendendum, quàm ad morbi statum prænoscendũ. Nam si forma uictus ad illum instituatur, & crisis optima in illo fit, atque omnium crisium ipse est regula. Si enim quæ huic proximior est, altera magis distante potior est, in nulla re adeo exercitandus est medicus, quantum in status præcognitione. Esto igitur ut in die quartodecimo spes sit fore statum, & aut ob morbi magnitudinẽ, uel eiusdem uelocitatẽ, uel propter aliquod aliud extrinsecũ irritamentum crisis die undecimo anticipet: neque ipsam perfectã, neque omnino bonã quimus sperare: sed hoc tempore omnino timendum est, præsertim si neque in totum morbus periculo uacat. Quòd si salubris apparuerit, uerendum est ne

B crisis uel cum grauibus fiat accidentibus, uel non perfecta, uel omnino reuertatur. adeo magnã habent uim coctiones, ac propterea etiam morbi status. Et quidẽ si morbi in hoc tempore crisim non habuere, fieri non potest ut in declinatione habeant. Quicunque enim status tempus semel præterierint, hi sine crisi perseuerant, & paulatim soluuntur. Et nullum est mortis periculum tempore status elapso, quantum iudicio assequi possum. Et tamẽ quidam sunt qui putãt se uidisse multos ægrotos in declinationibus periisse. Sed si experientia uel ratione iudicare oportet, noui ipsos alia ratione quàm morbi interiisse. Omnes siquidẽ erroribus interiere, præcipue quidem suis ipsorum: sed & aliquando medicorũ. Sic quidem experiẽtia testat̃,

C neminem unquã ui morbi in declinationibus periisse: sed adhuc magis ratio. Neque enim possibile est ut postquã causæ morbosæ iam coctæ sunt, ac iã natura superauerit, æger moriatur, modo recta curatio à medicis adhibeatur. Vbi enim natura superior euasit, & debellauit, & restitit uehementiori morbi conatui, & quæ infestabant oppressit, (hoc enim est ipsa coctio) fieri non potest ut deinceps succumbat. Quòd si à morbo natura non uincatur, mortem subsequi nullo modo contingit. siquidem nihil aliud mors est, nisi omnimoda naturæ prostratio. Vbi uero ipsa perdurat, dominatur ac uincit, hominem necesse est liberari. Ex omnibus igitur nos ratio cogit, in id maxime esse incumbendum ut eam morbi partem præno-

D scamus quam statum uocant. Nam sit moriturus æger aut non, nemo præcognoscet nisi status tempus præcognouerit. Tunc enim primum mori ægrotantem est necessarium, quando uires morbo succubuerint. Siue autem uires siue naturam dixero, idem te nũc intelligere oportet. Et quidem utrũ prius superabitur, sciri non potest, si futurum penitus fuerit incertum. Nam si crisis intra unum diem esse debeat, saluabitur æger antequã uires à morbo prosternant̃. Si uero ante uiginti dies (ita enim contingat) non possit status aduenire, fieri potest ut interim natura fatigetur, adeo ut eisdem ęgrotis apparẽtibus alter quidẽ saluetur, alter moriat̃ ob status futuri tẽpus. Siquis uero nos aliũ modũ sciret edocere quo morituros à saluãdis possemus distinguere, non esset fortassis ad hoc status

necessaria præcognitio. Sed cum eisdem apparentib. morbis, quis sit salubris quisúe mortalis, alia uia ꝙ nuper dicta inuenire nequeamus, magna ex hoc cognitionis status necessitas orit. Hippocrates igitur ita inquit: Coniectura assequi oportet an æger cum eo uictu usq; ad morbi statū perdurabit, & utrum ipse prius deficiet, neq; cum eo uictu perdurabit, uel morbus antea finietur, & obtundetur. Videntur quidem & Diocles & Plistonicus & Praxagoras & Philotimus, atq; omnes, ut ita dixerim, probatissimi medici, nihil aliud melius inuenisse ad iudicandum nunquid æger saluabitur, aut morietur. Qui uero omnia bona artis deteriora fecerunt, neque aliquid aliud doctius excogitauerunt, & hæc maxime neglexerunt. Quis enim eorum est qui aut morbi magnitudinem, aut naturę robur cognoscere studeat, aut futurum statum pręcognoscere? Et quidem sine horum trium cognitione nihil de salute inuestigari contingit, non magis ꝙ hoc, nūquid aliquis portando oneri sufficiat, sciri potest, hominis robore, oneris magnitudine, & uiæ longitudine antea non perspecta. Nam ægri uires portanti onus, morbus uero oneri, tempus autem quod usq; ad statum extēditur, longitudini uiæ respondet. Quo pacto igit de ægrotante sciri potest nunquid sufficiat, si nulla status præcognitio habeatur? ex omnibus igit ratio cogit nil tam studiose esse discendum ꝙ futuri status prænotionem. Si enim neq; cōueniens uictus adhiberi potest si hoc non præcognoscatur, neq; de ægri salute uel morte alio modo manifestā habere notitiā contingit. Sed neq; de crisi, nunquid futura sit, aut omnino non erit, & cū sit, quāta aut qualis sit, sciri potest, si præcognitio status nō habeatur. Maximum sane hoc erit artis opus, & cæteris omnibus anteferendum, ad præcognoscēdum futurum statum exercitatio. Sed quomodo hoc fieri potest, antea diximus. Nūc uero quæ nuper dicebamus, repetenda.

VI Si cognouerimus ex magnitudine morbi, & uiribus ægrotantis, & tempore status, nunquid liberabitur aut morietur, colligere ita aliquid poterimus de crisis tēpore, & modo. Si quidē eñ morbus salubris inueniatur, & neq; eius acumen, neq; magnitudo festinēt, neq; error aliquis circa ægrotum admittatur, status tempus crisis expectat. Et hæc quidem optima crisis est. Fit enim morbo iā cocto. Si uero uel propter morbi magnitudinem, uel motus celeritatem, uel propter aliquod aliud irritamētum ante statum crisis uenire cogatur, tāto hæc optima deterior erit, quantum statum anticipauerit. Quod si neq; usq; ad statū sufficere possit, necessarium est ægrotantem ex hoc morbo interire, non tamen omnino prope statum. cōtingit enim & multo celerius, & statim circa morbi totius initia. Crisis enim uel in statu, uel parum ante ipsum fit: mors autem in tribus temporibus, principio, augmento, & statu.

VII Cū uero res plures sint, concedant mihi sophistæ, manifestioris doctrinæ gratia, singulis proprium nomen imponere. Et si hoc ipsi non cōcesserint, longe eis ualere iussis (neq; enim ipsis, sed ijs qui ueritati student, hic sermo componitur) ita cōsideremus. Si quis subito morbo liberatur, omnino huic aliqua euacuatio effatu digna cōtingit uel per uomitum, uel per uētris exonerationē, uel sudores, uel urinas, uel sanguinis è naribus profluuium, aut ex sede per hæmorroidas, aut in mulieribus per purgationem mēstruorum. Sed etiam parotides non paucos in tempore opportuno liberarunt, & ad genua & ad pedes & ad aliud quodpiā membrum ignobile humorum impetuosus decubitus. Et quidem antecedit his omnibus atq; assidet non modica in ægrotantis corpore perturbatio. delirant enim & difficilem habent spirationē, & anxietatem, atq; alia quæ prius diximus, patiūtur. Vnus quidem hic modus est morborum solutionis, quem non modo nos crisim nominare instituimus manifestioris doctrinæ gratia, sed omnes etiam qui nos antecesserunt, eodem nomine crisim nominabant. Alter uero modus est qui hęc quidem omnia seruat, uno autē tantummodo differt, quia non integre à morbo liberat. Nominat uero & hic nonnunꝙ quidem crisis simpliciter, sicuti & prior: aliquando etiam cum additione, crisis imperfecta, uel crisis defecta. Quicunq; autem morbi paulatim finiūtur, solui quidem impræsentiarum dicuntur: per crisim autē finiri nequaquā: quamuis aliquando per abusionem hoc etiam ita nominari dixerimus. Sed nūc singulis triū eorum quæ diximus claritatis causa sit propriū nomē impositū: Crisis quidē simpliciter, morbi solutio subita. Defecta uero crisis, subita morbi diminutio: Solutio aūt simpliciter, quæ in longiori tēpore & paulatim facta est. Sicuti uero uel effatu digna euacuatio, uel omnino humorū à loco ad locū decubitus cū ueloci perturbatione necessario in crisibus fiunt, ita in solutionibus neq; agitatio aliqua, neq; euacuatio, neq; humorū decubitus accidūt. Tres quidē hi sunt modi mutationis morborū, cū à morbo liberari debet ęgrotus. Tres uero alij istis proportionales cū moriturus est. Vel eñ subito morit unà cū turbatione & agitatione, & quibusdā excretionibus uel humorū decubitib. effatu dignis: uel mortē nō subijt quidē ex istis, sed multo deterius euasit. Vocēt aūt hę duę crises nō bonæ: cum nihil referat siue hoc modo, siue malas crises nominemus. Seorsū uero, prima quidē perfecta, secūda uero imperfecta, tertia uero species malæ permutationis, quæ paulatim fit usq; ad mortem, marcor nominet. Hæc igit tria alijs trib. opposita sunt. Quartus modus est subitę mutationis ad peius, sine magnis excretionibus uel humorū decubitibus: quā neq; crisim appello. Quòd igit hunc modū ab alijs differre dicimus quos cū agitatione ac perturbatione & effatu dignis excretionib. aut humorū decubitib. fieri dicebamus, unicuiq; manifestū est. differt eñ, sine his fieri accidentibus, ꝗ prius critica nominauimus, atq; absq; excretione uel humorū decubitu, et fieri cū illis. An uero recte uel nō huic modo mortis nomē crisis detrahimus: hoc iā est de nomine, nō aūt de re ipsa cōtēde

re.Ego aũt quatuor modos docui inuicẽ differẽtes,& singulis propriũ nomẽ manifestioris doctrinę gratia,imponẽdũ cẽsui.Siquis uero melius uel manifestius scit nominare,de eius nũcupatiõe minime disceptauerimus. Docere uero utile aliquid haudquaꝗ in isto consistit, sed in noscẽdo potius hos singulos morbos cum adsint, & futuros prænoscendo.Neq; etiam si horum modorum causas explicare tentarem, deinde quispiam eisdem causis tanquam non recte habentibus contradicens, putaret se aduersus modos disserere, recte opinaretur. Cognoscere enim ꝙ tot sunt modi quibus sanentur aut moriãtur ægrotantes, ac quòd dictis nominib.nominanẽ,atq; ubi præsentes fuerint,ipsos dignoscere,futuros uero præcognoscere, hæc ipsa ad medendum conferentia sunt: atq; expedit quidem nomina concedere, dignotiones uero ac præcognitiones experientia explorare.

VIII Si uero conãtibus nobis unde hæc inuenimus edocere,quispiã in contradictionibus exercitatus,qualẽ habitum admirabilis Asclepiades acquisiuit,impediat, ac sermonẽ meũ interrumpat, meminisse oportet,ꝙ hic istud agens,non rem ipsam,sed quæ de ea uerba dicunẽ, cauillatur.Neq; eñ ꝙ nullæ repentinæ turbationes fiant aliquãdo circa corpus ægrotantis, potest asserere Asclepiades:neq; ꝙ sępius post ipsas effatu dignę excretiones nõ eueniant: neq; quòd magna ex ipsis nõ sit facta in ęgrotantib.permutatio:neq; quod huiuscemodi res nõ uocetur crisis:sed ꝙ certante natura contra causas morbos facientes, ista non fiant, hoc demõstrare tentabit,non parum quidẽ etiam hac in parte delirans, propter admirabiles moles atq; meatus quos ipse supposuit: quorũ causa neque nouit potentias illas quibus animal gubernatur,neq; ꝙ hęc omnia ad salutem faciunt tam in sanis quàm etiam in ægrotantibus, neq; quòd ipsæ sunt quæ morbos iudicant. Sed cum possit quidẽ in rebus sensui occultis huiuscemodi sermo nugari,nihil tamen quod ad artem medendi pertineat, attingit. neq; enim dignoscere nos crisiũ modos, neque prænoscere,talia sophismata prohibent. In multis etiam sæpius delirabit Asclepiades,& quicunq; non norunt naturas esse morborum medicatrices.neq; unquã poterunt modum salutis aut mortis pręcognoscere.Atqui quo pactoturpe nõ est medico,instante crisi more uulgarium perterreri,quem decuit nõ solum præsentẽ crisim quorsum euasura esset intelligere,sed etiam futurã præcognoscere? Equidẽ hic omnia quæ ad crisim attinẽt,uel futura prænoscere,uel iam præsentia dignoscere,ex alĳs principĳs haud inuenio,ꝗ ex ĳs quę supposuit Hippocrates.Etenim quòd ea quę sunt in corpore,cõcoquantur uel non cõcoquantur,Hippocraticis,non aũt Asclepiadicis dogmatibus congruit. Et quòd natura multas potentias habeat per quas animal gubernatur,unum quoddam est Hippocraticũ dogma, quo sine præsentẽ contemplationẽ scientia comprehẽdere minime possumus.Neq; enim numero infinitos expectare oportet signorum cõcursus,tanꝗ in singulis ip

sorũ propriã obseruationẽ assequi possimus, sed potius omnia particularia ad hanc unam redigere intentionem:de qua uerba faciẽs,coactus sum facere de sophistis mentionem,qui non modo nihil opportunũ inuenire studẽt, sed etiã quæ bene inuenta sunt,conãtur facere deteriora. Et tamẽ melius foret,cum nos intuentur, & diẽ ipsum in quo crisim morbus subibit prænoscentes, atq; insuper crisis modum prædicentes,ac iam præsentem etiã quem finẽ sit habitura dignoscentes,tali contemplationi discendæ intendere,ex qua huiuscemodi facultas comparatur: neque more uulgarium perterreri, quorsum euasurus sit morbus ignorantes. Ego quidem sæpius expertus sum tales medicos qui de præcognitione nostra sunt admirati,quando in ægrotis succedentẽ inspexerunt, atq; discere satagentes. sed quando quispiam ipsos docere cœperit,aut quippiã de coctione aut naturę robore disseruerit,uel de re aliqua alia sine qua de crisi contemplatio consistere nequit: quomodo, inquiunt,mihi suadebis quòd sit natura quædam omnia agens ad animalium salutem? uel quòd eadem natura expellente superfluitates, quidam à morbo liberantur? uel quòd calidum in animalibus sit efficacissimum? uel quòd ex calido, frigido,sicco,& humido corpora animalium sint temperata? Aduersus quos ego dicere soleo. Tu quidem ô uir,cœpisti tanquam discipulus, audis autem tanquam contradictor. Neque enim tibi sufficit,artis operum,quorum te cepit admiratio, doctrinam perdiscere, sed etiam eius principia iudicare conaris non solum ut medicus, sed etiam ut naturalis:& tamen tibi satius fuisset contrario modo de operibus iudicare. Multo enim præstare arbitror,mirãda opera quę ex illis principĳs sequũtur, inspicientem, ab eisdem operibus fidem aliquam de ipsis principĳs assumere. Fides siquidẽ artium contrà se habent quàm inuentiones. Creduntur enim ex operibus,inueniuntur ex principĳs.Mihi quidem opus aliquod artificiosum inuenire est impossibile,nisi ueris utar principĳs. quare mihi necessarium fuit naturalem scientiam diligenter perdiscere.Tibi uero, iam artis operibus adinuẽtis,uiam discere sufficit.Quare nisi tibi suppetat tempus ut tanquam naturalis omnia discere possis,tãtum saltem tibi ratiocinari adsit, quòd nulla altera uia sit præter istam quæ te faciat futuri præcognitorem, & quòd nulla necessitas urgeat ad principia scientiæ comprehendenda,cum iam frui possis ĳs quæ ex scientia proueniunt. Qui enim primus studuit hæc inuenire,magno in periculo fuit ne frustra tempus contereret. Neque enim uerum aliquod ex falsis principĳs contingit inueniri. Sed cum tu ab inquirendi labore sis liber, & quæ iam bene inuenta sunt,addiscere concupiscas, superuacaneum tibi est principiorum sciẽtiam complecti,si præsertim ad hæc tempus minime suppetat,neque cupido te teneat,aliquid eorum quæ desint, inueniẽdi,sed tibi solum sufficit, inuentis recte uti. Tu itaque supponens aliquam esse uitalem potentiam, stude ut agnoscas

ſcas eius ita in robore ſicuti in imbecillitate affectionem. Vbi uero in his exercitatus fueris, ſtude deinceps omnes morborum tam in magnitudine quàm etiam in more differentias, & poſt hæc, futuri ſtatus præcognitionem perdiſcere. Vbi uero hæc omnia didiceris, tunc te exerceas in comprehendenda per exquiſitam coniecturam tam morbi magnitudine, quàm ægrotantis robore, & quãto hæc tempore poſſint perdurare. Multum uero ad hoc te adiuuabit in operibus exercitatio. Prius uero quàm ea omnia quæ dixi, diligenter didiceris, nihil ægrotos intuendo proficies. Sed quomodo hæc om̃a perdiſcere oportet? Non aliter quàm ſicuti prius à nobis dictũ eſt. Etenim quòd oporteat & magnitudinem morbi inuenire, et morem, inſuper etiam ſtatum, exacte receſui. In unaquaq; autem natura uel imbecillitatem uel robur, in alio libro ubi De multitudine agit̃, antea narraui. Ex illo igitur eorũ dignotiones exquiſite diſcere oportet, uti uero ad medendum, ut in alijs edocui: neq; minus & nunc ad eam quæ habetur de criſibus contemplationem.

IX Sicuti enim qui omnia ſigna bona præ ſe fert, in primo quaternario integre liberabitur, eodem (ut arbitror) modo qui omnia mala, hic intra primum quaternarium morietur. Sed qui quidẽ liberatur, omnia morbi tempora uniuerſalia pertranſit, principium, augmentum, ſtatum, & declinationem: quanquam nonnullis fieri nõ uideatur declinatio ubi repentinæ criſes aduenerint. Nam paulo poſt de iſtis dicetur. Moriturus autem, ad declinationis tempus pertingere minime poteſt: non tamen neceſſario etiam ad ſtatum. Contingit enim ipſum in augmenti & principij etiam tempore mori: criſim uero ſubire nõ eſt neceſſarium, & maxime ſi in principio morbi moriatur. Hoc autem accidit ubi natura plurimum à morbo ſuperatur. Tunc enim neque certare aduerſus ipſum aggreditur. ſine certamine autem criſis non fit. Hic igitur eſt quartus modus mortis, qui nulli ſalutarium aſsimilatur. Nemo ſiquidem ſubito morbũ euaſit ſine criſi. Multi uero ſine hac ſubito intereunt, plurimiq; in acceſsionum principijs, illi prę ſertim qui propter materię multitudinem, & craſſitiem, aut inflammationis magnitudinem exitialiter laborãt. In declinatione uero propter uirium imbecillitatem moriuntur. Hoc ſiquidem plus quàm aliquid pro ueriſsimo haberi oportet, quòd in acceſsionum particulariũ declinationibus plurimi pereunt. quod nonnulli uidentes, idcirco opinãtur etiã uniuerſalis declinationis tempore poſſe aliquem mori. uerum non ita res ſe habet. Vbi enim morbi ſtatus pręterierit, natura quidem iam ſuperior euaſit. neque enim aliter morbus declinaſſet: nullus autem modus mortis tunc aduenientis excogitari poteſt, præterquam ex errore. Sed de hoc haudquaquam nunc conſiderare propoſuimus, ſed an morbi ratione mori contingat. Neque igitur hoc uidi unquam fieri, neq; id inuenit ratio. Sed particularibus acceſsionibus declinãtibus multos ſæpiſsime interire uidi. Neq; rationẽ

A ſequentibus mirũ uidetur quòd naturæ uis imbecilla, in principio quidem acceſsionis & augmento & ſtatu queat perdurare, cum adhuc habitus ipſe in unum compreſſus contineatur: tempore uero declinationis à medio ad extrema calore retrocedente, naturę habitus ſpargitur atq; diſſoluitur. Horum itaq; nonnulli ſubita morte opprimũtur, ut præſentes exiſtiment deficere animo potius q̃ mori. Quidam uero paulatim, non ſubito interierunt, incipientes quidem omnes à ſtatu acceſsionis, ita uero latenter, ut multis uideantur tales citius quàm ſperaſſent, à ſtatu ad declinationẽ trãſire. Sed manifeſtiſſime ex pulſibus cognoſcuntur. neq; enim paruo interſtitio differunt qui mortis ratione citius quàm ſperabatur ad quandã falſam

B declinationem perueniunt, ab ijs qui uere declinant. In utriſq; enim ſubito febrilis calor diſſoluitur. Fit uero contrarijs ex cauſis. ſiquidem naturæ robori maxime contraria eſt imbecillitas. Vehementior igit̃ fit ſemper magis pulſus & æqualior atq; ordinatior in optima declinatione. Expellit enim natura fortius omnem ſubito febrilem calorem. Debilior uero atq; inordinatior & inæqualis eſt pulſus in mortalibus declinationibus. Nã unà cum alijs tunc calor febrilis expirat, atq; hinc ſpes melioris exoritur. Mox cum ad leuandum uentrẽ ſurrexerint, animi defectum incurrũt: & nonnulli pauco ac tenaci ſudore effuſo, moriuntur, uel etiã ſine ſurrectione. Sic quidem in particularium acceſſionum declinationibus ſine criſi moriuntur:

C in principijs uero propter ſubitum humorum ad interiora motum, ueluti ſuffocata atq; extincta natura: non aliter quàm ſi lignorum uiridium aceruum ſuper flammas conijcias. Reliquus eſt igitur mortis ſine criſi modus, exitialibus morbis tẽpore ſtatus à uehementia acceſsionis natura ſuperata. Sic & in augmentis plerũq; moriunt̃, non alio modo quàm ſtatus ratione. Omnino enim quando à uehementia morbi natura ſuperatur, ratione ſtatus moriuntur. Contingit uero aliquando & in augmẽtis acceſsionum: ſed rarius hoc accidit. atq; idẽ eſt modus cum illo qui fit tẽpore ſtatus. Tres igit̃ ſunt omnes mortis modi ijs qui ſine criſi moriuntur. Primus quidem in principijs acceſſionũ, qui in magnis inflammationibus plurimum con-

D tingit quæ membra occupant principalia, uel ob humorum multitudinem, craſsitudinem, ac tenacitatem, qui ſubito confluunt, ut ſpiritus meatus obſerent. Alter uero iam tempore ſtatus, à morbi ui natura ſuperata. Alius uero iam reliquus in declinationibus, qui rariſſime accidit, uigore uitali ſoluto. Horũ uero nullus contingit cum criſi: neq; em̃ omnino morbũ depellere in huiuſmodi mortis modis natura tentauit. Vbi uero tentauerit, ſed ſuccubuerit, malam criſim talem modum appello. & fit omnino uel cũ excretionibus, uel abſceſſibus effatu dignis, ſimul cum reliqua omnium perturbatione, de qua diximus antea.

X Huiuſmodi uero criſium præcognitiones minus ſtabiles ſunt, & ualde prudente & arte inſtructo atq; exercitato medico indigent, primum

quidem

quidem nunquid futuræ sint, secundo an hoc die certo, deinde an statim hominem interficient, uel tantummodo nocebũt. Sed prius exercitari oportet in optimarum crisium præcognitione, de quibus prius locutus sum: deinde in ijs quæ non sunt optimę, bonę tamẽ: ac deinceps ad malas descẽdere. Sicuti enim in his est plurima incertitudo & cõiectura, ita in bonis scientia & firmitas præualet. Determinati siquidem sunt atq; ordinati naturæ motus, cum ualida fuerit, & materiæ dominatur, & proprias operationes operatur. Indeterminati uero atque inordinati, atque ideo incogniti, quando succumbit. Sed si quidẽ integre superatur: neque ab initio crisim facere tentat, neq; omnino resistere: & si paulum omnino surgat ad pugnam, statim succumbit. Causa uero huius intempestiui assultus est morbi uiolentia, irritatrix quędam existens, & acuta. Videtur siquidem natura nihil huiusmodi posse tolerare, sed statim properare ad expellendum id quod infestat, sicut ex ijs quæ uentrem aut stomachum mordent, torquent, & grauant, siue quouis alio modo stimulant, licet inspicere: quæ enim supernatant, per uomitus expellere tentat. quæ uero inferiora occupant loca, per sedem excernit. Et hoc est quidem maximũ signum crisis intempestiuæ. Quæ enim temporis spatio fiunt, hæc in statu & coctionibus etiam si nullum adsit irritamentum, in feruidis & magnis morbis uidemus accidere. Quæcunq; uero antea erumpunt, (uocat autem sic Hippocrates omnia quæ ante statum ad crisim ruunt) ob aliquod irritamẽtum id patiuntur. Et tanto deterior fit crisis quàm illa quæ in statu fit, quanto magis anticipauit. In exitialibus autem morbis eodem modo res se habet: neq; crisis status tempus expectat, aut admodum raro: sed magna ex parte in augmentis interficit, uel in principijs. Et si aliqua dies indicatrix futuram crisim præostenderit, simul & malam futuram præostendit. Age enim in quarto die uisa sit primum nebula in urinis nigra, uel suspensio innatans nigra, uel tale aliquid huiusmodi, sint uero & omnino alia signa & accidentia perniciosa: morietur quidem omnino hic ęgrotus. Sed si in imparibus quidem accessio facta fuerit, septimo die crisis accidet. Si uero in diebus paribus, in sexto. Certiorem uero tibi expectationem faciet morbi motus. Si enim acute moueatur, crisim accelerantem consignificat, hoc est, in sexta uenturam. Si uero tarde, ad septimam differetur. Cum uero dies indicatrix nullum de mala crisi futura signum ostẽderit, neq; eius pręcognitio facilis est. Oportet tamẽ hic animaduertere ea quæ à me dicentur signa. Est autem primum & maximum in morbis mortalibus signum quòd sine crisi mors sit subsecutura, uirium imbecillitas: nam uirtus ita prostrata, ad pugnam contra morbũ nõ excitatur. Secundum uero, si nullum adsit signũ, uel minimũ, coctionis: & præter hæc, si magnus sit morb. atq; malignus, non tamẽ etiam celeriter moueatur. Cũ enim hæc affuerint, omnino absque crisi mors subsequetur. Mortis autẽ dies præcognoscitur, quanto superat

A morbus naturã, considerando, et grauiores accessiones inspiciẽdo. Si enim effatu dignus fuerit excessus, & parum resistere adhuc uis naturæ uideatur, mors cito subsequetur. Si uero cõtraria affuerint, tardius. Sit igitur gratia exẽpli multus quidẽ excessus, non tamẽ manifestus an ad unum diem uel duos extẽdi poterit. hoc uero distinguetur accessionũ circuitibus. Quo enim die debet accessio fieri, in illo morietur. Et qua eiusdem diei hora accidet, iam est dignoscere facile, si meminerimus in uniuersum eorũ quę paulo ante diximus, in quibus morbis principia accessionũ maxime afferũt mortem, in quibus uero status & declinationes. Particulatim uero in singulis ægrotantibus pręcedentium dierum recordatio tibi plurima commõstrabit.

B Si enim ex ipsa morbi specie quispiam nequeat prænoscere in qua parte maxime accessionis morietur: ea quæ in primis diebus contigere, ad memoriam reuocans, quã maxima parte grauissima atq; exitialia accidentia superuenerunt: hic etiam poterit de futuris coniecturari. Sit rursus uere cognitum quòd morbus sit exitialis, & non multa uirium prostratio. Primum ex hoc constat mortem non esse propinquam. Deinde inquirendum est an possit fieri crisis. Huius uero inuentio habetur ex contemplatione uirtutis quomodo se habeat, atq; ipsius morbi motus, ac præterea signorum coctionis. Si enim uirtus robusta fuerit, & morbus uelociter moueatur, & aliquod signum coctionis affuerit, nõ extra rationem est q̃

C natura tentabit crisim. Quòd si uirtus quodammodo succubuerit, ac morbus tardum motum habuerit, nullumq; affuerit coctionis signum, in hoc subsequi crisim non contingit. Quòd autẽ si morbus sit fortior uirtute, nõ necessario uirtus ipsa sit debilis, nos alio ostendimus libro. atq; inde discere oportet propria signa uirtutis imbecillis. omia enim simul transigi nõ possunt. Omnium autem meminisse simul, & nihil prætermittere ex ijs quæ separatim aliquis didicit, sed omnia in singulis ægrotãtibus memoria complecti, nihil difficile, nedum impossibile. Rursus igitur memoria repetentes ea quæ in præcedentibus disseruimus, ad sequentia transeamus. Diximus optimas crises in statibus fieri: in augmẽtis uero, si salus sit subsecu-

D tura, uel imperfectas, uel nõ securas. In morituris autem uel subito interimere, uel magnam ad peius facere mutationem. In principio autem morbi non fieri crisim. Esse uero optimarum crisium exquisitas præcognitiones: aliarum uero cum coniectura, & maxime cum fuerint crises signo carentes. Ita autem nominari diximus quæcunq; à nullo dierum indicantium antea fuerint indicatæ. Sed & has etsi non multo prius tempore, saltem paulo post futuras præcognosci oportere asseruimus. Futuram autem pręcognitionem ex eo quòd urgeatur ac uehementer irritetur natura à morbo, atque ex subita præter rationem circa corpus facta perturbatione. Omnino enim fit aliqua nouitas quando crisis futura est, uel circa respirationem, uel circa mẽtem, uel auditum, uel uisum,

uel ferendi facilitatem, uel circa aliquod eorũ quę iam sępe diximus uno nomine summatim iudicia ria accidentia & signa appellãtes. Quinetiam q̃d ab Hippocrate in Aphorismis dicitur, Quibuscũque crisis fit, his nox molesta quę antecedit accessionem: est ipsum quod nunc nos dicimus. Quando igitur futura morbi crisis ostẽditur, & nox molesta fuerit, & post ipsam accessio citius inuaserit cum quibusdam insolitis accidentibus, necesse est in eadem accessione fieri crisim.

XI Qualis autem erit, hoc est utrum per sanguinis fluxum, uel uomitum, uel sudores, uel per aliquod aliud ex ijs quæ sæpe antea enumerauimus, deinceps explanare tentabo. Hic quoq; initium faciemus ab eo qui nobis omnium fuit dux atque auctor bonarũ disciplinarum, qui in primo libro Epidemiorum scribit in hunc modum: Circa caput & collum, & dolores, & grauitates cum dolore cũ febribus, & sine febribus, in phreniticis quidem neruorum distentiones, & uomitus ærugini similes, & quidam ex his cito intereũt. in febribus autem ardentibus, atq; alijs quibus adest colli dolor, & temporum grauitas, & tenebræ oculis oboriuntur, uel præcordia intenduntur absq; dolore, his profluuia sanguinis è naribus. Qui uero totius capitis grauitates, & oris uentriculi morsus, ac stomachum nauseabundum habent, isti biliosa & pituitosa euoment. Magna uero ex parte pueris in huiusmodi affectibus accidũt neruorum distentiones. Mulieribus uero, & hæc, & ex uuluis dolores. Senioribus uero, & in quibus iam superatur calor, apoplexiæ, atq; furores, & atrę bilis morbi, & oculorum priuatio. In libro autem qui Prognostica inscribitur, rursus Hippocrates in hunc modum scribit: Quæcunq; autem febres protrahuntur, signa tamen salubria homine habente, neque dolore ex inflammatione ęgrum habente, neque ex alia occasione manifesta, huic expectandus est abscessus cũ tumore atq; dolore ad unum aliquem ex articulis, & non minus ex ijs qui in inferioribus locis sunt. Magis uero fiunt & in minori tempore huiusmodi abscessus iunioribus nondum triginta annos natis. Statim autem attendere oportet ad abscessum si uigesimum diem transgressus fuerit. Senioribus uero minus fiunt febre etiam diuturniore existente. Oportet autem expectare talem abscessum cum febris cõtinua fuerit: in quartanam uero finituram, si intermittens fuerit, & more erraticæ inuaserit, & si præter hæc omnia etiam autumno appropinquauerit. Sicuti uero ijs qui sunt iuniores triginta annis, abscessus fit: sic ijs qui triginta annos habent, uel etiam senioribus, quartanæ accidũt. Abscessus uero scire oportet magis hyeme fieri, tardiusq; desinere, et minus recurrere. Sufficiunt quidem hæc, & ualde manifesta sunt quæ de abscesib. sunt dicta. Adiungẽs autem ipsis ea deinceps quę de excretionibus, inquit in hunc modum: Quicunq; autem in febre nõ mortali dixerit se dolere caput, aut aliquod tenebrosum apparere ante oculos: si oris uentriculi morsus huic acciderit, uomitus biliosus subseque

A tur. Si uero rigor inuaserit, & partes quæ sunt infra præcordia, frigidæ fuerint, celerius adhuc aderit uomitus. Si uero aliquid biberit aut comederit circa hoc tempus, multo etiã citius euomet. Ex ijs uero qui primo die dolere cœperint, quarto die grauãt̃ magis q̃ quinto, septimo die liberant̃. plurimi uero ipsorũ dolere incipiũt tertio die, conflictãtur aũt quinto maxime, liberant̃ aũt nono aut undecimo die. Quicunq; uero quinto die dolere cœperint, & alia secundum rationem priorem ipsis affuerint, quartodecimo euadunt. Fiunt autem hæc uiris quidem ac mulieribus in tertianis præcipue: iunioribus fiunt quidem et in his, magis uero in febribus continuis ac legitimis tertianis. Quicũq; uero in huiusmodi febre caput doluerint, loco autem tenebrosæ alicuius ante oculos apparitionis uisus hebetetur, uel quidam splendores ante oculos uideantur, pro oris uentriculi uero morsu in præcordijs aliqua fiat extensio uel ad dextrã partem, uel sinistram, neq; cum dolore, neq; cum inflãmatione: his sanguinis fluxus è naribus pro uomitu est expectandus: idq; magis in iunioribus xxx. annis: minus uero in ijs qui iã triginta annos habẽt, & seniores sunt, cum in ijs uomitus sint expectandi. Et hæc quidem sufficiũt. Præter hæc autem & illorũ nihilominus meminisse oportet quę in eodem libro scribuntur ab Hippocrate: Capitis autem dolores uehementes, atq; continui cum febre, si quidem aliquod signum mortale affuerit, ualde est exitiale. Si uero sine his signis dolor ultra uigesimum diem progrediatur, expectare oportet sanguinis fluxum è naribus, uel alium abscessum ad inferiores partes. Sed & dum recẽs dolor fuerit, expectare oportet sanguinis fluxiones per nares, uel puris eruptionem, multoq; magis si dolor circa tempora & frõtem appareat: Verum sanguinis fluxionẽ in ijs quidem maxime qui iuniores sunt trigintaquinq; annis, in senioribus uero puris eruptionem magis expectare oportet. Et etiam in sermone de peripneumonicis ita inquit: Quibuscunq; abscessus fiunt ex pulmonis inflammati morbis, circa aures, & suppurantur: uel ad inferiora loca, & ad fistulam perueniunt, isti euadũt. Deinde subinferens inquit: Cõsiderare autem oportet & talia hoc modo. Si febris perseuerauerit, & dolor non cessauerit, et sputum non processerit secundum rationem, neq; alui excrementa biliosa fuerint, neq; facile dissolubilia aut pura fuerint, neque urina plurima, & multam habens subsidentiam, reliqua autem signa salutem significauerint, his oportet & tales abscessus futuros sperare. Fiũt autem nõnullis quidem ad loca inferiora, quibus aliquid phlegmones affuerit circa præcordia: quibusdam uero in superioribus, quibus præcordia & mollia & sine dolore perseuerauerint: & ubi spirandi difficultas; quæ per tempus aliquod affuit, desierit citra aliam manifestam causam. Et quidẽ de tumoribus circa præcordia uerba faciens, ita inquit: Significant autẽ huiusmodi tumores, in principio quidem mortis non multo post secuturæ periculum. Si uero processerint ultra uiginti dies, & febris

febris & tumor nõ desierit, ad suppuratione͂ conuertitur. Fiunt autem his in prima periodo & fluxus sanguinis ex naribus, & fortiter iuuãt. Sed interrogare oportet an doleant capite, aut oculi caligent. Si enim horum quid fuerit, ad eum locum repit. Magis tamen fluxum sanguinis è naribus expectare oportet in ijs qui iuniores sunt trigintaquinq; annis. Sed & hęc in Prognosticis ab Hippocrate dicta sunt, indicantia modos secundum quos crisis fit. Quicunque autem mingunt urinam tenuem ac crudam multo tempore, si quidem alia ipsis signa salubria affuerint, his abscessum expectare oportet ad loca quę sub septo trãsuerso sunt. Hæc quidem in Prognosticis breuiter dicta sunt ab ipso futurum crisis modum prædocente. Addit uero ipsis multa particulatim & in libro Prædictionum, & Epidemiorũ, ueluti quòd retentiones urinæ ante rigorem, & quòd oculi rubidi, sanguinis fluxum monstrant. Eodem modo & de oculis lachrymantibus, & de malis rubidis, & de ipso naso. Ac præterea quòd labrum inferius agitatum, futurum uomitũ significat. Et quòd somnus grauis post dolore͂ capitis, & surditas statim aduenieus, sunt signa parotidum. Et multa huiuscemodi alia particulatim scribit, quæ omnia potentia continentur in ijs quæ in libro Prognosticorum scribuntur. Summatim, nihil aliud oportet considerare in modo crisis præter naturæ inclinationem: quam manifeste ostendit Hippocrates in Prognosticis, partim quidem oris uentriculi morsum atq; rigorem memorans, in quibus uomitus subsecuturus est: partim spirandi difficultatem, & præ oculis splendores, in quibus profluuium sanguinis expectatur: ac præter ista, distinguens de urinis, & alui excrementis, in quibus inquit: Neq; biliosa fuerint alui excrementa, neq; facile solubilia, & impermista, neq; urina multa ualde, neque plurimam habens subsidentiam. Si quid enim tale fuerit, manifestum est quòd huc repit ęgritudo, & per ista expurgatur. cũ uero huc non repit, protrahitur morbus. cum signis tamen salubribus, futurum abscessum expectare oportet. Coniectura re autem oportet naturæ motum. Ad loca siquidem inferiora futuros abscessus inquit ijs quibus circa pręcordia aliquid phlegmones, id est inflammationis atq; caloris affuerit, quoniã huc repant ij qui peripneumoniam humores efficiunt. hunc siquidem sermonem ueluti ad exemplum in peripneumonicis Hippocrates transigit. Vbi uero nõ repunt ad inferiora, præcordia quidem mollia & sine dolore erunt semper, æger uero ad aliquod tempus difficilem habebit spirationem quæ desinet sine occasione manifesta: & manifestum est ꝙ huic abscessus subsequi est necessariũ circa supernas partes, hoc est circa glandosas carnes, quæ sunt post aures. statim uero in ipso & aliq̃d aliud signum aderit quod ad caput habebit significationem, ueluti grauis somnus, & surditas repentina, ac pręter ratione͂; aut grauitas capitis & temporũ, aut tale aliquid aliud. Nullum igitur indicium deficit modi futuræ crisis, sed omnia ab Hippocrate

A exceptis pulsibus dicta sunt. Multi uero priscam breuitatem aduertere minime consueti, quædam deficere arbitrãtur. Nos igitur altero sermone manifeste eadem ipsis dicamus. forte enim si hoc modo didicerint, neq; impossibile esse arbitrabuntur præcognoscere modum futuræ crisis, neq; adhuc circa exercitationem torpebũt. Cum igitur quòd crisis aderit, ex ijs quæ diximus præcognoueris, deinceps qualis futura sit, hoc modo distinguendum est. Primum quidem, si acutus & calidus sit morbus, & si crisis fiat in primis periodis: necesse est enim in talibus crisibus non abscessum, sed excretionem subsequi. Secũdo autem loco, si diuturnus & tardus. Nam hi per abscessus quiescere consueuerũt: tum præcipue cum urinæ tenues & crudæ longo te͂pore exierint. Si enim multã & optimã subsidentiã habuerint, rationabile est morbũ

B potius paulatim debere coqui, nõ per abscessum terminari. His præfinitis deinceps cõsiderandum est, siquidem per excretione͂ debet terminari, nunquid profluuiũ sanguinis, uel uomitus, uel sudor, uel alui subductio sequet͂. Si uero per abscessum, quod membrum, & quis articulus abscessum suscipiet. In ijs uero qui per excretionem debent terminari, dupliciter distinguere oportet, & futuræ excretionis signis, si affuerint: & aliorum, si nõ affuerint. Certius em͂ sperabis eum qui semper præostenditur modum excretionis, si nullus te alius distraxerit. Me igitur oportet proprium uniuscuiusq; dicere: te uero in ægrotantibus non hoc solum inspicere, sed & singula alia cõsiderare. Si igi-

C tur præter rationem aluus comprimitur uel urinæ iam prope crisi existe͂te, rigorem sperare oportet. Si uero hoc, distinguendũ est, nũquid sudor post ipsum sequatur, uel uomitus, uel subductio uentris, uel aliqua horum, uel omnia. Et primum quidem ad morbi specie͂ est inspiciendũ. Si enim exquisite ardens fuerit, statim certior erit & rigoris præcognitio. Qui enim ardens est, biliosus est. Dictum est aute͂ in præcedentibus quòd humor iste quando uehementius mouetur, rigore͂ facit. Post hæc autem & illud considerandum est, nunquid urinis tantũ, uel etiã aluo cõpressa riguit. Si enim ambobus, necessario sudor multus subsequitur. Si

D uero urinis solis, considerare oportet nunquid alui excreme͂ta plura quàm priora, uel pauciora ante crisim exierint. Si enim multa, manifestius motus naturæ ad hunc locum est agnoscẽdus. Si pauciora, ad sudores. Si uero & uomitus signa affuerint, per has ambas crises iudicabitur. Et uel magis per earum alteram, quæ magis præualebit, uel æque per utranq;, quãdo æqualia quodãmodo indicia affuerint. Si uero signa uomitus non affuerint, solos sudores expectare oportet, & magis quando ægrotantes delirauerint increscente accessione, & partes exteriores calidiores ac rubidiores extiterint, & uapor quidam calidus exeat qualis antea non aderat. Quòd si pulsus undosus fiat, & insigniter mollis, adhuc amplius sudores expectare oportet. Durus aute͂ pulsus, uomitus magis ꝙ̃ sudores præostendere solet. Altus enim, omnis

excretionis indicium est, sicuti & uehemēs. Si uero magnus fuerit, motus ad exteriora potius quàm ad interiora signum existit. Cum uero uterque duplex sit, hic quidem qui ad exteriora per fluxum sanguinis è naribus, atque sudores: alter autem interius per aluum & stomachum: undosus quidem pulsus sudores, magnus autē simpliciter fluxum sanguinis præostendet. Motu uero ad interiora superante, cum non aderunt signa uomituum, per uentris excrementa crisis fiet. Si uero affuerint, per uomitum potius. Si uero ea affuerint, & uenter insigniter subducatur, per utraque fiet crisis. Inæqualis autem pulsus in pluribus quidem crisibus fit, & præcipue cum non fiunt sine periculo & pugna: multo uero magis cum biliosi humores ad uentriculum confluunt, perstantibus etiā alijs uomitus signis quæ Hippocrates scripsit. Tunc & omnino pulsus fiunt inæquales, cum stomachus grauatur ac mordetur. Sed signa ex pulsibus sumpta, Hippocrates, uel quia non nouerat, uel quia non magni momenti existimauit, idcirco non est executus. Vomituum autem signa sunt oris uentriculi morsus simul cum dolore capitis. & uertigines obortæ, cum ijs quæ obijciuntur oculis tenebrosis, & cum agitatione labri inferioris, & multo ac tenui sputo defluente. Hæc uero omnia accidunt cum biliosus & mordax humor in uentre ac stomacho collectus fuerit, & uētriculi os momorderit, quod prisci cor nominabant, & cum ipso totum stomachum supra atque infra distraxerit, unde & labrum in ipsis agitatur, & sputū tenue defluit, & tenebrosa quædam oculis obuersantur, & uertiginem patiuntur, & caput dolent, euaporante re aliqua ex humore bilioso, & præterea facta ex neruis per consensum affectione. Propria uero signa profluuij sanguinis, quidam fulgoris motus oculis apparentes, quoniā humor est flauus. Obtusiones autem oculorum, quoniam multus & aceruatus elatus ad superiora spiritus meatus obserat. Ita autē & oculi lachrymantur, ob fluxus multitudinem: quod etiam accidit in inflammationibus oculorum. Eodem modo rubidi aliquando uidentur, cum malis nonnunquam, & naribus. Proprium uero signum sanguinis fluxus è naribus est etiam præcordiorum tensio sine dolore. Nam & hoc non paruum indicium est sanguinis ad superiora tendentis: sicuti etiam difficultas spirandi. nam & hæc sanguine transeunte in thoracem fit. Si uero præcordia cum dolore extendantur, non fluxum sanguinis, sed aliquam ibi adesse inflammationem significant. Sed & dolores capitis quāuis commune signum existant uomituum, & fluxus sanguinis: qui tamen uelut mordaces sunt, uomituum: qui uero quodammodo graues atque extendentes pulsantesque & calidi, sanguinis fluxum proprie significant. Sic etiam uiscerum sub præcordijs existentium inflammationes, causæ sunt ac signa sanguinis fluxuum, quando morbus per excretionem debet terminari. Quòd si ad latus diuersum sanguinem fluere non est bonum, secundum directum uero est bonum, ut docet Hippocrates, & experientia monstrat: iam tibi facillimū est, narem ex qua fluxurus est sanguis, prædicere, ubi causam iam fluxuri sanguinis inueneris. Dextra enim præcordia ex dextra nare bonam crisim afferunt, sinistra uero ex sinistra. Didicisti uero prius & bonarum & malarum crisium signa. Quid igitur difficile est narem ex qua profluet sanguis, prænoscere, cum membrum affectum possis exquisite dignoscere, & crisis morem non ignores, & signa quæ fluxum sanguinis indicant, sint euidenter manifesta? Præter hæc omnia, & ætas, & tempus anni, & regio, & ægrotantis natura, futurum sanguinis fluxum possunt manifestare. Sanguinis igitur fluxus & uomitus propria & manifesta sunt signa: post hæc uero sudorum. Si uero per excremēta alui crisis sit subsecutura, manifestum quidem nullum est signū, nec propriū: sed ex eo quòd adsunt quidem crisis signa, desunt autem uomituum & fluxus sanguinis & sudorū, colligere licet: quanquam etiam si nullum horum signorum adsit, nondum hoc tantum, sed etiā per hæmorrhoidas crises fieri contingit, & mulieribus per menstrua. Non tamen est impossibile omnino distinguere. Grauitas enim lumborum effatu digna, & tensio, & dolor menstrua hic antecedit. Hæmorrhoides uero non omnibus consuetæ sunt. Quibus autem sunt consuetæ, in his solis difficile est distinguere. Alijs autem omnibus quando affuerint signa coctionis & crisis, uomitus uero non affuerint, uel fluxus sanguinis uel sudorū, omnino uenter perturbabitur. Ita quidem distinguere oportet tum propria, tum communia modorum crisium indicia, in hisce scilicet morbis qui per excretiones finituri sunt. Si uero ad abscessus conuertantur, communia quidem omnia indicia sunt ubi de ægri salute non desperatur, quòd neque morbus soluatur, neque urina multa, & multam habens subsidentiam, sed cruda & tenuis appareat: propria uero morbi non ualde diuturni sunt, subita difficultas spirandi superueniens, moxque quiescens, quam grauitas capitis ac dolor subsequitur, & grauis somnus, ac surditas. his in glandosis carnibus post aures necesse est abscessus fieri. Si uero morbus iamdiu durauerit, neque ullum ex his signis affuerit, sed in aliquo ex locis inferioribus, uel grauitas uel tensio uel inflammatio uel dolor apparuerit, in eo abscessus est expectandus. Exēplum uero utriusque abscessus ex uno morbo assumens Hippocrates in Prognostico, qui possunt eius sermonem diligenter inspicere, edocuit quo pacto oporteat de omnibus abscessibus ratiocinari. Quare mihi uisum est hoc in loco facere præsentis sermonis finem. Si quis enim dictis ab Hippocrate, hæc quæ modo scripsimus, addiderit, nondum uero artem habet prænoscendi crises: in libro sequenti, qui ultimus erit propositæ tractationis, spero ipsum id quod deficit cogniturum. Doctis enim & hæc possunt sufficere, neque quarto egent libro.

QVAE IN PRIMO LIBRO DE DIEBVS DECRETORIIS CONTINENtur. Capita in contextu diuisa sunt, singuli nempe libri in tredecim capita: & quanquam in periochis hic appositis pauciora contineantur, facile tamen à studioso lectore illis accommodabuntur.

Quid significat ipsum nomen crisis, & quid ipsum de diebus decretorijs. Aduersus eos differit, qui aiunt nullum diem esse decretorium. Quòd secundũ multas differentias decretorij dies inuicem differunt.

Quamobrẽ de aliquibus diebus inter se conueniant medici, de quibusdam uero dissentiant. Doctrina de differentia dierum decretoriorum. De dignotione principij ipsius morbi. De dierum decretoriorum facultate. Quòd aliquando crisis fiat in primo die.

Doctrina de differentia dierum decretoriorum post- A uigesimum. Quod medicorum inscitia, ægrotantium aliqua difficilis solicitudo, & quædam quæ extrinsecus præter opinionem accidunt, crisis diem certum permutant. Quòd si in nullo prædictorum erratũ sit, in primis ipsis diebus crisis præcognitio fiat. Quod non diem solum mortis, sed etiam horam industrius medicus aliquando præsagiat. Quod morborum diuturnorum, quorundam quidem in secunda, quorundam uero in tertia septimana exactæ solutiones præcognoscantur.

CL. GALENI DE DIEBVS DECRETORIIS LIBRI TRES.

Ioanne Guinterio Andernaco interprete.

LIBER PRIMVS



Qvo solutiones morborum qui nõ paulatim, uerum subito finierũt, certas esse cognoscamus: excretio quędam copiosa, uel abscessus insignis apparebit. Nã qui morbi citra hæc leuiores fiunt, in ijs recidiua timenda est. Quare animũ diligenter adhibere conuenit, ægrumq́ modis omnibus obseruare, ne quæ omnino sanis uel in cibo, uel in potu, uel balneis, uel motu, uel deniq́ in alijs quibuslibet concedimus, agere ipsum permittamus. Si nanq́ morbus quiescens exiguus fuerit, forsan ob tam exactam uictus rationẽ prorsus subsederit, ut postea nunquã reuertatur. Porrò si malignior existat, etiam tunc cum hoc uiuendi modo usus fueris, redibit, non tamen cum summo discrimine. Si uero neglexeris, parũq́ studiose animum aduertas tanq́ plane soluto, multo grauior quàm antea euadet. Itaq́ morbi cuiusdam magni & uehementis solutionem firmam signa quæ λυτήρια, id est solutoria uocat Hippocrates, præcedere oportet. Partim sudores bonos ex toto corpore manantes, uel urinarum, uel alui recrementorum copiam, uel uomituum. Partim sanguinis ex naribus profusionem, uel aliam quandam eius euacuationem, uelut ex ani uenis fluorem, quas αἱμοῤῥοΐδας appellant, uel ex utero. Partim in glandulis, quæ auribus subiacẽt, abscessus, aut in alia quadã ignobili particula, aut in articulis. Cæterum quibus nulla huiusmodi signo apparente morbus finisse uidetur, de his Hippocrates undequaq́ admirabilis, communi quidem sermone hunc in modum pronunciat: Quæ sine signis finita sunt, ferè reuertuntur. Membratim uero in Aphorismis, & opere Prognostico, nec minus in Epidemijs perdocuit, quorum nam recidiua exitio sit, quorum minus. item quæ nobis curare li- B cet, & prohibere ne reuertantur. De his sanè alibi sententiã ipsius explicauimus. At nunc de ijs morbis qui simul cum signis solutorijs desierũt, quiq́ iam in iudicationem uenisse dicuntur, uerba facienda esse censeo: illis qui boni quippiam de decretorijs diebus intellecturi sunt, cognitu necessaria. Præcedit enim nunc excretiones in his, & abscessus, non mediocris in ægri corpore perturbatio. Hic siquidem frequenter spiritum subito difficilius trahit, uel delirat, uel caliginem uel splendores ob oculos uersari putat, uel lachrymas fundit, C uel oculos rubentes habet, uel tẽpora grauia, uel in ceruice dolores percipit, interim uel capite dolet, uel nigra quædam ceu obscura oculis offundi queritur, uel stomacho laborat, uel inferius labrũ quasi tremulum ac intrò contractum habet, uel rigore uehementi conquassatur. Quinetiam plerisque præcordia attrahuntur, & male se habent, exiliunt, frigidamq́ expetunt, & uri se magis ac antea dicunt. Nonnullis ipsorum accessio quoq́ maturior incipit, & longior uehementiorq́ euadit. Ad hæc grauis sopor, aut aliud quoddam symptoma occupat. Atque hic iam uniuersos qui adsunt, in metu esse maximo uidere licet, audireq́ dicentes, quòd æger nihil ab ijs qui in foro de morte iu- D dicantur, differat. Vnde mihi quidã medicorum ne adfuisse quidem huiusmodi ægrotantium perturbationibus uidentur: alioquin non inquireret quid iudicationis uocabulo significaretur, neque an res ita fieri posset, uel minus. Vtrum enim morborum quasdam subitas solutiones cum excretione aliqua, uel abscessu fieri dubitant? an hoc quidem uidisse se profitentur, alia uero symptomata quæ ante paulum recensui, adesse ipsis ignorant? An hæc quoq́ intelligunt, non autem id quod accidit, iudicationem appellandam esse prædicant? Quod si est, non de re, sed nomine disceptatio est. Nam si neque cognoscere se fatentur turbationes quasdam subitas oboriri ægro, ex stomachi orificio laboranti, uel exilienti, desipienti, aliaq́ id ge-

nus patienti: tum neq; paulo post in eis uel sudore, uel sanguinis profluuio, uel alio quodam simili eueniente, securam morbi solutionem consecutam esse, uel extremæ contentionis ac cauilli, uel demẽtiæ esse iudico. Siquidẽ hæc non inter ea numerãtur quæ raro cõtingunt, sed quę potius quotidie apparẽt. Nos sane turbationem in morbo adeo subitã, iudiciũ seu crisim appellamus. Atque finire ipsam plerunq; ad salutẽ, interim ad exitiũ, affirmamus. Si porrò quis aliud quippiã, non hoc, iudiciũ esse dicat, & deinde cõtentiosus sermoni meo obstrepat, is dementiam suam, non me reprehendit. Præstabat igitur, sciẽtes quid tandem sibi uelit ipsum uocabulũ, de re sermonẽ eos instituere. Sed horũ inscitiæ ac contentioni ne Iupiter quidem ipse mederi possit. Atque hæc mihi præter B institutum aduersus illos dicta sunt. Cæterum, quibus artis opera curæ sunt, cum illis iam de proposita hic consideratione disseram.

II Iudicia enim seu crises ipsæ singulis diebus accidunt, sed neq; pares numero, neque ex æquali fide. Hoc etiam intercedit discriminis inter illas, quòd aliæ bonæ, aliæ malæ eueniãt. Quædam cum pluribus, & difficilioribus symptomatis, & maiore certamine: nonnullæ statim ab initio tutò accidunt. Quinetiam in hoc plurimum differunt, quòd hæ deficiẽtes, illæ perfectę sunt. Nec minus, quòd aliæ certis statutisq; diebus indicatæ prius fiunt: alię repẽte, & ex improuiso, nõ indoctis modo, sed peritis etiã artificib. eueniũt. Et tot quidẽ iudiciorum sunt differentiæ. At uero dierum iudi C catoriorum tot sunt. In duodecimo etenim & decimosexto nullum unquam iudicatum uidi. In septimo, ne uel numerare omnes adhuc possum. In sexto iudicantur, sed cum difficilibus symptomatis, & periculo nõ mediocri, ad hæc absq; fide, imperfecte, obscure, sine notis, & ad perniciẽ. Cum igitur non solum mihi tot annis obseruanti huiusmodi, quædam dierum differentia, sed Archigeni etiam in artis operibus diligenter admodum uersato inuenta sit: insuperq; superioribus Tarentino Heraclidæ, qui ex usu speculationem collegit: deinde etiam Philotimo & Diocli, alijsq; ueteribus: tum ante hos uniuersos Hippocrati diuino ingenio admirabili: quomodo non quis iure in dierum numero differẽtiam quandam statuat? D Nam quòd in tot annis septimũ quoq; iudicãtem subinde simul & absolute, fideliter, tutò, manifeste, cõspicue, & salubriter: sextum è contrario uiderim, non paruum quoddam discrimen ostendit. Porrò quòd ego quidem nunquam duodecimum uiderim iudicantem, alius autem quispiam raro simul & imperfecte, inconstanter, cum periculo, obscure, sine signis, & male, neque hoc exiguam dierum differentiam indicat. Multi siquidem morbi sunt, qui in septimo die iudicãtur absolute pariter & secure, tutò, aperte, cum bonis signis, & dextre. In duodecimo rari quidem adeo, ut nobis uisi sint nondum: & si cui aliquando ante nos in duodecimo die crisis euenisse uisa est, uel imperfecta, uel infida, uel periculosa, uel obscu-

A ra, uel sine signis, uel omnino ad malum accidere uisa est. Voco imperfectam iudicationẽ, cum ex morbo quippiam relinquitur. Infidam seu incertam, cum morbi recidiua contingit. Periculosam, quæ cum symptomatis periculosis accidit. Obscuram, quæ citra excretionem, uel abscessum quempiam euidentem euenit. Sine signis fieri dicitur, quæ à nullo priore die indicata est. Mala dicitur, quòd in ægri perniciem omnino desinit. Rursus absolutam uoco, quæ in morbo nihil facit reliqui. Fidam uero, constantem, securam, quę redit nunquam. Tutam, quæ sine periculosis symptomatibus accidit. Sic manifestam, cui excretio quædã, uel abscessus insignis ac conspicuus adest. Cum signis accidit, quæ ab iudicatorio die prius indicata est. Bonam esse, quæ ad sanitatem desinit, non puto quempiam latere. Verum si hæc ita apparent, maximam esse dierum inuicem differentiam nullus reclamabit.

III Dicet forsan aliquis nihil uerum esse eorum quæ diximus: sed nos argento à iudiciarijs diebus accepto, ipsos in res medicas introducere, tanquam nothos quosdam pueros germano ueroq; generi adoptantes. Qua enim re moti alia quàm argento, contra euidentia mentiremur? Non enim genere iudiciarij nobis iuncti sunt. neque ciues, aut familiares sunt, ut ipsis sine mercede subueniamus. Quid enim melius esse possit, aut illis iudicatorijs esse putatis, aut nobis, qui quòd sint iudicatorij demonstrauimus? At quemadmodũ alia quoq; per experientiam cognita indicamus libere, iniquissimum esse putantes ueritatem occultare, sic & dierum differentias, quas crebro spectauimus, dicimus uti uidimus. Cum autem optimos medicos simul & homines (ambo enim sunt Diocles & Hippocrates) item alios, quorũ prius mentionem fecimus, eadem de ipsis pronũciasse inueniamus, adhuc etiam magis, ut puto, confidimus, tanquam uera dicentes. Verum non consentiunt uniuersi hi (inquiunt) de iudiciarijs diebus: sed hi plures, illi pauciores esse dicunt. Item quidã hos, quidã illos iudiciarios esse pronũciãt: nõ eosdem uniuersi, sed ut cuiq; sua est opinio. Quid igitur per deos quæso ad illos dicas? Nũ in quo dissensum est, hoc omnino nõ esse dicitis? Atqui nõdum cõueneritis: Nam quòd accuratiore experientia, inquisitione & iudicio huiusmodi opus habeant, apud omnes in confesso est. At quòd nullus eorum qui dissentiunt, uera nũciet, nõ modo nõ uos ò eximij decretoriorũ calumniatores, sed ne Pyrrhoneam quidem dubitationẽ professi recipiunt: quoniã hi dissensionẽ inexplicabilẽ, non simpliciter uniuersam quãlibet ignorantiæ rei signũ esse pronunciant. An igitur impossibile est iudicare, quis de decretorijs diebus uera, quis falsa dicat? An possibile quidem, sed non facile, siquidẽ tempus longũ, atq; diligentiã accuratam desiderat? nam & morborum initia interim latent, & utrum iam is dies decretorius putãdus est, in quo iudicatio incœpit, an in quo morbus primum discussus sit, cõsiderationẽ quandam desiderat. Alius enim

quis-

quispiam alterum ipsorum, arbitror, alius alterum opinabit: forsan etiã aliquis neutrũ: sed in quem plurimum iudicij tempus peruenit, eundem esse decretorium dicet. Quãdo igitur ad hoc opus habeamus etiam quod frequẽter uiderimus. Erat autem hoc in diebus quibusdam impossibile, qui raro iudicãt, uel fortuitò. Non enim impossibilis est hypothesis, si quis raris diebus incidat primis. Deinde priusquam lõgum iudicium expectarint, de ipsis tanquam decretorijs ferunt sententiã. Ex huiusmodi uniuersis necessarium est ueram dierum iudicij cognitionẽ turbari. Si etenim in quo quis iudicatus est, eum decretoriũ diceremus, facillima sic eorũ cognitio euaderet, & propè omnibus decretorijs esse liceret. quoniam uero non satis est raro iudicantẽ uidisse, uerum crebro: deinde id adesse oportet, ut crisis sit, quẽadmodum recẽsui, bona, perfecta, secura, manifesta, ad hęc tuta, & prius indicata: constat uniuersum in acerualem dubitationẽ incidere. Si enim quædã ex his quæ dixi, adsint, quædam absint, & presentia æquentur absentibus, uel exiguus alterorũ sit excessus, liquet nos de huiusmodi die addubitaturos esse, decretoriũ an non appellare oporteat. Siquidẽ omnibus quę dixi præsentibus, uel plurimis & maximis, adhuc dubitare an sit decretorius, summa est stultitia: quẽadmodum si nullum ipsorũ, uel omnino pauca, leuiq; potẽtia prædita adfuerint. Quin etiã hic nõ ex decretorijs numerandus est. Quòd si parua quædã eorũ quæ ei adsunt, & nõ adsunt, differẽtia sit, manifestũ est nos in dubitationẽ uenturos utrum ex decretorijs hic referendus est, an minus. Ego itaq; ipse ab adulescentulo quidẽ dies decretorios obseruare incepi, ut ex mea ipsius experiẽtia, de ipsorũ dissensione iudicarem: etsi iam clare de quibusdã pro memoriæ pręteritæ ratione pronunciare nõ possim. Tale etiam Hippocrati uiro nimirum ueraci diu admodũ accidisse uidetur, si quid ex primo Epidemion coniecturare oportet, ubi multos dies in unũ congessit, quos in Prognostico & Aphorismis circũcidere uidetur. Demonstratum autẽ nobis est alibi, nec iam minus ex sequentibus clarũ euadet, prius Epidemion libros Hippocratẽ scripsisse, dum speculationes adhuc experimẽtis exploraret, nec generatim sententiã de eis proferre auderet. Quãobrem ij qui dies iudiciarios tollunt tanquam non existentes, quoniã de illis inter medicos nõ cõueniat, nõ adeo in artis operibus animũ aduertisse mihi apparẽt. Nam si aduertissent, nõ solũ in quibusdam diebus discordare scribẽtes de ijs, sed etiã in plurimis conuenire: ubi hæc considerarint, & deinde experientiæ suæ meminerint, inuenirent nimirum alterius esse naturæ illos in quibus consentiunt, alterius illos ubi discrepãt. Quis enim uel septimũ, uel undecimũ, uel decimũquartũ, uel alios quosdam similes non dixerit esse iudiciarios? Nemo opinor. Apparent enim omnes tanquam uno ore de ipsis pronunciare. Atqui si de omnibus inter scriptores conueniret, forsan omnes ipsos ordine liceret sine iudicio & inquisitione ueritatis aliquem imitari, qui primus de iudiciarijs diebus disseruit. Cum autem in plurimis discordant, nõ adhuc huiusmodi quid cogitare licet. Sed mihi mirari succurrit uiros, ob ueritatis acquirẽdæ studium. Nempe quòd non eosdem omnes dicant, sed in quibusdam discrepent, neq; temere, neq; sine ratione mihi facere uidentur. At qui dies omnes iudicationum notas cõseruant paulo ante à me scriptas, in ijs uniuersi pàri modo sentiunt. Qui uero ambiguitatem aliquam ac dubitationem habent inde quòd nonnullæ eis notæ adsunt, quædam nõ, haud ita simili modo ab omnibus scribũtur. Vnde conijcere est nõ obscure decretoriorum dierum naturam quandam esse propriam eximiã. Quos enim seorsum unusquisque nostrum ad talium experientiam deueniens, iudiciarios pronunciauerit, ex eo quòd omnes iudicationum notas conseruent, eosdem apud illos quoq; in confesso esse inuenias: sicut etiam quos experientia nemo potest iudicare, de his esse dissensionem. Nullum igitur ego his maius indiciũ de iudiciariorum dierum natura existimo, quàm quòd eos qui omnes iudicationum notas habẽt, has quoq; apud illos reperias, omnesq; conuenire: de quibus quis dubitet, de ijs dissentire. Nam in talibus controuersia fidem ijs qui in confesso sunt, firmam astruit. Præstaret sophistis cauillos aliquando odio prosecutis, de illis qui omnes habent iudicationum notas, omnibusq; in confesso sunt, prompte sententiam dicere, & de reliquis considerare: quandoquidem propter dubitationem quæ in paucissimis est, certitudinẽ in plurimis adeo conspicuam peruertere extreme absurdum est. Age igitur, nos, si ueritati studemus, ipsorum iudicio integre manum admoliamur, & primos sanè tanquam regulas quasdam omnes iudiciorum notas habentes apponamus: secundos, his proximos: deinde tertium quẽdam & quartũ ordinem statuamus, & cuiusq; dignitatem indicemus. Etenim huiusmodi cognitio ad curatiões morborum & solutiones non leue momentũ adfert: ne uidelicet ijs timeamus, qui fidis diebus iudicati sunt, aut tenuẽ uictũ præbeamus, néue perfidis diebus iudicatos parũ diligenter obseruemus.

IIII Primum itaq; omnium dierum decretoriorum septimũ dicimus, nõ numero uidelicet & ordine primũ, sed potentia & dignitate. omnes enim summatim decretoriorũ notas occupat. quin etiam plurimos iudicat, & absolute: item cum manifesta excretiõe, uel abscessu, sine periculo uehementi: & ut plurimum quartus eum prænunciat. Nã si urinæ in illo planè, uel sputi, uel deiectionis, uel appetitus, uel mẽtis uel sensus, uel alterius cuiusdam similis manifesta cõtingit mutatio: quã ut nõ similis in septimo iudicatio comitetur, quomodo fieri posset? bona, si ad salutem: mala, si ad peiora pertendat. Plerũq; igitur bona iudicia eueniũt in die septimo. Etenim hoc ei præter cæteros accedit: quanquam nonnulli etiã in eo moriantur, & euidenti conuersione ad peiora pergentes, in sequenti quodã decretorio intereunt. Sextũ autẽ diem, quanto pauciores in eo iudicantur quam in septimo,

tāto quoq; maligniorē inuenio, ut qui fere ex aduerso natura septimo oppositus sit. Quinetiā qui in quarto ad peiorē statum recidunt, plerique sexto moriunt. E contrario rursus si bona cōuersio contingat, septimum expectabit. Et si raro interim ad meliora cōuersionē in quarto die euenientē sextus excipiens iudicarit, incredibile est quāta cum perturbatione, periculo, & metu hoc fiat, quasi æger statim adeo fato sit functurus. Nam si in delationē somnolentā quā cataphorā dicūt, incidāt, sopori graui simile quid ipsis obuenit: fiūtq; tum omnis sensus, tū uocis expertes: & si quæ excretio proueniat, animo deficiunt: pulsus ipsorū concidunt: color abit: tremunt: collabunt. At septimus dies semper pro excretionis portione bonā tolerantiā auget. Atq; igitur sexto die maligna, acria, B fœtida multa tum deijciunt, tum uomunt. Sudores rari quidē æquales, toto manātes corpore, & calidi: quales siquādo oboriunt, ut plurimū interpellant. Timor inuadit spectātes eius rei ignaros: interdū parotides malignæ, uel etiā arquatus, uel aliusquidā abscessus, alterū certamē quo discrutiatur, requirēs emergit. Si uero per urinas iudicatio fiat, nec interim in his boni quippiā inueneris. Etenim crudæ, decolores, tenues, boni nihil q̄d subsidet habētes, sed nunc quasi testaceū, nunc arenosum in totū, inæquale, incoctū, ipsa copia tantum in sexto die quibus apparent cōducentes. Atque hæc moderatissima leuissimaq; sunt quæ illo die incolumi futuro cōtingūt: plurimos autē alios syncope corripi, uel suffocari largo sanguinis profluuio uel euacuatiōe parū moderata, item uel quadam stupefactoria detentos catoche, uel insania C quā μανίαν Græci appellāt, uides: alios in manifestam perniciē iniecit, arquatos cōciliās, parotidas nō bonas educens, & marcorē insanabilē interim excitans. demū quod mali genus nō adfert? Mihi equidē frequenter in mentē uenit septimi diei naturā regi assimilare, sexti uero tyrāno. Ille siquidē clementior tanq; bonus aliquis princeps ijs quos iudicat, uel supplicij partē adimit, uel illustrat uictoriā. Hic ecōtrario uel pernicie illius quē iudicandū accepit, gaudet, uel salute dolet, quæritq; ubi animū expleat, & male ægrū qui in ipsum incidit, tractet, & longa punitione exerceat. Age igitur sermo hic mihi sistat, prius q̄ aliorū dierū de- D cretoriorū naturā explicem. Si quis roget me de septimo die, an decretorius sit: dein ubi hoc affirmarim ex parato, de sexto rursus quærat, quid ei respōdero? Nam si eandē huic quoq; appellationem imponā, putabit forsan aliquis natura ipsum septimo assimilē me existimare. Si uero natura cōtrariū, ideoq; ex decretorijs diebus exemerim, forsan opinabitur eodem genere cū duodecimo & decimosexto cōprehendi: de quibus antea dixi, nunq; me uidelicet ipsos uidisse iudicātes. De his sanè quid sentiā, prōpte, ut de septimo dixi, enunciabo. Illos enim quòd nullam decernendi notam habent, non decretorios dicā. Hunc, quia omnes habet, decretorium esse. De sexto non tam absolutam enunciationē statuere possum. decernit etenim frequenter de morbis, sed dolose, & praue. Quapropter si quis me cogat de ipso ferre sententiam, nō longa oratione usus, ut paulo ante cū uniuersam eius naturā recenserem, sed summā cōplectens, sextū diem malum esse decretoriū dixero, quemadmodū septimū bonū. Non tamen sic conuenit simpliciter, atq; angusta oratione de re non simplici pronunciare. Nam præter alia medicorū plerique non intelligunt, quòd de nomine contendunt: nōnulli enim subitā in morbo mutationē iudicationē appellant: quidam, nisi bene ægro cesserit, tale crisim non uocitant: aliqui horū utrunq; iudicij opus esse ferunt. At iudicium ipsum perturbationem subito mutatam cū signo quodam euidenti, ex ipsa uidelicet morbi natura prouenientem, non extrinsecus esse arbitrantur. Deinde multum ac diu de significato contendunt. Neq; id ipsum intelligentes, quòd à rebus medicis desciscentes, uel dialecticis, uel grammaticis, uel rhetoribus conuenientē speculationē recipiunt. Siquidem dialectici munus est, de nominum rectitudine disputare: Rhetorū & Grammaticorum est inspicere nomē, an Latinis in usu sit. Atq; hæc nonnulli medicorum factitāt, tantā uel dialectices, uel grāmaticæ, uel rhetoricę cognitionē ac intelligentiā habētes, quantam asinus lyræ. Hi ergo medicorum res omittentes, & aliena male tractantes, utrinq; grauiter peccant. Nos sanè quomodo quis medicis nominibus optime utatur, alibi monstrauimus. In præsenti commentario dierum naturam interpretari statuimus, sophistarum nugas alijs relinquētes, qui artis opera parum curant, sed nugantur uelut in adulescentium contubernijs. Dicetur tamen nōnihil in sequētibus etiā de prædictis nominibus, ut illorum cauillos quis possit diluere, homonymias distinguēs. Nunc autem prius ipsam utilitatē explicemus, quēadmodum in omnibus cōmentarijs fecimus, ut hanc iam tenēs, eaq; fruēs abunde, sophistarū nugas reprehendere cōdiscas. Nam & alia sine lōga ipsorū nugacitate, artis candidati possunt ediscere, & omnē examussim dierum naturam ex ipsa doctrina opere possunt cōsequi. At quum in totum ab eorum loquacitate tā uulgata abstinere, impossibile sit, nos quoq; in priore sermone uel inuiti ipsam attigimus. Puta itaq; illa uice procemij alicuius propter speculationis celebritatē mihi esse prælibata.

V Vtilitatem autem ipsam & præstantiam ad artis opera nunc deinceps dicere uniuersam tempus postulat. quòd quidem utilitas sit etiam sine appellatione ostenditur. quòd autem ueritas, non statim apparet, sed ex ipsis rebus iudicationem expectat. Quare lectores hoc adhortari opportunū est, ut postquàm, quemadmodum & nos omnia hic scripta multo tempore iudicauimus, ipsi quoque in ægris eadem explorauerint, tum audeāt de dictorū ueritate sententiā proferre, prius autem non. Rursus igitur initium faciamus ab ijs quæ à principio libri incepimus: dicamusq; quæcunq; quidem prius dicta sunt per capita resumentes, ut solum memoria teneantur: quæcunq; uero nondum

dum diximus, enarratiõe fusa interpretemur. hęc autem dicta sunt: Morborum solutiones, quæ aceruatim fiũt, excretionem quandam uel abscessum euidẽtem requirere. Dierum uero in quibus eueniunt, naturas esse differentes. Etenim septimum & frequenter soluere, & perfectè, & cum fide, & salubriter, & sine periculo, & clarè, & notabiliter. Sextum frequenter quidem & ipsum, sed non septimo similiter. Nam & pauciores ipsum iudicare, & solutionis modo plurimum differre. Neq; enim bonas salubresq; ipsas esse, uerum malitiosas plurimas: neq; si bonas solutiones, omnino & perfectas. Immo neque si perfectas, statim etiam cum fide: quia nõnunquam morbus reuertitur, exactè licet solutus esse uideatur. Quinetiam cum periculo & obscurè sextum diem iudicare, idq; ei maximè proprium est, hoc quoque diximus. Attamen sine signis iudicium non ita sexti proprium est, sed quartus ipsius, ut etiam septimi index est. Hæc igitur præfati sumus: quæ restant, nunc adijciamus. Septimi naturam decimusquartus maximè imitatur. Proximi his sunt nonus, undecimus, & uigesimus. Prope hos uero tertiusdecimus, & quintus, post hos quartus, hunc sequuntur tertius, & decimusoctauus. At sexti naturam nullus exactè aliorum dierũ imitatur. Si aliquando autem in octauum diem uel decimum subita morbi solutio incidat, similis ferè ei est quę in sexta accidat: uerum raro in his soluitur, nec cũ fide, nec bene, nec perfectè, insuper ad hæc obscurè simul & citra notas: unde alterius esse naturæ ipsi cum supradictis ostenduntur. Quẽadmodum autẽ in his morbus subito non soluit, ita nec ijs quos statim recẽsebimus duodecimo, sextodecimo, & nonodecimo. Medius inter hos ordines dierũ subito non soluentiũ, octaui dico, decimi, duodecimi, decimisexti, deciminoni: quos iam retulimus: & tertij, quarti, quinti, sexti, septimi, noni, undecimi, decimiseptimi, decimioctaui, uigesimi, decimustertius maximè uidetur mihi esse positus. Nec scilicet ita reijciẽdus sicut hi qui secundæ sunt notę, nec ita soluere morbos natus, sicut ij qui primę sunt notæ. Huiusmodi quędã dictorum dierũ ad uigesimum usq; differẽtia est. Reliquas ordine deinceps dicturus sum, hoc primũ in memoriam reuocato, quod ante paulum promisi. nã quantum ad artis opera attinet, longo ad inuẽtionẽ tempore opus est, breuissimo autẽ ad disciplinam. Quicquid est aliud reliquũ, uel sophistarum nugæ, uel aduersus hos controuersia est, etsi hæc quoq; delitamẽtum sit. Præstaret enim ipsos despicere: propter iuuenes tamẽ qui aliquando cauillationibus circumuenti, à naturali ratiocinatione recedunt, necessario locum habet. Igitur quid proposuerimus, manifestè iam liquet. Nam sine nominibus etiã his, iudicaturi, iudicatũ esse, iudiciũ, & decretorium, differẽtias dierum interpretatus sum: nõ à ratione quadam, uel dogmate abdito eas introducens, uerum ex solo diuturno usu speculationem constituens. Porrò quicunq; hoc omisso, uel quomodo iudicationẽ diffinire cõueniat, uel quę

A ratio sit, cuius occasiõe nõ æquè in uniuersis prædictis diebus iudicia fiunt, disquirit, sophistis controuersiæ ansam præbebit, qui huiusmodi sermonibus contradicẽtes, rem ipsam se subuertere putant: ueluti si quis uidendi causis quas philosophi dicunt, reclamans, se uisum sustulisse credat: uel si quis de motu quid dicat non habeat, uel de loco, tẽpore, generatione, & corruptione, cũ sermonibus res quoq; sustulisse arbitretur. Talis est enim de iudicio & decretorijs diebus sophistarũ dicẽdi facultas: qui euidens ipsum sanè amouere non possunt, significata transponũt, & adfinitiones quasdam reclamant: postremo de natura numerorum placita proscindunt. Quanq; à nobis nuper scri-

B pta præceptio ac disciplina nihil horũ attigit. atq; huius rei gratia sophistarũ os obturat, utilitatem usumq; breuiter edocet.

VI Pari modo dierum post uigesimum differentias cõpendiose tractassem, nisi ratio quædam necessaria obstitisset: quam & ipsam empirici, & qui nihil euidenter apparentibus attribuunt, accuratè nouerunt: non tamen qui primum artẽ recipiunt. Cæterum est aliquis hic, qui roget, quod tandẽ morborum principiũ? Etenim uigilant, cibos fastidiunt, capite grauantur, segnes, & ad motum pigri fiunt, toto corpore lassitudinem sentiunt: aliaq; id genus infinita patiuntur plurimi ęgrotaturi. Atque hæc primo adueniunt modicè, uerum semper magis augescunt, paulatim obambulantibus iam, & consueta facientibus. Posteaquam uero nimis quam displicere sibi cœperint,

C ac ab affectu uicti primum fuerint, tunc decumbunt. Vnde perspicuũ euadit, morbi principium statuere cõueniẽs, nõ leuioris esse negotij. Quippe adamussim primũ, insensibile esse: ubi iam decubuerit, nõ morbi, sed decubitus esse principiũ. Quinetiã quòd fortiores quidam sunt, maliq; patientes: item quòd detinentur à quodam in ciuili actione, longiusq; eunt, & procul à domo deducuntur, atq; ob alias huiusmodi causas possit quis nõdum decumbere, sed malè affectus quidẽ esse: si sanè mollis quispiã animo, imbecillis, timidus, & de quamlibet leui causa suspitiosus, statim decumbit. Cuius igitur decubitus morbi initium putandus, nemo facile inuenerit. Atqui si neq; pri-

D mum exactè principium capere licet, neque decubitum morbi initiũ consistere ratio est, constat neq; aliud tempus aliquod, uel ante decubitum, uel post eum. Siquidem priora omnia iniquè capiẽtur primo principio neglecto. Quæ post decubitum sunt, multo iniquius, si neq; huius tempus morbi exordium est. Huiusmodi quidẽ sunt adubitationes. Porrò ipsorum solutiones diuersæ sunt: prima & maxima est, multos repẽte morbos irruere, uel simul cum rigore, uel dolore uehemẽti, nullo planè sensibili symptomate eũ pręgresso. Morbis itaque alijs, in quibus obscura principia sunt, omissis, decretorios dies in manifestissimis experiamur. Quin & cœnatis facillimè plerisque & exercitatis, lotisq; subito morbus aduenit: quẽadmodum Hippocrates quoque de multis ægris

ſcriptum reliquit:uelut idem author de alijs ægrotis ſcribere conſueuit: quòd prius quàm ægrotare inciperet,ſtando in erectum diuexabant. Et quidem hoc ipſum dicentes,antequam morbus incepiſſet,inſcij ac imprudentes ueritatẽ confitemur. Nam morbi initium tẽpus illud ipſis putandum eſt,cũ manifeſto febricitare incipiẽtes decubuerint. Non enim idem ſunt capitis dolor,& febris: ſicut nec uigilia,& cibi faſtidium: & totius corporis grauitas,uel laſſitudinis ſenſus.uerum ſingula hæc diuerſa quædam à febre exiſtentia,febrẽ denunciant. Tu igitur ô ſophiſta mentem his aduerte. Febris inuadens, maximeq́ acuta,neque nos, neque idiotam quemlibet latere poteſt.Finge autem,ſi uoles,latere nos quoque,ſed mirarer,ſi diutius hora ægrotãtem, licet omnino ſenſus expers ſit, latuerit. Putemus itaque inuaſiſſe hora decima, ſit autem uerum initium, quod non decima, ſed hora nona contigerit.Quid hoc ad dies decretorios? In hoc artis medicæ opera nimis,ut uides, pereunt,quòd ægrotantium nonnullos hora una latuit. Hippocrates ſanè medicorum omnium diligentiſſimus,uniuerſa hæc cũ obſeruaſſet, quemadmodum,quòd complures repente nullo prius oborto ſymptomate,quidam ſtãdo in rectum diuexati,febricitare inceperũt, memoriæ prodidit: ita iudicationes euenientes à primo die quo febricitauit homo,nõ ab illo quo capite doluit, uel huiuſmodi aliud quippiã paſſus eſt, accurate inſpexit: quoniam in huiuſmodi principijs decretoriorum dierũ experiẽtia medicis eſt. Porrò tu ſi principia ratione contemplabilia uis inſpicere,forſan ἀειπαθείας, id eſt perpetuæ inualetudinis placitũ attinges.At non Aſclepiadarũ medicina talis eſt. Ratione ſiquidem cõtemplabiles illi febres neq́ dignoſcere,neq́ curare dignati ſunt. Senſiles autem & claræ,& potiſſimũ cum acutæ ſint, in quibus & decretoriorum dierum contemplationem requirimus, neq́ idiotam quemlibet, neq́ medicum latere poſſunt. Quid iã tibi uis? An in ijs qui derepente decubuerunt,obſeruationẽ facere,uel qui ſtando in erectum diuexati ſunt? Hippocrates etenim in utriſq́ faciens,eoſdem de ambobus decretorios pronunciauit,non ubi primum capite doluit,ſed cum primum febricitauit, morbi initium conſtituens. Ita ſinguli alij, quibus ars curæ eſt,non ſermones falſi probabiliter contexti.Iam quidem morbi principium medicis facillime cognoſcit. Porrò ſi quis ſeipſum ab hac appellatiõe eximit, nondumq́ perſuaſum habet: tum nugari nõ ſolum nos,ſed etiam Hippocratẽ, Dioclẽ,reliquosq́ alios, quorum prius mentionem fecimus exiſtimat,is Cadmæam uictoriam celebret.

VII Nos enim ſophiſtas reprehendere nunc non inſtituimus, quoniam ſuperuacuum,uerum ijs qui ueritatem ſectantur,ſpeculationẽ noſtram impertimus. Ponamus iam huiuſmodi quendam ægrum clarioris doctrinæ gratia,qui decima diei hora acuta febre conflictari incipiat,unde ſophiſtis quærere permittentes principiũ ratione contemplabile,ipſi ſecundum diem,ſi quod aliud initium accesſio altera in ipſo faciat ſenſibile, & clarum obſeruabimus. Dein eodem modo tertium: ut ſiue per triduum, ſiue quotidie fiant acceſſiones,cognoſcamus.Hoc autem magis ſiue in paribus,ſiue imparibus diebus uehementius intendatur.Eſto febris continua:per triduũ autẽ acceſſiones.Tertio quidem die, hora undecima: quinto, noctis hora prima acceſſionem habeat: ſeptimo noctis hora tertia.ſemper enim acceſſionem duabus horis ſerius uenire ſtatuamus.Quapropter etiam noni diei noctis hora quinta,undecimi ſeptima fiet acceſſio. Sunto iã huic alia ſimilia per uniuerſum morbi decurſum à principio ad uſq́ noctem undecimam. Vndecimo uerò die coloratiores ſimul urinæ reddantur,& quaſi albæ nubeculæ in ijs innatẽt,prius nõ uiſæ.Hic non mediocris ſpes eſt uerè medicis, morbum in decimoquarto die diſcuſſum iri. Euenit tamẽ ſubinde ſolutionẽ in dierum quendam ſequentium incidere. at hoc quo pacto fiat, ſermonis de iudicijs propriũ exiſtit: eaq́ de cauſa in illo dicemus. Nunc autem de decretorijs diebus diſſerere propoſuimus. Cuius autem gratia exemplum requirebam,propius uenire apparet.Inuadat enim quotacunq́ hora decimætertiæ noctis acceſsio cũ totius corporis concuſsione, quam Græci ῥῖγος nominant. Fieri ſiquidem poteſt ut horã conſuetã præoccupet, aut non præoccupet.ambo enim eueniunt. Magis tamen alterum,ut præoccupet,cum criſis futura ſit. Sit iam quoq́ moleſta grauiſq́,ſi placet,tota nox decimatertia facta, quò certius firmiuſq́ iudiciũ fore ſperemus:quoniam impoſsibile eſt eum qui tam grauiter laborarit, in acceſsione decimatertia nocte incipiente nõ iudicari.Iam uero ut nihil indefinitum ſit, fingamus noctem grauem.inuadat acceſsio hora octaua cum uehementi rigore: nullumq́ aliud ex ijs quæ in criſib.ſuperueniunt, ſymptoma adſit.Pulſus fiat inordinatus, inæqualis:ſed motus crebriores, alti, & magni appareãt. Huiuſmodi æger, ubi acceſsio cum rigore inuadens uigorem ſuum receperit, ſudare ſtatim decretorio modo in decimoquarto uidelicet die incipit. Sic enim euenit decimatertia nocte hora octaua, ſi acceſsio inuadat. Itaque iam facilius pro euacuationis ratione ſpiret, moueatq́ ſeſe,& pulſus edat meliores:tum facilis toleratio iſta comitetur: & toto die uniuerſum corpus multo ſudore æqualiter inſudet. dein ad ueſperam in totum febri leuetur. talis æger tutò iudicatus eſt,& procedente tẽpore paulatim ipſum recreare cibis,& reficere cõuenit:nihil etiam timere.Dies enim cum fide omnes decretorias notas habuit. Nempe ꝗ undecimo die in urinis decretoriũ ſignum apparuit iudicij,quod notis præditum meritò nuncupat. Item ꝗ nox grauis,quæ acceſsionẽ præceſsit & inſultus cum rigore,pulſuum commotio decretoria,ſudores boni. Atq́ ob hoc clarum iudicium meritò nominat. Quòd uerò ſine periculoſis ſymptomatis euenerit,tutum.Quinetiam perfectum quod febrẽ perfectè diſcuſsit. Bonum ob hoc ipſum, & quòd ſine periculo. Quod igitur iudicio teſtimo-

testimonium afferendum relinquitur? Huic mihi animum adhibeas, quòd fidele iudicium est, securum, & à metu de morbi recidiua remotum. Vnde hoc accepimus? Nempe quòd alia singula ex uno quopiam, uel etiã duobus, uel pluribus quidem, sed non ex uniuersis factis oriuntur: uerum quod cum fide, omnibus quę cõmemorantur, indiget: in quibus diei quoque natura est. Nam si alijs omnibus quæ retuli, euenientibus, crisis in decimumquintum incidisset, nõ perinde secura fuisset. Fides igitur in iudicio, à die spectat. Atq; hic decretoriorum dierum usus. At si quis solos ipsos omne posse existimet, is non solum plus ignorat, quàm cognoscit, immo sophistis etiam contradicendi occasionem exhibet. Dicũt igitur statim, si fidem in morborũ solutionib. decimiquarti diei natura præberet, fidum ipsum esse, uel sine multis sudoribus & salubribus oporteret: quomodo autem sermo nugax sit, ego ne uel ostendere prorsus uolui, sed singulos medicorum scholam frequentantes tantum prius eruditos esse quàm frequentarent, ut cauillos ac captiones saltē manifestas adeò possint cognoscere. Huiusmodi siquidē nugacitas omne peruertit auxilium, neq; uenę incisionem unquam auxiliari dicens. Si namque auxiliaretur, cur tandem non statim eos quibus uena incisa est, in balneum dimittimus, audacterq; nutrimus, uerum in lecto continemus, & tenui uictus ratione fouemus? Imo neq; cataplasma: Etenim hoc repletos, lotos, & ebrios iuuaret. Quin nec clysterem, neque ex omnibus aliud quodlibet. similis namque loquacitas est. Sed quoniam artem tam mirabilem ac magnam pro Asclepiadis ueteribus Lanifices & Telonæ tractant, oportet uidelicet nos quoque eam oppugnatam uindicare, dicereq;, quòd si seu causa, seu signũ quodlibet, unum unius uel efficiens, uel index esse dicatur, indicare quis nequiēs ipsum circa promissionem, ut quod alterius præsentiam semper requirat, pulchre opinionem reprehendit. Si uerò aut facere, aut indicare simul plura coeuntia aliquid dicant, nugax est qui seorsum ipsorũ unumquodq; aggreditur. Non enim unumquodq; ipsorum priuatim tanquam non sufficiens, sed uniuersa simul subuertere conuenit. Dixeris quidem sic puto, & si decem aliqui pondus quodlibet attollere possint, singuli uerò priuatim nullum possint, ad operis totius absolutionem unum inferri. Quid iam uis? utrum decretorios dies fidę morborum solutionis esse causas, an signa? In utrisq; siquidem sophisma prompte deprehenditur. Vis prius causas statuamus, quemadmodum & uenæ sectionem, & clysterem, & cataplasma, aliaq; singula præsidia causas sanitatis esse dicimus, uerum ut illorum nullum adeò ualidum erat, ut sine alijs restitueret sanitatem: ita nec decretorius dies. Rursus igitur, si tibi uidetur, non causas, sed signa dicamus, qualia in urinis, alui recrementis, sputo, atque huiusmodi alijs uniuersis cernuntur: sed nec illorum ullum solum poterat uel salutem, uel mortem indicare. Atqui, si neq; ut causas, neque

A ut signa decretorios dies censeam semper solos aut facere, aut indicare idē, uerum cum plurium congressu, nullam adhuc rationem sophisma ipsorum habebit. Non enim hæc decretoriorum dierum recta exploratio, quòd etiam sine alijs signis decretorijs fidi sint, uerũ alia quædam reuera est. Nam si alijs uniuersis indicijs eodē modo habentibus, decretorius dies solum destituat, multum à iudicij fide tolletur. Quòd si uero alijs decernendi signis non admodum completis, decretoriũ ipsis diem apposueris, solutionis securæ spes quædam affulget. Iam uerò si hoc solũ decretorijs diebus adsit, nēpe cum ipsis frequēter uel plurima & maxima decretoria signa, uel etiã uniuersa cõcurrere, ęquũ uidelicet esset huius tantum occasione B propriam decernendi dierũ naturam esse putare. Cum igitur ad hoc à seipsis quoq; aliquid adferũt in medium, multo scilicet magis ipsos, his qui nihil inferunt, neq; multis iudicandi signis concurrunt, separabimus ceu propriã illis, his uero propriam naturam habentibus. Mihi quidem etiam admodum uidetur. Itaq; rursus à sophistis, qui artis optima conspurcant, recedētes, memores præscriptæ paulo ante hypothesis, claritatis disciplinæ gratia, ægrum illum, quem cõtinue febricitantem, per triduum accessionem experiri, ad diem undecimum deducentes sermone, decretorium in urinis posuimus signum habuisse, deinde quartodecimo iudicatum esse: nunc haud sic, sed iniudicatum adhuc, in decimamquintam noctē ac- C cessionem quę in ea accidit, deducentes, similiter cum rigore inuadentem, pari modo sudore iudicari fingamus in die sextodecimo, ut euidēter cognoscamus quantam uirtutem dies decretorius obtineat. Primũ etenim neq; probe sudauerit huiusmodi, neq; perfecte in illo die febris eum dimiserit. Quòd si aliquid utiq; præter opinionem euenerit, sine fide omnino crisis est. item si æger quid peccet, morbi recidiua timenda est.

VIII Iterum ergo protrahētes eundem ægrotum, quarto die signũ decretoriũ habuisse ponamus, quemadmodum paulo suprà undecimo statuimus, huic in septimo expectanda est iudicatio. Contēplabilis enim in secũda septimana undecimus, in prima quartus. & indicare natus est, sicut D undecimus quartũdecimũ, ita quartus septimũ, qualis nã erit. Fiat aũt in septima nocte hora tertia, accessio, sicut prius statutũ est: itē rigor & pulsuũ mutationes eueniãt: nocte iam finiēte sudare incipiat: postea toto deinceps die octauo pulchre sudet: postremo febri leuet ad uesperã. Hic rursus animũ mihi aduertas. Cuius enim gratia ægrum produxerim, non paruũ est. Siquidē in prima hypothesi decimatertia nocte accessionē expertus more decretorio, deinde quartodecimo febri liberatus, nõ decimotertio, sed decimoquarto iudicatus esse dicebat. Nunc autem sudores licet ex morbi solutione in octauum diem totum exciderint, tamen septimo die hic iudicatus dici queat. Adhibendus enim animus est, neq; simpliciter accessionum principijs, etiam si cum decretorijs no

tis

tis inuadant: neq; cum primũ ſudare, uel alio quo uis pacto inceperint iudicari. Etenim hoc ſolum fidem non habet, imò nec cum primum febris de ceſſit. Quanq; nec duo coeũtia reliquo maiorem potentiã neceſſario habẽt. Etenim tria cõuenientia omnẽ queſtionem tollere conſpicuũ eſt. Dico aũt ſi in uno aliquo die acceſſio cum ſignis decre torijs inuadat, & iudiciũ incipiat, & perfecta ſolu tio ſequatur. Si tamen partitionem fecerimus, diſtinguetur primũ & maxime, dieb. quos iudices & contemplabiles appellant. Si nanq; uel quarto uel undecimo indice facto criſis quolibet modo attigerit uel ſeptimũ uel decimũquartũ, illorũ ipſam criſim eſſe arbitrari oportet. Porrò ſi perfecte iudicium extra illos dies cadat, ut neq; in illis inci piat, neq; compleatur, conſtat non adhuc eſſe dicendum, morbum in ſeptimo aut decimoquarto iudicatum, uerum in alio quopiam die qui totam criſim in ſe comprehendat. Et ſi tamen nullo indi ce prius habito criſis ſubito contingat, duos attin gens dies, ad notas has reſpiciẽs, diſtingues, utriuſnam ſit: nempe ad acceſſionũ analogiã, ad dierum naturam, ad decernẽdi temporũ numerum, ad ipſum iudicij tempus. Ad acceſſionum analogiam ſic. Imparibus dieb. ſi æger magis laborarit, proprium magis diei imparis iudicium: quemadmodum ſi paribus, illius propriũ. nam in acceſſio nibus omnino iudicia contingunt. Cæterum ad dierum naturã hoc pacto. Si ambigas, utrum noni diei, uel decimi ſit iudicium. Si enim ſalubre ac bonum, perfectum, ſine periculo, noni magis eſt. Si imperfectum, malum, & periculoſum, decimi. Ad numerum decernendi temporum: quoniam hæc tria erant, decretoriæ acceſſionis initium, de cretoriæ motionis principium, finis ipſe iudicij, qui dies tempora duo accipit in ſeſe, magis iudiciũ ſibi uendicat. Sic & ipſum tempus iudicij utra die fuerit lõgius, illi magis iudiciũ attribuendum eſt. Si igitur quatuor quidem hæ notę uno die introducantur, huic tu quoq; iudicium attribues. & ſi una ex his relinquatᷓ, ſic quoq; adhuc aſſcribes: ſed iam & alterũ ipſius criſis participem fieri putabis. Si uero æquales notę fuerint, iudiciũ quoq; utriuſq; diei commune eſſe cẽſebis. Interim uero nõ duos modo, ſed tres etiam dies iudicium attin git. Iterum igitur hic mediam, quantũ ad temporis longitudinem attinet, præpones. Non tamen uniuerſum ei concedes, ſed primũ quidẽ, an abſq; indice & contẽplabili die criſis facta fuit, conſide randũ eſt: quoniam diximus maximã hoc potentiam habere. Secũdo regulis quoq; alijs, quas mo do enarrare deſii, utendum eſt, nempe acceſſionum proportione, dierũ natura, decernendi temporum numero, & ipſo iudicij tempore.

IX Quoniã uerò de his abũde ſatis definitum eſt, reuerſi denuo, uti prius uſq; ad diẽ uigeſimũ, ita iam poſt illũ decretorios enumerabimus: tantummodo prius relatis iam adijcientes, quantum ad præſentem diſputationem cõducit: item ne ulla iam commemoratis quæſtio deſit. Quid autem hoc eſt? De primo die in morbis, & ſecundo, non

A diximus in ſuperiore ſermõe, etſi Diocli hi quoq; decernere de morbis uiſi ſunt. Quomodo igitur de hoc intelligẽdum ſit, diſtinctione docebimus. Nam ſi præceps ac ſubita in ægrotantis corpore perturbatio, morbi ſolutionem præcedens, criſis, ſiue iudicium nominatur, neque primum diem, neque ſecundum, decretorios eſſe cenſebimus: quia uelut fluctuatio ſolutionem præcedens, nequaquam in his eſt conſpicua. Si uero ſolutionẽ ſimpliciter, iudicium uoces, hi quoq; erũt decretorij. Quare omnes febres diariæ ſolutionẽ partim in primo ſtatim die, partim in ſecũdo nanciſcuntur. De ſignificatu igitur quæſtio hic magis eſt, quàm de re ipſa. Ipſam enim rem, liberari uidelicet pleroſq; febrib. in primis ſtatim diebus
B nemo ignorat. Ad hoc genus queſtionis pertinet illud quoq;, an cũ perturbatio facta in morbi ſolu tionẽ finierit, criſim eſſe factã dicendũ, an cũ inſignis quępiã mutatio acciderit. Quinetiã ipſum ſo lutionis nomẽ, utrũ cũ ad ſanitatẽ æger reciderit, duntaxat inferendũ ſit, an etiã ubi mors ſecuta, ad huc morbus ſic quoq; ſolutus eſſe dicendus, magnã inquiſitionẽ obtinet. Cũ uero huiuſmodi diſquirẽdi otiũ ſuppetet, rurſus exponemus. Nunc aũt in hoc priore cõmentario ſolã ipſam utilitatẽ cõmonſtrare propoſuimus: quã & ſine demõſtra tionib. logicis ex hypotheſi colligere poſſum. Fingamus eñ perturbationẽ ante exactã ſolutionẽ, criſim ſimpliciter appellari. Aliarũ nulla criſis abſolute, uerũ quæ ad perniciẽ tendit, mala criſis to
C tum hoc nomineᷓ. Quæ inſigne quidem momentum attulit, morbum uerò nõ ſoluit perfecte, deficiens appelleᷓ. Alia quæ inſigniter ad peiora de clinat, imperfecta, ſimul & mala. Sic quidem cum ſingulas res priuatim abſolute clareq; indicare uo luerimus. Interdum uero interpretationibus defe ctiuis appellatis utentes, iudicia nominamus uni uerſas quatuor differentias, citra appoſitionẽ mali, uel imperfecti. Atq; hanc deficiẽtem interpretationem apud omnes homines ſatis in uſu eſſe, alibi declaratũ eſt copioſius. Sed nũc quoq; dicemus, quantum ad præſens inſtitutũ ſatis eſt. Chœnicem ſanè, & cubitũ, & pedem, aut aliam quandam menſurã, neq; cum maior quàm par ſit, exiſtat: neq; cum minor iuſto, eodem appellaſſe uo-
D cabulo conuenit: quoniam quantitatem aliquam certam unumquodque tale nomen indicat. Attamen eſt cum chœnicem minorem, maioremq; ac conuenit, nuncupamus, ſimiliter cubitum, pedẽ, & alias quaſque menſuras. At cum exacte interpretamur, non cubitum ſimpliciter, ſed magnum cubitum aut paruum nominamus: abſolute uero ſolum iuſtum. Aliquando nonnulla ſecundum uehementem exceſſum generis totius appellationem ſortiuntur: quemadmodum etiam apud poetam ſcribi dicimus, alium præter Homerum neminem intelligentes, infiniti licet alij poetæ ſint. Huius farinæ eſt quod dicitur apud Comicũ. Et rarum eſt, ut qui homo, ſit homo. Nam agreſtem, beluinum, amentem, imperitum, non ſecun dum hominis naturã eſſe putantes, ad integros in

ea natura & consummatos nomen transferimus. Siue igitur sic per excessum quendam iudicij nomen dicimus, siue iuxta priorem rationem, alterius temporis est disputatio. Quod autẽ ad medicinæ opera momẽti aliquid afferat, iam colligere est ex præscriptorũ nominum hypothesi. Quod enim omnes iudiciorum notas habet, iudiciũ absoluto sermone uocatur. alia cum appositione nominis appellabuntur. Iam si non subitæ mutationis perturbationem, uerum solam ipsam mutationem uoluerit quispiam iudicationem nominare, bona quidem, simulq; perfecta solutio, simplici sermone crisis uocabitur: reliquæ cum appositione omnes.

X Proinde qui post uigesimum diem decretorij: hoc enim unà mihi propositum est percensere. Archigenes Diocles q; uigesimumprimum ante omnes potissimum primo loco dignantur. Etenim Archigenes ipsum uigesimo præponit. mihi tamen aliter uisum est, sicut & Hippocrati. Ostendemus id in sequentibus. Simili modo etiam de uigesimoseptimo habet. Siquidem ego hunc etiam uigesimooctauo antepono, illi postponũt. Habet autem & trigesimusquartus potentiã mentione dignam, atque hoc magis quadragesimus. His minus decernunt uigesimusquartus & uigesimusprimus: & multo his adhuc minus trigesimusseptimus: ita ut in dierum decernentium, & eorum qui non decernunt, medio collocatus esse uideatur, & magis ex non decernẽtibus esse. Porrò alia tota dierum multitudo inter uigesimum & quadragesimum, decernendi omnino expers est. Audi ipsos: iam tibi referuntur. Vigesimussecundus, uigesimustertius, uigesimusquintus, uigesimussextus, uigesimusnonus, trigesimus, trigesimussecundus, trigesimustertius, trigesimusquintus, trigesimussextus, trigesimusoctauus, trigesimusnonus. Vniuersi duodecim sunt. Et usque ad quartumdecimum quidem magnę sunt perturbationes in morbis. Proximo loco succedunt quæ usq; ad uigesimum habentur. Quæ post hunc ad quadragesimum succedunt, paulatim uehementiam efficaciamq; remittũt: adeo ut qui post quadragesimum sunt omnes, prorsus langueãt, cõcoctione potius & abscessibus, quàm crisibus morbos finientes. Accidũt in his quoq; per excretiones interdum iudicia, sed raro, nec magnã habent uehementiam: & frequenter pluribus diebus iudicia complenť, maxime cum in abscessum finiũt. Atq; alios quidem qui post quadragesimum habentur, Hippocrates planè contemnere uidetur, sexagesimi tamen, & octogesimi, & centesimiuigesimi rationẽ habet. Ab ijs alios quidem septem mensibus, alios septem annis finiri ait: alios uero, ut uerisimile est, in binis annorum hebdomadis & ternis. Non desunt qui etiam quadragesimisecundi & quadragesimiquinti, insuper quadragesimioctaui & quorundã aliorũ dierũ meminerũt, de quibus uniuersis sermo nobis futurus est.

XI Itaq; plurimis medicis impossibile uidetur præsagiri diem quo de morbo decerneť. Reuera tamẽ impossibile non est, si quis accurate Hippocratis speculatione lecta, artem tractare studeat. At si uel priusquam edidicerit, apud ægrotos uersetur, nihil amplius aget, quàm operam frustra ludet: uel si ipsam diligenter didicerit, operari uero neglexerit: longe quidem altero, qui nõ antea didicit, melior: abest tamen permultum is quoq; à perfectione. Quapropter qui præscius esse cogitat diei de morbo iudicaturi, huic in primis examussim cognoscenda sunt quæ Hippocrates in opere Prognostico tradidit. Deinde quæ de constitutionibus in alijs libris memoriæ prodidit. postea de ætatibus, naturis, anni temporibus, & locis: quorum nonnulla etiam in Prognostico perdocuit. Vbi iam hæc edidicerit, pulsuum cognitionem adiungens, facili negocio iudicij diem præ noscet. Vbi siquidem morbus acutus nullum periculosum signum referat, & quarto die euidens quædam concoctionis nota comparuerit, septimo crisis futura est. Atque hæc breuibus ita explicata sunt, longè uerissima. Porrò si quis letalia signa, periculosa & salutaria ignoret, nihil ex hoc sermone promouebit: quanquam si hæc quoque cognoscat, coctionis autem notas ignoret, etiam nihil hinc frugis relaturus est. Huius rei gratia, Hippocratis Præsagiorũ opus relegendum præcepi. Nam periculosis symptomatis præsentibus unà cum concoctionis nota quarto die apparẽte, iudicium, si paribus diebus accessio fiat, sexto expectandum est. q; si hunc excesserit, octauo. si in imparibus, septimo. Bonis autẽ signis apparentibus, septimo die morbus discutieť. Etenim letalia signa cum notis concoctionis nunq; euenerint. Hæc autem non minus quàm periculosa & salutaria inspiciẽda sunt: quia si quarto apparuerint, septimo aderit mors. Dictum autem est hoc nominari crisim malam. Animũ hic aduertas necesse est letalium signorum tum magnitudini, tum copiæ. Si nanq; multa magnaq; die quarto euenerint, accessionibus distinguendum erit de morte futura: & quidem cognoscendum hominẽ sexto die moriturum esse, si accessio diebus paribus facta sit. si imparibus, septimo. Interdum sextus hominem iugulat, etiam si accessio contigerit in imparibus, propter morbi celeritatẽ, magnitudinem, & symptomatum in quarto die euenientium copiam. Quamobrem accidentiũ magnitudo, quæ ex potentia sumiť, exacte dignoscẽda est. Verum quomodo hæc ab illa quæ ab imaginatione æstimať, distinguẽda ueniat, in libris de Crisi narrať. Omnia in omnibus confundere & conturbare non oportet, sed quãtum ad dies tantum decretorios proprie pertinet, huc transferẽdũ est. Cum enim accurate admodum acutos morbos obseruauerimus, quartũ diem septimi esse indicem ex sua natura deprehendimus. Ex sua natura, inquam, hoc est, si nullum rarum & magnũ incidat uel extrinsecus, uel ex ipsa morbi natura, uel etiam ægrotantis habitu, quartus omnino septimum indicat. Cæterũ si quid extrinsecus præter opinionem accidat, quo de postea mẽtionem facturi sumus: uel

morbus uehemẽter, uel obscure ad iudicium pro pellatur, & ægrotantis uires aut ualidæ, aut imbecilles extiterint, attendendũ est, distinguẽdumq́ꝫ, æger periturúsne sit ante diem septimum, an post hunc de ipso decernetur. Siquidem ubi malum aliquod extrinsecus præter spẽ euenerit, & morbus non simpliciter acutus, uerum peracutus sit, ad hæc uires ægri imbecillæ: signũ malum, quod in quarto die apparuit, septimum diem non expectat, uerum sexto æger huiusmodi morietur: præsertim si parib. dieb. accessiones acceperit. Quòd si nihil extrinsecus erratum sit, & morbi motus haud ita præceps ac uelox, & æger ualidus, siquidem manifestum in quarto die malum indicium fuit, septimo interitus comitabitur. Si uero obscurum, excedet hunc quoqꝫ. Iam uero si accessiones B paribus diebus contigerint, octauo: si imparibus, nono æger decedet. Quæ porrò manifesta, quæ obscura indicia uocitẽ, in libris De crisi monstratum est. Quinetiã in hoc sermone procedente indicaturi sumus. Prius autẽ ad reliquas distinctiones reuertor. Appareat enim euidẽter bonum in quarto die signũ: nullius periculi circa ægrotũ sit suspicio: fieri non potest q̃ minus septimo die fiat iudicium, si nihil extrinsecus peccatũ fuerit. Committũtur autem quædam peccata ab ipso ægroto uidelicet, quædã à medicis his admirandis, putantibus, nisi quis introgressus ad ægrum, deinde succingens se, uel cataplasma imposuerit, uel perfuderit, uel clysteriõ indiderit, uel uenam inciderit, uel cucurbitulas adiunxerit, uel confricuerit, uel C nutriuerit, aut huiusmodi aliud factitauerit, nihil ab ipso gestum esse artificiosum. hi enim quoties ægrum accedunt, toties peccant. Non igit̃ iudicium in septimo die ad quem paratũ erat, fieri potest, tot interea errorib. admissis. Quãdoquidem naturæ motus statutis periodis pro sui ratiõe contingit, interim tamẽ ab exteriorib. peccatis circuitus seruare prohibet̃. Sic itaqꝫ Hippocrates undequaque admirabilis inquit. Natura omnino sufficit. Prohibet aũt hanc extrinsecus cataplasma, inunctio, & totius & partis irrigatio. Sic etiam medicum naturæ ministrũ appellat, reuera medicũ, non pharmacopolam quẽdam ex triuio. tantum ẽm hic à iusta naturę ministri appellatione abest, ut etiã maxime contrarium nomẽ ipsi magis con D ueniat: inimico uidelicet & naturę ipsius, & ęgrotantiũ hosti iure appellato. Quapropter nos merito cum quispiam de ægro aliquo euẽtum iubet prędicere, cum distinctione id facimus: dicentes, huic morbus soluet̃ isto die, primum si uictus ratione à nobis, nõ alio quodam medico regat̃: deinde si nihil ipse peccet, & faciat quæ iniungũtur omnia: postremo si nullus magnus extrinsecus error admissus fuerit. Quę iã exteriora peccata sint: quoniã hoc quoqꝫ definire pollicitus sum, opportunum erit dicere: Vt si æger incendio domus accidente, aut latronibus inuadẽtibus, aut fluuio inundante, subito cogat̃ fugere, quanta ei noxa aduenerit, quorsum attinet referre? Simili modo si tegmẽ aliquod delapsum uel parietẽ sentiens ex- A timescat simul & fugam repente moliatur: item si per tegulã quippiã defluat, uel pluuia copiosior oborta capiti ægrotantis incidat, uel alius etiam quomodocunqꝫ ipsum irrigauerit, ut locũ mutare, uigil esse, & timere cogatur, & hoc nõ mediocrem ipsi offensam inducit. Eodem pacto uicinorum tumultus, uel alia quędam talis uigiliæ causa eueniens, aut nũcium aliquod triste pro noxæ ipsius magnitudine, etiam prædictionis perfectionem corrumpit. Vigiliæ siquidem propter ipsum morbum intra prædictionẽ & crisim ægris aduenientes, nihil præsagia offendunt. Quæ uero extrinsecus inopinata ueniunt, horum nihil medicus prægnoscit: unde nec futuram inde offensam coniicere potest, nec prædictioni secundum morbi rationem factæ adiicere. Hæc itaqꝫ ipsa Hippocrates statim in Aphorismorum principio præcipit, inquiens. Oportet non solum ipsum, quæ res postulat facere, uerumetiam ægrum, assidẽtes, & exteriora. Si namque, ait, disquirere quippiam & indagare ex nostris cogitas, ipse primũ opportuna facito uniuersa. Deinde æger in omnibus præcipienti obtemperet, nihilq́ꝫ ex intẽperantia peccet. Postea ij qui adsunt ei, nihil erroris committant: ut uel iram ob delicta concitẽt: uel tristitiam ex intempestiuis nuncijs afferant: uel offensam, ꝙ imperfectius in re administranda se gerant: sed apparatus omnis ante iudicij tẽpus prompte statuatur: obsonia pulchre parentur: ministerium inculpate exhibeatur. Insuper quartũ genus eorum de quibus rationẽ habendam iussit, apposuit: nominat ipsum uno complexus nomine, exteriora: multiforme licet existat: ac hoc culpa uacet. Etenim pluuiæ, tonitru, fulgura, uicinorũ tumultus, canum latratus, insultus latronũ, domus ruina, defluẽs aqua, fluuius irruẽs, incẽdia, plagæ, atqꝫ eius generis uniuersa exteriorib. attribuunt̃. Hæc igit̃ quatuor genera, quorũ species multæ ac partes etiã sunt diuersæ, dũ naturæ motib. obstãt, subinde circuituum ordinẽ destruũt: alioqui ubi quartus dies euidẽs iudicij signũ attulerit, si neqꝫ medicus quid peccauerit, neqꝫ æger, neqꝫ ministrorũ quisquã, imò si neqꝫ extrinsecus error admissus sit, septimo die necessario crisis futura est. Ex quo innotescit non alium quendã esse qui exacte præsagibit, alium qui rectam uictus rationẽ instituet: sed in eundem utraqꝫ cõuenire necessarium: nisi alterum ab altero corrumpendum sit. Quod sanè peccatum in uictus modo quolibet (nunc aũt uictus modũ nomino uniuersam morbi curationẽ) iudiciũ impediat, abunde ostendimus. Quòd aũt nec uictus ratio proba sine status morbi & crisis præsagio institui possit, in medendi Methodo declaratũ est. Si igit̃ hæc mutua opera perpetuo indigẽt, nõ alius quispiã medicus recte curauerit, alius exacte præsagiet: uerũ quicũqꝫ optimus fuerit, is præsagiet unà & curabit. Sed de huiusmodi in alijs cõmentarijs plenius tractamus. Nunc, quod ab initio statueramus, ad id reuertemur. Quartus dies, cum clarũ aliquod indicium bonum afferat, septimo die iudiciũ fore innuit: nullo ex ijs quos retu-

retulimus, errore interea cõmisso. At si quis contingat, magnitudo eius inspicienda est. Si etenim exiguus extiterit, erit etiam sic iudicium septima die: uerum deficiet ipsi aliquid ex bonis iudicationis signis. Dictum est in prioribus, quòd perfecte, tutò, sine periculo, & similia, bonis adsunt iudicijs. Si maius sit erratũ, in septimo die crisim ne fieri quidem permiserit. Animus itaq; diligenter adhibendus est hic omnibus; & offensæ magnitudo signis colligenda. nam interpretari ipsam non solum difficile, sed prorsus etiam impossibile. Artificiosum uerò discipulum reddere, ut hęc quoq; examussim perdiscat, possibile. Sed huius temporis non est: magis ad speculationem de crisi pertinet. Quare rursus ad sermonis reliquũ redeamus, propositã hypothesim in memoriam reuocãtes. Quippe positum erat decernẽdi signum manifestum & ualidum in quarto die morbi acuti, & natura salubris euenisse: deinde nullo errore cõmisso bonam omnino crisim ad septimum diem futuram indicari. Si porrò leuis planè contigerit, ita quoque in septimo euenturam: non tamẽ exactè bonam. Si magnus, ut à septimo in sequentium aliquem recidat, attendẽdum esse noxæ magnitudini iubemus. Nam exacta huius regula deprehẽdet clarè, an in nonum diem, siue undecimum crisis delabetur. Itaq; morbi qui prorsus sine periculo sunt, ob delicta diuturni esse solent. Qui incolumitatem pollicentur, non tamen sine periculosis symptomatis, ob errata letales fiũt. Quinetiam illi qui omni periculo uacãt, multis magnisq; deinceps erroribus commissis in letalium naturam incidunt. Nec mirum esse puto. Cum enim in sanis delicta grandia morborũ letalium causæ fiũt, quid in ægrotis expectandũ est? Proinde iam clarum est, indicum & decretoriorum dierum rationem, quam Hippocrates nos docuit, non examinari ab alio quodam in apparentium consensu posse, quàm qui ex æquo par illi uictus instituẽdi artifex est. Hic enim solus errorum uim disquirit, pernoscitq;: tum solus offensæ magnitudinem, & diei iudicaturi delapsum intelligere potest. Quẽadmodum uero in morbis periculo uacãtibus iudicia tantum remorantur, quantã ex peccatis interim noxam ægri acceperint, ita in letalibus præueniunt. Si enim cum dies quartus in letali morbo signum letale indicarit, in septimum diem mala prædicetur crisis: peccatum uero non ita exiguũ interea temporis contigerit, septimum diem crisis non expectabit: sed interim morbus iudicio malo uidelicet finietur. Sed an quinto, uel sexto, tum ex ipsius morbi celeritate, tũ ex offensæ magnitudine, tum accessionũ figura definieť. Quippe quando in imparib. ipsæ fiunt, & morbus peracutus est, & peccata non admodum exigua in ipso quarto uidelicet, miraculum non est in quinto hominem interire. Quando in paribus accessiones eueniunt, nec morbus peracutus sit, nec erratorum magna offensa, sextũ expectat. Huiusmodi autem omnia, indicum & decretoriorum dierum speculationem confundunt: cum pauci medici rectè uictum præscribant: pauci ægri obtẽperẽt: pauci suũ ministerij munus legitimè obeũtes habeãt: pauciores adhuc, quibus nihil externi aduersatũ sit. Quapropter medicũ tum accuratè curandi, tum præsagiẽdi peritũ esse conuenit. Accuratè uero etiam lęsionis magnitudinẽ discernere, ut & si aliquando iudicij diẽ prædicat, sed interea temporis offendi ægrum contingat, mutare ipse prædictionem possit.

XII Hinc perspicuum euadit, quòd quicunque animo pusillus humilisq; fuerit, non solum non singula quæ recẽsuimus, in ægris cognoscere studet, sed ne speculationẽ quidem ipsam ediscere sustinet. At generosus aliquis, ueriq; amator, tum qui labores in optimis quibusque rebus non refugiat, neq; theorematum difficultatem, neq; temporis prolixitatem, neq; exercitij laborem ueritus, ad cõmemoratorum perfectionem ueniet: ut non solum diẽ firmiter aliquando possit dicere, sed etiam horam ipsam, in qua ægrum quempiam liberari, uel mori necessarium est. Posteaquam enim diem mortis aliquãdo, uerbi gratia, cognoueris, considerandum est inde, in quo potissimum accessionis tempore æger maximè grauetur. Si etenim statim inuadente ea perfrigeretur uehementius, ut uix ad calorem reduci possit: color diutissimè absit: pulsus exiguus, aut nullus, aut malus appareat: motus pigritia, uel etiam somnus ueternosus, aut aliud quippiam: hoc maximè tempus suspectum habendum est. Quòd si hoc quidem moderatum fuerit, in statu autẽ uel delirantem, uel in somnum delatum, aut anxiosum uideas, aut febris magnitudinẽ non tolerantem, sed uehementer inardescentem, uertigine laborantem, capite dolentem, stomacho laborantem, uel id genus alijs, hoc maximè tempus suspectum habere conuenit. Porrò si principio accessionis, uigoreq; mediocriter euenientibus, declinatio quædam, animi deliquia, sudores inæquales, frigidos, uel circa caput solum uel ceruicẽ, uel pectus inferat, pulsus obscuros, exiguosq; efficiat, & his similia: hoc non mediocriter tempus obseruandum est: sciendumq; manifesto in pessimo accessionis tempore hominẽ moriturum. Atqui si hoc diffinitum, cognitumq; apertè sit, nullum adhuc est negocium, mortis horam dicere: quippe cum secundus dies, exempli gratia, & quartus uehementiorẽ accessionẽ adferat, quàm primus, tertius, & quintus: ad sextum diem mors prædicetur. Si uero pars accessionis in ipsius insultu grauissima, eaq; sexta hora apparet, in hac moriturũ hominem non est operosum dicere. At hoc non dico, ut quis putet nunquam tali speculatione fretum falli posse: uerum maiore ex parte ueritatem assequi, non probabili sermone, sed re ipsa ostendimus. Illud autem noui certo quosdam qui optimis inuident, facere. Volunt enim futurum nos semper prædicere, licet nullum interim signum firmum habeamus: quanquam aruspicibus auguribusq; diuinare conijcereq; extis ac augurio repetitis concedant, cum obscura uaticinia fuerint.

Deinde simul quidem obstrepunt nobis, tāquam maiorem quàm hominibus conueniat speculationem appetētibus: simul uero in operib. tā acerbè prædictiones ut nulla uaticinia inquirunt. Atqui non illos respicere, sed ueritatem ipsam, & signorum facultates diligenti exercitio pernoscere oportet: & ubi securè distinctio fieri potest, tūc asseueranter prędicere: si autem quid obscurū fuerit, sequentē diem expectare. Porrò si nihil in ipso firmiter præsagire possimus, satius est tacere, ꝗ̄ temerè pronunciantem falli. Ego sanè ex tali securitate progressus, haud noui me in prędictiōe longo tempore errasse, etsi in primo statim febris initio subinde de tota ipsius natura pronūciauerim, uel tertianam esse hanc inuadentem febrem inquiens, uel quartanam, uel quotidianam, uel harum quidē nullam, continuam uero & acutam aliquam, quartum diem non excedentē: uerū in omni principio futurū cognoscere nō licet, nisi quis examussim morbi speciem perspectam referat. et hoc ad opus de crisi pertinet.

XIII Iterum igitur ad institutum reuersi, dicamus, si quis primo die acuta febre infestetur, nullum autem periculosum signum ipsi adfuerit, sed in urinis aliqua concoctionis nota inuenta fuerit, non extra quartum diem morbus soluetur. Quin etiā si omnia letalia primo die statim deprehēdantur, morietur planè non extra quartum diem. At si acute febricitet, nullum uero letale adsit, immo nec aliqua concoctionis nota, fieri non potest ut hic quarto die sedetur. Distinguēdum hic rursus est, utrum sicut nulla concoctionis nota adest ei, eodem modo neque temporis longi ulla: an præter quòd concoctionis indicia desunt, etiam temporis signa adsunt. Si nāq; ut cōcoctionis, ita temporis omnino signa absint, in secundo quaternione morbus statum accipiet. Quòd si longi temporis indicium adfuerit, excedet omnino secundum quaternionem, hoc est diem septimum. Cæterum quantum extendetur, hoc non licet statim ab initio cognoscere: sed in sequētibus diebus distinguet̄. Tantum autem iam ad hoc ut probam uictus rationem præcipias, poteris ex dicta prænotione cognoscere, scilicet tantum alimēti modo conuenire, quantum statu post futuro. Cum enim morbus peracutus est, statim etiā extremos labores habet, in quo tenuissima uictus ratione utendum est. Cum autem secus est, paulo pleniorem uictum tantum admittere conuenit, quanto morbus extremis mitior clementiorq; sit. Extrema, statum morbi appellat. siquidem peracutum quoq; morbum extremos labores statim habere dicit: hoc est accessiones & symptomata. id aūt aliud nihil est, quàm morbum uigere. Talem iam morbum à principio statim quòd secundum quaternionem excessurus sit, indicantem secundo & tertio die accuratius intellexeris, in quantā temporis prolixitatem extēdetur. In quarto uel proxime conieceris, futurum statum, & crisim. Nam si cruditatis signa & temporis nihil mentione dignum referunt, etiam tertio quaternione lōgius

A ægritudo extendetur. Enimuerò si clarā aliquam mutationem faciat, non tamen iam signum aliquod concoctionis in primo quaternione appareat, in tertio quaternione crisis expectanda est. At si crudus adhuc uideatur in septimo die, non tamen insigne quoddam & magnum temporis indicium habens, sperandum in quartum quaternionē, hoc est in decimumquartum diem crisim eius extensum iri: definiendum uero est exacte in undecimo. Vt eñ quartus septimi, sic undecimus decimiquarti index est. Vbi enim clarū aliquod & fidū adamussim signū cōcoctionis iam in hoc innotuerit, in decimoquarto iudiciū fore ait. Obscurum si eueniat, alijs iam attendendum est. Si namq; morbus celerem motum obtineat, & alio-
B rum nullum obstet, forsan etiam decimusquartus decernet. sin minus, in decimoseptimo crisis erit. At si nihil in undecimo prorsus ante fuerit indicatum, in decimoquarto iudicium esse nequit. Considerandus autē & hic totius morbi motus, aliaq; symptomata omnia, & indicia, utrum decimoseptimo, uel etiam decimooctauo crisis speranda sit, an longius progressura. Interdum enim in his quoq; iudicatur, plerūq; uigesimo, interim in uigesimoprimo. Index autem amborum est decimusseptimus, & magis uigesimi: decimusoctauus aūt soli⁹ uigesimiprimi. Porrò si morbus quispiā mox ab initio non adeo celeriter moueat̄, s[ed] uelut cōburens inuadat, & alia signa lōgioris tēporis adsint: huius statum præsagire in principio
C nemini licet: uerū, ꝙ non intra decimumquartum diem crisim accipiet, liquido constat. Quousque uero extendetur, non constat: sed distinguere oportet prius, periculosus'ne sit, an nō. Si periculosus est, & pręterea uires ęgri imbecillæ, mors anteq̄ in longum extendat̄ tempus, præuertet. si periculo uacat, procul omnino crisis est: nō enim fieri potest ut celeriter iudicetur notalongi tēporis index. Quantum igitur tempus adamussim ei accedet, nō modo nō primo die, aut secundo, aūt tertio, sed ne quarto quidē inuenire absolute sperandum: uerum in decretoriorū dierū sequētibus periodis perspicuū est. In secundo quidē quaternione latior est coniectura, in tertio accuratior. Quòd si enim ad septimū usq; diem cruditatis &
D temporis indicia uehemētiora compareant, ante uigesimum diem crisis esse non potest: si moderatiora eueniūt, aut permanēt æqualia, potest. Itaq; si ante uigesimum diem decerni non posse, manifesto noueris, idq; temporis notis uehemētibus, inspice tertium quaternionem: & si adhuc temporis cruditatisq; signa in hoc intendantur, procul à uigesimo die crisim productū iri spē habeto. Aequalibus signis manentibus, hic quoq; post uigesimū uenturā dicere licet: diē uero ipsum cognoscere iam nō est: tertius aūt & quartus quaternio eum indicabit. Si nanq; semper magisq; cruditatis signa exoluant̄, primo post tertiā septimanam quaternario crisim morbi sperato. si nulla insignis mutatio fiat, in quartam hebdomadā progredietur. Qui autem morbi ad decimumquartum cru-

dí omnino sunt, & tardius quodammodo mouentur, non citius quadragesimo finiuntur. Post quadragesimum uero iudicia dissolui, & lentis cōcoctionibus magis quàm subitis mutationibus morbos solui: & nobis quidem prius dictum est, & alijs omnibus qui artis opera in obseruatione habent, sic uidetur, ut etiam Archigeni. Accidunt quidem aliquando in his quoq; præcipites mutationes, quemadmodum in ægris ab Hippocrate descriptis inuenias. Præsagiendi autem ipsorum A methodus hæc est. in summa enim signorum uires cognoscere oportet, sicut Hippocrates etiam præcepit, si quis præsagiendi peritus exacte fieri uolet. Plerique medici, qui huiusmodi speculationem audent attingere, ad signorum numerū, non potestates respiciunt. Sed hæc & in opere De crisi tractantur. Tempus autem fuerit discordiæ sermonem aggredi, & experiētia ac ratione eum iudicare conari. Has siquidem alibi etiā ostēdimus omniū quæ in medicina disquirūtur esse iudices.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI

Quod superiorum astrorum facultas nos afficit, sed præcipue solis, & quod huius uiribus luna operatur. Comparatio inter solem & lunam. Aer ingentes mutationes sustinet, dū luna primo occultatur, & dum primo apparet. Quod non solum mensis per septimanas à luna uariatur, sed etiam unaquæque res. Quæ periodi ad lunam, & quæ ad solem pertineant.

GALENI DE DIEBVS DECRETORIIS LIBER SECVNDVS



VANTA sanè ex diebus decretorijs medicinæ operibus commoditas adueniat, superiori commentario uniuersim ostendimus. Cur autem non omnes eodem modo de omnibus scripserint, dictum est hoc quoque antea. At quo pacto nonnulli ipsorum errauerint, alij recte senserint, nondum exposuimus. Hoc itaque primū nunc repetendū, deinde causa explicāda erit, qua neq; omnium dierum numerus est decretorius, neq; decernere nati eandem habent omnes potentiam. Porrò cum uniuersæ medicinæ artis speculationes, aliæ experientia, aliæ ratione, aliæ utroq; inueniantur, probenturq;: conabimur hic quoq; ambobus instrumentis erratum deprehēdere: recte scriptum laudare, approbareq;. At quoniam mētiri fortè cuipiam uidear, si ex ægris à me obseruatis prædictos dies ab usu commendari tibi persuadere coner, satius esse duco, illos quos Hippocrates, uir ut cæteris fide dignior, ita omnium consensu decernendi peritissimus, animaduertit, sermoni apponere: & primū quidem confusum, ac indefinitum experimento (cuius & ante meminimus) ad definita reducam. Dictum est in ipsis, primum unum certe, dierum puta decretoriorum inquisitionem in omnibus deinceps ægrotis fieri, non esse necessarium: illos tantum numerādos, probandosq;, in quibus nec ipse medicus, nec æger quid peccauerit, imò nec assistentes, aut etiā extrinsecus offensa quæpiam obuenerit. Deinde morborum initia non ex ratione quapiam, sed ex ipsa actione capienda: cum primum æger ipse manifesto sensit morbum sic eum inuadentem, ut præsentem quempiam medicum de hoc cōsulere desiderarit. Tertium, cum in plures se ordine consequentes dies crisis partita sit, cuius propria dicatur, posse dignoscere. Nisi enim quispiam his definitis experimento decretorios dies disquisiuerit, uehementer errabit. & B quidem in experientia ipsa iudicium tale est.

II Ratione uero quemadmodum iudicari experientiam conuenit, post hæc enarrabo. Naturalem esse conuenit, qui hæc iudicet: & persuasum habere, naturam prorsus sufficere, & summa quadam prouidentia corpori nostro prospicere: item proprijs etiam motibus ordinatis, siquid aliud, ita & ipsam uti. Horum quædam ex libris de particularum usu ratiocinari licet. ostensum enim est ibidem summum naturæ in animali fingendo artificium: quædam in fœtuum incremento, perfectione, & partu. Nam cuiusq; animantis fœtui, sui generis C statutum tempus exacte seruatur: natura uidelicet ordinatos motus semper habente. Sic etiam post editionem seu partum unumquodq; animans increscit, absoluitur, & declinat præfinitis temporibus. Iam uero qui libros De naturalibus facultatibus perlegerit: item alios quos particulatim de singulis naturalibus actionib. conscripsimus, persuasum opinor habebit, quantum prouidentiæ simul & ordinationis naturæ motus habeant. Si uero iam hęc crediderit, mireturq; artificiū pariter & ordinē naturæ, recordatus iterū quantū ipsa superet prouidētia & ordine à cælestibus: inordinationē quandā puto substantiæ terrestris motui cōnatā tribuet. Atq; pulchrū omne, quod D hic pulchrū sit atq; etiā ordinatū, & artificiosum ex supernis innasci dicet: inordinatū, & erraticū ex materia, quæ hic uersatur, prouenire. Atq; hæc primus omniū, quorū memoria ad nos peruenit Græcorū Hippocrates credidit: post eum philosophorū præcipui. At nisi sermo in longū proueheret, demonstrationes forsan, quas dicunt, ad fidem prędictorū dogmatum adduxissem. Verum hæc præsenti sermoni sufficiūt. Expedit igit medicum qui Hippocratis arte dignus futurus est, si quid aliud, hoc certe persuasum habere, atque sic ad experientiā iudicandā progredi: nimirū naturā rē quandā esse ordinatā: & cū materiā superauerit, proportionib. quibusdā definitis, & periodis ordinatis motiones ipsius fieri. At quæ præter

ratione incidũt aliquãdo, ordinemq; confundũt, tunc ipsi obueniunt, cũ nõ planè materiã uicerit, sed impedit ab ea, prohibeturq; suis proportionibus moueri. Hoc em̃ si tibi persuaseris, ac dein experiẽtia perdidiceris, septimo die crisim esse tutã simul & perfectã, sine periculo, notis præditã, & crebrã: ad hæc ei quæ decimoquarto euenit, assimilem: insuper quartũ diẽ septimi esse indicẽ: undecimũ uero decimiquarti: subibit statim de septimo considerare quippiã. Vbi enim prima hebdomada bifariam diuisa, quartus sectionem recipiens, qualis finis futurus erit, prænunciat, & secunda similiter, quomodo nõ quis intelliget septimanã quanq; perfectã quandam esse periodũ? cum medium ab utroq; extremo æque distet, & propterea quoq; ad ambo cõmunionem similem obtineat? Nã quartus morbos qui primo die non cessarũt, soluit: undecimus rursum quos septimus non discussit. Quòd si morbus maior sit, quàm ut quarto die crisim accipiat, solutio ipsius in eodẽ apparabit: finis septimo adijcitur. Pari modo qui septimo nõ desierunt, undecimo die natura soluere molitur. Atq; sic in ipso uel decernit, uel ipsi decimoquarto præparat. Atq; ego quidẽ in hac speculatione quiesco. Numeri uero ipsi agere nati sint, an ordinatos motus sequant̃ nõ agẽtes ipsi, uerũ substãtias quæ in tẽporis quodã spatio agũt comitantes, philosophis considerandũ relinquo. Cum ergo id quis cœperit, quod utrisq; communiter in confesso est: uidelicet celestes substantias semper suis motus proportionib. usas apparere: iam uero & in terrenis animantibus, quãdo exacta fruunt̃ ualetudine, aliud aliã in pregnationis, partus, incremẽti, perfectionis, uigoris, inclinationis, & dissolutionis numeris proportionẽ possidere, crediderit nimirũ & decretorios dies numerum quẽdam ordinatũ habere: & interim hunc in morbis ex affectionib. naturæ contrarijs confundi. Nam si, ut ante dixi, ad experientiã deuenerit, septimanas nimis quàm potentes inueniet: proximè his quaterniones: inspiciet autem dies coincidẽtes, tertiũ puta, quintum, sextum, nonum, qua ratione fiat ut decernere possint. Ad hæc magis inquiret, inuestigabitq; diẽ septimũdecimũ, decimumoctauum, uigesimũ, uigesimumprimũ, omnesq; deinceps his respondentes. Si etenim in uigesimum diem tres septimanæ finiunt, ut Hippocrates arbitrat̃, oportet indubie decimũseptimũ uigesimi esse indicẽ: excidere aũt è primo dierum decretoriorum ordine decimumoctauum, & uigesimumprimum. Porrò si integræ hebdomades cõnumerandę sunt, decimusoctauus uigesimiprimi index erit: rationẽ uero nullam decretoriã habebunt decimusseptimus & uigesimus dies.

III Primum itaq; quomodo experientia hos commendet, percenseamus, deinde sic ad rationem perueniamus. Cæterum experiẽtiæ mentionem ab Hippocratis sentẽtia sumemus, auspicati à primo libro de morbis uulgaribus. Scripsit itaq; in secunda constitutione hũc in modũ: Febres ardentes paucissimæ ortæ sunt, minimeq; his obno-

A xij laborarunt. Neq; enim sanguinis profluuium nisi exiguũ adeo, idq; paucis accidit: neq; deliria, reliqua omnia facile tulerunt. Crisis conuenienti admodũ ordine plurimis his cõtigit decimoseptimo die cũ remittentibus. Dein ad finẽ tertiæ constitutiõis exquisitius adhuc de ijs qui decimoseptimo die iudicati sunt, ita pronũciat. Quæ circa iudicia unde cognoscim⁹ similia aut dissimilia sunt. Quippe fratres duo Epigenis eadẽ simul hora febricitare inceperunt: decubuerunt iuxta theatrũ. Natu maioris morbus sexto, iunioris septimo die iudicatus est. remisit diebus quinq;. Inde eadem utrisq; hora simul reuersus est. post uniuersus morbus utriq; pariter decimoseptimo die in crisim incidit. At hoc nondũ fidei satis forsan habet, quo

B decimumseptimũ diẽ ordini decretorio annumerandũ, aut inde reijciendũ esse credamus, ꝙ duos iudicauerit. Adhibeamus igit̃ animũ ijs quę deinceps dicunt̃. Plurimis sexto die iudicium de morbo euenit. Remissiones eius dieb. sex durarũt. A reditu quinto die crisis subsecuta est. Hoc iam memoratu dignũ est, si & in secũda cõstitutione septimodecimo nouit permultos ad iudiciũ peruenisse. Itẽ in tertia nõ solũ fratres duos, uerũetiam alios cõplures sexto die crisim sustinuisse primũ ait: deinde febrim eos sex diebus remisisse: postea crisim accessisse die quinto, hoc est decimoseptimo à morbi exordio. sed de his subiũgit. Quibusdam septimo die crisis aduenit, septẽ quoq; dieb. remissiones habuerũt. Post recidiuã tertio iudica

C ti sunt, hoc est hi quoq; in uniuersum decimoseptimo. Post hæc rursus. Quibusdã iudicium quinto die obuenit, & febris septẽ dieb. remisit: deinde reuersa triduũ eos exercuit, rursus die uno remisit, altero redijt, & his decimoseptimo die de morbo iudiciũ cõtigit. Quinetiã alios quosdam sexto die crisim habuisse scribit: sex itẽ dieb. morbũ remisisse: dein reuersum trib. dieb. occupasse: postea remisisse rursus die uno, altero ipsius recidiuã accidisse, decimoseptimo uidelicet, in q̃ etiã iudicatus est. Verũ alios quosdã sexto die iudicatos esse cõmemorat, septẽ dieb. morbũ cessasse: post hoc repetisse, & quarto die, hoc est in summa decimoseptimo crisi fuisse discussum. Cæterũ nõ contentus his omnibus sermonib. Hippocrates, etsi pos-

D sint ostendere decimiseptimi diei fortitudinẽ in iudicio, intulit, nulli ægroto hac ratiõe recidiuam esse factã cognoui. Quare nõ solũ frequenter decernere decimusseptimus, sed etiam firmiter idoneus est. Non igit̃ ex coincidẽtibus, sed ualidis & primis annumerari debet. Atqui si ex illis est, proportionẽ quandã ad decimum quartũ seruare, rationi est consentaneum. Si itaq; coniunctum quaternionem seruari accipiamus, ut in decimoquarto incipiat, in decimumseptimũ desinat, habuerimus sic seruatam periodum. Si porrò disiunxerimus, ut decimusquartus secundæ hebdomadæ finis sit, incipiat autem à decimoquinto tertia, non ad septimumdecimũ sic, uerum ad decimumoctauum primus tertiæ hebdomadis quaternio perueniet. Atqui si hoc uerũ est, tertia septimana in uigesimum

gesimumprimũ necessario finiet: queadmodum
si etiam decimumseptimum statuerimus primi
in tertia septimana quaternionis finẽ esse, ad ui-
gesimum diem huius septimanæ finis producet.
Merito igitur Hippocrates putauit, sicut septi-
mumdecimum experiẽtia inuestigauit, ita & ui-
gesimum experientia explorandum. Cum enim
decretorius inuentus sit, maximum decimisepti-
mi diei testimonium erit. Vbi uero ex decretori-
orum dierum numero deciderit, uel plane à uige
simoprimo superetur, quæstionem nõ exignam
mouebit. Rationi consentaneum siquidẽ esse ui-
det decimũseptimũ, fortiorẽ decimooctauo: ui-
gesimum imbecilliorẽ uigesimoprimo esse. Qua
propter post illa quæ de septimodecimo in pri-
mo libro Epidemion scripsit, de uigesimo quoq;
hunc in modũ ait: Quibus sub aurib. ipsis paroti-
des ortę sunt, uigesimo die crisim habuerũt. Seda
tæ autem sunt omnibus, & nõ suppuratæ, uerum
ad uesicam declinarũt. Atq; hoc quidẽ erat satis.
Verũ deinceps addit, Quibusdã septimus dies iu
dicium attulit, nouẽ diebus remissiones fuerunt:
post repetitionẽ morbi quarto die crisis aduenit,
in uniuersum uidelicet uigesimo. Ad hos dein-
ceps addit nõnullos, quib. septimo die crisis appa
ruit: sex dieb. remissiones: mox repetitio morbi,
deinde septimo iudiciũ, summatim uigesimo acci
dit. Postea paululũ progressus: Sunt, ait, qui unde
cimo die crisim exceperũt: repetitionẽ decimo-
quarto: crisim absolute uigesimo. His deinde sub
nectit. Si uero, inquit, nõnulli insuper riguissent
in uigesimo, his iudiciũ quadragesimo contigit.

IIII Vides hic mihi rursus uiri diligentiã. No
uit enim si quis ualidis decretorijs, hoc est qui in
quaternionib. & septimanis augent, decimũsep-
timũ & uigesimũ asscribat, cogetur statim & qua
dragesimũ attribuere, quemadmodum & uigesi-
mumquartũ & trigesimumprimũ, si uigesimũ ap
ponat, statim nimirũ cogetur & decimumsepti-
mum & quadragesimũ adijcere. Quinetiam qua
dragesimũ si quis ualide iudicantibus attribuat,
liquet etiã decimumseptimũ, & uigesimum esse
annumerandum. Etenim usq; ad decimumquar-
tũ nulla est de dieb. inter medicos dissensio: uerũ
sequentiũ hos ordo totus ab illis cõfundit: quia
nõnulli non adeo experientiæ mentem, sed ratio
ni soli adhibẽt. quo factum est, ut integras hebdo
madas putent esse complicandas. Postea cum sic
uigesimumprimũ fortibus decretorijs adiungãt,
necesse est, ideo decimumoctauũ quoq;, & qua-
dragesimumsecundũ eos asscribere: hũc quidem
ut septimanas sex complẽtem: illum ut uigesimi-
primi indicem. Porrò hac ratione decretoriorum
dierum exploratio magnã operam nõ desiderat.
Si nanq; totus dierum à decimoseptimo ordo ua
lidior appareat, bifariam singuli dies fidem habe
bunt, ex proprijs experimentis, & aliorũ testimo
nio. At si rursus à decimooctauo numerus frequẽ
ter decernere inueniatur, & perfecte, & firmiter,
tum qui septimumdecimũ sequitur, imbecillior
apparebit. Quod cum intellexisset Hippocrates,
A omnes omnibus cõtulit decimumseptimũ (hinc
enim discordiæ initium inter medicos subortum
est) decimooctauo, uigesimo, uigesimumprimũ:
pari modo uigesimumquartũ uigesimoquinto,
rursus uigesimumseptimum uigesimooctauo, &
trigesimumprimũ trigesimosecũdo, trigesimum
quartum trigesimoquinto: quadragesimum qua-
dragesimosecũdo. Quem uero ordinẽ experien-
tia probet, in Epidemijs, hoc est in opere de mor
bis publice grassantib. indicauit, eadẽ ipsa asscri-
bens, quæ paulo ante citaui, & insuper in tertia
constitutione hoc modo: His frequenter undeci-
mo die crisis aduenit: sunt quibus uigesimo con-
tingit. Dein ægris nominatim citatis, Herophon
tem ordine tertium post tres aeris status scriptũ,
B decimoseptimo die iudicium accepisse ait. Quar
tam Philini uxorem, mortem uigesimo die oppe
tijsse. Post hãc, Iphicratis uxoris meminit, de qua
ad finem totius historiæ hæc uerba apponit: Qua
dragesimo bilem modicam uomuit, octogesimo
iudicata, & febris perfecte soluta est. Sextũ ordi-
ne Cleanactidẽ adducit, & ad finẽ sermonis de ip
so ait: Octogesimo rigore infestatus est: febris a-
cuta eum prehendit: sudor multus subsecutus: in
urinis rubrum & leue residebat. Perfecte morbus
finitus est. Decimus æger est Clazomenius, quẽ
& ipsum quadragesimo die liberatum per crisim
esse scribit. atqui dies quadragesimus ex secta de-
cimiseptimi est, queadmodũ octogesimus. Opor
tebat autẽ quadragesimumsecundũ esse decreto
C rium. Nam si dierũ cõputatio secundum septima
nas integras fieret, nõ quadragesimus, uerũ qua-
dragesimussecũdus, dies decretorius inueniẽdus
erat: sic non octogesimus, sed octogesimusquar-
tus. quare decimiseptimi diei ordinẽ altero longe
fortiorẽ esse nemo ignorat, non solum ꝙ multos
in eo crisim accepisse recẽset Hippocrates, sed ꝙ
nec decimioctaui, nec uigesimiprimi, nec uigesi-
miquinti, nec uigesimioctaui, immo nec trigesi-
misecundi, nec trigesimiquinti, nec quadragesi-
misecundi, nec sexagesimitertij, nec octogesimi-
quarti meminit. Nam in tot ægrorum catalogo,
quos partim nominib. proprijs adduxit, partim
summa quadam comprehendit, in unoquoq; ae-
ris statu, nullum ex cõmemoratis diebus decreto
D rium esse inuentum, alterius ordinis euidentẽ ex-
cellentiam indicat. Cum enim ex hoc ordine mul
ti sæpe perfecte, firmiter, bene, recte inueniantur
iudicasse: ex altero ne unus quidẽ in toto primo
Epidemion libro, qui crisim fecerit, non dico per
fecte aut bene, sed ne occiderit quidẽ: insignẽ al-
terius eminẽtiã esse putabimus. An igiť in primo
sic, in tertio aliter scriptum reliquit? Imò & ille in
constitutione, ægrotantium mentionem faciens,
in summa dixit omnes ferè superstites octogesi-
mo iudicatos esse. Ex his uero, quorum particula
tim ac nominatim meminit, aliquos quadragesi-
mo die iudicatos esse dicit. Et per Iouẽ nõnullos
ipsorũ probè & cum notis, uelut ægrum tertium,
quẽ in libri principio descripsit, in Dealcis horto
decumbentem. Quid enim ait? Quadragesimo

die pituitoſa recrementa, alba, & copioſa deiecit. largiter ſudauit. In totū, abſolutè morbus finitus eſt. Quoſdā uero qui in longū nimis morbū inciderant, ſimiliter & ipſos ratione uigeſimi diei ſæpius multiplicati, criſim accepiſſe: quēadmodum nonū ægrū poſt conſtitutionē Heropython cēteſimo & uigeſimo die morbo iudiciū perfectū habuiſſe refert Hippocrates. Sic aliquos uigeſimoquarto die, & uigeſimoſeptimo, item trigeſimoquarto leuatos eſſe bene ſimul & tutò & perfectè memoriæ prodidit. In uigeſimoquarto ſanè decimū poſt conſtitutionē ægrotū hoc ferè modo ſcribēs. Vigeſimoquarto die urinā miſit copioſam, albam, in qua multum ſubſidebat. Sudores calidi è corpore toto manabant: unde febri diſcuſſa iudicatus eſt. In uigeſimoſeptimo die puellā in Abderis & ipſam ſudore largo prorſus febre liberatam eſſe refert. Hanc autē poſt cōſtitutionē ſeptimam cōmemorat. Porrò trigeſimoquarto die octauū poſt conſtitutionē ægrū Anaxionē ſudore quoq; ipſum febre prorſus leuatū fuiſſe percēſet, fidāq; ei criſim obtigiſſe. Cæterum nullus hoc libro in altero quodam decretoriorum dierum ordine criſim accepit: uerum Dealcis uxorē in uigeſimoprimo deceſſiſſe commemorat: nec ullum in aliquo die, qui in decimioctaui ſecta continet̃, ſuperſtitē manſiſſe. Dicit itaq; ſecundo ſignificatu, uti prius interpretati ſumus, non ſolum ſuperſtes, uerum mortuus etiam criſim accepiſſe. Sed ut retuli, non modo in eis diebus nemo ſeruatus eſt, ſed ne mortuus quidē, ſi Dealcis uxorē excipias. In altero ordine complures ſeruati: quamuis nonnulli etiam uita defuncti: quēadmodum mulier quæ Cyzico binam fœmininā prolē peperit, decimoſeptimo die perijt. Adoleſcēs autē in Libya, omniū poſtremus ab Hippocrate citatus, uigeſimoquarto interijt. at Hermocrates tertius à principio, uigeſimoſeptimo die fatis conceſſit. Apollonius autem in Abderis decumbēs, decimuſtertius poſt conſtitutionē ęgrotus ſcriptus, trigeſimoprimo perijt. Vt igit̃ ſeptimo die & uigeſimo cōplures interire uidit: quippe cum dies ij qui ualidam uirtutem habēt, non modo ſeruent, ſed etiam interimant interim: ſic unumquenq; eorum quos recenſui, conſpexit nunc ſeruantem aliquos, nunc occidētem. Iam uero ſecundum poſt conſtitutionem ægrum octogeſimo interijſſe ait, & primum cēteſimo uigeſimo, ſicut arbitror, ante conſtitutionem laborantem, decimoquarto die mortuum eſſe: tres autem ante ipſum ſeptimo die perijſſe. Quid opus eſt multis uerbis? Nullum eñ nec in primo, nec tertio Epidemion libro, uel ſuperſtitē, uel mortuum in ordine dierum qui à decimooctauo numeratur, inuenias. Sed omnes iudicati ſunt in diebus, quos uniuerſus medicorum chorus decretorios eſſe conſentit: nempe ijs qui à primo ad decimumſeptimum aſcendunt. Porrò qui decimumſeptimum exceſſerunt, illorum unus tātum uigeſimoprimo interijt. Proinde hæc ſufficiunt ad demonſtrandum Hippocratē non ratione quadam perſuaſum, ut decimumſeptimū decretoriū eſſe

A ſtatueret, uigeſimo autem primo efficaciam adimeret: ſed uſu & experientia doctum, cauſam inquiſiuiſſe. At quoniam ſecundus, quartus, & ſextus Epidemion liber uel ipſius Hippocratis eſt, uel eius filij Theſſali: pauca etiam inde ſumemus. Inueniemus ſiquidē & hic in ſecūdo, uigeſimum & quadrageſimum decretorios eſſe ab illo poſitos: ſed nec uigeſimumprimum, nec alium quemuis ei reſpondentem. In quarto, omnium ſic morborum mentionem facit, raro uidelicet ad uigeſimum perueniſſe, proceſſiſſe autē ſemel ulterius, uſq; ad uigeſimūquartū. Vnde & hic uigeſimum & uigeſimumquartum iudicaſſe de morbis licet intelligere: non tamen alterius ordinis quēquam. quinetiā in ſexto Epidemion paucos tum ægros,
B tum aeris ſtatus commemorat: neq; hic quenquam in alterius ſectæ diebus iudicatum eſſe nouit. Si iam & quinti libri meminiſſe conuenit, cuiuſcunq; fuerit, hic etiam quinquaginta ſunt uniuerſi ægri: nullus autem ipſorum uel decimooctauo, uel uigeſimoprimo, uel, ut ſummatim dicam, in alio quodam huius generis die iudicatus eſt. Cum igitur ipſa experientia decimumſeptimum, & uigeſimum diem, inſuper qui ipſis reſpondent uniuerſos decretorijs apponat exactè: nonnulli medici qui nō adeo euidētibus animū aduertunt, ad perfectæ hebdomadis numerum tanquā ad faciliorē uiam deuenerunt. Deinde cum etiam iudicatū aliquē in uigeſimoprimo conſpexerint, multo ſanè magis opinionē ſuam confirmarunt.

C V. Etenim ut diſcernas cuius'nam diei proprium ſit iudicium, cum in plures partitum fuerit, diſtinctione opus eſt, quemadmodum in ſuperiore libro demōſtratum eſt. Contingit autem morbis inueteraſcentibus & indicia perturbationis uehementiam, & immutationis breuitatem remittere, & ad duos ſæpe dies uel tres extendi. Promptum eſt igitur in hoc criſim cuicunq; ex tribus diebus uolueris attribuere. Multi ſiquidem medicorum ne uel numerare poſt decimumquartum dignantur, quot iam diebus æger decumbat, præſertim ſi dum febris ſoluta interea eſſe uideat̃, denuo repetat. Nonnulli uero etſi numerauerint, iudiciorum in plures dies partitionē indiſtinctè & temerè cui dierum uolunt, annumerant. Quapropter
D Hippocrates etiam aliquando ſeptimum, uel undecimum, uel decimumquartum de morbis iudicaſſe tradit, interim uigeſimum, uel quadrageſimum, uel alium quempiam: quemadmodum in prima & ſecunda cōſtitutione primi Epidemion. In prima enim ait: Quibus breuiſſimi morbi fuerunt, ijs uigeſimus, plurimis quadrageſimus: non paucis octogeſimus criſim attulit. In ſecūda conſtitutione, ſunt quib. uigeſimus dies decretorius extitit: uerum paucis, quibusq; breuiſſimi morbi fuerunt. In tertia: Sanguis fluere in uigeſimoquarto modicè cœpit, & abſceſſus in ſanguinis fluorē per criſim uerſi ſunt Antiphonti Critobulo. Iudicium is, quietemq; morbi quadrageſimo die perfectè conſecutus eſt. Sed horum ab initio ſtatim non memini, cum ex primo Epidemion quoq;

appo-

apponere, melius esse ratus omes dies, qui exacte
soli de morbis decernere uisi sunt, prius expone-
re. Huius rei gratia, nec in ipsius usquã commenta
rijs in totũ scriptum est, circa quintũ, uel septimũ,
uel nonum nullus iudicatus est: uerũ simpliciter
uel quinto die, uel septimo, uel nono. Aceruatim
enim hi iudicant. Quanto autẽ ulterius morbi ex-
cedũt, diuturnioresq; fiunt, perturbatio sane, quæ
præcipitẽ immutationẽ præcedit, cõquiescit. Iudi
cia uero paulatim uenientia duos aut tres dies in
totum occupãt. Sicut eñ plurimi longi affectus,
neq; cũ excretione dissolui cõsueuerũt, sed uel ab
scessu, uel concoctione: ita nec cum manifestis ex
cretionibus, uel abscessibus ipsorum solutio con-
tigerit, uno dũtaxat die perficitur. Vnde medico-
rum quidam diuturnos morbos nequaq; iudicari
inquiunt. Non siquidem solutionẽ sermone abso-
luto crisim esse, sed uel subitã, uel quæ ipsam præ-
cedit cõmotionem. Verũ quòd iudicij significatũ
non exacte disquisitũ perpetuo seruatur, sed solu-
tionem ipsam tantum quomodocunq; fiat, com-
plures medici iudiciũ appellant, ex ipsis Hippo-
cratis libris discere cuius est integrũ, maxime ue
ro ex his quæ ueteres alij pertractant. Sic igitur &
Diocles primũ diem decretorijs annumerat, ma-
nifesto indicans, nihil se aliud iudiciũ, ꝙ morbi so
lutionẽ nominare. Fiet aũt perspicuum ex ipsius
uerbis, quæ hunc in modum habent: Quarum fe-
briũ causæ, neq; in ipso corpore uacuatæ ac immi
nutæ dissoluuntur, neq; exsiccantur, neq; subito
crudę educuntur, temporũ uero periodis quibus-
dam coctæ apparẽt, quæ quidẽ leuissimæ sunt, no
cte & die iudicãtur. Nam paucissimo tẽpore cau-
sæ ipsarũ dissoluuntur: quippe putrescentes, & in
pus cõuersæ: ad hæc lac & caro omnis absoluta:
breuiter omia quæ in corpore tum fiunt, tum mo
uentur, & speciatim immutantur, in hoc tempore
primum apparent. Atq; hæc Diocles. Hippocra-
tes autem non semel, neque bis, sed frequenter ad
modum in primo Epidemion, & potissimum in
tertio morbi solutionem crisim uocat, nulla neq;
excretione, neque abscessu euidenter pręgresso.
Non tamen huius gratia putandum est diuturnio
res morbos sine quauis manifesta excretione iudi
cari: quemadmodum neq; plures dies necessario
assumere. Itaque octogesimo crisim quendam ac
cepisse in tertio De morbis popularibus Hippo-
crates commemorat, aitq; rigore ipsum fuisse cor
reptũ, acuteq; febricitasse, & sudasse largiter. Ap-
posui autem paulo ante sententiam, cum Cleanti
dæ in tertio Epidemion sexti ex ordine scripti mẽ
tionem facerem. Inuenias autem alios quoque æ-
gros hoc sermone iam mihi citatos, item quos ne
quaquã apposui, iudicatos euidenter die uno per
excretionem in procedente diuturnoq; morbo.
His igitur maxime aduertendum est, ut quæ die-
rum decretoriorum ordinem exacte doceant. Si
enim Cleantides hic octogesimo cum rigore fuis-
set infestatus, acuteq; febricitasset, per sudorem iu
dicatus est, liquet uigesimum numerum non me-
diocrem quandam potentiam obtinere. Hoc e-
A nim multiplicato octogesimum, sicut & quadra-
gesimum, & sexagesimum, ad hæc centesimum
uigesimum fieri contigit. Reperies autem alios ę-
gros, qui decimumquartum egressi sint, per ex-
cretionem in Epidemion libros iudicatos fuisse:
quorum nonnullos iam protulimus. Qui subitam
fieri crisim ultra quadragesimum non putantes ar
guunt, & decretoriorum dierum ordinem osten-
dunt. Quòd etenim paulatim morbi diuturni nõ
per certamen commotionemq; desinunt, quie-
scuntq;, pulchre dictum est, at nunquam subitam
eorum mutationem uno die fieri, non item recte.
Cum enim rigor uehemens simul cum accessio-
ne omnino factus inuadat, & febris acutissima, ca
lidissima, & toleratu difficilis accedat, sudorq; cõ
B piosus è corpore manarit, febre hominem pror-
sus liberans, si quis hoc crisim nõ esse dicet, mani-
feste cõtentiosus est. Ego sanè id genus hominib.
cõtradicere diffusius non cõsueui: sed illud quod
accidit magis cognoscendum mihi esse proposui.
Hoc enim nobis obseruantibus plerunque appa-
ruit, atq; in ægris ab Hippocrate scriptis inueni-
re licet, huiusmodi morborum longiorum solu-
tiones, non cum deinceps nulla ex parte interse-
cantur, incidere: uerum ubi soluti esse uidentur,
iterum secundo recidiuam incipiãt. Contingit au
tem sępe recidiuas diebus quibusdam decretorijs
incipere: & cum numerum aliquem decretorio-
rum excesserint, denuo in alio quodam iudicari.
Hac ratione omnes ex parte acuti fiunt: postquã
C uero omnes coierint, diuturni. Interdum interual
la ipsorum numero cuidam decretorio ascribun-
tur, ueluti si quem undecimo die iudicatũ imper-
fecte, decimoquarto morbus repetat, deinde ui-
gesimo rursum die iudicato parum integre, recidi
ua uigesimoseptimo adueniat: inde postea acute
ægrotans, quadragesimo iterum iudicetur. Hæc
igitur quisq; in ægris ipse uidebit, qui diligẽter eis
assidere uoluerit: ad hæc in ægrotis ab Hippocra
te citatis cõtempletur. Porrò quod decimusseptі-
mus decimooctauo, & uigesimoprimo uigesi-
mus fortior sit æstimandus, per Hippocratis expe
rimenta demonstratum est. Si autem mea quoq;
deinceps recensuerim, longior quidem sermo e-
rit, cæterum fidei nihil magis habebit. Si etenim
D quispiam & ipse quæ ægris accidũt, obseruare ue-
lit, & ab Hippocrate dictis credere, is nihil adhuc
nostra experiẽtia indigebit. At si uel sophismata
euidenter apparentibus digniora esse quibus cre
datur, existimet, uel Hippocratis dictorũ nullam
rationem curamq; habet, talis non modo nihilo
plus frugis ex nostra narratione reportabit, sed e-
tiam irridere ipsam conabitur. Huiusmodi uero
frequenter dixi despiciendos esse: si uero ueritatis
studiosus quis existat, sophistarũ nugis relictis ad
experientiam ipse ueniens, cum octingentos uel
mille ægros conspexerit, hunc indubie noui non
alia de diebus decretorijs pronunciaturum quàm
Hippocrates indicauit.

VI Cum enim horum dierum tum usus, tum
natura duplex sit, Hippocrates quoq; duplicem

eorum disciplinã instituit: in Aphorismis quidem & Prognostico eorum quæ secundum quaterniones & hebdomadas inuicem complexi sunt, mentionem faciens: in primo autem Epidemion non horum modo, sed etiam aliorum omnium coincidentium. Quorũ causam coincidentiæ in sequentibus dicturi sumus: nunc autẽ quòd & natura & usu interse mutuo differunt, ostensuri. Natura sanè, quòd omnibus pulchre euenientibus ad quaternionis circuitus, iudicia omnino perueniũt. Erratis autem quibusdam, in coincidentes recidunt. Vsu, quòd ad futuræ crisis cognitionem quaternionis circuitus sufficit. Cæterum ad iam factam crisim iudicandam omnibus uelut semper cognitis: uerbi gratia, tutiorem esse crisim quæ nono, quàm quæ octauo die accidit: minus fidam quę octauo, quàm quæ nono contingit, arbitramur. Proinde fides iudicij uel fallacia, hoc est certitudo uel incertitudo, ad bonam uictus rationẽ iudicatis morbo præscribendam conducit. Præcognoscere uero quando potissimum accidet, ad nondum iudicatos necessarium est. Dicetur itaq; in procedente sermone de hoc etiam nonnihil: sed uniuersus sermo ex curandi methodo pẽdet. At nunc de decretoriorum dierum usu nisi obiter dicemus, sed omnem eorum potentiã interpretari festinamus. Satis est ideo ad præsentem disputationẽ, si Hippocratis uerba cõmemorans, ad sequentia iam descendam. In Prognostico sanè hoc modo scribit: Febres, siue sanus ab his quis euadat, siue pereat, æquali dierum numero finiuntur. Vt enim saluberrimæ febres, quæ uidelicet tutissimis fulciuntur notis, die quarto, uel antea quiescere solent, ita pessimæ quæq;, & quibus periculosissima signa adsunt, die quarto, uel citius interficiunt. Primus itaq; earum insultus ita finitur, secũdus quaternarius in septimum diem producitur, tertius in undecimum, quartus in decimumquartum, quintus in decimumseptimum, sextus in uigesimũ. Hi igitur impetus ex acutissimis morbis per quatuor ad uiginti ex additione facta perueniunt. Verum huiuscemodi supputatio per dies integros nimirum fieri non potest: quippe cum nec annus, nec menses ipsi integris numerent̃ diebus. Deinde eadem ratione atque additione primus circuitus ad quatuor & triginta, alter ad quadraginta, tertius ad sexaginta dies perueniet. Hæc quidem ex Prognostico uerba sunt. In aphorismis cũ prædixisset acutos morbos in quatuordecim diebus finiri, mox infert: Septimorum quartus index est: alterius septimanæ, octauus initiũ. Contemplabilis autem rursum undecimus. hic enim quartus secundæ septimanæ. Contemplabilis iterum decimusseptimus: hic enim quartus est à decimoquarto, septimus autẽ ab undecimo. Atq; in his duobus commentarijs oẽs dierum decretoriorum circuitus hebdomadis & quaternioĩbus adscribit. At in primo Epidemion omnium deinceps meminit hisce uerbis. Est autem primus decretorius circuituum qui paribus diebus decernunt, quartus, sextus, decimus, decimusquartus, decimusoctauus, uigesimus, uigesimusquartus, uigesimusoctauus, trigesimus, trigesimusquartus, quadragesimus, sexagesimus, octogesimus, centesimus uigesimus. Eorum qui imparibus circuitibus iudicant, primus est tertius, quintus, septimus, nonus, undecimus, decimusseptimus, uigesimusprimus, uigesimusseptimus, trigesimusprimus. Hippocrates igit̃ omnes hoc sermone decretorios dies manifesto comprehendit. Recordationi siquidem ac memoriæ præparatio hæc cõuenit. Demonstratum enim nobis sæpius est, Epidemiorũ libros Prognostico prius & Aphorismis scriptos esse, quòd memoriam rerum prius obseruatarum suggerant. Itaq; in hoc cõmentario oẽs decretorios dies per seriem cõscripsit: In illis eos tantum qui maximã uirtutem habẽt, & naturæ suæ ratione perfecti sunt: sicut in sequentibus ostendetur: & insuper nõ mediocrẽ usum ad futuri status, iudicijq; prænotionẽ exhibent. Cur igitur Hippocrates non unam in omnibus libris Decretoriorũ dierum disciplinam tradiderit, iam liquido cõstat. Nec obscurum cur alijs medicis de hisce diebus controuersia suscepta sit. Alij etenim quòd duplex eorum natura sit, nõ planè cogitarũt: alij nequaq; obseruarunt, sed rationi totum concessere: nonnulli experientia ipsos deprehendere conati sunt, uerum duplici nomine falsi sunt: uel quòd nihil omnino ante experientiã diffinierint, uel inconsultius sententiam protulerint.

VII Porrò nobis quæ distinguẽda ueniant ante experimenta, dictum est: item de diebus decretorijs ferre iudiciũ non properandum esse, donec in multis ægris annis compluribus accurate quis obseruauerit. Nam præter alia etiam annaliũ constitutionum permultæ quædam differentiæ sunt: Ergo in tota æstate interim plures quàm quadringentos homines acute ægrotantes uniuersos uel septimo uel nono die crisim habuisse conspexi: in alio rursus anno quosdam decimoquarto, quosdã uigesimo, plurimos post morbi reuersionẽ: in alio permultos quidẽ correptos sanguinis fluore quinto, perfecte uero iudicatos septimo uel nono die. Vidi etiã in autũno aliquãdo oẽs undecimo iudicatos: sed hic quidem bonã crisim attulit. in alio autẽ autũno omnibus sexto die nõ bonum iudicium accidit. Quapropter etiã magis subit mihi mirari eos qui planè nullum in diebus discrimen, uerum eiusdẽ omnes dignitatis esse arbitrantur. Toti siquidem status frequenter uel æstiuorũ, uel autumnalium morborũ unam iudiciorum speciem obtinent: quemadmodũ in his quos Hippocrates conscripsit, manifestũ est. In quibus siquis nõ omnino segnis est, interdũ sanè alium decretoriorum dierum sæpius iudicãtem uidebit, quàm alium: nõ tamen octauum, duodecimũ, aut decimumsextum, aut huius notæ aliquẽ. Apparent igitur sophistæ in utrisq; quæ uniuersam medicinã constituerũt, errare, experientia nempe, & ratione. Neq; enim in quibus experientiæ usus est, ipsam sustinẽt, sed ut cuiq; in mentem uenerit, nugãtur: neq; euidenter apparentium causas inueniunt. Huius rei gratia alius ex eis nec decretorium diem, nec oĩno

iudicium esse confirmat, alius iudicium quidem esse quoddam, non tamen dies decretorios concedit: tanquam ratione magis quàm experientia decretorios dies & iudicia inuenire cõueniat: uel quasi peiores existant, qui per experientiam utranque se didicisse cõfitentur. Nobis sanè, qui post Herophilum, Xenophõtem, Asclepiadem nati sumus, forsan in uiros illos uel inuidia uel cõtentio quædam esse possit. Sed quæso undenam in mentem uenit ei qui primo accurate ipsos per experiẽtiam inuenerit, quemadmodum Epidemiorum libri testantur, ut prægnosceret sophistas tales quosdã in posterum futuros, cum nondum ulli his similes Hippocratis tẽporibus extiterint, uerum singuli pro uiribus artem iuuare, inuenireque aliquid, non deprauare recte inuenta studerent? Quinetiam medicos qui ab experientia empirici nominantur, uidere licet tanquam communes quosdam omniũ dogmaticorum hostes, inquirẽtes quod mentiantur, non tamẽ aut decretorios dies, aut iudicia tollentes, sed ueluti et aliud quippiã maxime euidẽs, hæc quoque ambo statuentes. Satis mihi iam est sophistarum nugantium. Quin magis ad dictorũ cohærentiam denuo reuertor: prius uniuersis quæ prædiximus, in summam unam redactis.

VIII Decretorius itaque fortissimus omniũ est dies septimus. prænunciat eum dies quartus, hæc duo habens, ut decretorius minor sit, & septimi index. Deinde undecimus & decimusquartus eandem proportionẽ et naturam inuicẽ conseruãtes, quã cum septimo quartus. Deinde frequẽter quidem decimusseptimus ad uigesimum, raro aũt decimusoctauus ad uigesimũ primũ eandem rationem habet, quam cum septimo quartus, & undecimus cum decimoquarto. Hi ergo, ut Hippocrates dixit, per quatuor aucti ad uiginti perueniunt. Coincidunt eis nonus, quintus, & tertius. Plurimos quidem nonus iudicat: secundã uim obtinet quintus: & post hunc tertius. De sexto prius diximus, ut malo decretorio. Decimustertius certe omnium decretoriorũ imbecillimus: omniũ uero qui nõ decernũt, fortissimus, tanquam in medio quodam utrorũque uirtutis situs. Vehemẽtissimę itaque sunt crises, sicut etiam antea diximus, quæ usque ad decimũquartum diem ueniunt: minus ijs, quæ ad uigesimũ usque pertingunt: inde ad quadragesimũ productæ, adhuc etiam minus uehementes euadunt: in illo autem perfecte soluuntur.

IX Proportio autem dierũ decretoriorũ perpetuo seruatur: ut enim decimusquartus & secundæ septimanæ finis est, & tertiæ principiũ, ita trigesimusquartus quintæ terminus est simul, & sextæ initiũ. Quare tres septimanæ uiginti diebus semper describunt: ideoque sexagesimus, ut prius declaratũ est, non sexagesimustertius decretorius fiet. Pari modo octogesimus, & centesimus uigesimus. Vt enim iudiciorum uehementia paulatim procedente tempore dissoluitur, ita & imbecilles decretorios obscurari planè accidit: solos autem semper persistere, qui perfectum decretoriorũ numerorum circuitum describũt. Conuenit autem,

A ut per experientiam licet cõdicere, primũ circuitum perfectum esse, qui uiginti diebus constat. Si etenim semper per disiunctionẽ septenarius numerus procederet, ut in primis duobus habet, esset hac quoque ratione hic septimus perfectus primus circuitus. Quoniã uero secũdus à primo disiunctus est, & tertius secundo cohæret, liquet proportionem quæ ab initio statuebatur, non adhuc post decimũquartum diem conseruari. Attamen post uigesimũ diem idem circuituum ordo perpetuo consistit. respondebit ergo trigesimusquartus decimoquarto: quippe qui ex duabus septimanis disiunctis fiat: & quadragesimus uigesimo, ut qui tertiam hebdomadem coniunctam expleat. Quare hoc ipsum Hippocrates nos docens in Prognostico, ubi de uigesimo die uerba fecit, deinceps inquit: Post hos eadem ratione, eademque additione primus ad quatuor & triginta dies peruenit. Primum enim dixit trigesimumquartum post uigesimum, ut circuitum, non ut diem decretoriũ: quoniam & uigesimusquartus, & uigesimusseptimus post uigesimum est decretorius. Sed quoniam de minoribus periodis (sunt autẽ quaterniones) abũde satis docuit, ad hæc septimanas ipsas exposuit, reliquos statim duos circuitus uoluit simul disciplinę causa adijcere: nempe & ex duabus septimanis compositum, & illum qui tribus constat. Verum qui duas continet, uelut imperfectum quendam: qui tres, exacte perfectum. Siquidẽ iam quadragesimum, sexagesimum, octogesimum & centesimum uigesimũ ex uigesimo sæpius aucto fieri contigit. Hoc igitur ipsum, & non aliud perfecti circuitus est indiciũ: uel compositi semper, & sæpius in se aucti, quod alium non magis requirat. Atqui nec unus eorum, qui uigesimum præcedunt, hoc obtinet. nam septimus si per se semper auctus sit, ad uigesimumque primum, uigesimum octauum, & trigesimumquintum, & quadragesimumsecundum excideret, decimusquartus pari modo uigesimumoctauum faceret, et quadragesimumsecundum: Quin & ipse quaternio, si compositionem in se faceret, octauum, duodecimum, & decimumsextum fortes decretorios efficeret. Quapropter ipse quartus ne periodus quidem euidenter est, sed periodi uelut dimidium. etenim septimana dupliciter diuisa, quartus sectionem accipiens, primi quaternionis terminus est, secundi initium. Forsan quis septimanam hanc iam perfectum circuitum esse putauerit. Nõ enim & in hac septimum diem secundæ septimanæ initium esse contingit: sic enim ad decimumtertium, non decimũquartum terminus eius perueniret. Sed cum rursus decimusquartus terminus simul secũdæ septimanæ & tertiæ principiũ sit, non adhuc perfectus circuitus septimana sic fuerit. bis eñ seipsum multiplicauit, tertio non potuit. Atqui si propter duas priores hebdomadas ex disiũctione factas, integrũ quendã circuitũ putare septimanam conuenit, propter tertiam uero cõiunctam, nõ etiam integrum: uel omnino in dubitationem sermonẽ incidere necesse est: uel septimanã primum quendam

dam ordine, & simplicem circuitum putandã esse: qui uero ex uigintiocto diebus componitur, secundum simul & compositum & perfectum.

X Monet iam hic sermo nos considerare quis horum dierum de acutis morbis decernat. Cum enim Hippocrates in Aphorismis acutos morbos in quatuordecim diebus decerni dicat, magnam inde nugandi occasionem sophistæ arripuerunt. atqui sine illorum nugis omnibus & iudicia omnia præsagire, & iam facta explorare potes. Nam si morbum, exempli gratia, uigesimo die iudicãdum esse præsagiens, uictus rationem ei congruã instituas, magnum ægro præsidium adferes. Licebit autem tibi & acutum & diuturnum ipsum uocare, cum nulla uel commoditas uel offensa ex appellatione ægro adueniat. Fingamus enim acutũ huiusmodi morbum uocari, omnibus quæ ad uictum ægri pertinent, recte administratis: quid inde peius uel melius erit? Rursus diuturnũ ipsum, si placet, appella, ut nihil ex hoc uel iuuari uel offendi ægrum intelligas. Queadmodum igitur & in aliis pluribus sophistę de nominibus contẽdentes dissentiunt, tempusq; discentium cõterunt, sic quoq; in acutorũ longorumq; morborum distinctione. Nam si uerum fateri oportet, non duæ tantum morborum differentiæ, sed permultæ admodum putandæ sunt. Siquidem quartana febris in tot annos incidit, quot alia diebus iudicata est. ad hæc alius quidam morbus in menses multos durauit. Hæc igitur prima differentia triplex. partim enim morbi diebus, partim mensibus, partim annis totis iudicãtur. Membratim rursus in morbis, qui ad menses perueniunt, non simile existit, duorum uidelicet mẽsium, uel septem solutionem fieri. Ita cum dierum, uel annorũ numero morbi soluuntur, permagnum discrimẽ existit. Quid enim similitudinis, uel tertio, uel uigesimo die iudiciũ subiisse, itidem uigesimo, uel quadragesimo? Iam uero si naturalem ipsorum differentiam inuenire moliaris, quot dierum decretoriorum circuitus sunt, tot quoque morbi statuendi erunt. Itaque si alterius naturæ esse dicas, queadmodum sane est, non posse primum quaternionem superare, alterius septimum non excedere, ita & undecimi, decimiquarti, decimiseptimi, uigesimi, omniũq; deinceps decretoriorum proprius cuiusq; morbus existimandus est.

XI Præstat tamen doctrinæ gratia maioribus eos terminis comprehendere, ne plurimi fiant: uerum ita magnis rursus, ne multum differẽtes inter se mutuo collocentur. Vnde nec eos laudo qui duas uniuersas morborũ species ponunt, neq; utraq; deinde diuidunt: nec illos probo qui tot esse dicunt, quot dierũ decretoriorum circuitus. Quæ igitur præstantissima disciplina fuerit, maximeq; artis usui idonea? Si quis sophistarum medicorũ accurate medicinam tractare conetur, sublimi illa sede relicta, in qua magni regis cuiuspiã instar sedens adulescẽtes perdit, hunc satis noui ex ipsa re utilitatem edoctum iri. Sicut igitur & Hipp. in omnibus admirandus, ab ipsis euidentibus sermo-

A nem capiens, hæc aliquando scribit, Vbi peracutus morbus est, statim etiam labores extremi adsunt, & longe tenuissimo uictu utẽdum est. Interdum ita scribit: Acuti morbi quatuordecim diebus finiũtur. Deinde rursus, Hi ergo per quatuor additione facta, aucti ad uiginti perueniunt. Iterũ postea: Spirãdi facilitas maximã uim ad salutẽ habere existimãda est in omnibus morbis acutis quibus febris copulatur, quiq; quadraginta diebus finiũt. Quinetiã sexagesimi, octogesimi, & centesimi uigesimi rursus meminit: atq; his denuo relictis, æstatis morbos hyeme solui ait: hybernos æstate. quin & hoc modo inquit: Plurimi puerorũ affectus diebus quadraginta finiunt: quidam septem mensibus, aliqui septem annis, nonnulli ad
B pubertatem usq; perueniunt. Hæ omnes ad disciplinam simul clariorem, & ægrorum usum admodum utiles sunt differentiæ. etenim sua cuiusq; uictus species est. Cognoueris autem maxime ægrum ipsum in his omnibus, si hypothesin sermoni adiecero. Adulescens ergo quis ualido morbo correptus sit, qui in primo quaternione iudicabitur: Aphorismum in hoc maxime illum imitandũ puta, cum peracutus morbus fuerit, statim etiam extremi labores adsunt, & tenuissimo omniũ uictu utendum est: & neq; alimẽtum quoduis huic exhibueris, nec aquã mulsam, aut huic aliud quid simile, immo etiam ab aqua, quantum potest, abstinere iubeto. Hunc ipsum adulescentem ubi septimo die crisim habiturum statueris, paululum
C prædictam uictus rationem immuta, uel aquam mulsam exhibens, uel aliam huiusmodi quandam potionem morbi naturæ familiarem: ut Hippocrates præcepit. Ipse autem & hæc inuenies partim à signis quibusdam, uelut temperamento, cõsuetudine, & ætate. Quædam etiam ægrum interrogabis, an ualido sit stomacho, qui longã inediam ferre possit, an cito offendatur, & facile soluatur. Sic etiam habitum hominis considerans, quædam ipse ex iis quæ in opere De tẽperamentis didicisti, inuenies: alia ex ægro rogando. Sunt enim quidam ad exsolutionem faciles, atq; ideo diuturniorem inediã non ferunt, licet uiribus ualidi antea fuerint. Si iam tibi tale quippiam interroganti, & per teipsum cõiicienti appareat, & æ-
D ger facile exsoluatur, facileq; stomachus eius offendatur, ptisanæ succum exacte percolatũ quotidie modice exhibebis, memor rursus hic eius quod Hippocrates dixit: sed aliquid tum consuetudinis gratia, tum etiam ne uasorum magna fiat inanitio, ingerere conuenit. At ubi septimus dies instet, nequaquam ægrum nutrire conuenit, sed ante unum diem, uel antea, minus exhibendũ est. Atq; hæc nos adamussim uetus ille in opere De uictus ratiõe in morbis acutis perdocuit. Si tamẽ adulescenti tertio aut quarto die morbum iudicatum iri spes sit, nullam stomachi malignitatẽ, aut habitus inanitionẽ suspectam habe. At hæc si præterquam quòd iuuenis sit, etiã ualidissimas uires habeat, & longã facile inediam tolerare fateatur, & ægre exsolui tibi appareat: insuper nullus eius-

modi morbus adsit, ut acetū mulsum, aut aquam mulsam requirat, is omnino ad septimum usque diem à cibis abstinere potest. Quòd si ad tertium uel quartum quaternionem crisis futura uideatur, non ita abstinere potest, nec sola potione seruari. Quapropter non parua quædam uictus mutatio, nec morborum ideo exigua differentia.

XII Vocetur iam peracutus morbus, qui ad septimum usq; diem extenditur. Qui longius procedit, simpliciter acutus. At hic quoq; differentiæ in peracuto memoria tenendæ sunt. Etenim exacte peracutus is est, qui quartum diem attingit: non exacte, qui ad septimum usq; producitur. Eadem ratione inter acutos alius exacte acutus, qui usq; ad decimumquartum porrigitur: non exacte uero, qui ad uigesimum usq; durat: quanquam & ipse acutus sit. Adhuc aliud morborum genus, quod ex transmutatione acutum, ad quadragesimum usq; diem peruenit. Satius enim est ita uocare ipsum, quòd acuto quodam imperfecte iudicato intra diem uigesimum, deinde uehementia eius confracta, reliquum eius intra quadragesimum diem dissolui consueuit. Nonnulli autem statim ab initio uelut prohibiti, tardeq; moti, & nullam interea subitam mutationē moliti, ad quadragesimum producūtur. Duplex autem horum quoq; natura est. uel enim accessionum remissiones in exactam febris quietem finiunt, uel continua febris semper perdurat. Atq; huiusmodi de acutorum natura esse, intelligēdi sunt: alij uero manifesto sunt diuturni. Porrò Archigenes multis nominibus & diuersis laudandus est, maxime uero si studium eius artis tractandæ medicæ cognoueris: quoniam non solum tēporibus solis nudis, sed motu & natura magis acutum uel peracutum morbū appellauerit. Nam cum segni lentoq; motu cum interuallis à febre remissis ad quadragesimum usq; extenditur, nemo recte sentiens acutum, inquit, nominauerit. etenī si ante quadragesimum cesset huiusmodi, iam diuturnus est. Alios uero morbos breues uocat, æquum esse dicens, nec acutos, nec diuturnos appellari: quemadmodum paruas has, & à periculo remotas febres, quas non diuturnas esse quis ignoret: etsi ab acutorū natura recesserint. nam acutū hunc esse ait, cui motus uelox, & subito pericula adueniunt. Vides igitur nos cum solutio interdum eandem temporis præfinitionem habet, uel acutum morbum, uel non acutum nuncupare: eodem modo quandoque alium acutum, alium diuturnum, ipso motu solo distinguentes. Noui igitur complures ad quadragesimum usq; diem continua febre conflictatos esse. ita uoco eam quæ nunquam ad febris quietē desinit. Quapropter huiusmodi morbum non fuisse diuturnum dicere possum: non tamen simpliciter acutum nominare ratio est. Sed enim cum ex transmutatione acuti exactæ solutionis terminum habent longissimum, diem quadragesimum, nonnulli uero continua semper febre ad hunc usq; extensi sunt: ponatur & hoc tempus aliquando iam diuturnorum affectuum, qui mani-

A festo remissionem habent, sicut antea diximus, aliquando acutorum esse decretorium. Itaq; Hippocrates in Prognostico his uerbis utitur: Facilis spiratio in omnibus acutis morbis quibus febris copulatur, quiq; intra quadraginta dies iudicari solent, admodum magnum ad salutem momentum habere putanda est. non enim simpliciter acutis dixit quamuis dicere potuerit, sed cum additione hac, nempe qui intra quadraginta dies iudicari solent: tanquā acuti quidam sint, qui perfectæ solutionis gratia ad eum diem prolongentur. proinde acuti simpliciter intra decimumquartum diem iudicari solent. Qui iam quadragesimū attingunt, interim hi ipsi sunt, qui intra decimum quartum diem imperfecte iudicantur: interim

B quorum paulo ante memini, non frequenter adeo euenientes. Quinctiam tertium genus illorum est qui manifesto iam tardi acutis oppositi, quadragesimum diem habent decretorium. sed de his post paulum dicturi sumus. Cæterum uniuersum prædictum genus acutum nominetur ex transmutatione, quam Græci μετάπτωσιν uocant. Ostensum nobis est tum alibi, tum in tertio de spirandi difficultate potissimum, quòd in Prognostico, & de simpliciter acutis differit, & ad hæc de ijs qui ex illorum transmutatione fiunt. Cum igitur ad libri calcem in uniuersum de illis pronunciasset hæc uerba: dico autem de acutis morbis, & qui inde proueniunt: membratim de aqua inter cutem hunc sermonem protulit. Aqua inter cutem

C si ex acuto morbo cœpit, omnis mala est. Pari modo cum de purulentis & phthisicis tabidisq; affectibus, item de ijs qui ex abscessu in longum tempus porriguntur, uerba facit, clare innuit proposi ti se non oblitum esse, morbos qui ex acutis diuturni fiunt, commemorans. Sic ergo & illa dicta sunt. Reliquæ autē suppurationes magna ex parte rumpuntur: sed aliæ in die uigesimo, aliæ trigesimo, aliæ quadragesimo, nonnullæ ad sexagesimum usq; perueniunt. Quinetiam in dierum decretoriorum enumeratione, qui in Prognostico recensentur, ad sexagesimum usque diem meritò processit. Quoniam enim non de acutis solum, uerumetiam de ijs qui inde progrediuntur sermonem instituit: nec inepte puto tum in ipsis decre-

D torijs tum in doctrina de abscessuū ruptura sexagesimi diei commeminit. Qui ergo hanc disciplinam non intellexerunt, ij nequicquam ac frustra quæstiones in his texunt: dissentire putantes cum ijs quę in aphorismis tradiderit, morbos inquiens acutos quatuordecim diebus finiri: quasi ipse Hippocrates non accurate ostendisset, dicens aliam esse naturam acutorum ex transmutatione, quàm illam quæ absolute acutos respicit. Longe enim secus est quàm illi putant: quoniam si non acutorum duplicem naturam cognouisset, aliam absolute acutorū, aliam transmutatione, nō sane distinxisset appositione suam sententiam, uerum simpliciter dixisset: Facilis spiratio in acutis morbis, ualde magnum ad salutem momentū habere putanda est. Nunc autē cum huiusmodi dictionem simpli-

simpliciter acutos declaraturam sciret, nō tamen ita, uerum cum his etiam alia complecti uellet, non sine ratione apposuit, primum, quibus febris copulatur: non adscribēs continua, quod absolutè acutorū erat proprium. Deinde qui intra quadraginta dies finiri solēt, perinde ac si alij quidem acuti sint, qui diebus quadraginta non finiant. Quare undequaq; morbi naturam, quo de in Prognostico tota disputatio est, clarè distinxit Hippocrates, demonstrauitq;. At interpretes luculenter dicta, obscura reddere moliuntur. Quòd ergo nominis appositione quæstionē quam cōtexunt soluere conantur, condonandum est. At hoc facient qui ita scribunt. Facilis spiratio in omnibus acutis morbis & quibus febris copulatꝛ, quiq; intra quadraginta dies iudicantur, magnā sanè uim ad salutem obtinere cēsenda est. Nonnulli etiam non adscribunt, &, inaudiendum esse dicentes, ut sermo eius duplex fiat: alter de acutis morbis, q̄s in Aphorismis exposuit: alter de alijs qui febrem iunctam habent, & quadraginta diebus iudicantur. Iam uero nec in Aphorismis decimumquartum diē decretorium, sed illic quatuordecim omnes decretorios dies Hippocratem pronunciasse arbitrari (esse enim tot, si quis à tertio, qui primus omnium decernere natus est, ad quadragesimum usq; numerauerit) non paruam reprehensionem meretur. Neq; enim ut medici hoc dicunt, nec ut qui numerare sciant, aut legere. Nam si medici essent, primum sanè nullum exactè acutū morbum ad quadragesimum diem non iudicatum peruenire scirent, deinde ne quatuordecim quidem numero esse ad quadragesimum decretorios. In hoc autem ne uel numerare ipsos nouisse, quis iure dixerit. Plures namq; sunt ac quatuordecim ijs sanè qui ueritatem ipsam, rerumq; euidentiam inspiciunt: item id quod Hippocrates in primo Epidemion scriptum reliquit. Superius uerba ipsius apposui, quibus decretorios dies uniuersos edocet: ubi si quis numerare didicit, plures indubiè ad quadragesimum diem euenientes, quàm quatuordecim inueniet. Porrò si qui solos dierum quaterniones computent, forsan in hoc errare deprehensi, fatebunꞇ pauciores esse hos ac quatuordecim. Quod autem ne legere quidem nouerint qui huiusmodi effutiunt, sic maximè disces. Si igitur in Prognostico quadragesimum diem decretorium esse acutorum dixisset, deinde in Aphorismis quatuordecim diebus summatim eos iudicari: tunc nimirum tale quippiam cum illis considerare licebat. At cum in opere Prognostico quadraginta diebus finiri eos dicat, & in Aphorismis quatuordecim, maximè ridiculum est sentētiam eius alibi aliter inaudire. Meliores ijs sunt qui nō sermones consentientes, uerū alterius cuiuspiam Aphorismos esse, alterius Prognosticon demonstrare conantur. Sed hi ob animi magnitudinem sunt nobis miraculo. Quod iam utilitatem huius disciplinæ semper inspiciens Hippocrates, simpliciter quidem acutos quatuordecim dierum terminum habere rectè dixit, ex transmutatione uero acutos nunc quadragesimum, nunc sexagesimum diem assequi, abunde ostendimus.

XIII Sciendum autem est cōmuniter de omnibus eiusmodi notæ, q̄ quę ex quantitatis cuiusdam in particulas diuisione fiunt, acerualem dubitationem comitem habent. Itaq; sic diuidēdum est, ut nec particulæ multum alioqui differentes, sibi mutuo coniungantur: quod dum quæuis in pauca secatur quantitas, accidit: nec adeò multæ fiant, ut doctrinæ utilitatem excedant. Quamobrē si quid optime diuidi possit, Hippocrates præter cæteros hoc mihi fecisse uideꞇ. Primum, peracutos ad septimum usq; diem peruenire demonstrat: quos, ut dixi, in Aphorismis tenui admodum uictu tractandos esse præcipit: Deinde in commentario De uictus ratione in morbis acutis, quosdam in omnimoda inedia seruandos esse usq; ad diem septimum: postea uero quartumdecimum absolute acutis terminū statuit: post hæc ad uigesimum procedit: rursusq; utriusq; speciei morbū ad quadragesimū: itidē ad sexagesimū perducit: postremo decretoriorū dierum supremū finē centesimum & uigesimum diē constituit, quatuor uidelicet mensiū tēpus: deinceps alios mensium decretoriorum numero, alios annorum solui scribit. Atq; hæc disciplinæ utilitas est. Coincidunt autem nōnullæ quæstiones logicæ, quæ mitigationem requirunt, sicut & hæc opinor, quòd morborum qui apud omnes acuti habentur, non nulli decimumquartum diē excedere uideantur: ideoq; Diocles etiam non decimumquartum, sed uigesimumprimum terminum eis posuit. Atque hic quidem errauit, uigesimumprimum magis q̄ uigesimum terminum ipsis præstituens: quanq; non omnino falsus sit, quartumdecimū excedendo. Nam quosdam qui acuto morbo laborarant, decimoseptimo & uigesimo liberatos esse cognouimus: uti apud Hippocratem quoq; in ipsis Epidemijs inuenire licet. Quomodo igitur si hoc ita habet, & quidam acuti morbi decimumquartum diem excedere uidētur, terminum ipsis hūc diem in Aphorismis constituit? Promptum quidem erat dicere, hoc rarenter, illud sæpissime accidere consueuit. Quinetiam Hippocrates aliquando solum id quod crebro oculis usurpauit, nihili faciens id quod raro euenit, pronunciat. At profundiorem quandam habet sententiam pronunciatum, si quis ipsum cōmode disquisierit. Qui namque ad decimumseptimum diem, aut uigesimum prorsus acuti morbi exciderunt, hi planè inceperunt tanquam submersi, lento motu grauiq;: deinde alij in primo quaternione, alij in secundo exactè acutorum motum recipiētes, ad decimumseptimum & uigesimumprimum exciderunt: quanquam & hi intra decimumquartum suum finiantur. Nam in dierum quaternione uehemētiam incipiētes, deinde decimoseptimo finiti, decimumquartum suum diem non excesserunt. Nouit hoc quoq; Diocles ipse, & alij propè omnes ueteres. Phreneticos sanè à primo die statim non adeo fieri ait. Igitur si quis phrenitide captus, uel quinto,

uel septimo, uel decimoseptimo, uel uigesimo liberatus sit, nulli dubium hunc intra decimũquartum suum diem crisim sustinuisse. In hoc iam maxime etiam uigesimum diem ambiguitatem adferre puto: quippe qui potentiæ ancipitem naturam habeat, tũ quòd sæpe post primos dies morbos acutos factos iudicet, interim de prius iudicatis iterum decernat. Nullus enim à primo die acutus in hunc illabitur, qui non prius iudicium expertus sit. Quòd si in priore quodam die imperfecte finitũ sic prorsus discusserit, non impedit quo minus acutorum morborũ decimusquartus dies terminus existat. Qui uero ab initio submersi, lenti꜑ apparent, & inde ad quadragesimũ tales perdurarint, & rursus intendantur, hos iure diuturnos appellaueris: quemadmodũ acutos quidem manifesto, sed qui ante uigesimum non securè finiti sunt: deinde remiserint: post hæc reuersi, mox acuti rursus facti sint: nouissime quadragesimo

A die finiti: dubitaueris absolutène, an ex transmutatione acuti nominandi ueniant: immo magis an diuturni: quippe in ambiguis & obscuris certum iudicium quærere nõ oportet. Nã pro rerum natura certam semper sententiam pronunciare conuenit. Vbi uero rerum natura simplex prorsus est, ibi & manifesto & simpliciter pronunciandũ est: quoniam & Hippocrates in ipsis Aphorismis, cũ decimumquartum diem acutis morbis finem statuisset, statim etiam decimiseptimi his uerbis meminit. Contemplabilis rursum decimusseptimus est: hic enĩ quartus à decimoquarto, septimus ab undecimo est. Significat nam꜑ hic uigesimum tã quam secundum quendam acutorum terminum. Quoniam uero hic liber magnam satis prolixitatem modo habet, finire ipsum iam cogito. Quod B de dierum decretoriorum speculatione reliquum est, id uniuersum in tertio exequar.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI TERTII

Quod superiorum astrorum facultas nos afficit, sed præcipuè Solis, & quod huius uiribus Luna operatur. Comparatio inter Solem & Lunam. Aer ingentes mutationes sustinet, dum Luna primo occultatur, & dum primo apparet. Quod non solum mẽsis per septimanas à Luna uariatur, sed etiam unaquæ꜑ res. Quæ periodi ad Lunam, & quæ ad Solem pertineant. Cur in acutis morbis plures concidentes dies sunt decretorij ꝙ in lõ C gis. Quod numerus dierum nullam uim habet ad ferenda iudicia: & quòd non à numeris, sed à Luna mutationes circa terrena fiunt. Differentiæ peracutorum morborum. Quod septimanæ non habent integros septem dies: & quomodo tres septimanæ uiginti dies cum dimidio conficiunt. De natura morbi acuti. Quod morbus breuis alius est ab acuto, & quod tardus & diuturnus est idem.

GALENI DE DIEBVS DECRETORIIS LIBER TERTIVS



VI iam causas, cur non quilibet dies sint decretorij, considerare melius esse duxerit, is hæc sibi composita esse censeat. Et quidẽ inuẽtionis dierum decretoriorũ principia fateri conuenit, quemadmodum superiore commentario dictum est. Sunt autem genere duplicia, quæ non omnes similiter dies de morbis decernere, ab experientia euidens afferũt testimonium: quod꜑ D circuitus septimani ualidissima sint uirtute prædi ti: post hos quaternarij: quidam uero extra hos coincidant: immo quòd nec omnes septimanæ inuicem separentur, sed aliquæ ipsarum etiam coniungantur, nec omnes quaternarij, sed ex ijs quoque alij seiungantur alij coniungantur. Insuper ꝙ acutis morbis impari dierũ numero, longis pari iudicia in totũ accidãt. Omnia huiusmodi quæ prius recensui, experientia satis approbat. Porrò causas horum ratione nobis indagãtibus, duo prima omniũ quæ fiunt, primordia esse statuẽda uidenẽ. Inordinatũ uidelicet, q̃d ex hac mundi materie proficiscitur: ordine uero ornatu꜑ procedẽs semper, quod cœlestibus originem fert acceptam: omnia siquidẽ in hoc orbe ab illis decus, ornamentum꜑ capessunt. Atque iam & in his duobus principijs quæ ex experientia cognita sunt, & ratio suppeditauit, omnium quæ ratione & experientia ipsa in diebus decretorijs intelliguntur, causas inuenire conabimur: hinc facto sermonis exordio.

II Omnium certe superiorum astrorum potentia fruimur: uerum sol maxime hunc orbem exornat, & concinne disponit: quippe ueris, æstatis, autumni, et hyemis autor alius nemo extat: nec alius tam manifesto uel ex terrestri fece animalia generare potest: ne꜑ fruges maturare: ne꜑ ad coitum, & generis propagationem animantia prouocare. Magna sanè & lunæ opera in hac rerum substantia apparent: uerum solis effectibus posteriora. etenim menses hæc perpetuo ordinat: id꜑ euidenter adeo in marinis beluis: quanquam & hoc ipsum solis beneficio debet: nouum enim ipsa lumẽ sortitur, cum sole primum fruitur. tanta uero eius portio semper illucescit, quantam sol aspicit. prorsus autem deficit, lucis꜑ expers redditur, ubi terra suo interuẽtu ipsam obtenebrarit. Quapropter à solis recessu omnes mutationes suscipit. etenim plena est cum diametra apparet. Aequa portione diuisa, διχότομος Græcis appellatur, cum quadrãgula est: gibbosa, cum triangula, & falcatam speciem refert, sex angulis prædita. Atq꜑ tunc primum recens est, cum post solis cõgressum apparet. Obscuratur omnino, cum solis lumẽ circa eam emergit

git. Igitur fructus auget, incrassatq; animantia implet. Ad hæc menstruorum statum tempus mulieribus conseruat. Item comitialium circuitus custodit, inde, quòd solis plus uel minus participat. Omnia siquidem quæ facere nata est, ubi falcis figuram repræsentat, languida fiunt. inualescunt omnia, cum plena fuerit. Quapropter & fruges interea adauget maturatq; celerrime: occisa corpora in tabẽ resoluit: somnoq; sopitis sub eius lumine, uel aliter diutius immoratis, pallorẽ & capitis dolorem conciliat.

III Vt igitur luna solis auxilio in omnibus indiget, ita sol ad nullam rem maximã, uel alterius cuiusdam astri, uel ipsius lunæ operam desiderat. A nullo enim impeditur quo minus æstatem faciat, cum in uertice nostro constiterit: aut frigus adducat, si humilis eius cursus fuerit: aut æquinoctium utrunq; constituat, cum mediocriter obliquus uidetur: sed ipse uelut rex quispiam maximus est: luna uero ut princeps non mediocris inter illum & nos medius constitutus, terrestrem regionem merito gubernat: non potentia cæteros planetas, sed uicinitate exuperans. Huius rei gratia maxime frigus nostrum locum occupat, cum sol ad hyemalẽ plagam declinauerit: tunc calor nos exercet, ubi supra uerticem nostrum, aut prope ipsum fertur. Luna uero particulares cuiusq; mensis dies disponit, paruæ mutationis facultatem habens: eaq; nõ simpliciter ex se, uerum ex solis aspectu consequitur. Vehementiores itaq; mutationes eueniũt, ubi ipsa cũ sole coit: insuper in apparitionibus plenilunij: minores his contingunt, dum medio orbe apparet: obscuræ, dum curuata in cornua ac falcata uidetur. Nam ualidissima eorũ quę prius erant, mutatio, coitu lunæ, & dum illustratur, committitur: quippe quæ prius apparebat, nunc nulli cõspicitur. Dein diametra lunæ statio tanquam distinguens eam, in binasq; partes secans contrarias lunæ eiusdem dispositiones, omniũ est ualidissima. quòd uero dispositio incrementum, diminutioni maxime sit contraria, uerbis non indiget. Post coitum uero & plenilunium, ualidæ sunt duæ diuisiones dichotomi dictæ medium utraq; secans, augmenti tempus prior, diminutionis altera. At omnium extremæ obscurissimæq; aeris nos ambientis conuersiones in falcatis incuruisq; apparitionibus fiũt: magis autem in curuis. nulla siquidem in eis magna mutatio sicut in falcatis apparet. Quare nec Aratus male ipsas neglexit, tãquam obscuras existentes, conuenitq; eos laudare qui de his scripserint, tanquam ne uel minimum quidem omittentes. An in plenilunijs conuersiones, & his adhuc magis in congressibus, proprium hoc præter cæteras habẽt. Illæ siquidem celerrimas statim mutationes faciunt: coitiones uero seu cõgressus inæquales & diuturnas. Nam quid ante lunam apparentem manifesto pronuncies, nõ est: longum autem hoc tempus occultationis est, integri ferè signi cursum explẽs. Porrò mutationem ex incremento ad diminutionẽ, punctũ exacte definit: liquetq; hoc lunam momẽtaneo tempore pertrãsi-

A re. Itaq; ex ratione breues plenilunij mutationes sunt: diuturnę uero, cõiunctionales. Nam occultationis tempus sibijpsi simile est, & quod prima apparitio habet, occultationi uicinum est, tum propter plenilunij particulæ apparentis paruitatem, tum ob luminis obscuritatem, & breuitatem temporis, quo supra terram fertur.

IIII Tuta igitur crisis euadet, in toto morbo constitutionis, in secundo die: quo primo & manifesto luna, & longo satis tempore super terram iam apparet, & lumẽ sensile de se mittit, ad hæc umbrã euidenter ostendit. Primus autem dies tamdiu lunã supra terram uagãtem habet, quãdiu adhuc solis etiã lumen post occasum retinet. Quare in hoc luna simul cum lumine occidit: sæpe uero & prior B est occidua: secũdo uero die primum elucescit: & nunc minus, nunc magis apparet. Atq; hoc ei accidit iuxta longitudinẽ à sole recessus, qui ob peculiarem lunæ motum fit: nõ enim ex æquo semper mouetur: tum propter latitudinis immutationẽ, tum propter signorum occasum non æquali tempore euenientem, insuper ob pręteriti congressus tempus. Vnde nõ semper unum tempus est, quo clare luna conspicitur: omnino uero triduo in coitu solis remorata, planè inuisibilis est: quo nondũ hæc terrena immutare potest. Et tempus, tum peculiaris eius circuitus, tum in nos actionis in idem quodammodo recidit. Etenim circuitus uicenis diebus, septenisq; & tertia ferè diei parte peragitur. In tanto enim tempore totum signiferi circu- C lum percurrit. At quo nobis lucescit circuitus ꝙ is quoq; eidem conueniat numero, planè intelliges si occultationis tempus de toto menstruo eximas. Quòd autem menstruum tempus non omnino triginta diebus constet, sed minus unius diei ferè dimidio, Hipparchus integro uno libro demõstrauit. Quin & uulgus iam propè uniuersum nouit mensium alium, quem κυλλὸν Græci nominãt, quasi mutilum & imperfectum, dies uigintinouẽ obtinere: alium, nempe absolutum, triginta. Nam uniuersos duorum dies quinquagintanouem esse oportet, siquidem uterq; omnino triginta, minus dimidia diei parte continet:

V Quemadmodũ igitur annũ integrum sol absoluit, ita luna mensem: immutatione perseptima- D nas ei accidente. Nam utrumq; tẽpus, & quo post primam apparitionem in medium orbem accrescit, & quo inde plenum efficit, septem diebus absoluit: ambo quatuordecim. Simili modo si à pleno orbe, ad secundam diuisionem eiusmodi rationem subduxeris, et hos dies septem reliquosq;, donec planè ab oculis luna declinata fuerit, itidem septem inuenies. Cæterum aera nos ambientem magnas adferre mutationes, dum luna primum occultatur, & rursus primum apparet, nemo mortalium ignorat: maxime ij quibus hoc studij est, agricolæ, & nautæ: qui statũ aeris tunc uocant, cũ luna primum apparens, uento quopiã firmatur. Quamobrem Aratus quodam loco uerissime scribit de luna, ubi primum post coitionem apparuerit, hoc modo inquiens:

Cynthia si cornu, quod se sustollit in altum,
Incuruum specie uelut annuat, adfore cœlo
Sæua procellosi prædicet flabra Aquilonis.
Rursus eo ueniet pluuius Notus, hac ubi partem
Pone supinari conspexeris, inque reclinem
Sponte habitum: uerum si lumen tertius ortus
Proferat, atque deæ conuoluat circulus oras
Suffusus rutilo, mox tempestate sonora
Spumosum late pelagus canescere cernes.

Quinetiam hæc in eodem libro scribit:

Omnibus at fiunt non omnia signa diebus
Sed quæ signa nouo dederit nox tertia motu
Quartáue, sustollit medios dum Cynthia uultus,
Durabunt cœlo, medio & quæ edixerit ore
Altera prouisæ ijs signantur tempora lunæ.
Et rursus pleni quum præfert luminis orbem.
Illa eadem hinc donec germani luminis ignis
Accedat Phœbæ, mensis postrema notabunt.

Non ad omne tempus, quod ab initio fuit, primæ apparitionis signa sufficere confirmat: sed plenilunium, eiusque dimidium geminum mutationes quasdam afferre. Cæterum omnis uelox mutatio, crisis appellatur. & constitutionẽ sanè de luna dũ effigiem falcatam repræsentat, dicunt: deinde ad plenilunium transferunt similiter uocantes. Hoc eñ ualidas uires obtinet: uerũ semilunaris statio imbecillior eo est: etsi hæc quoque de aere decernat. Quare aerem à luna immutari secundũ septimanas, iam est perspicuum. Quòd autem aliæ res uniuersæ inde quoque mutantur, omnibus non perinde constat, sed ijs qui huiusmodi accurate obseruarint, in confesso est. Ad hæc post seminis conceptionem omnis impraegnatio. Insuper nihilo minus hac & post partum adauctio. Itẽ omne actionis initium magnas alteratiões in septimanos circuitus retinet. Quæ namque quotidie omnibus quę subsistunt, incidũt, horum causam luna habere obseruata est: maximeque in tetragonis & diametris stationibus ea immutans. Nam si luna in tauro existente semen concipiatur, uel partus, uel omnino alterius cuiusdam principium contigerit, magnas eius mutationes inuenias, cum in leone, scorpio, & aquario signiferũ ambit: uerum in leone tetragonos, id est, quadrata statio septimanæ unius existit. In scorpio diametra duas septimanas habet. Ita quoque in aquario secunda quadrangularis statio in tertiam septimanam procedit, idque necessario: quòd luna, sicut ante diximus, uicenis diebus, septenisque, & particula quadam adiecta, maxime tertia diei parte uniuersum signiferi ambitum peragit. Si namque in tanto tempore totum orbem pertransire oportet, cõstat quartam ipsius partem in septem propè diebus eam expedituram. Proinde huius te admodum meminisse conuenit, nempe lunæ transitionem in tetragonon non diebus septem integris circumscribi.

VI Porrò illud denuo repetẽdum est, quod nos quoque obseruantes uerissimum semper esse comperimus, ab Aegyptijs astronomis inuentum, lunã non modo ægris, sed etiam sanis, dies quales tãdem futuri sint, posse prænunciare. Si etenim ad

A planetas temperatos steterit, quos iam & salutares Latini, ἀγαθοποιοὺς Græci nominant, faustos ac bonos producere: si ad intemperatos, graues, molestosque. Fingamus homine quodam nascente salutares planetas in ariete, malignos in tauro esse: is homo nimirum cum luna in ariete, cãcro, libra, & capricorno fuerit, pulchre deget. Cũ uero taurum ipsum, uel tetragonum aliquod, uel diametrum tauro ipsi signum occupat, male tunc & moleste uitam transiget. Atque iam morborum initia huic, cum luna in tauro, leone, scorpio, & aquario fuerit, pessima. Sine periculo aũt & salutaria sunt, cum arietem, cancrum, libram, & capricornum luna permeat. Ad hæc alterationes magnas, quas in tetragonis & diametris per septimanas fieri diximus, in letalibus quidem morbis letales & ipsas,
B in salubribus bonas euenire necesse est. Quamobrem Hippocrates etiam damnat maxime immutationes quæ in diebus decretorijs ad peiora declinant: quippe quod letalis morbi symptoma sit, quem admodum (ut arbitror) benigni, sed ad sanitatem tendentis cõtrarium. Quòd siquis & huius ipsius causam, cur quadratæ & diametræ stationes sint potentissimæ, quærat, is longissime à proposita disputatione digreditur. Nam in præsentiarum non primas causas omnium quæ ad astronomiam pertinent, sed quæ proposito nostro conducant, inquirere cogitamus. Vtiles autem causæ sunt, quæ septimanæ naturam interpretantur. Rursus igitur eas in summam colligamus. Lunæ tetragonæ &
C diametræ stationes in principijs bonis bonas faciunt alterationes: in malis malas. Atque hoc præterquam quòd astronomis in confesso est, integrum est & tibi obseruare. Sin autem huiusmodi deprecaris, nec ijs qui obseruarunt fidem adhibes, indubie sophistarum ubique nunc obstrepentiũ aliquis es, qui ratione manifesto apparẽtia nos approbare postulant, cum econtrario ex euidenter apparentibus, abditorum ratiocinatio indagãda esset. Ita suo quæque res principio circuitus sequentes uniuersos consonos habet.

VII Circuituum uero alij numero quodam dierum constant, alij mensibus. Iam uero qui diebus constant, septimani sunt, & ad lunam pertinent: Qui mensibus, ad solem referuntur, hoc modo e-
D uenientes. Iterum enim ab Hippocratis uerbis initium sumẽdum est, æstiuos morbos dicentis hyeme solui, hyemales æstate. Hoc quidem longorum morborum & quasi dicas annalium iudicij statum tempus est, quemadmodum acutorum decimusquartus dies. Cum enim à mensis principio ad usque plenilunium tempus, totius lunaris circuitus dimidium existat, eãdem rationem habet cum interuallo, quod ab hyeme ad æstatẽ usque intercedit. Quinetiam à plenilunio ad usque occultationẽ tempus, spatio quod ab æstate ad hyemem usque porrigitur, proportione respondet, sed horũ utroque bifariã secto, in acutis morbis septimana est: in diuturnis clarissimorũ syderum exortus: quorum ratione uer, æstas, hyems, & autumnus describuntur. Non etenim pari dierum numero hæc

ſecundum ullius aſtronomi ſententiam diuiſa ſunt, uerum manifeſtis circumflui aeris mutationibus diſtinguntur. Rurſus & alio modo. Quemadmodum ſeptimana acutorum morborum decretoria eſt, ſic temporis annui mutatio diuturnos morbos diſcutit: ut in hyeme quidem conſtitutum morbum uer diſſoluat: in uere conflatum, æſtas. ſimili ratione per æſtatem contractum, autumnus: in hoc paratum, hyems. Cæterum anni tempora ſingulis partibus bifariam diuiſis, menſis quaternionibus proportione reſpondēt. Quin aſtrologis etiam dicitur, quem in modum anni tẽporis cuiuſq; & initium & finis, ſyderum manifeſtorum ortu et occaſu deſcribitur, in eundẽ quoq; ſinguli medietas alterius rurſus ſyderis exortu diſtinguitur. Itaque uniuerſas particulares morborum mutationes, uel tanquam ad proprium ipſorum principium, uel ambientis nos aeris conuerſionem, euenire neceſſe eſt. Qui igitur ex proprio principio mutantur, lunam ſequuntur: qui uero ceu ab aere nobis circunfluo immutantur, in toto quidem anno ſolem, in ſingulis menſibus lunã. Hinc iam accidit mutatiões ualidiſsimas eſſe, quæ uidelicet cuiq; per ſeptenos dies proprie contingunt: quamuis etiam ipſis quodammodo commiſceantur, quas aer excitat. Quare merito ex eo quòd ſemper eodem modo accidant, in id, ut plerunque fiant, decidunt. Adhuc autem magis acceſsionum uiolentia criſes ante tempus inuadere compellens, ipſarum ordinem perturbat: ut in ſermonis proceſſu dicemus. Ad hæc uaria ægrorum in ſe peccata, medicorumq;, ſi medici appellandi ſunt, nõ artis corruptores, qui hoc ſeculo permulti ſunt. Nec minus illa quæ ægris propter miniſterium non rite adminiſtratum, & extrinſecus accidunt nonnunquam: uti prius diximus. Igitur ſeptimanorum circuituum uirtutem mirari conuenit, ſi tot cauſis eos imminuentibus, multo tamen alijs fortiores inueniuntur. In acutis quidem morbis coincidentes decretorij plures ſunt: quoniam & corpus mutationi accommodum, in motu & perturbatione uehementi conſtitutum eſt: in longioribus, uia & ordine magis ſeptimanarum circuitus procedit. Quapropter ab acutis omnibus ordine incipiemus, denuo decernentium dierum cauſas inueſtigantes.

VIII Iam quidem in primo febres diarias ſolui contingit, idq; ferè nulla cum uehementia, & perturbatione effatu digna. quanquam nonnulli Hippocratem quoque dies decretorios in Epidemion priore enumerantem & primi meminiſſe putant, duplici nomine errantes: circuitus enim primus, & non dies primus manifeſto ſcriptus eſt in parium impariumq; dierum catalogo. Quemadmodum igitur in parium enumeratione primum circuitum præfatus, quartum diem inducit: ita in mentione imparium, tertium. Atqui multo magis ignorant, quòd à fronte operis prognoſtici deſcriptum reliquerit de facie emortua: quòd ſi ob huiuſmodi cauſas hæc faciei ſpecies orta eſt, una die noctéq; iudicatur: non intelligentes loco

A uerbi probatur, & cognoſcitur dictum eſſe. Hos igitur miſſos faciamus. Cæterum principium acute decernentium dierum, qui cum perturbatione quadam morbos mutant, tertium à principio ſtatuere oportet, ueluti prius dictum eſt: quippe qui iam nullam cum prima ſeptimana communionẽ habeat, ſed ex coincidentibus exiſtat. Siquidem quaternio, quod ſeptimana in duas partes ſecta abſoluitur, ideo per magnam facultatem obtinere, in priore ſermone dictus eſt. Tertius uero & quintus licet alia nulla ratione, quàm quòd iudicia cum acceſsionibus fiunt, coincidant, non minus quarto die decernunt: quoniam hoc ipſum & ab experientia teſtimonium habet, & ratione cõtemplantibus non obſcura eius cauſa eſt. Nam
B perturbationis uiolentia, naturam, ea quæ moleſtant, etiam ante tempus propulſare compellit: quippe uirtus ipſa eſt alienorum expultrix: quemadmodum in opere De naturæ facultatibus antea demonſtratum eſt. Tempus autem actionis in fine alteratoriæ facultatis eſt: tunc enim functionẽ obire, omnibus ſecundum naturam abſolutis, oſtendebatur, cũ illa ab actione deſtiterit. Verum ante perfectam coctionẽ interim quæ offendunt, amoliri cogitur, ut interdum concoctione iam abſoluta moratur adhuc, & lente propter imbecillitatem munus ſubit: utrunq; in uentriculo clare licet contemplari. Inſtigatus enim concoctionis tempus non expectat, ſed protinus etiã idoneum cum eo quod moleſtat, excernit: & ubi iam ſatis
C concoxerit interdum lente ac cunctanter ſuperfluum imbecillitatis uitio expellit. At cum natura li habitu fruit̃, perfectæ concoctionis tempus, ipſius recremẽtorum expulſionis terminus eſt: quẽ neq; præuertit, neq; præſentem adhuc morat̃. Cæterum ut in uentriculo, ſic in ſingulis totius corporis partibus alienorũ expultrix facultas eſſe oſtendebatur: quæ meo ſane iudicio & criſim in morbis efficit, atq; propterea optimæ fiunt, cum iam omnia in animantis corpore cõcocta fuerint. Præuenire autem criſim, quod Hippocrates προεκρήγνυσθαι, quaſi dicas, prærumpere, appellare conſueuit, malum eſt. Nam idonea ſimul cum ijs quæ lædunt, excernuntur: fitq; hoc natura incitata uel ab exteriore quodam, uel ab ijs quæ in ipſo corpore
D detinentur. Extrinſecus igitur eſt medicus qui parum recte quid fecerit, æger, famuli, atq; alia, quæ proprie exteriora nominãtur: in ipſo corpore offendunt morbi ipſi, eorumq; cauſæ, & exacerbationũ acceſsiones. Cõſidera iam mihi tale quid in natura accidiſſe, quod hominibus infirmis contigit: qui à fortioribus quibuſdã irritati, pro neceſsitate impetum faciunt, inuaduntq; eos, et imparati pugnantes ſuperantur. Quinetiam onus deponere quis uolens, interim uel inuitus cum eo concidit. Item uehementius quis currens, deinde ſe ipſum retinere nequiẽs, inuitus contra conuallẽ delatus eſt. Omnia hæc exempla malis iudicijs attribuuntur: de quibus in opere De criſi copioſius dicturi ſumus. Sed nũc quoq; neceſſariũ dicetur, cum inſtituerim quidnam uerbo προεκρήγνυσθαι, Hippo-

Hippocrates sibi uelit, interpretari. Etenim fieri non potest, ut qui de diebus decretorijs quippiam referre aggressus sit, nihil de crisi etiam dicat: uel qui de crisi doceat, non etiam de diebus decretorijs uerba faciat. Verum sermo ad propositam institutionem semper reuocandus est: & tantam adhærentium mentionem facere oportet, quanta necessaria esse uidetur. Vnũ iam ex illis, quæ naturam stimulant, & ueluti prouocant, exacerbationis accesio est, nullam quietẽ, nec moram cõcedens, uerũ incitans, mouẽsq;, & ueluti dixeris pugnam indicens. Vnde acutorũ morborum in diebus imparibus iudiciũ cõtingit, in his enim & accesiones sunt. Quæ igitur causa sit, ob quam in acutis morbis tertio quoque die plurimum accessiones fiant, in longis autem uel quotidie, uel quarto, nõ promptũ est inuenire: nec in præsentia disquirere necessariũ. Quòd uero sic eueniũt, oculis usurpare licet, & ad præsentia rationẽ ex principio habet. Si enim ponamus ut etiam apparet, secunda ab initio accesio ad tertium diem delabetur, tertia ad quintum, quarta ad septimũ, quinta ad nonum. Omnes autem in impares incidunt. Cum ergo natura non conuenienti semper tempore de morbis decernat, sed concitata plerunq; aliàs ab alijs causis, à quibus accesio in morbis acutis frequentissime contingit, (ostensa uero est in impares incidere) in imparibus acutorum morborum plurima iudicia fieri ratio est. At dies ipsi primariam decernendi uirtutem non habent, (semper enim huic animum adhibere oportet) sed per accidens aliquod sic eueniunt. Prædixi opinor manifesto iam hoc accidens: siquidem ratione, qua morborum iudicia omnino in accesionibus accidunt: hæ autem in dies impares incidunt: eadem in morbis acutis imparibus diebus iudicia contingunt. At si dierum numerus ipse decernendi facultatem haberet, non frequenter diebus imparibus, raro paribus, uerum perpetuo imparibus, nunquam paribus de acutis morbis iudicium fieri oporteret. Neq; enim septimi uel quarti numerus crisis author est, sed quòd luna innouante & terrena immutante, motum quoque circuitus ad hos principes numeros uenire contingat, merito in ipsis tanquam stata alterationũ tempora inueniuntur. Quippe mutationes non numeris, sed lunæ terrena debẽt: at cum in motu mutans consistat, tempus mutationibus necessario cõiunctum est: quare etiam numerus necessario. Non igitur quòd omnis par numerus fœminam, impar masculum referat, acutorum iudicia imparibus diebus accidunt: neq; enim impar absolute pari fortior est, neq; si fortior, iam fœmininus imbecillior: neq; si fœmininus quidem hic, masculus autem alter sit, acutos morbos in masculis numeris iudicari, diuturnos in fœmininis, rationi cõsentaneum est. Omnia siquidem quæ de numerorum uirtute nugantur, tam facile absurda esse deprehendimus, ut mihi subinde mirari subeat Pythagoram illum tam sapientẽ uirum numeris tantum tribuisse. Atqui nunc aduersus ipsos nugari

A non uacat: nam satis est ad rem institutam, terrena lunam immutare, & in septimanis potissimum magnas parere mutationes: post in quaternionibus exiguas: ad hæc crisim exacerbationis accessione plurimum indigere: item accesiones tertio quoq; die in morbis acutis euenire: his etẽi subiectis, acutos morbos in imparibus diebus magis ad iudicium tendere necesitas erit. Huius rei gratia tertius & quintus merito decernunt: non ex lunari circuitu decernendi potentiam sortiti, sed quòd ob uiolentam accesionem tertius crisim quarto die futuram præuertat. Et per Iouem natura dum quarto die lassa, nec quouis modo incitata, conquiescit, quinto ad iudicium commoueatur. Nam hic uero decretorio tardius uenire, tertius paulo magis anticipare in decernẽdo uidetur:

B quòd uicini ambo uere decretorio, accesiones susceperint. Iam uero & nonus inter duos decretorios septimum & undecimum medius, uel non factum in septimo die iudicium, uel undecimo futurum ipse sibi uendicat: rarius quidem septimi, sæpe undecimi crisim assumit. Etenim peculiare septimo diei iudicium non ad nonum, modo pauci errores commisi sint, unquam peruenerit. Sed hoc libris De crisi declarabimus. Vndecimi propria crisis econtrario habet, nempe cum et exacte omnia gesta sint, & uiolenta noni diei accesio inuadat. Porrò iudicia huiusmodi diebus propter accesiones uehementissimas incidere, clarissime demõstrat, quòd uidelicet in progredientib. mor-

C bis non similiter eueniunt. Sicut eñ accesionum uehementia, ita dierum quoq; coincidentium numerus in illis minuitur. sic sanè accesionis uehementia crisim alio quàm stato tempore fieri compellit. Quare in omnibus ferè diebus peracutos morbos iudicari, uidere licet: quoniam ultimus ipsorũ dies decretorius est septimus, & ante hunc non quartus modo, sed etiam tertius, quintus & sextus aliquãdo decernunt. Quin & de primo an decerneret, inter medicos, ut dicebatur, quęsitum est. Restat itaq; secundus ordine decretorio indubie elapsus. Sit autem, si uis & primus: sed tertius, quartus, quintus, sextus, septimus, omnes decernunt: idq; omnes dies in peracutis morbis post eorum principia propter accesionũ uehementiã fa-

D cere uidentur. Ergo sextus etiam, etsi nec inter decretorios, qui circuitu cõstãt, nec impari numero ascribatur, tamen & ipse persæpe decernit: quoniam intra peracutorũ terminum continetur. Vniuersi autem tales alterũ duorum habent: uel continuam febrem, *σύνοχον* appellant, quę à prima constitutione eundem tenorẽ sine manifesta declinatione ad crisim usq;, uti diximus, seruat: uel interpellatam, quæ etsi manifestas habeat declinationes & accesiones, nõ tamen tertio quoq; die manifestas tantũ habet, uerum in ipsorũ dierũ quoq; medijs, quẽadmodũ & semitertiana. Proinde prima peracutorũ differentia uelut una quædã est accesio. Quãobrem nihil, quãtum ad accesionem pertinet, impares paribus præstabunt, cum febris singulis diebus æqualis existat. Secunda etsi per

triduum magnas habeat accessiones, & ueluti cir A cuituum principia, tamen medius ipsorũ dies tan tam & ipse in peracutis morbis accessionem frequenter affert, ut etiam magnis aliorũ quorundã morborum accessionibus nihil sit inferior. Cum igitur morbus uelut ad septimũ festinat, & secundum ipsius rationẽ in eodẽ finiturus est: mediç uero accessióis magnitudo naturã ad crisim ante suum tempus uenire cõpellat: uel si extrinsecus aliquid eueniens, ipsam irritet, sic crisis sexto die prç rumpet. Atq; hæc tanto peior est ea, quæ septimo futura erat, quãto magis ipsam præuertit. Pessima uero crisis secundum aliam rationẽ sexto die accidit: quam in opere De iudicijs plenius enarrabimus. quippe ad illud ꝓprie pertinet, bona malaq; iudicia distinguere: hic tantũ de diebus decreto- B rijs differere statuimus. Sed quia semel de sexto die uniuersa dicere parauimus, hoc quoq; adhuc summatim adiungemus. Inuadũt quidam morbi secundum diem primo grauiorẽ habentes, quartum tertio, & totas accessiones in diebus paribus qui longorũ morborũ naturam, quemadmodum in cõmentarijs De crisi ostẽdemus, habẽt: protinus aũt, ut acuti, propter accessionis uehemẽtiam finiuntur. hi etiã secundo die interficiunt, & quarto, sed sexto plurimos. Etenim in secũdo die natura quodãmodo ualida est: itẽ in quarto adhuc magis ꝙ in sexto: sed nondum in certamen uenire audet. At in sexto accessionis uehementia frequenter eam ad certationẽ prouocat. Quare alterum è C duobus sustinet: uel in ea concidit, & priusquam quæ offendũt, excreuerit, extinguiť: uel plurimũ ex eis propulsat, reliquũ uero adhuc nõ potest: uerum imbecilla & defatigata prorsus cõcidit, & exoluta iacet. Deinde si quo modo postero tẽpore recreari ac refici potuerit, paulatim morbũ concoquit. Quòd si morbi reliquiæ eius robore maiores sint, tandiu æger superuiuet, ꝙ natura adhuc sufficere potest: morieť tamẽ postea. Iam uero de diebus coincidẽtibus abunde dictum est.

IX Cur autẽ & uigesimus, & uigesimusprimus, multo magis uigesimus decernat, explicabo. Primum quoniã huiusmodi morbus diuturnus iam est, & paribus diebus accessiones fiunt: deinde quòd septimana non integris septem diebus con D stet: ueluti prius expositum est. Nouit hoc quoq; Hippocrates, sic in opere Prognostico inquiens. Hi igitur impetus per quatuor ad uiginti, ex additione facta perueniũt. His subiungit: uerũ huiusmodi supputatio per integros dies nimirum fieri non potest: quippe cũ nec annus, nec menses ipsi integris diebus numerẽtur. Vt igitur annus ad trecẽtos sexagintaquinq; dies particulam diei maiorem quarta adiectam habet, tum mensis ad triginta dies absoluẽdos unius dimidiũ desiderat: sic & septimana, sexta maxime diei parte, ut septem integros dies habeat indiget. Quãobrem tres septimanæ non unum & uiginti dies integros, sed minus fere unius tota dimidia parte consequuntur. Ob quod etiã numerũ huiusmodi non magis uiginti, ꝙ uni & uiginti diebus uicinũ, utriq; parti

conuenire uideas. Nam cum totus lunaris circuitus septẽ & uiginti diebus, & adhuc tertia unius parte absoluatur, ideoq; septimana quçlibet septẽ diebus minus sexta parte constet, tres septimanæ uiginti dies & dimidiũ habebunt. Quoniã igitur uigesimus exactam periodũ propinquã sibi uendicat, tales iam morbi inueterascunt, & accessiones paribus diebus accipiũt: quorum uero accessiones in imparibus eueniũt, horum & iudicia ad uigesimumprimũ delabuntur. Non solum autem lunæ circuitus, sed menstruum etiam tempus apparitionis, uirtutem quandam in nos possidet, ut prius docuimus. Hic etenĩ per signiferũ circuitus suis cuiusque rei principijs maxime proprius est, & menstruale tẽpus quo luna conspicitur, ambiẽtẽ nos aerem immutans, omnibus ex æquo hominibus communem effectum ostendit. Demonstratum est & hoc tempus uiginti & septem dies propemodum necessario continere: ideoq; septimana eius minor adhuc prius dicta merito euadit. Siue enim à triginta, tres illos coitionis dies, in quibus nihil de aere decerniť, auferre cogites, siue à uigintinouem & dimidio, reliquũ tempus quo luna manifestum de se lumen præbet, priore modo septem & uiginti dies, altero uigintisex & dimidium habebit. Quoniã ergo mutationes corporibus nostris accidere diximus, quasdam proprias, quasdam cõmunes: proprias, quæ tanquam ad propria principia spectent: communes, quæ ad communem ambientis usum: in idem uero utrosque lunæ circuitus fieri contingit, & communes proprijs paulo breuiores esse: sic sane iam ex septimanç numero quippiã auferetur. Nam si propriæ communis admisceatur, sitq; paulo breuior, ita quoque septimanam imminui, & uelut in medio quodam propriæ & communis consistere necesse est. Voco autem propriam, quæ ex signiferi circuitu proficiscitur: nam is cuique nostrum uirtutem adfert: cõmunem ex menstruo tempore ortam, quam supra recensui nequaquam septem & uiginti dierum esse. Nam si à menstruali tempore exacto, quod ad triginta dies integros unius dimidium maxime requirere dicebať, tres coitus dies ademeris, reliqui uidelicet uigintiseptem minus diei dimidio erunt. Itaq; hoc tempus nõ menstruale totum in septimanas diuiditur. Quare commune tempus septimanæ, quod aerem immutat, singulis proprio minus erit: quanquam & hoc uirtutem habere dicebatur, ideoq; nonnihil ex alterius septimanæ tempore aufferre: ut medium utriusq; tempus, quod uelut mistum ex eis est, plus sexta parte septimanæ demat. Quapropter exactã uel misturam uel ablationẽ deus tantum nouit. Quantum uero humana coniectura indipisci licet, præstat circuitum earum communem medium inter utrasq; collocari. Cũ ergo apparitionis manifestæ & efficacis tempus sit dies uigesimussextus & dimidius, signiferi uero circuitus expleat uigintiseptem dies cum tertia unius parte, liquet medium ipsorũ fore uigesimumsextum diem, ad hæc dimidium, & tertiam maxime & duodecimam unius

diei partem. Siquidem ubi utroque tempore coniuncto dimidium acceperis, mediũ ipsum inuenies. At hoc tempus medium à uigintiseptem diebus duodecima maxime unius diei parte deficit: Si tamen in quatuor ipsum diuidas, exactum septimanæ tempus offendes, non sexta modo unius diei parte, sed etiam maiore indigens. Sumatur enim ex uigintisex diebus & dimidio, & ex unius diei tertia, et duodecima parte, quarta pars: erit autẽ tempus dierum sex, dimidij, octauæ partis, & particulis alijs minoribus insuper adiectis, quæ sunt sexaginta primæ, centum uiginti secundæ, ducentæ quadraginta quartæ. Idẽ tẽpus & hoc dici possit dierum sex, & dimidij, & sextę partis diei, & uigesimæquartæ, & quadragesimæoctauæ. Abest autem huiusmodi tempus à septem diebus unius diei quarta parte, &, si exacte computes, sexagesima parte, siue centesimauigesima, siue ducentesimaquadragesima. Quæ cum ita se habeãt, tres septimanæ uiginti diebus, & sexta unius diei parte comprehendentur. Proinde si hunc in modũ exacte rationem ineamus, trium septimanarum numerus paululũ uiginti dies excedet, atque his multo magis, quàm uiginti & uni erit proprius. Iam sane ostendi secundũ rerum ueritatem, & Hippocratis sententiam, nullã horum supputationẽ per dies integros fieri posse, hoc est absolute, & perfecte: neque septimanam, neque quaternionẽ, neque mẽsem, neque annum, neque alium quemuis numerum.

X Qui iã disputationis huius subtilitati succenset, ac difficilẽ eam existimat, hũc nemo ipsam addiscere cogit: uerum primus huius operis liber ei sufficit. Quòd si non laboris fugitantior sit, secundum quoque adijciat, à tertio aũt abstineat. Nos siquidem hęc paucis planè ijsque inuitò scripsisse affirmamus. Vos ô dij immortales nouistis, uos in testimonium uoco, hæc me amicorum quorundã precibus uehementer adactum scriptis mãdasse.

XI Nam stulti nimirum essemus, si huiusmodi sermonem uulgo cõuenire arbitremur: quoniam illi unitatem matris exortẽ, dualitatem uero spuriã esse, audire iucundius est: & alia ratione unitatem formam esse, dualitatem materiam infinitã: deinde trinitatem absolutam harmoniam, uel perfectum numerum & primũ, aut solidum, aut planum. Quicquid enim ipsis uisum fuerit, effutiũt, & Mineruam aliquem numerum appellant, alterum Dianam, alium Apollinẽ. Quemadmodum igitur hoc nõ ignoramus, ita dicere dedignamur: cum nullam demõstrationem scientificam huiusmodi placitis adducere queamus. Et amicis frequenter ipsa re ostẽdimus, huiusmodi frigidis sermonibus utenti, siue quemcunuis numerum laudare, siue reprehẽdere uoluerit, procliue esse. Nã eò stupiditatis ueniũt qui huiusmodi nugãtur, ut cum uel de septimana, uel de alio quouis dicant, nõ contenti solis huiusmodi ineptijs, addant Pleiadas septem, & utranque Vrsam septistellam id est ἑπτάστερον: etenim sic nominant: immo & Thebarum septem portis insignium meminerunt, & septem in Thebis ducũ. At quid ad rẽ propositam A spectat, si Pleiades septẽ sint, Dionẽ laterali morbo laborantẽ septimo die de morbo iudicium sustinuisse? Etenim aliàs nono, aliàs decimo die crisim habuit. Quid autem similitudinis est, si septẽ Nili ostia, Theonem pulmonis uitio ægrotãtem, septimo die ad crisim peruenisse? nam aliquando quarto, interdũ quinto morbi finem accepit. Verũ ut in alijs omnibus duplex uitij cuiusque ac prauitatis natura est, excessus & defectus: ita hic quoque nõnulli ueritatem de septimana dicere conãtes, prorsus auersant: quippe qui sermonem quẽlibet summo odio prosequuntur, nonnulli in tantam nugacitatem incidunt, ut etiam ea quæ ad rẽ nihil pertinent, commemorent: utrique inquiunt, Vrsæ, septem stellæ sunt: primum sane uerum nõ B est, sed hoc extremam eorum inscitiam coarguit. Esto iam uerum, sed neque Bootes, neque per ipsas Vrsas Draco septẽ stellas obtinet. Pari modo nec genibus innitens Ingeniculus appellatus, nec Ophiuchus, nec cancer, uel Leo, nec omnino ullum ex duodecim signis, in quibus planetæ feruntur: etsi illa terrena exornare atque etiam disponere nõ astronomis modo, sed etiam philosophis clarissimis in confesso habetur. Quamobrem nec recipiendi sunt nugatores, nec cogendi qui huiusmodi speculationem semper refugiunt.

XII A me itaque ueritatem ipsam, quantum homini licet, inuentam esse puto, quam quidem & Hippocrates prius cognouerat, sicut & præscriptis uerbis indicauit, uulgare autem me C dicorum genus præ segnitie eam subticuit. Enim uero nec aliud quippiam ab Hippocrate frustra scriptum inuenio, nec illud, quòd ulla computatio totis diebus fieri nequit. Atque principium non astronomis tantum, uel naturalibus philosophis, sed agricolis quoque, & nautis, hominibusque omnibus receptũ assumpsi: lunam uidelicet terrestrem plagam ueluti principem quendam magni regis Solis, immutare. Huius circuitus dies decretorios sequi demonstrauimus: ad hæc coincidentium dierum causas indicauimus: item, cur tres septimanas ad uigesimum, non ad uigesimumprimum potius Hippocrates uoluerit deducere. Cæterum his demonstratis nullum adhuc negocium est, quare primam septimanam à secunda separet, D hanc autem tertiæ coniungat, inuenire. Neque enim secũdam primæ, crisi ad decimumquartum diem perueniente, coniungere ratio postulabat: neque tertiam à secunda remouere, cum uigesimus magis quàm uigesimusprimus iudicia excipiat. Quoniam uero inter septimanas ipsas duæ solum primæ separantur, tertia copulatur, perspicuum est quaterniones quoque nonnullos necessario coniungi, alios separari. Itaque secundus quaternio & primus coniungentur, quòd unius septimanæ primæ bifariam diuisæ particula uterque sit: tertius à secundo disiungetur: quoniam & septimana secũda à priore separata est. Tertius autem quarto copulatur, quoniam secundæ septimanæ uterque particula est. Hic itaque rursum quartus propter tertiam septimanam secundæ coniunctam,

quinto copulabitur. Adiungetur etiã sextus quaternio quinto, in decimoseptimo die: tãquam tertiæ septimanæ pars uterq; existens.


XIII Quapropter ad bonam uictus rationem instituendam utilissima est iudicij temporis prægnotio. Num uero acutum, uel diuturnum, uel alio modo morbum nominare cõueniat, qui uigesimo die, uerbi gratia, finiendus est, id nihil ægro præsidij affert. Potest enim quispiam ne loquutus quidem, immo qui nec prorsus cogitauerit quinã ipse uocãdus sit, probum uictus modum ægro instituere, modo nihil ex alijs præterierit quæ huc conferre uidentur. Iam sane ueritatem, simul & utilitatem exposui, atq; sophistarum nugas diluere desinam, si prius ostendero quantum plerique medici ea quæ conueniant, ignorent. Putãt enim acutum uocari morbũ, de quo celeriter iudicium est: contrarium huius, diuturnum. At ueritas non ita habet, est siquidem morbus breui tempore cõprehensus, Græci βραχυχρόνιον appellant: non tamen omnino acutus. Huic contrarius est diuturnus, uel quem Græci πολυχρόνιον nominant, uel quomodocunq; aliter quis uocare ipsum malit. Acuto alia morbi natura nullum proprium nomen sortita opposita est, idq; merito euenit. Nam acuti morbi propter uelocitatẽ periculosi, ut Archigenes describebat: ut autẽ Hippocrates, cum febre continua euenientis accidens necessario e- A rit, ut celeriter ad crisim perueniat. etenim ex motus specie acutus nuncupatur. Quiescendum uero ei celerrime, ut qui ad proprium finem properet: nam idẽ est celeriter moueri, ac ad terminum confluere. Erit iam omnino brachychronius, qua si exigui temporis dicas, aliàs tamen atq; aliàs acutus, & exigui temporis dicetur: nam propter motus celeritatem acutus: quòd uero diu morari eo quòd celeriter mouetur, non potest, brachychronius appellabitur. At natura alia morbi ei coniuncta est. multæ siquidem febres diariæ ex frigore quodam, uel adustione partium exteriorum, uel labore breui, uel uigilia, uel tristitia, uel ebrietate, uel ira, uel id genus similibus proueniunt, paruæ simul & breues, & periculis prorsus uacuæ. Atq; B nemo has uel idiota uel medicus acutũ morbum uocare consueuit. Itaque acutus à longi temporis morbo clare his ipsis distinctus est: tardus cum lõgo confusus est, atq; non eandem notionem obtinet: siquidem acutus tardo, breuis longo oppositus est. Omnis ergo acutus planè exigui temporis morbus est, & omnis diuturnus necessario tardus. Non tamen si breuis temporis, acutus statim est: neque si tardus, longi temporis. Proinde ex tali immutatione non admodum manifesta complures medicos non appellationes tantum, sed rerum quoque ipsarum dignotiones confuderunt, perturbaruntq;.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI PRIMI COMMENTARIORVM Galeni in prædictiones Hippocratis.

CL. GALENI IN PRIMVM PORRHETICI HIPPOCRATIS LIBRVM COMMENTARIVS PRIMVS.

Ioanne Vassæo Meldensi interprete.

PROOEMIVM.



SENTENTIAM Herophili qui presensionem rerumq; futurarum scientiam à prædictione certo & incerto distinguere conatur, probare nõ oportet. præsentimus siquidẽ modo utroque, & prædicimus ueluti & cætera omnia, omni in arte. Imbres siquidem siccitatesq;, & frigora & æstus, & uentos & uentorum tranquillitates quibusdẽ ex signis præsentiunt tum nauium rectores, tum rustici; atq; in- D terdum quidem tum exacte, tum certo, interdum & ad probabilem usq; expectationem. De signis autem huiusmodi, cum alij pleriq; tum Aratus in libri, eorum quæ in aere conspiciuntur, calce scripsit. At quonam quis pacto futura prædicere ualebit, nisi ea præcognouerit? Quod sane demonstrauit Hippocrates in exordio prognostici ita scribens: Præsentiens eñ & prędicens corã ęgris. Præsensio autem in anima est nostra: prędictio uero eorum quæ multis sunt præcognita, per uocẽ efficitur. cõstatq; non alia quidẽ in anima nos opinari, alia uero prædicere. Cæterũ quonã pacto liber inscribatur, cæteris qui opera artis nõ ualde curauerũt, peruestigandum relinquentes, quæ in libris

bris singulis sunt conscripta, ipsi contemplemur. quomodo in alijs quoque fecimus, quæ antea exposuimus. alijs quidem distinctiões aliquas, tum necessarias, tum à scriptore prætermissas adijciẽtes: alia uero non esse uniuersalia demonstrantes, neque in ea esse dictiõis figura formaque qua de eiusmodi autor disserere uideatur.

1 Qui comatosi inter initia fiũt, cũ capitis, lumborũ, hypochondrij, collique dolore uigilãtes, phrenitici ne existãt? stillatio è naribus his perniciosa, tum alias, tum si quarto cœperit die.

Cõplura ueterũ exemplaria uerbo, phrenitici, uerbũ, existãt, non habent adiectũ. hinc exorta est quæstio utrũ ne eos qui ita habent, quis iam phreniticos appellabit, an fore expectabit. Adiecto uero uerbo, existant, atque in hũc modũ simul scripta oratione, phrenitici ne existant: questio est an qui ita affecti sunt, iã phrenitici sint, uel nõ sint. Quæstioni aũt eiusmodi iam & alia quædã nõ momẽtanea annectitur questio, quam & de febriliũ accessionũ principio mouerũt. Nẽpe in illis rationi consentaneum esse uidetur, nõ postea uenturã præcognoscere nos accessionẽ: sed incipientem iam dignoscere ex permutatione pulsuum. Quoniã uero nondum insignem acceperit magnitudinẽ, ut & ægro manifeste appareat, illi quidem futuram dici, cognosci uero à nobis ueluti iã factã, res hæc nõ aliter quàm plantæ recens è terra ortæ dignoscitur. quas rusticus quidẽ uel qui in herbis omnibus dignoscẽdis est peritus, cõfestim internoscit: cæteris uero incognitæ manent. Agros siquidem herbas germinatione simillimas sæpius ferre conspicimus. quas nos quidẽ non internoscimus, rustici uero internouerunt, quidnam scilicet ex his herba sit, quid triticũ recẽs enascẽs, quid hordeũ, quid zea, & quidnam aliorum unumquodque. Ad hunc quoque modum res habet in arboribus. Nempe & eas cũ omnibus suis partibus absolutæ sunt, uniuersi cognoscimus: cum uero enasci incipiũt, omnino à paucis cognoscuntur. Sermonẽ igitur hũc ueluti admodũ probabilem cõmendare oportet. Sed deinceps est inquirendũ quidnã per phrenitim oportet intelligere. Nempe Hippocrates in libris Epidemiorum morborũ, ut in eorum docuimus commentarijs, cõtinuam eam quæ cum acuta febre est dementiã phrenitim appellare uidet. continuam inquiens, quia nonnunquam in uehementium febrium uigoribus desipientiæ superueniant: sed in declinationibus confestim desistant. μαίνεσθαι siquidem, id est insanire omnes homines dicunt eos qui desipiunt citra febrem. φρενιτίζειν uero, qui cum febre id patiuntur. Quod uero in febris uehementis uigore accidit, appellant & παρακόψαι & παραχθῆναι & παραληρῆσαι & παραφρονῆσαι. hoc est mente percelli ac moueri, & delirare, & desipere. phrenitim uero non appellant, nisi febriat æger, & continue deliret. Continuitate igitũ dementiæ, quodque simul cum febre fiat, phrenitim agnoscemus. Videmus & phreniticos esse qui co-

A matosi existentes sapiunt, sed & delira loquũtur, atque à præsentib. expergefacti stupefactis similes uidentur. In hunc itaque modũ, & in Epidemiorum tertio ita ait: Nullus autẽ phreniticorũ uehementer insaniuit, ut in alijs: sed alia quadã ueternosa in somnũ delatione capite grauati moriebãtur. Sermonem itaque hũc tanquã maxime uerisimilẽ recipio: uocarique omnes ab Hipp. phreniticos existimo qui mente læsi cõtinue fuerint. quo modo & μαινόμενοι insaniẽtes appellant, qui sola febris absentia ab his discrepant. Sed quoniã his magna ex parte insit, ut palpebris apertis uigilent, ob id quã plurimi medicorũ uigiliam etiã huiusmodi inter ea quæ phrenitidẽ indicant, scripserunt. Dixi huiusmodi, quoniã & cũ comate uigiliæ fiant, ut Hip-

B pocrates ipse in Epidemiorũ tertio ostendit inquiens: Prehendebat aũt eos uel coma continuũ non somniculosum, uel peruigiliũ laboriosum. Vt coma sit in somnũ delatio, nequeuntibus qui ab hoc occupantur symptomate uigilantiũ munia obire, sed tum palpebras claudere cupiẽtibus, tũ dormire sperantibus. Contingit autẽ interdum horum quibusdã, ut clausis palpebris dormire nequeant, sed plurimũ uigilent. quod Hippocrates coma nõ somniculosum appellauit. De eo autem quod per uocabulũ coma, significatur, librũ habes integrũ nostrũ: in quo plurib. testimonijs Hippocratẽ cataphoram omnẽ, id est ad somnum delationẽ, coma appellare demonstrauimus. Quo fit ut impresentiarum eosdem comatosos & uigilãtes dici mi-

C rum non sit. Si itaque comatosi absque uigilijs fuerint, non quæsierim phreniticósne eos uocare oporteat, an iam existẽtes uel futuros. Perpetuo siquidem ita me audias, ob ea quę primã rerum omnium generationem, non solarum affectionũ prægrediũtur. Neque uero si neruosæ partes male cum uigilia inter morbi initia afficiantur, ne ita quidẽ quæsierim an phreniticos eos appellare opus sit. Nempe qui sine uigilia comatosi existũt, nullo pacto sunt phrenitici. At qui sine comate peruigilãt, si id per initia cũ prędictarum partium dolore perpessi fuerint, de necessitate phrenitici existunt: si uero uigilia comati annexa fuerit, ambiguitatem res habet. atque ob id in oratione, ἆρα, coniunctionẽ, id est ne, adiecit. qua tono circũflexo utimur, cũ de quibusdã rebus addubitamus. Quod aũt &

D in sequẽtibus memoria tenere commodũ existit, id semel intellectũ perpetuo habere in promptu debemus, & quæ propter causarum externarũ aliquam facta sint, & quæ morbi ratione superueniant distinguẽtes. Nam si quis cõtente ambulauerit, uel alia ex actione lassitudinem senserit, uel & unà cum his exustus simul febrire cœperit, capite item dolere, & lumbis, hypochondrio, & ceruice: nullam magnã profecto ex his accepturum te, uel adfuturarum, uel iam nascentiũ affectionũ discretionem speraueris notã. Verum si absque externa causa prædictas partes infestauerint dolores, si uigiliæ quidẽ ægro contigerint, absque ea quæ in somnum sit delatione deliraturũ eum sperabis. Quòd si unà cum comate hæc coniungantur, tunc diem

unũ expectes in quo motionẽ ægritudinis digno ſcas, oportet. Phrenitis ſiquidẽ quæ exquiſita eſt, & nulli alteri morbo permiſcetur, fit cum bilis flaua locum in quo princeps animæ pars reſidet, prehenderit: lethargus uero, cũ locum eundẽ humectarit dilueritq́ pituita. Nam quæ partibus in alijs ex bile & pituita noxæ cerebrũ ipſum ad ſympathiam trahere poſſunt, cõtinuæ hæ nõ ſunt. Quoties igitur uterq; humor cerebro moleſtus fuerit, prehendunt cõtraria hominẽ ſymptomata, ita ut tum uigilet, tum leniter in ſomnũ deferatur. Cum uero & ad ſomnum defertur, ſimul & deſipit, miſtam ipſi permanere affectionem eſt putandum. Nonnunquã & in horum alterum res ita deflexit, ut uel bilis, uel pituita ſuperior ſit, æger q́ reddatur aut phreniticus exquiſite, aut lethargicus. Ego uero quoties ad finem uſque tum deſipiẽtia, tum coma perſiſtunt, affectionem hanc ex phrenitide & lethargo miſtam appello. quidam τυφομανίας uocauerunt, ut & in libro De morbis ab Hippo. ſcriptum. In tertio uero Epidemiorũ, ut pauloante dixi, phreniticos omnes appellat qui continue deſipiunt cũ febre. Iam reliquũ eſt, ut quæramus quam ob cauſam dictionis principio dixerit, Qui comatoſi inter initia fiunt: in calce autẽ, tum aliàs, tum ſi quarto cœperit die. Nẽpe principij nomen indicat quidẽ & primum morbi ingreſſum inſultum q́, indicat q́ & eum qui ſecundum latitudinẽ ad tertium uſq; uel quartum extenditur diem. Indicat præterea & primũ morbi tempus, cum morbum in quatuor diuidentes tempora conſtare ex principio, incremento, ſtatu, & declinatione pronunciamus. Sed de his ex principij nomine ſignificatis in primo De iudicationibus eſt demonſtratum. Nunc autem in quo ſignificatu dictum hoc nomen ſit, cõſideremus. Arbitror equidẽ Hippocratem in prima dictionis parte principiũ dixiſſe morbi totius ingreſſum qui ſecundũ latitudinẽ intelligitur. In calce autẽ cum ait, Tum aliàs, tum ſi quarto cœperit die, dicere tunc ſolũ incipere prædicta ſymptomata ægro iam quatuor ante diebus febre correpto, ut in eo quod ſecundũ latitudinẽ ſumitur principio generentur tum coma, tum uigilia, tum partium neruoſarum dolores. Nempe primo uel ſecũdo die prę copia ſanguinis propter bilis permiſtionem tum acris tum mordentis poteſt reddi idem æger tum comatoſus tum uigilãs, grauata quidem ob ſanguinis copiam cerebri facultate, ſed à bile uſqueadeo irritata ut ſomnus inhibeatur. Quarto uero die copia iam imminuta, & præſertim ſi medicus eam uacuare prǫuerterit, atque acrimonia cocta, deſinere utrunq; ſymptoma, tum coma, tum uigilias, par eſt. Si ergo quo tempore ceſſaſſe debuerunt ea fieri uideantur, bilem uel pituitam cerebrum inuaſiſſe, non ſanguinis copiam id commonſtrat. De potentia autem quarti diei in libris De diebus iudicatorijs eſt dictum, cum inibi mentem Hippocratis explicaremus, quomodo & in Prognoſtici commentarijs. Nempe hunc ait indicem ſeptimi eſſe. quod eſt: eã habere naturã ut qualisnam ſeptimus futurus ſit, indicet. Cum ergo ſignũ malũ quarto apparuerit die malus de neceſsitate ſeptimus eſt futurus: ſi uero ſalubre & bonũ, ſeptimus bonus erit. Nam proportione uirtutis ſigni, tum magis tum minus uel bonum uel malum fore ſeptimũ ſequens eſt. Quæ autem ſigna magis minusq́ tum pernicioſa, tum ſalutaria exiſtunt, in Prognoſtico oſtendimus. Septimũ igitur proportione quarti magis minusq́ tum bonũ, tum malum fieri continget. Cum itaq; ſtillatio è naribus ſemper malũ ſignũ ſit, abſoluta morbi malitia ſignificatur, ſi quarto fiat die. Videtur ſiquidẽ natura collectam in cerebro abundantiam conari expellere: ſed nequire. Talium autem ſignorum genus deterrimum eſſe cõſtat. Nempe quæ uel tubercula uel puſtulæ ex imo ad cutẽ enata recurrerunt, grauiſſima omnium exiſtunt. Sudores quoq; qui cœperunt quidem ſed protinus ceſſauerunt, praui ſunt: deiectiones itẽ & quæ per ſanguinis eruptiones, uel in mulieribus per uterũ uacuantur. Omnia ſiquidẽ hæc deteriora his ſunt quæ nullo apparẽt pacto, ſi ubi cœperint, ceſſent. Contingit enim interdum coquẽtem adhuc contriſtantia naturam nondum ad horum expulſionem excitari. In illis uero quæ cœperunt quidem, ſed protinus deſierũt: apparet ueluti excitatio quędam, natura excernere quæ moleſta ſunt conante, atque ita ob imbecillitatem quod propoſuerat perficere nequeunte.

2 Ventris ualde rubens proluuies mala quidem in omnibus morbis, nõ minime uero in prædictis.

Signorũ ſingulorum uires docet in Prognoſtico Hippocrates. uultq́ in calce libri uiribus dictorum ſignorũ æſtimatis perpenſisq́, id eſt inter ſe collatis, fieri ita prænotionem. Nempe ſignorum quædã ὁμοειδῆ, id eſt ſpeciei eiuſdem exiſtunt: cũ autẽ ὁμοειδῆ dico, quaſi & ὁμογενῆ, id eſt eiuſdem generis iam dixerim, ita me audias: alia uero neq; genus habent idem neq; ſpeciem. Speciei ergo eiuſdẽ ſunt quæ in una aliqua fiunt affectione. quæ quidẽ per ſputa excernũtur, affectionis tum pulmonũ, tum thoracis, tum aſperæ arteriæ, tum gutturis, atq; (ut in ſumma dicam) reſpirationi ſubſeruientiũ inſtrnmentorũ ſigna ſunt. horũ autem ipſorum quæ & in reſpiratione uitium per ſe & primum contraxerunt. Nam ab his ſeparantur, quæ per conſenſum afficiũtur. Cerebri quoq; & membranarũ quonam afficiũtur modo ſigna ſunt, per ea quæ excernũtur, quæ per nares, & palatum uacuãtur: per functionũ uero læſionem, quæ in cataphoris, uel uigilijs, uel deſipientijs, uel conuulſionibus, uel totius corporis tremoribus uiſunt. Si quis igitur ſimul tum deſipiat, tum conuellatur, q̃ affectio ea grauior ſit, q̃ ſi alterum illorum duntaxat fuerit, liquido conſtat omnibus. pari modo ſi difficulter ſpirans, protinus, & nigra expuat. Sed forſan hæc non recte inter ſe quis permiſcuerit, iuxta eam quæ in libris eſſe debet, doctrinam. Sufficit enim cuiuslibet uirtutẽ recenſere permiſſa diſcentis arbitrio omniũ in ægrotantibus contemplatione

platione. Signorū autem diuersi generis cōnexio prorsus inutilis est, & cū in libris scribitur, & cum in exercitatione per eam quæ sermonibus fit conuentionem, accedit. Nempe definita cuiusq; simpliciū uirtute satis est postea semel duntaxat dicere quod dixit Hippocrates, perpendendas scilicet signorum uires, conferendasq; inter se, ut de ęgrotantibus quippiam enuncietur. Siquis autē signū malum esse urinas nigras dixerit, adieceritq; & peius esse si nigra quoque expuerit: & deinceps hoc rursum peius si & nigra deiecerit, atq; si inter initia id contigerit: præterea & peius adhuc esse, si quarto id fuerit die, adieceritq; & his faciem illam quam priuatim mortiferam medici appellant, in prognostici exordio scriptam, uanam sanè signorum permistionem scripserit. Nullus siquidem ita amens est, ut non intelligat minus male eum habere cuius pulmonem uel thoracem morbosa urget affectio, deterius uero eum cuius partem utrāque fatigat. sicuti & adhuc deterius quē unà cum his uentris exercet affectio. atque adhuc deterius quem uel iecoris uel cerebri affectus premit. Quę igitur uniuersi uel non scripta norunt, ea frustra temereq; scribuntur, nisi quis uel chartas uel tempus perdere uoluerit, quod perpetua seruari memoria uelim. Sed ad institutum redeamus. Capite dolentibus nō absq; ratione lumborum dolores, ceruicisq; & hypochondrij adiecit. nempe pluribus generis eiusdem simul factis signis nō solum species uel genus affectionis compertius erit, uerum quoq; & magnitudo ipsius dignoscet̃. Cum autem desipientiæ coma adiunctum fuerit, eaq; cerebrum male habere demonstrent, securior nostra erit cognitio uidebiturq; affectio maior. Cum uero & è naribus stillatio accesserit, iam non securiorem cognitionē esse dixerim: sed scientificam & certam, cum signa uictam à morbo cerebri facultatem commonstrent. Quod si & quarto die factum esse id adiectum fuerit, certissime ita cerebrum in magna quidem esse affectione constabit, sed perniciose hominem habere, quibus si adiecerit quis frigidum tum è naribus cum ex ore expiratum perniciosum quidem in omnibus esse, non minime autem in prædictis, uerum quidē aliquid enunciabit: sed doctrinæ qua liber pollere debet, superuacaneū. quo modo & si his adiecerit nigra sputa, nempe & hæc quidem mala sunt, sed alterā à prædictis commonstrant affectionem, ueluti & urinæ. Nam & hæ si nigræ fuerint, uitiosam præstant notam: uitium tamen aliud ostēdunt. In prognostico igitur seorsum signorū singulorum uirtus declaratur. atq; eorum quę affectionem unam indicant, cōcursus aliquando est scriptus, ut in exordio quidē in ea facie quæ mortem portendit, infra uero in suppurationibus, hyderis, & alijs quibusdā: in hoc autē libro sæpius in una diuersi generis signorum concursione complura superflue implicantur. quo fit ut ualde rubēs proluuies quæ in iecoris fit affectionibus perperam hoc in loco cerebri uitijs adiūcta sit. Est sanè et ea per se nō bonum signum, iocinoris scilicet imbecillitatē ostendēs: sed adiecta cerebri affectioni, duo ob ualētia uitia periclitari hominē prænunciabit. sed quidnā hoc? Nam si pleuritis & peripneumonia uno fiat tempore, periculosius id existit, ꝗ si horū alterum duntaxat factū sit. Nec minus si, pręter hæc dysenteria quoq; æger uexet̃, aut quęuis alia cū his oboriat̃ affectio. Sed nemo permistiones huiusmodi scripto docet. Ventris autē περιπλύσεις id est proluuies appellat tenuiū substantia humiditatū deiectiones, ut siquis abluto aqua sanguine consperso uentre aquam effuderit. sic et biliosa dicitur proluuies, cum quod excernitur, tale apparet, quasi ex aqua & pauca bile mistis fiat. Imbecillitas autem retentricis facultatis est hepatis, atq; ut plurimum sanguificæ symptoma comitatur. hoc autē superfluis quæ reuomuntur proportione respōdet. Nā cum uentris cōcoctio inculpata fuerit, nullū symptoma huiusmodi subsequit̃. cum uero ob copiā uel corruptionē uel & superfluas humiditates nō ualde utiles in ore uētris relictas grauatus fuerit, uēter ad horum excretionē insurgit, & uomitū facit. Tale quippiā & cum sanguis in iocinore generatur, contingit. atq; ob id cruentæ interdū fiunt deiectiones: interdum autem & impense rubētes proluuies: aquosa scilicet simul & cruēta tenui humiditate ex hepate in uentrem cōfluente: uel modico sanguine tum acri tum mordente & uelut semicocto tenuibus & aquosis humiditatibus permisto, atq; colorem illis præstante.

3 Densæ linguæ, atq; aridæ: phreniticæ.

Scriptū esse τραχεῖαι, id est asperæ, non δασεῖαι, id est dēsæ, erat melius. Nam cū lingua connatam naturalemq;, ex tū uasis, tum glandulis quas à fundenda saliua σιαλοχόους uocāt, humiditatē habeat: primus quidē ipsius defectus densam eā facit: maior uero asperam. Immoderatior autē siccitas perrumpit eam, sed madentem: non secus quàm pinguem terram diutini squalores: quapropter ut lingua sicca simul & densa sit, fieri nō potest. Melius est igitur, ut retuli, asperā scribere. Necesse est ergo sit alterum è duobus. nempe aut scriptor neglectim enunciauit: aut qui primus adscripsit dictionē, uitiauit. Talis uero lingua siccitatis immoderatæ nota est. quo fit ut & ardentibus superueniat febrib. idq; ostendisse ei qui secundū Prognostici legem ad doctrinā accedit, fuerit satis. nēpe qui discit, siccā linguā ratione eadem fieri intelligit, tum in huiusmodi febribus, tū in phrenitico. siquidē & phrenitica affectio quā flaua bilis parit, calida & sicca est. Præstat igitur mea sententia dictionē uitiatā esse affirmare, quomodo & alias multas ita uitiatas esse demonstrauimus apud plerosque me superiores ueteres, non medicos modo, uerū quoque & philosophos & grāmaticos & rhetoricos. Sunt ex libri expositoribus qui hoc ipsum defendere sunt conati, linguas densas dici quæ densam efficerent uocem affirmātes. nempe uoces quasdam ita appellari aiunt à quibus qui eas proferūt δασυστόμους, id est densi oris appellari dicūt. uoces ergo huiusmodi cum sicca lingua phreniticas esse

aiunt

aiunt:perinde quasi scriptor dicere non potuerit, densæ uoces cum sicca lingua phreniticæ. Sed pro uocibus linguã dicere absurdũ uidetur. nempe & hoc pacto quis dixerit, tum graues, tũ acutas, tum paruas, tũ magnas linguas, ubi uel grauẽ, uel acutam, uel magnã, uel paruam indicare uocẽ uoluerit. Adde ꝙ neq; uoces illas dẽsas appellari audierim, quemadmodum nigras et albas per metaphoram quosdã appellare intelligam. proinde nec noui quidem quásnam uocent densas. Raucas quidem, & nigras in libro De uoce, propter uoci deputatorum organorum humiditatẽ fieri ostendi. Densas uero si alias quasdam præter has dicãt, explicare debuerunt. & si ex his aliquas, uoces sanè eiusmodi, ob humiditatem potius, non ob siccitatem fiunt, sicuti tum acutæ tum clangentes ob uocalium instrumentorũ quæ circa guttur sita sunt ariditatẽ. Cæterũ linguã non uocale, sed sermonis ipsius explanatoriũ instrumentũ esse constat. atq; ob id cum ea patitur, balbutiem blæsitatẽq; in locutionibus fieri contingit: & non raucam habere uocem, uel nigrã. cuius generis esse quosdam suspicor eas existimare quas ipsi appellant densas. Ego enim, ut retuli, neminem qui ita uocaret audiui: tametsi plerosq; medicos audiuerim dicẽtes palpebras densas quæ asperitatem quãdam exiguam haberent, sicuti est densa lingua. Nam absolutas densitates in palpebris non amplius dẽsitates appellant: sed asperitates. proportione igitur linguæ asperitati hæc respondent.

4 Vrinæ in turbulentis uigilibusq; decolores nigræ, sublime petentes, atq; in sudore: phreniticæ

Solœco in dictione participant nõ paucæ libri huius orationes: ut ob eam rem iure suspicati quidam sint librum Hippocratis non esse. Nã ob sermonis breuitatẽ à Mochlico secessit, inter libros Hippocratis cõfesso receptoq;. neq; eo solum: uerum quoq;, & Aphorismis ipsis. qui quanquã maxima cum breuitate enuncientur, non tamẽ quod solœci particeps sit in ipsis reperias. Adde quòd enunciationes adeo excellant, ut planè dicãt grauem eius libri authorẽ esse. Præsens uero liber absurdã in multis orationibus habet enuntiationẽ. Vt cum in præsenti dictione de urinis agit. Nẽpe hoc pacto impropriè dictũ est sublime petẽtes, cũ quæ in urinis sublime petãt, dici ita debeãt, nõ urinæ ipsæ. Ob eam causam nonnulli permutata dictione ita scripserũt: urinę turbulentis uigilibusq; decolores, nigris sublime petentes. Sed proculdubio reperitur & in ea scriptura solœcophanes, etsi quàm maxime uitare ipsum uideantur qui dictionem permutant. nempe hæc oratio, sublime petẽtes, manifestam ad urinas relationem habet. Hæ igitur ipsæ & phreniticæ dicuntur, id est phrenitim uel significantes, uel facientes. quòd faciant non consentaneum uidetur: quòd significent non uacat ratione. Quod si indicent, cum effectrice phrenitidis causa ipsas quadantenus communicare indicant. Demonstratum autem est nigras uri-

A nas ob serum bilis atræ unà cum excrementis aquosis emissum, procreari. Gemina uero bilis atrę existit generatio. nẽpe & ex bile supramodum exusta, assataq;, uel ex crasso sanguine. Supramodũ autem assatur propter uehementem caliditatem. Iure ergo in febribus quæ ardẽtes appellantur, & phrenitidibus tales meiuntur, cum tũ calidæ, tum siccæ affectiones eiusmodi existant. Inter urinas autem quæ per se totas nigræ sunt, deteriores his habentur quæ id quod ipsis innatat duntaxat nigrum habent. In præsenti uero dictione, neque an urinas totas nigras dicat, uel sola ea quæ innatãt, conspicue est explanatum. Vult aũt dictionis huius author quicũq; fuerit, urinas huiusmodi, cum in turbulẽtis uigilibusq; apparuerint, phrenitidẽ
B indicare. Vt ταραχώδεας, id est turbulentos eos intelligamus, qui nõ insigniter turbanẽ: quod offensa leuiter mẽte fieri cõsueuit. Adaucta uero huiusmodi quæ exigua fuerat offensa, non ταραχώδεας simpliciter, sed iam παραφρονοῦντων, id est desipientes, tum dicunẽ, tum sunt. De uigilia aũt quid attinet dicere? ꝙ ex phreniticis symptomatis unũ sit. Superuacaneũ pręterea in dictione est uerbũ hoc Decolores, in urinis, cũ per nigras cõsignificatum sit. Oratio aũt hæc, in sudore, sudores quidẽ circa caput fieri ostendit, præ copia ipsum cõflictari indicãtes. q̃d & si inter cætera phreniticũ sit, impropriè tamẽ enũciatur, cum quidnã intelligere oporteat excogitare nequeamus, ubi dicitur, in sudore: an urinas, quanquam ipsa totius enunciationis se-
C quela hoc uideatur maxime uerisimile intellectu: an passa corpora: an præter hæc & affectiões. Sed quouis modo quis intellexerit, ꝙ enunciatio impropria non sit, effugi nõ potest. Omissa igitur ea quouis modo habuerit, scripta consideremus. Vigiliæ igitur, & turbationes ægrotantium reuera sunt phreniticæ. urinæ uero, & sudores, nullo pacto. Nempe quomodo succi tum arteriarum, tum uenarũ habeant: urinæ indicant. Signa uero phrenitica cerebri ostendunt affectionẽ. Pari modo sudores quanquã aliarum quarundam affectionum notæ existant, de quibus mentionem sæpius fecimus, non tamẽ cerebri affectionem sufficiẽter demõstrare possunt. Sunt sanè nonnulli ex his qui librum hunc exposuerunt, qui ex scriptis in libris
D Epidemiorũ ęgris desipientes colligãt, quibus pati quippiã contingit eorum quę hic referũtur, tum symptomatum, tum signorum, uel in deiectionibus, uel urinis, uel uomitibus, uel sudoribus, uel pustulis, uel sputis, uel partem aliquã infestãtium, cum sanè talia signa phrenitica non sint, quanquã ægris de necessitate insint. Fieri siquidẽ nõ poterat, ut talis, uel non talis urina in his nõ inueniretur. Pari modo, & de sputis deiectionibusq; & cæteris omnibus est dicendũ. Si igitur in ægro quopiã deiectio eiusmodi, uel tale aliud quippiã unà cum signis phreniticis uisum fuerit, atq; deinde ęger phreniticus reddatur, perperã quis ea omnia phrenitidis indicatoria esse pronũciauerit. Necesse est enim ut proprijs morborũ signis alterum è duobus insit, nempe ut uel perpetuo, uel solis cõtingant

tingant. Cum aũt neq; ſolis inſint, neq; perpetuo, propria illorum non ſunt. Ob eam cauſam phreniticorum ſignorum ea ſunt certiſsima, quæ perpetuo, & ſolis inſunt phreniticis. Deinde ab his quæ perpetuo quidẽ, ſed nõ ſolis: quę in ſuis tractationibus diſtincte ſunt tradita à nobis. demonſtratumq; neq; in urinis, neq; in deiectionibus, neq; in ſudoribus, neq; in ſputis, neq; in uomitibus, phrenitica eſſe ſigna. Conſueuerunt autẽ libri interpretes propemodũ omnes, ut dixi, adnotare ex Epidemijs ægros, neq; ſolum in præſenti dictione, uerum quoq; & ſimilibus huic omnibus. Eam ob cauſam qui ſeſe eorũ æmulos præſtant, ij apud ægros quotidie multa quidem effutiunt, ſed quantum ad prænotionem attinet, idiotis conſpiciunt ſimiles. Nempe ꝙ in omnibus prognoſticis ſpeciei morborum ſignis in affectorũ locorum methodo exercitati eſſe debeant, eſt perpetuum. De ea autem methodo à me ſeorſum ſcriptum eſt, ueluti & de his quæ iudicationes ſignificant. In quibus parum exercitati quidam ueterum libros exponere audent, planè ignorantes ꝙ bonum enarratorem oporteat eſſe idoneũ prius indicare quæ bene, et quę perperam ab autore dicta ſunt, ne his quæ perperã dicta ſunt patrocinatus, opinionem uel ignorantiæ, uel cõtentionis reportet. Verum quoniam nõ in hac dictione ſolum, ſed etiam per librum totum inſerunt quos ex Epidemijs collegerunt ægros, præſentem ſermonem totum ad finem uſq; perducere ſatius eſſe arbitror. Quòd ſi quis prolixitatem moleſte tulerit, propriũ dictionis huius ſermonẽ, non libri totius cõmunem eſſe exiſtimãs, ubi à nobis audierit quonam pacto expoſitoribus quidem in omnibus ferè dictionũ expoſitionibus quas perperam in medium afferunt, non prolixus modo, ſed ediſcentibus etiã ipſis nocuus ſermo ſit: quæ uero à me nunc ſemel dicta, & cõmodiſsima ſint, & dicendorũ omnium breuem compendioſamq; faciant explanationem, deſinet prolixitatem incuſare: habebitq; mihi gratiã, tum ob eorum quę oſtenſa ſunt, utilitatem, tum ob eorum quæ dicentur, breuitatem. Erit autem ſermo tanquam in exemplo phrenitidis, ſed morborum omnium cõmunis. Quoniam igitur phrenitica ſigna omnia methodo inuenire propoſuimus, ab affectionis notitia exordiemur. Nempe quòd optimum omnium dicẽdorum principium ſit rei quæ inquiritur, notitia: in libris De demonſtratione eſt oſtenſum. Cum ergo phrenitim mortales omnes eam appellitent affectionem in qua φρένας, id eſt mentem læſam eſſe uideant, quam tum νοῦν tum διάνοιαν, id eſt ſenſum, & intelligentiam etiam uocant: prius qua corporis in parte animæ intelligentia ſit, inuenire oportet. id quod primum in libris De Hippocratis & Platonis placitis demonſtrauimus. quare ab ipſis nunc exorſi, ſummatim quandam uelut epitomen eorum quæ in libro De affectis locis deſcripta ſunt, recenſeamus. Neceſſe etenim dico eſſe, ut affectio ſiue cũ incipit, ſiue cum abſoluta iam eſt, ex functionũ partis affectę noxa, & ex his quæ in ea apparent, reperiatur. Dixi autẽ

A etante, exordientis affectionis notas prognoſtica ſigna eſſe eius quę iam completa eſt. Qui igitur cerebri naturaliter habentis munia nouerit, is ex offenſa horum, primũ ꝙ perpeſſum ſit, deinde qualis nam is morbus ſit, inuenire ualebit. inuenta autem à nobis ſunt hęc: arbitraria functio, intelligentia, ſenſus, & memoria. Offenſæ igitur horũ, cerebrum ipſum tali uexari malo, qualis fuerit offenſæ ſpecies, demõſtrabũt. Verbi gratia, Functionũ arbitrariarum inſtrumenta muſculi exiſtunt. Fiunt autẽ hæ, tum his qui per manus cruraq; agunt munera, tum his qui caput ſpinamq; mouent, atq; his qui loquuntur, uociferantur, & reſpirant. Demonſtrata eſt enim & hæc functio primũ motionis initium habere per neruos à cerebro ad thoracis muſculos peruenientes.

B Cum igitur functio quædam ex dictis læſa eſſe uidebitur, inquirendum eſt tibi an affectio ea propria ſit eorũ qui functionẽ hanc obeunt muſculorũ, an ob eam quæ à principio in ipſos procedit uirtutẽ, offenſa hæc oriatur. deinde ſi offenſam ob eã quę à principio eſt facultatẽ, eſſe inueneris, morbũ quempiam qui principium infeſtet, reperiendum eſſe puta, ſi quæ apparet offenſa non leuis fuerit, incrementũq; effatu dignum habuerit. Verbi gratia, ut ſermo conſpicuus fiat, ubi thoracis muſculi à quibus reſpiratio cõficitur, affectione uacauerint, perueſtiga num quædam cæterarum partiũ per quas ſpiritus in reſpirationibus, tum intro, tum foras feratur, perpeſſa ſit. Nã ſi nullam ex his læſam inueneris, cerebrum læſum eſſe

C exiſtimabis. Vt autem & res exquiſite definiatur, conſidera quoq; & quę unà cum thorace moueantur partes, nempe & eas reſpirationem lædere in libro De difficultate ſpirandi eſt demonſtratum. Si ergo hæ omnes planè morbi expertes inuentæ fuerint, tũc difficultatis ſpirandi ſpeciem inſpice, quamnã ſcilicet cerebri affectionẽ indicare poſſit: quomodo, ut exemplum integrũ ſit, ait in Prognoſtico Hippocrates: Spiritus frequens quidem ſignificat dolorẽ, aut inflammationẽ quæ locum ſepto tranſuerſo ſuperiorem fatiget. Magnus uero & ex longis interuallis delirium. Vocat autem ſpiritũ ex longis interuallis etiam rarum, ut in cõmentarijs De difficultate ſpirãdi oſtẽdimus. Nam rarus proprium ſimul & inſeparabile deſipientiæ

D eſt ſignũ. Demõſtrauimus quoq; & in libris Epidemiorum, omnes quibus magna & rara reſpiratio fuerit, deſipuiſſe. Si quis igitur in urinis, uel deiectionibus, uel ſputis, uel uomitibus, uel ſudoribus, uel aliorũ quopiam ſignum aliquod demonſtrare poſſit, quod ſeorſum deſipientiæ ſoli proprium inſit, uel ſi non ſoli quidem, ab ea tamen inſeparabile: iure id phrenitica inter ſigna collocauerit. Si uero neq; ex rei natura demonſtrationem aliquã expromere poſſit, neq; in libris Epidemiorum deſipiẽtijs omnibus ineſſe, uel perpetuo, uel ſi non perpetuo, ſaltem his ſolis oſtendere queat: non rationabiliter ſignum huiuſmodi inter phrenitica conſtituit. hoc ſiquidẽ unum duntaxat aſſerere poteſt, quòd phreniticis quibuſdam adfuiſſe uiſum ſit. Eadem uero ratione contraria phreniti-

cis signa esse intelligimus. Iam age ponamus uisos à nobis phreniticos quorũ alijs supprimi aluum, alijs plura quàm naturæ iustum sit excerni contigerit. nempe & cum signis phreniticis scribat aliquis alui suppressionẽ. deinde existimemus quænam eorum quæ ad phrenitidem perduxerũt eos quibus aluus suppressa sit, rei huius testimoniũ esse possint. Nam si proteruus quidam in suis enunciationibus suppressam aluum phreniticũ esse signum scripserit, potest sanè & alter qui etiã proteruus sit, sermoni nõ subscribere, eosq; asserere phreniticos esse, quibus perturbatam aluum conspexerit. Sanè cũ Hippocrates in Epidemijs scribat omnia quæ ægris contingunt, necesse est quo modo in phreniticis, ita & in peripneumonicis, & cynanchicis, alijsq; omnibus, ut his quidem si aluus suppressa sit uel fluat, unà cũ proprijs morbi indicijs, B & hæc scribat: expositores uero ea morbi esse signa existiment, non cognoscentes alia quidem esse pathognomonica, id est affectionẽ indicãtia, prognosticaq; morbi propria: alia uero & inseparabilia. ueluti paulo ante dixi in ea quæ magna & rara est respiratione. quæ cum nobis desunt, non quidnam proprium uel inseparabile morbi indiciũ sit, est requirendum: sed an perniciose salubriter'ne æger habet. Consideratio uero tunc necessaria existit, cũ omnia in corpore, tum signa, tum symptomata apparuerint. Continentur autẽ in his, et quæ iudicationes prẽmonstrant. Sed rursus orationem ad principium reuocantes, dicamus quomodo autor in proposita dictione, Vrinæ in turbulentis ui C gilibusq; decolores, nigræ sublime petentes, atq; in sudore, phreniticæ: ꝑpria, & inseparabilia phrenitidis signa scripsit, cum inquit, in turbulentis uigilibusq;: non inseparabilia uero neq; ei soli propria, cum ait, atq; in sudore: quanquam sudor cum affectum occupauerit, locum unà cum prædictis demonstrare possit. Quæ de urinis dicta sunt, à phreniticis quidem separata sunt: sed ad inspiciendum utrum perniciose an salubriter æger habuerit, cõducunt. Siquidẽ sanè cum ad ægros introducimur, primũ inueniri cõuenit an laborãte uno ex principijs tribus uel duobus, uel etiam omnibus æger perniciose ægrotet: uel principiorũ quidem nullum affectum sit, sed quippiam eorum quæ ab horum aliquo enata sunt, uel quouis modo socie D tate coniuncta obstrictaq;. Si ergo cum in turbulentis uigilibusq; urinas inspicis, nullũ in ipsis prauum signum uideatur, neq; etiã in pulsibus: nempe & id dignotionis exactissimæ gratia adiecisse est necesse. nihil quidem minus ita affectum hominem phreniticum fieri possibile est, ubi phrenitidis signa huic affuerint. uerũ inter hos periclitantur minus qui principes facultates reliquorũ duorum principiorum illæsas habent. Hæc, ut dixi, semel à me sint dicta, totoq; libro memoria non excidant uelim, ne sæpius ea cogar repetere.

5 Insomnia quoq; in phreniticis cõspicua.

Satyrus Quinti discipulus quem ante Pelopem habui præceptorẽ, dictionem hanc ita exposuit: A Ea quæ in phreniticis conspicue uidentur, atq; ab ipsis fiunt, quæcunq; & cerni & fieri nobis putantur, reuera non existunt: sed insomnia omnia conspicua. Quòd ergo & alij quidam è somno surgentes obambulent, dormientes quidem, sed apertos uigilantium instar oculos habentes, in multis est narratũ scriptumq;. An uero talia sint, quæ à phreniticis fiunt, inter ea quẽ nobis cõspicua non sunt, reponuntur. Sed quouis modo uerum hoc sit, ita tamen exposuisse nihil ad prænotionem contulerit. Si uero prægredientia phreneticorum insomnia conspici euidenter dico, ita ut exturbẽtur cum uel è somno exiliunt, uel loquuntur, propter uisorum conspicuitatem præsensioni morbi huius adiumentum id confert. Nempe siccitas ipsa uigiliæ causa est, & repræsentationis somniorum. Sic sanè & melancholicis ob siccitatem prorsus euidentia uidentur insomnis phantasmata, atq; ex sanorum genere his quidem qui ieiune parciusq; sunt cibati, somnia manifesta fiunt: repletis uero temulentisq; ita ut uisis uidui destitutiq; uideantur, phantasmata propter obscuritatẽ paruitatemq; ita effluunt, ut ne reliquias quidem, & uestigia in memoria relinquant. sic & affectiones quæ cum cerebri humiditate fiunt, comatosẽ sunt, somniculosæ, & uisis destitutæ. Prauus itaq; est eorũ sermo qui neq; somnium phreniticis uideri conspicuum putant: ꝙ utiq;, ut dicũt, ij ueluti somno destituti somnia prorsus non uideant. Prompte siquidẽ primũ illud adsumũt, solos uidelicet eos morbos, qui cũ sua magnitudine absoluti sint, ꝓprijs nominibus appellari, negligẽtes interim non exigui momenti sermonem, ab initio à nobis relatum, quòd uidelicet neq; aliquis futurus affectus à medicis prẽnoscatur. Verum eorũ qui iam principium quidẽ generationis habent, sed nondũ multis propter paruitatem cogniti sint, facta ab artificibus cognitio, idiotisq; denunciata, præsensio apud illos existit, ita ut & phrenitici iam ab artificibus cognoscantur, affectione in cerebro recens consistente. Cæterum si quis non permiserit iam phreniticos appellari eos qui nondum cõspicue delirant, tamen quòd phrenitici fient, prẽnoscere ex insomnijs est possibile. ut dici in præsenti dictione potuit: In futuris phreniticis somnia prægredientia omnibus ipsis conspicue uidentur.

6 Screatus freques & si aliud quodpiam signum affuerit, sunt phrenitica.

Commodius forsitan erat si sermoni adiectum fuisset, nullo per eum exeunte sputo. Nam si quid expueretur, quomodo in distillationibus interdũ usu euenit, ob ea quẽ in os ipsum per narium foramina confluunt, fieri id consueuit. Contingit autẽ & aliquando frequens huiusmodi screatus, ubi respirationis robur externum quippiam attraxerit, meatibusq; in ipsis tum adhæserit, tum impactum fuerit. Sed, quod antea dixi, propter eos qui uel negligẽtius uel simplicius citra distinctionẽ enarrant, quæcunq; in huiusmodi doctrinis dicuntur, ꝙ ea omnia seclusis externis meminisse dicantur, oportet

oportet. Ob eam igitur causam screatus qui ex arbitrarijs functionibus una existit, frequens oblæsa reddit ratione, quomodo & arbitraria alia quęuis functio: quemadmodũ nonnulli quidem cum strepitu flatũ excernunt, prorsus id studio habentes, ut hoc faciant audiente aliquo. alij manũ absque ratione mouent, uel crus, aut quiduis aliud simile uel faciunt uel dicunt. Cõmuni igitur ratione functionum arbitrij omnium præter rationẽ uel exuperantium uel deficientium, phrenitica inter signa screatio quoque annumeratur. quanque non usque adeo ualens sit ut uigilia, & potissimum quæ ταρα χώδης id est turbulenta existit. nempe propria hęc phreniticorum est. Turbulenta aũt existit, ut dixi, cum per uisiones uel exclamant, uel exiliũt, & uix familiares agnoscunt. bene itaque in screatione adiecit, & si aliud quodpiam signũ adfuerit. Nempe signum hoc quod parũ momenti habeat, alia quę subscribant patrocinenturque expostulat. Quando igitur frequens screatio contigerit quoque ob glutinosum sputum quod in canalibus à naribus ad os pertingẽtibus infarctum sit, ut ea deliraturis quibusdam propter calidam & siccã cerebri affectionem obtingat, impossibile non est. Quòd autẽ in orationis calce dictum est non singulariter phreniticum, sed pluraliter phrenitica, uel ad signa uel ad morbos prorsus referetur. Modo uero utroque absurdam facit enunciationem.

7 Qui in hypochõdrio refrigerata febre ardores relinquuntur, tum alias, tum in sudoribus mali sunt.

Secure protulit, refrigerata febre: non enim uere dixisset, remissa sedataque: nẽpe in præcipuis manet partibus, quanque in superficie placata fuerit: febrire siquidem existimamus non eum modo qui in cute & superficie exteriori igneam habet caliditatem, uerum etiam & hoc magis qui eam in corporis imo & uisceribus continent. Letalis igitur causus interna quidem extorret, externa uero ne mediocriter quidem calefacit. Febrẽ similem recensuit Hippocrates in aphorismis cum inquit: Si in febre non intermittente frigida exteriora fuerint, & interna exurantur, sitimque æger habuerit, letale. Cæterum cum orationẽ hanc In sudoribus dicere consueuerit, interdum de his qui ex capitis thoracisque sedibus oriuntur, sudoribus: interdum quoque & de his qui per totum corpus sed exigui effluunt, utrum impræsentiarum dixerit, signum bonum non est. Nempe qui per totum corpus ita fiunt sudores sed exigui, quòd non flammeã illam quæ hypochondrium fatigat soluant caliditatem, ob id boni non sunt. neque etiam boni sunt qui in superioribus oriuntur partibus, cum geminam ob causam fiant, nempe uel ob languentem uel præ copia grauatam facultatem.

8 Prælanguentium desipientiæ pessimæ, ut & Thrasynonti contigit.

Pessimæ prędebilitatorum desipientiæ ita sunt, ut nullum ex ipsis sanari speraueris. sed de his intelligendum desipientijs, quæ ex sapientis in nobis partis laborantis affectione fiunt. Temporarię siquidem aliæ ab externis eueniunt causis: ut ex carboniũ caliditate uel uini potione uel domo calcis seruante qualitatem: noxiæ enim tales sunt, si prælanguentibus accidant: sed letales planè sunt, eorum qui ex phrenitica cerebri affectione desipiunt. Nempe magnitudinem quandam in uirtutis debilitate ostendit nomen προεξαδυνατησάντων, id est prædebilitatorũ, propter adiectã δὴ præpositionẽ nomini huic προαδυνατησάντων, quod ei per se sufficientẽ uirtutis læsiõnẽ ostendit. atque in exemplaribus quibusdã ita scriptũ reperit. Neque desipientiæ solum uirtutẽ expostulant robustã, ut æger sufficere morbi coctioni possit: uerũ quoque & peripneumonia & pleuritis & angina, & graues aliæ affectiones id desiderant. Accedit autem & ex abundantia ad desipientiã tum uigilia, quæ uirtutẽ nõ minus exoluit quàm sensibiles euacuationes, tũ qui in motionibus multis inordinatisque cõmittitur error. Quod autẽ dicitur, ut & Thrasynonti contigit, cõmentarium magis quàm scriptum opus id decet. Neque enim in Prognostico Aphorismisque & libris De fracturis articulisque, neque in libro De uictus ratione in morbis acutis, neque in libro De capitis uulneribus, sicuti neque in alijs ullo pacto nominis meminisse uidetur, prætereque in libris Epidemiorũ. In quibus duntaxat propositũ est, ut docta uniuersaliter, perquirat per ea quæ particulariter in unaquaque ægrotatione uidentur.

9 Phrenitica uehemẽter tremẽtia finiũtur

Aduerbium νεανικῶς pro γενναίως uel σφοδρῶς uel ἰσχυρῶς id est generose uel uehementer uel ualide dixit Hippocrates. In medio autem horũ nominum, phrenitica & trementia, ordinatũ potest (quantũ ex ordine est) cum utroque enunciari. sed si secundũ rei ueritatẽ sermo perpendatur, non potest cum hoc nomine, trementia, ordinari. fieret siquidem talis intellectus: phreniticæ affectiones in tremorẽ uehementẽ finiri consueuerunt. quod manifeste falsum existit, cum solas uehementissimas phrenitidas cõsequatur hoc symptoma. Nempe neruorũ infirmitates propter affectionis siccitatem, phreniticis diutissime insunt. Exoluta autẽ uirtute tũ uigilijs tũ motionibus multis, simul uero & neruis supra modũ arefactis, tremores fiunt.

10 Qui in capitis doloribus æruginosos uomitus habent, uigilantque cum surditate, cito hi uehementer insaniunt.

Si colorem humorum cum aliorum tum atræ bilis in memoria tenueris, quod æruginosi uomitus progressu ad nigrum humorem fiant, mente concipere difficile non est. Nempe atrã bilem ex flaua supra modum assata & crasso sanguine fieri nouisti. Flaua autem bilis cum supra modum assatur: primum quidem in æruginosum migrat succum, deinde in nigrum. supra modum autem assatur propter febris magnitudinẽ. Cum igitur flaua bilis in phreniticis affectionibus cerebrũ prehenderit, febrisque uehementia assatum hunc succũ melancholicum reddiderit, propter atræ bilis malignitatem

uehementes fiunt insaniæ, quas μανιώδεας in libris Epidemiorum appellauit Hippocrates. Aeruginosus igitur humor siue per uomitũ, siue per uentrem inferiorem, siue per sputa, siue per urinas apparuerit, & succũ ex quo ortũ habet & morbũ uehementer tum calidum tum siccũ esse demonstrabit. At cum perspicuum non sit, quantum ex humore est qui uacuatur, an is progenitus sit nõ affecto præcipuo aliquo loco, an principe aliqua parte erysipelatosam habente inflãmationẽ, coniunctis id dignoscit distinguitq; symptomatis. Nam & ob iecur ita phlegmone affectũ æruginosus generatur succus, cuius nunc non meminit. Quæ igitur dictarũ tum partium tum affectionũ propria sunt, ea dignotionẽ per symptomatũ aliorũ societatẽ efficiunt. Nã & uigilia, & capitis dolor, & surditas morbũ in capite esse demonstrant. Grauiter autẽ affecto cerebro uentris os excitari ad uomitum nouimus. nempe de his dictum sæpius. Ratione igitur optima homo hic ex sicca & calida capitis intemperie propter flauæ bilis supra modũ assatæ redundantiã, uehementer insaniet. Cito autem id fiet tum propter affectionis magnitudinẽ, tum propter speciem redundantis humoris. Nam quæ ex frigidis uel crassis uel lentis uel omnino difficulter mobilibus humoribus affectiones oriunt, tardius hæ ad uigorem ascendunt. Verum quæ ex tenuibus substantia & temperatura calidis, & qualitate mordentibus procreantur, non multum hæ cunctantur, sicuti neq; quæ Philistæ scripto in tertio Epidemiorũ facta sunt. quẽ uomuisse quidem biliosa pauca flaua primum, mox æruginosa plura, deinde simul accidisse homini surditatem, atq; demum uehementer insaniuisse eum pronunciauit. Recte igitur nunc non solum quòd insanient ita affecti, uerum quoq; & quòd uehementer insanient, ostendit: cum uerbum hoc ἐκμαίνει adiecit. quod magnæ desipientiæ indicatorium existit.

11 In acutis morbis faucium sine tumore dolores & pusilli & strãgulãtes, atq; cũ æger hiauerit, nõ facile os tũ aperire tũ claudere, mentis aberrationẽ portẽdunt. ex his phrenitici fiunt, & perniciose habentes.

Quòd ex symptomatis huiusmodi phrenitis interdũ oriatur, quodq; si fit, prorsus pernitiosa sit, recte est pronunciatũ. Neq; tamẽ q; ex dictis symptomatis necessario futura sit phrenitis, intellexeris. Nihil enim eorum quæ affectum cerebrũ commonstrant, concursioni adiacet. Ex quo autem æger is male in faucibus absq; tumore præter naturam affectus, cũ hiauerit, prompte tum maxillam reducere, tum os claudere nequeat, cõijcere quis possit principium neruorum aliquando affectum esse. Nempe ut in eminentibus cõspicuisq; nobis partibus affectiones exordium sumunt, ita ut non aceruatim totæ, uel inflãmentur, uel intumescant, uel erysipelata contrahant, sed in uno aliquo harũ loco: ita & in his quæ in imo corporis positæ sunt, fieri est uerisimile. Cum igitur cerebrũ ipsum magnitudinẽ insignem habeat, multasq; neruorum propagines, phlegmonen ipsius alias ab alijs earũ primũ exordiri par est. Qua uero parte cerebrum affectum fuerit, ea & neruorum propagines affectæ musculos quibus inserũtur mouere non possunt. Cum igitur maxillam inferiorẽ musculi quidem alij aperiant, alij uero claudant, cũ in aperientium musculorum neruis affectio fuerit, difficulter aperiunt: ubi uero in claudentium, non facile claudũt. At cum fieri possit, ut soli ipsi musculi interdum absq; neruorũ principio sint affecti, quòd phrenitis prædicta symptomata subsequatur necesse non est. Neq; enim quod ipsum maxime adduxit, ut affectum esse musculorũ principium suspicaretur (id est autẽ fauces non tumere) necessarias inter partes censetur. fieri siquidem potest ut faucium musculi inflãmati strangulationis efficiant symptoma, nequeant tamẽ uideri, etiam si plurimum quis os aperuerit. Si igitur absq; horum inflammatione prædicta fiant symptomata, inspiciendum est an solorũ musculorũ maxillã inferiorẽ mouentiũ propria quædã sit affectio. nam si neq; hi neq; qui in summa gutturis parte existunt, aliquatenus affecti fuerint, ratione optima offensum esse neruorum principium quis pronunciauerit. Quòd si ob principium neruorum oborta sint huiusmodi symptomata, grauissimã esse talem affectionem rationabile est, ut & conuulsio subsecuta sit. Nempe eas musculorum quæ ob principium fiunt tensiones cõuulsionẽ sequi didicimus. Non feci autem in eo quem percurri sermone mentionem eorum qui anginam ex colli uertebris in anteriorem partem luxatis perferunt, tum quòd raro contingat affectio, tum quòd gutturis musculi tunc quoq; simul inflammari mihi uideantur.

12 In phreniticis principio simpliciter & clemẽter habere, sed crebro permutari, malum id est. mala quoq; & freqũes sputatio.

Nihil quod phrenitidi peculiare sit, sermo hic habet. nempe & in cæteris affectionibus si permutetur huiusmodi clemẽtia, uires uinci à morbo significatur. Adiectum est principio, nec forsan alias fore potest. Nempe in principio permutationes assiduas uidemus, non autem cum morbi traxerint. Continguntq; hæc ex ratione in his affectionibus quæ ex copia uel qualitate fiunt malignorũ humorũ, in aliam aliàs partem, interdum quidem in principem, interdũ uero in non principẽ transmigrantium. Quę igitur in principes partes transfluxiones fiunt morbi clementiã corrũpunt: quæ uero in non principes, quo maxime tempore medicis ad infestantiũ uel copia uel qualitate humorum uacuationes procedendũ sit, ostẽdunt: quod sanè morborum omnium, ut dixi, cõmune existit. Cæterum frequens sputatio & propter os uentris ex humiditate imbecillum, & propter cerebrũ humiditatibus refertum oritur. ex quibus nonnihil & in os confluit lachrymæ tenui quæ ex inflãmatis oculis manat, simile. Nunc ergo quòd phreniticis crebrũ sputum fieri ait, cerebri male affecti, id est repleti signum existit.

13 Phreniticis alba deiectio mala est, ut Archecrati, an & in his ueternus fiat? pessimus autem & in his rigor.

Quòd albæ deiectiones & ob ciborũ colorem fiant, liquido constat. Videmus siquidem eos qui lac solum ingesserũt, uel panem purum, uel chondrũ, uel lupinos, uel tale quippiam, deiectionem habere albam, si his comparentur qui lenticulam ederũt, uel brassicas, uel decoctũ leporinũ sanguinem, uel ius nigrum eorum quæ cum multa conficiuntur sapa. At certe his qui alba ingesserũt edulia, flauæ bilis quiddam adueniens deiectionẽ colorat ita, ut ingestis pallidior efficiatur. Cũ igitur medicum quempiam audieris dicẽtem albas esse morbo regio deiectiones, ꝙ ad naturales eas comparet, conferatq́, quodq́ ad collationem harũ sermo ipsi sit, oportet. Quo autem modo pleriq; alij medici deiectiones in morbo regio albas fieri dixerunt, ita & nunc hic in phreniticis dixit: quasi eas prorsus flaua carere bile dixerit. Fit autem id cum ea non amplius in uentrem confluat: sed unà cum sanguine qui in uniuersum corpus distribuitur, sursum fertur, idq; uel propter adstrictionem quandã eius qui bilem ad uentrẽ defert, canalis, ueluti in morbo regio laborãtibus usu euenit, uel propter uehementẽ ardorẽ qui in superioribus iocinoris partibus existens sanguinẽ unà cum bile sursum rapit. Priore igitur modo emergente in totum corpus bile, cerebrũ læditur, iam & antea bile ipsa affectum. Posteriore modo bilis distributio non solum causa noxia, uerum quoq; & caliditatis multæ quæ in ipso esse demonstrat, signũ erit. Oratio aũt hęc, Vt Archecrati, operi quidem non admodum cõuenit, ut retuli, sed cõmentariũ magis decet, & potissimum quando scriptor seipsum admonere uoluerit. Inter ea quæ cõsequenter dicta sunt, oratio hæc, An & in his ueternus fiat: uidetur mihi adscripta esse, perinde atq; Archecrates ita affectus fuerit, sed non cõgrue quidẽ, quoniã non perpetuo dici debere in his segnitiã ignauiamq; demonstrant tum experientia tum ratio. Nempe ignauia ex frigidis crassisq; & glutinosis & omnino moueri contumacibus humoribus, & nõ ex calidis tenuibusq; & acribus, cuiusmodi est flaua bilis, fieri cõsueuit, nisi æger morti ita propinquus fuerit, ut ob extinctam uirtutẽ iam conquiescat. Nempe desidia huiusmodi nõ propter humorem, sed propter uirtutis extinctionẽ facta est. fieri aũt nequit, ut qui ita desides facti sint, seruetur. Estq; id symptoma cõmune omniũ ob immoderatam intemperiẽ morientiũ, & non proprium phreniticorum. Si igitur ueternus Archecrati factus sit, hac occasione factus est. atq; prorsus obijt, nõ quòd alba deiecerit, ueterno uel morte accita: sed propter morbi magnitudinem, cuius signum alba deiectio fuit. Rigorem uero ipsis contingere pessimũ, non simpliciter est intelligendum. Nempe & interdum criticus rigor phreniticorũ morbum sudoribus soluere uidetur. Sed sanè rigorem perniciosum dici eo tẽpore est existimandũ quo alba

A excernunt. Hoc enim in libris de iudicationibus, crudo in morbo iudicationẽ bonã fieri non posse est demonstratum. Crudus aũt est in quo unà cum sanguine bilis sursum fertur, quocũq; tempore id fiat: magisq; tale quiddã cõtingit cum igneæ caliditatis in cerebro collectæ immoderatio fuerit.

14 Mente ob melancholiam aberrãtibus tremores superuenientes maligni.

Melancholicã ecstasin, id est, mentis motionem aberrationẽq; intelligere oportet uehementẽ & ferinã, quæ diluente cerebrũ assata flaua bile orit. Nempe & ex hoc cõmentario permutari eam in nigram didicimus. Cum igitur talem ob affectionem tremor fiat, uehementer exiccatos ostendit neruos: atq; ob id hominẽ letaliter habere. quod

B sanè perperã enunciauit cũ dixit cacoethes, id est, malignũ. Nam quod summe periculosum existit symptoma aliam exigebat appellationẽ. Qui ergo ex atra bile mentem aberrantẽ superueniente tremore certo moriturũ affirmat, nõ fallitur. κακοήθεις aũt morbos, id est malignos appellamus quicunq; periculũ minãtes spem salutis non adimũt. Melius igit erat scriptã cõcursionem dici uel perniciosam uel mortiferã uel quiddam huiusmodi.

15 Mente aberrantes acute superfebrientes cum sudore phrenetici fiunt.

Asymphonam & à consonantia alienam talem dicimus enunciationẽ. sed obscura horum intelligentia ideo fit, ꝙ nomina inter se omnia tum con-

C iungi tum separari possunt. Cõponuntur siquidẽ uno tali hæc modo: Mente aberrantes acute, dein de altero principio, superfebriẽtes acute. Rursus quoq; & alia est orationis huius, cum sudore, compositio. quæ aliquãdo quidẽ præcedenti, aliquando uero & sequẽti coordinatur. potest enim & ita dictio legi, superfebrientes cũ sudore: deinde altero principio, phrenetici fiunt. Potest autem & qui hæc scripsit, ꝙ cũ sudore phrenitici hi fiunt, enunciare. Constat itaq;, quod semper dico, nihil obscuras enunciationes docere. siquidem nos qui intelligimus, dictioni quę rationẽ admittere potest, ueritatẽ accõmodare oportet, aut tẽporis plurimum cõterere, nihilq; proficere. Quatenus enim singulis dictionibus ab autore acceptis ueritas accom-

D modanda nobis est, eatenus iuuamen quoddam à nobis dictioni accedit periclitanti ne uideatur uitiosa, cæterum nihil ab ea docemur. Quanq; uero hæc ita habeant, uideaturq; conspicua esse obscurorum inutilitas, non pauci tamen libentius in obscuris quàm manifestis uersantur operibus. Nemo igitur expositionis prolixitatẽ mihi obijciat: sed irrationabile accuset eorũ desideriũ qui libros huiusmodi studiose cupideq; legunt. Nempe ꝙ inuitus ad horũ explanationes ueniam, familiares mei omnes nouerunt: & potissimum qui me ad ea quę nunc scribuntur incitauerunt. Cum igitur librum hunc perperã omnes exposuerint, aggressus sum & ipse expositionem, ab ijs persuasus qui me impulerunt. à qua rursus incipientes dicimus. Siquidem simul coniunxerimus & mente aberrantes,

& aduerbiũ acute: deinde silentio facto dicamus superfebrientes cum sudore: & deinceps, phrenitici fiunt: talem faciemus expositionem. Sed primum quidem lectionum omnium commune dubium consideremus. Nam mente aberrantes acute dixit per exordia, quos in calce dictionis phreniticos fieri dixit. tanquam mente aberrantes non iam phrenitici existant. Distrahi ergo dictionem laxariq; dicimus per uerbum superfebrientes. quę ostendit prius eos qui mente aberrarunt acute, febrire, postea desinere: deinde rursum, ex reuersione febrire cum sudore. Hos igitur phreniticos fieri ait. quòd phrenitici quidem fient ex uehementi ea quę ipsis ante facta est desipientia, quam per orationem mente aberrantes, indicauit, arbitratus: ex eo uero quòd cum sudore reuersio fit, confirmans suspicionẽ, quoniã tales febrium ingressus, siue ab initio, siue cum reuersione fiant, plenitudinem significare nobis constat. Atq; quòd quæ ex succis uel quantitate uel qualitate superflua in corpore colliguntur, fluere in affectos locos consueuerunt, ob id est affectũ cerebrũ. Non enim mente moueanť acute si superfebrierint, & præsertim cum sudore. Ratione igitur optima phreniticos ita fore est sperãdum. Nota siquidem tota horum affectio ita euadet. Copia biliosorum acrium protinus ab initio ad cerebrum fluente, mente moueri cuipiam contingit. quę si rursus aliam in partem transfluat, desinit mentis motio. si uero cum sudore hi superfebrierint, in affectũ locũ recurret biliosorum copia, ita ut phrenitici fiant. Si uero aduerbium ὀξέως, id est acute nomini superfebrientes, composuerimus, talis erit sermo: Mente aberrantes, deinde desinentes, & rursum superfebrientes acute cum sudore phrenitici fiunt. Sed prædictio tum hæc, tũ antedicta quod continue perpetuoq; sit non habet: sed quod magna ex parte sit, ueluti & aliæ multæ. Verum si orationi huic, cum sudore, orationẽ hanc, phrenitici fiunt, coiunxerimus, sermo secundum alterã earum quę in capite enarrationis dictæ sunt lectionum talis erit. secundum priorem quidem: Mente aberrantes acute, deinde superfebrientes, phrenitici cum sudore fiunt. secundum uero alteram: Mente aberrantes, deinde acute superfebriẽtes, phrenitici cũ sudore fiũt. Potest quidẽ & qui hæc scripsit talem ægrum uidisse, sed, quod sępius prædictum sit, non habebit. Multa uero & alia ex his quæ in hoc libro scripta sunt, non magna ex parte fiunt. autore quidẽ libri huius nonnullos tales ægros cõtemplato, & nondum siue q̃d perpetuum est, habuerint, siue quod magna ex parte, cognoscente. Nempe ex obseruatione magis, non ex peculiari affectionum conditione autor has enunciationes uelle facere uidetur. Qui autem medicinalẽ speculationẽ ita cõgerit, aceruatq;, is non centum, sed mille annis opus habet. atq; ob id paruã humilemq; eam plurimum adauxit Hippocrates, & his quæ ex historia didicit, & quæ ipse inspexit, logicam adijciens censuram. Ex multis igitur, librũ hunc Hippocratis scriptum nõ esse quis existimauerit. Multa siquidem

A loquiť empirice ipsum cõmentus, nec theoremata ad uniuersale rationabiliter perducere ualens.

16 Phrenitici modico utentes potu strepitum tentantes tremorem incurrunt.

Non hi ψόφου καθαπτόμενοι, id est strepitũ tentantes, sed ὧν ὁ ψόφος καθάπτεται, id est quos strepitus tentat, dicere erat melius. Quod uero dicitur, uerum existit. Nempe ob strepitus tumultuanť, non secus q̃ timidi, cum magnũ aliquod tonitruũ de repente audierint, uel feram aliquam propius cõspexerint. Prorsus item βραχύποτοι sunt phrenitici, id est bibẽdi desideriũ his exiguũ est, quanq; affectionem habeant calidam & siccam, ita ut & linguam præ multa siccitate asperã habeant. sed do-
B cuit nos Hippocrates mentem his ægrotare, in eo aphorismo qui ita habet: Quicunq; parte aliqua corporis dolent, atq; ut plurimũ dolores non sentiunt, his mens ægrotat. Præterea in tertio Epidemiorum ubi de pestifero agit statu, de phreniticis idem inquit: Non ualde autem hi sitibundi erant. Non autem phrenitici omnes tremorẽ incurrunt, sed qui deterrime habẽt, ut diximus. Sunt qui non βραχύποτοι, sed βραχυτόπαι, id est cito suspicantes scribant, intelligi uolentes ὑποτοπουμένους, id est suspicantes citissime. aiuntq; rei huic fidem facere quod dicitur ψόφου καθαπτόμενοι, id est παραπτόμενοι, id est à strepitu turbati, propterea q citissime ὑποτοπεῖσθαι, id est ὑποτοπεύειν, hoc est suspicentur.

17 Ex uomitu graui fastidiosoq; uox clan-
C gosa oculiq; concretum puluisculosum habentes, uesaniã ostendunt. ut Hermozygi uxori, quæ uehemẽter furẽs & muta obijt.

Si æstiuo tempore & uehementissimo æstu & uia puluerulenta iter fecisse quosdam uidisti resiccatis ita oculis, ut puluere pleni uiderenť, eosq; animo fueris complexus, quid præsens dictio indicare uelit intelliges. nempe id eorum quæ in ea dicuntur maxime proprium existit, commune nimirum & tabescentium & uehementer insanientium. neq; ei cognitu difficile qui ex tabescẽtibus unum aliquando etiam conspexerit. Nempe tabescentibus colliquatũ est id omne quod tum in facie tum in tẽporibus carnosum existit, factis unà
D & cauis admodum oculis. Phrenitici uero absque his oculum habent ἐπίχνουν, quasi puluerulentum puluisculosumq;. Præterea phreniticis, aspectus audax feroxq;: marcescẽtibus, timidus existit. Vomitus autem ἀσώδης, id est fastidiosus, commune quidẽ symptoma talibus est phreniticis cum malignis quibusdam febribus: ueluti & uox clangosa. fit autem huiusmodi uomitus ex humore tum bilioso, tum mordenti. Vox uero clangosa propter siccitatem uoci asseruientiũ instrumentorum, ut in cõmentarijs de uoce ostẽdimus. Cum igitur phreniticis hæc obtigerint, μανιωδῶς desipiunt: quod idem cum σφοδρῶς id est uehementer uult significare. fitq; tum propter humoris malignitatem, tum propter immoderatam siccitatem. quo fit ut & muti euadant.

Si in

18 Si in ardente febre aurium ſonitus cũ caligine fuerit, proueneritq́; in naribus grauitas, mente ex melancholia aberrant.

Febris ardens tum ob alias cauſas, tum propter cerebri inflammationem ęque fit. Nempe & huic ſuccedit ex proprijs phrenitidos ſignis continua deſipientia. Ex ea uero quæ in capite redundat humiditate ſpiritus flatuoſus procreatur. quapropter & aurium tinnitus fiunt. Pari modo caligo, cum craſſus quidam humor uel ſpiritus oculos inuadit. Naribus præterea ingruens humoris copia ſenſum grauitatis in ipſis facit. Probabile eſt autem & nonnunquam dictorum ſymptomatum concurſionem propter aſſiduam fieri febrem ex bilioſa materia quæ per uenas fertur, inibiq́; eſt cõdita, à qua flatuoſi ſpiritus ad caput mittuntur, ad aures, ad oculos, atque ad nares humoris copia. Quòd ſi flaua bilis quodammodo aduſta ſiue in capite, ſiue in toto corpore fuerit, ad id quod melancholicum magis eſt uergit, atque hinc in cerebrum ipſum emittitur. ob idq́; mẽte ex melancholia alienantur.

19 Vacillationes mentis cũ uoce clangoſa, linguæq́; cõuulſiones cũ tremore & uoces ipſæ obtremiſcentes, mentis indicant alienationem, duritieſq́; his pernitioſa.

Quanquã ex phrenitide quæ calida & ſicca eſt affectio, deſipiẽtia proficiſcatur, atq́; ex ipſius ſiccitate quæ aſperæ arteriæ cõmunicata eſt, uox clãgoſa fiat, ueluti & ex humiditatibus imbibitis rauca: non tamen propria phrenitidis exiſtunt. Nempe & alijs in morbis reperiuntur, & non perpetuo ſimul phrenitidi inſunt. Tremor linguę accidit debilitata propter ſiccã prædictæ affectionis intemperiem animali facultate. Cõuulſiones uero ſiccitatem muſculorum ipſius unà cum capite affectorum conſequuntur. ſicuti & uox obtremiſcit propter infirmitatem quæ ab horum contracta eſt intemperie. Prædicta autem hæc omnia ſymptomata quæ ob ſiccitatis capitis intentionẽ fiunt, mentis motionem ſubeſſe indicant. Vniuerſis autem his induratis pernicioſum propter immoderatam eam quæ in cerebro facta eſt ſiccitatem.

20 Linguæ obtremiſcẽtes ſignum non conſtantis mentis.

Dixi ſæpius linguas ob facultatis animalis imbecillitatem contremiſcere, eſtq́; ſignum non conſtantis mentis, quòd ex phrenitide fiat. Patiente ſiquidem cerebro, calidaq́; exiſtente affectione quieſcere nõ poteſt. Nempe ut frigidi eſt tum ſtabilia tum retarda tũ immobilia ea efficere in quibus moram facit: ſic calidum ſemper mouet, & non ſinit quieſcere. Oſtenſurus igitur Hippocrates qualiſnam capitis affectio ſit, non conſtantem mentem nominauit. Nõ eſt autem hic tremor linguæ peculiare phrenitidis ſignum, ſed per ſympathiam compatientium alteri cuidam primum patienti, uel propter uicinitatem, uel propter ſocietatem quæ in ea ſunt partium.

21 In bilioſis ſynceriſq́; deiectionibus ſpumoſus ueluti ſurſum erumpens flos, malus tum alias, tum ei qui lumbis ante doluerit, atque eiuſmodi deiectiones inteſtina permearint.

Quòd ſpuma tum propter frigiditatẽ tum propter caliditatem fiat, indicium faciunt tum uenti in aquis ipſis ſpumam concitantes, tum efferueſcens ea quæ in lebete eſt caliditas. In bilioſis igitur deiectionibus ſpumoſum ἐπάνθισμα, id eſt ueluti flos ſuperne incumbens, bilis huiuſmodi feruorem non modicum oſtendit. Sed lumbis ante dolent, propterea ꝙ bilis per inteſtina penetrans acris ſit & mordax: talibus ſiquidem excrementis per inteſtina deductis tralatiſq́;, non ea modo quæ lumbis adhærent, uerum quoque & reliqua dolores ſubſequuntur.

22 Rari in his laterum dolores delirium oſtendunt.

Cõminute hoc pacto indiſtinctèq́; prolata de laterum doloribus oratio obſcuritatem non uulgarem efficit. Nos uero qui obſcure ab ea dicta, perſpicue docere omni ope affectamus, explanationem attingemus. Dolor rarus in lateribus progignitur cum ſpiritus quidã flatuoſus in ipſis procreatur. Nempe is tum extenuatus tum diſcuſſus dolorem ſedat. deinceps rurſus procreatus alter dolorem ipſum inaugebit. quomodo ſi ratus fiat dolor, deſipientiam non indicat. Cum uero latus inflammatum fuerit, & interdum quidem continue dolorem ſentit ęger, interdum uero & per interuallum, mentem ægrotare indicat. Hoc itaque non planè eſt ſignum deſipientiæ.

23 Aphoniæ cum ſingultu peſſimæ.

Aphoniæ fiunt quidem & propter uoci aſſeruientium inſtrumentorũ læſionem, & propter principij neruorum affectum. Singultus autem eſt ueluti conuulſiua quædam oris uentriculi affectio: quod ex humorum copia grauatur, uel mordetur uel propter frigiditatem contriſtatur. quam ergo uocalium inſtrumentorum læſionem ſubſecutus eſt ſingultus? Relinquitur itaq́; aut copiam humiditatis quę aphoniam procreauit, in os uentris defluxiſſe, aut quòd acris ſit aut frigida.

24 Quæ cum exolutione fiunt aphoniæ, ualde malæ. ſpiritusq́; in aphonia ueluti his qui ſtrangulantur, promptus, malus. an & tale delirium portendat.

Strangulantur iure optimo quoniam aeris copia non ſit, eſtq́; ipſi conſuetudo ut talem ſpiritum φαινόμενον, id eſt apparentem dicat. Videntur aũt omnes qui talem inſpirant inſpirationem, ſcapulas mouere totas, ita ut per ueſtimenta motio conſpicue appareat: tanquã ualide ipſi ſuperioribus thoracis partibus operentur. Non igitur abſq́; ratione hoc in loco talem ſpiritum πρόχειρον, id eſt promptũ appellauit. quem in ſecundo Epidemiorum dixit μετέωρον, id eſt ſublimẽ elatumq́;: πρό-

χειρον quidem quoniã προχείρως, id est tum ἑτοίμως tũ ῥαδίως, id est prompte faciliterq; his qui ægrũ cernunt, uidetur. quoniam & nos ipsi consueuimus τοῖς ἀποκεκρυμμένοις, id est absconditis latentibusq; & μὴ φαινομένοις, id est non apparentibus τὸ πρόχειρον opponere. μετέωρον uero uocauit quoniam qui ita respirant, altiores sublimesq; thoracis partes mouere uidentur. Potest sanè respiratio huiusmodi & propter respirationi delegatorũ instrumentorum fieri angustiam, & ob affectum neruorum principium. quod si læsum fuerit, magnã efficere respirationem rectè Hippocratem existimare ostendimus. Cũ ergo possit aphonia cõtingere & ipsis uocalibus instrumentis læsis, & ob affectũ neruorum principiũ, pariterq; spiritus promptus, ob easdem causas: incertum erat, quantũ ad hæc, an futurũ esset ut desiperent: atq; ob eam rem ambigue protulit, an & tale deliriũ portẽdat. Quòd uero malum signum sit, non dubitanter sed certo pronunciauit. Si enim non perpesso neruorũ principio, sed oblæsis tum respirationi tum uoci deputatis organis talis respiratio cũ aphonia facta sit: periculum non qualecunq; adfert, cum qui ita affecti sint, celeriter strangulentur.

25 Tãtulũ feroces desipiẽtiæ ferinæ sunt.

Forsan quis orationem uitio uerterit, desipientias quæ ualde feroces sunt, ferinas magis esse q̃ quæ tantulum feroces sunt, inquiens. sed neq; ut has cognoscamus, opus habemus. Eas uero quæ non ualde feroces sunt, deinde desinũt, suspectas haberi admonet: ipsisq; tanquam non rediturís haud fidendum esse. Nam quæ in calidis febribus fiunt desipientię, ferocitatem non habent. Phreniticis uero appellatis id inest. Talis igitur potentia sermo erit. Cum uideris quempiam cum ferocitate desipientem, & si paulo post sedetur, cognosce mentem eius nõ febris ratiõe læsam esse, sed phreniticam subali affectionem, quæ post adaucta, ferina tibi uidebitur. Ferinas autem desipientias appellat, in quibus ægri calcitrant, pedibus feriunt, mordicus impetunt, & excandescunt, eos qui ingrediuntur, tanquam hostes existimantes.

26 Qui cum refrigeratione nõ sine febre superiorib. sudanti partibus fiũt morbi, implaciditates inquietatiões q;, phreniticæ existũt. ut Aristagoræ præterea & pniciosæ.

Nonnulla quidem, ut & antea dixi, incipientium morborum indicia certa sunt, alia autem magna quidem ex parte sunt, sed certis propè accedentia: alia uero etsi non propè quidem accedant, non tamen iam longe recedunt: alia præterea ambigua, & alia his iam inferiora. De quibus cum scribit, interdum sese incertum addubitantemq; confitetur: interdum quoque & nominatim mentionem ægrorum facit, in quibus tale fieri conspexit. sicut & nunc omnia quæ percurrit symptomata, aliarum quoque sunt febrium. Phrenitim quoque & ex ipsis fieri est posibile, & potissimum propter partium superiorum sudores. Quòd autem tales affectiones siue phrenitim inferant siue

A non, perniciosæ sint, his constat qui non incuriose hucusq; dicta intellexerunt, atq; eorum meminere quæ in Prognostico recensentur.

27 Frequentes in phreniticis permutationes conuulsionem indicant.

Supra quidem simplicitatem clementiamq; in his qui circa morbi initia permutantur, non bonum signum esse dixit: nunc uero de quorum agat permutationibus explanare proposuit. Possunt siquidem & symptomata uiribus contraria inuicem transmigrare, ut in sequentibus ipse dixit: Summæ corporis partes si celeriter in utranq; conditionem transeant, malum. sitisq; huiusmodi mala. In utrisque enim intelligere oportet in
B summis quidem corporis partibus, ut uehementer calefiant, deinde rursum refrigescant ualide. in siti uero, ut uehemens sit, & post paulo prorsus restinguatur. quod cum clementiam cito transmutari idem nõ est. Nam in hoc ex bono ad prauum est transitus: & rursus ex isto ad naturalem habitum fit regressus. In nunc uero propoposita dictione ex prauis symptomatis ad praua ostenditur permutatio. Migrationes autem huiusmodi ex migrantibus fiunt humoribus. Nempe firmatos stabilitosq; una in parte, species una symptomatis tum naturæ partis tum humoris uirtuti peculiaris, consequitur. Atqui quòd phrenitis in ipsis perduret, ex eo firmatum in capite eum qui affectionem parit, humorem quis fuerit suspicatus.
C Vere igitur in cerebro ipso transfluctio est, aliàs in alia quapiam ipsius parte fiens, speciẽ quidem affectionis seruans, sed pro parte affecta symptomata ipsa permutãs. Et sane libri huius autor nũc de huiusmodi permutationibus agit, ut scilicet uel floccos euellentes, uel festucas colligentes in quiete multa, post paulo exiliant, uel & quippiam uiolentius agant, deinde rursus conquiescant, aut externum quippiam quod pręsens non sit, incusent. quomodo & expelli iubent tubicinas, tibicinasq;, quanquã ex his adsit nemo. Vt enim floccos euellere, & festucas colligere sensus uidendi est offendiculum, ita hoc audiendi. Fit quoq; & in olfactu symptoma non dissimile: cum scilicet graueolentes quosdam odores qui non adsunt, incul
D pant. Sunt qui incumbens quippiã sustolli iubẽt, tanquam graue admodum uel calfaciens uel mordens uel refrigerans portent, sensu tactus in huiusmodi symptomatis oblæso. Quòd igitur libri huius autor migrationes symptomatum permanente phrenitide culpet, consentaneum est. Vidimus siquidẽ sæpenumero tales dementias perpetuo quidem delirante adhuc ægro: sed modis formisq; secũdum uniuersa functionum animalium genera uariãte. Quo aũt modo in sensitiuis recensui, ita in ratione, mente, memoria, & cogitatione permutatiões phreniticis fieri uidemus, ita ut nũc excandescãt, nunc lætentur desipiẽtes ipsi, uel studiosa quadam detineantur oratione. Nempe & rhetorẽ cum desiperet declamantẽ audiui, grãmaticũq; librũ legere putantẽ Bacchylidion uel Sap-

phicon. Alium arithmeticum uel geometrã theoremata artis narrantem. Si igitur hæc honeste caste q; proferentes post paulo turpia obscœnaq; cõmemorent, quod in epidemijs ἀισχρομυθεῖν, id est turpia loqui uocauit, permutatio hæc non ex uitiosis ad clemẽtia, sed ex prauis ad praua est. Quo pacto audacissimi interdum tempore aliquo uisi desipientes, post paulo timidi formidolosiq; & perterriti uidentur. Talia siquidem circa ipsos uidentur symptomata, ita ut interdum ne horrẽdissima quidem timeant, interdum uero & minimis perterrefiant. Talium permutationũ exemplum scripsisse mihi uidetur, & in sequenti dictiõe cum inquit: Mictus in non sentientibus recordantibusq; perniciosi. Imaginare itaq; mihi ægrum aliquem dictas permutationes omnes habuisse, & circa urinas, & circa alia quibus memoria in nonnullis offenditur. Imaginator item & in sensilibus repræsentationibus uicissim offensas fieri, pari modo & in intellectualibus. In tali, causa quidem in cerebro existit: sed aliàs aliũ ipsius locum infestat quod transfluit. Demonstrauimus autem transfluxiões huiusmodi fieri unaquaq; partium suscipientiũ in alteram à sese quod superuacuum est expellente. Si igitur aliàs ex alia cerebri parte in aliam defluens qui contristat humor ab omnibus reijciatur, ut enatis ab ipso neruis aliquando obrepens conuulsionem inferat, est uerisimile. Nempe affectionem hãc à repletione & inanitione fieri dixit Hippocrates.

28 Vrinæ excretio in non recordantibus perniciosa. Excernatur ne & his tanquam subsidentiam returbaueris?

De phreniticis quod dicitur intellige. Comparat siquidem autor meientes ex præsentium admonitione, cum his qui absq; illa meiũt. Quidam enim neque matellam petunt, sed citra ordinem rationemq; urinam in lectum effundunt. Quod igitur longe hi deterius habeant quàm qui nullo pacto nisi admoniti urinam excernunt, liquere arbitror. in his enim seruatur naturalium intellectus functionum una, cum urinam in lectum excernere auersentur: in illis autem perijt & ea. Quod autem in calce orationis adiacet, ubi inquit: Excernatur ne & his tanquam subsidentiam returbaueris? ob id adiecisse arbitror, quòd talem urinæ speciem in uno uel duobus ita meientium conspexerit. Cum igitur ex rei natura fieri non posit, ut uia demonstrationis uniuersaliter hoc pronuncietur, neq; præter hoc probabile quippiam experimento ipso habuerit, propterea quia res ipsa sæpius uisa nõ sit, coniunctionem dubitandi ἄρα, id est Ne adiecit. Audebimus itaq; nos uniuersaliter pronunciare ut antea in alijs fecimus, quòd copię crudorum humorum uel coctorum uel in flatum uersorũ talis urinæ species symptoma sit, & non phrenitidis. imò & hoc phreniticis aliquando fieri potest & non fieri, ueluti & symptoma aliud quoddam eorum quæ phrenitidi neq; propria neque contraria existunt.

A 29 Palpitantes per totum an uoce destituti moriantur?

Constat ꝙ & hic palpitantem aliquem uiderit, uel toto corpore uel quauis parte. non etenim liquet utrum dicat oratio hæc, per totum: deinde ægrum proxime mortem uoce priuatum uidens, neq; empirice neq; logice ꝙ uocis priuatio palpitationem de necessitate sequatur, reperire ualens, ob id quærens & addubitans sermoni coniunctionem An adiecit. Nos sanè rursum & impræsentia pronunciabimus palpitationẽ quatenus demonstratum est, flatuosum ob spiritum fieri, congesto scilicet ob frigiditatem flatuoso spiritu. Cum igitur corpus totum palpitauerit, fieri potest, ut qui ita affectus sit, propter frigiditatem uoce destitu-
B tus pereat, non amplius mouentibus summũ guttur musculis, aut ijs qui in eos proruũt neruis suo fungi munere queuntibus. Quare ut hi per totum corpus palpitationis motum habeant, intelligere est melius; neq; enim ut cuiuis parti palpitanti, uoci a seruientes partes compatiantur, experientia demonstrauit, neq; rationi est consentaneum.

30 Si in phreniticis frequens cum refrigeratione sit screatus, nigra reuomuntur.

Quoniam nihil aliud suspicari liceat per uocem πτυελίζειν significari ꝙ sæpius πτύειν, id est spuere, uel os ipsum assidue sputo plenum esse, ob id tum ego tum cæteri omnes qui librũ exposuerunt, ita intelleximus. Adde ꝙ & os ipsum uomituris spu-
C to tenui plenũ esse uideatur propter membranæ continuitatẽ, quę ori toti interno continua est, faucibusq; & stomacho & uentriculo. hinc fit, ut labrũ inferius interdũ concutiatur, uẽtris ore ad uomitũ excitato. Nempe labij concussio membranã eã quæ ab ore in uentrẽ extenditur, tum morderi, tum uellicari, tũ concuti ostendit. In his igitur qui suam affectionẽ recensere possunt, καρδιωγμός, id est stomachi morsus, futuri uomitus signum exiguum nõ est. Dolent præterea & hi capite, & atra quædã ante oculos obuersantur. quo fit ut in Prognostico dictum sit: Si quis per febrem letalẽ ait se capite dolere, & atrum quippiã ante oculos cernere, stomachi quoq; morsus huic aduenerit, biliosus aderit uomitus. In phreniticis uero qui affe-
D ctionem sermone aperire nequeunt, solis his quæ cernimus prænotionem adstruimus. Cernimus autem in phreniticis tenue substantia sputũ, quod ut uomitum indicet, est maxime idoneum. Non enim aliàs phrenitidi, quæ siccus morbus est, in qua & sæpius lingua siccissima est, superfluere in ore ipso uideretur tenuis humiditas. Perfrictio autem huic adueniens uomendi humoris qualitatem ostendit. Quòd ergo frequens ob sputum uomitus fiet, quodq; ob frigiditatem nigra reuomentur, licet prænoscere.

31 Surditas, urinæq; absq; residentia prærubræ & sublime petentia, mentis aberratione portendunt. quibus morbus regius malo est, mala quoq; & ex morbo regio fatuitas

tuitas, hos uoce quidem priuari, sed sentientes esse contingit. uenterq́; arbitror, his copiose fluit: ut Hermippo factum est, unde obijt.

Dixi antea ꝙ in quibus morbis neq; multos obseruauit ægros, neq; certam naturæ rei demonstrationem habet, in his consueuit aut homines nominatim perscribere, in quibus symptomata conspexit, de quibus singulatim enarrationem fecit, aut peruestigare adhuc & addubitare sese fatetur nunquid ueritatem habeat. uidetur igitur et nunc quę in præsenti recensentur dictione symptomata in quodā conspexisse Hermippo: qui & mente aberrarat, & morbo regio fuerat correptus, cum surditate, & urinis prærubris non subsidentibus. Surditas aūt unum est ex signis quæ cerebrū affectum indicant. Prærubræ uero urinæ à subrubentibus, quas in Prognostico diuturnitatis non periculi signa esse pronunciauit, discrepāt. Quas uero alias intelligat quis prærubras ꝙ quæ à cunctis uocantur cruētæ: quales in nephriticis multis excernuntur, quas si indicare uoluerit, proportiōabile quippiam significat ei quod antea est dictum, uentris ualde rubens proluuies. quo igitur modo uentris ualde rubram proluuiem affecto iocinore fieri diximus, ita prærubram urinam ex renibus suo perperam fungētibus munere effici affirmamus. In urina uero crassamenti subsidentis priuatio, simulq́; crassiora quædā tota urinarū substantia sublime petere uisa, perturbationē in uenis unà cū caliditate præter naturā esse demonstrāt, nō pauco congesto aceruatoq́; flatuoso spiritu. Vt igit̃ in dictis symptomatū cōuentionibus delirare ægrū cōtingens est: sic & nō necessariū. Nempe signorum permistio non omniū eiusdē generis existit. Surditas etenim, caput affectū indicat: prærubrę urinę, renes: priuatio subsidētiæ, & sublime petentia, primum quidem & per se, crudorū humorū in uenis perturbationē significāt: per accidens uero, & ad desipientiæ generationē conferunt. Quod aūt postea scriptū est, morbū regium his malo esse, uerū quidē est: sed ꝙ signorū diuersi generis concursiones facere in talibus disciplinis nō oporteat, supra est demonstratū. Præterea ꝙ ex morbo regio mala fit μώρωσις, id est fatuitas, dictum est antea, cum, ubi in phreniticis dixisset deiectio alba malū, subintulit, an & ex his ueternus fiat? Nempe sermonem in alias transfert uoces, pro alba quidem deiectione quæ ictericorum peculiare symptoma est, affectionem ipsam commemorans: pro ueterno uero & ignauia, stoliditatē. hos igitur, inquit, uoce quidem priuari sed sentientes esse cōtingit. Qui autem in acutis morbis ἄφωνοι, id est sine uoce fiunt, quidam horum nō sentiunt, propter principij affectionem utrisq; ipsos sequentibus symptomatis: alij duntaxat uoce priuātur: atq; horum quidam læsis quoq; & alijs omnibus, quæ ex arbitrio sunt functionibus: alij sola uoce oblæsa. Si igitur tum uocis tum functionum aliarum oblæsio fiat, principij neruorum affectio est: si uero solius uocis, solorum uoci asseruientiū organorum. Sed in prædicta concursione cum iam prope mortem uentū sit, aphoniæ consequitur symptoma. Quod item in orationis calce dicitur, uenterq́; his copiose fluit, ut Hermippo factum est, unde obijt: ita autorem dixisse probabile est, quoniam neq; sæpius symptoma hoc præsentem concursionem sequi uiderit, neq; ratione inueniri potuerit.

32 Surditas in acutis, & turbulentis succedens, mala.

Fit surditas et ob humorem quendam in auditorijs meatibus impactum infarctumq́; nihil quod malignū sit habens. Fit quoq; & interdū extincta audiendi facultate. quam in acutis turbulentisq; morbis contingere cernimus: quā nunc pronunciauit malum esse symptoma, neq; adiecit coniunctionem, an, neq; nomen ipsum ægroti, quoniam certo de talibus symptomatis pronunciare licet.

33 Tremulæ, obscuræ blandæq́; et contrectabiles desipientiæ, ualde phreniticæ, ut Didymarcho in Co obuenit.

Fit & talis quædam desipientiæ species non raro, ut æger quietus iaceat, neq; solum non tumultuose exclamet, exiliatq́;, ut antea, sed neq; prorsus loquatur, neq; figuram decubitus permutet. sępiusq́; qui ita affecti sunt, familiaribus præbēt opinionem ꝙ mox sint, si quod fiat silentiū, dormituri. Clausis itaq; fenestris conquiescunt custodes, tempusq́; in his interdum longum conterunt, dormire ægrum ꝙ neq; loquatur, neq; moueatur, arbitrati, ęgro ipso non dormiente & manus quiete mouente non secus ꝙ qui per leuem cōtrectationem aliquid uel tangere uel inuenire uolunt. Deinde his ita se habētibus quidam clausis palpebris hæc agunt. & si quis accedens cum eis colloquatur: quidam neq; prorsus oculos aperiunt: alij posteaquam aperuerunt, aut paulopost clauserunt, aut immotos obseruant: alij neq; si quis eos inclamauerit, uel stimulauerit, palpebras aperiunt. De phreniticis huiusmodi Hipp. in tertio Epidemiorum, ita scripsit: Nullus phreniticorum uehementer insaniuit, ueluti alijs usu uenit: sed alia quadam ueternosa ad somnum inclinatione capite grauati peribant. Cæterum hos ipsos in præsenti dictione phreniticos, obscuros nominauit. perinde atq; multis cognitu difficiles dixisset, neq; idiotis solū, uerum quoq; & medicis. Nempe solos illos opinantur esse phreniticos qui exclamēt, uel exiliāt, Hippocrate mente oblæsos ita appellante, tametsi in quadam in somnum propensione perpetuo fuerint. Desipiētia igitur unà cum comate statim ab initio simul inuadit. Nempe in libro De comate apud Hippocratem, ad idem utrasque appellationes tum cataphoræ tum comatis referre ipsum demonstrauimus. Atqui tales phrenitides quietem obscuram non habent: sed, ut dictum nunc est, obscura phrenitidis species ex procedēte tempore efficit̃. Omnesq́; quos ita affectos uiderim, languidum, durumq́; & angustum & exiguum habuerunt pulsum, ita ut quies fieri ipsis langui-

da

da reddita uirtute coniiciatur, qui scilicet ualidissime moueri nequeant. Quidam horum, ut manus quiete pacateꝗ; mouent, sic & breuissime loquuntur, id quod multos latet, solisꝗ; illis patescit, qui propiores facti sese in eos inclinauerunt. sunt autem qui aurem prope faciem ipsorũ deponere tentant, ut manifeste audiant. Præterea manuũ motio his exigua & tremula existẽs multos etiam latet, solis his qui diligenter inspiciunt conspicua. hoc igitur arguit uirtutem horum languere, atꝗ; hecticam quandam esse affectionem phrenitidis, ueluti febriũ earum quas ob id hecticas appellamus. Sed de his dictum est in cõmentarijs De differentijs febrium, atꝗ; in libris De morbis curãdis, prætererea & in libro De marasmo, solidas animalis partes prehendisse tales febres, nõ ex putri humore fieri indicantes. Phrenitide igitur ipsa ex bilioso succo generationẽ habẽte, cum is in cerebrum decubuerit, principio quidẽ qualitate ipsius nondũ toti cerebri corpori permista confusaꝗ;, tumultuosæ fiunt desipientiæ: procedente uero tempore simile quippiam contrahitur lanis quæ à tinctoribus appellatis, tincturã accipiunt. Nempe & hæ uix eluibiles redduntur, non secus q̃ quæ propriũ ab initio colorem habent. Talis igitur cerebri ueluti tinctura desipientiã hecticã habet. atꝗ; ob id affectio horum, ut febrium hecticarum praua est: quas quidẽ cũ formãtur, uix solui: exquisite uero constantes absolutasꝗ;, solui nõ amplius posse demonstrauimus. Recte igitur pronunciatum est, tales desipiẽtias ualde phreniticas esse. Dictionem hanc ueluti & alias quasdam medicorum, prætercurrentes expositores in sophisticis quęstionibus cunctãtur trahuntꝗ;. Voco autem, ut scitis, sophistica quæ nihil ad melius sanandum cõferunt. Talia autem non pauca & in expositionibus reperiuntur, quorum nonnulla ab eo quod sanationi cõmodat, recesserũt magis, alia uero minus. quomodo profecto & causam peruestigare ob quam in calce præsentis dictionis adiecit, ut Didymarcho in Co obuenit. Nempe in eo qui præcedit sermone, quòd autor nominatim ægros in illis ascribat dictionibus in quibus non audet rei de qua agit, unum quippiam quod cõmune sit, uniuersaliter pronunciare, est demonstratum. Nunc aũt uerum dicere uidetur de omnibus ita habentibus uniuersaliter pronuncians non tanquam dubius: sed tanquam ualde certus persuasusꝗ;. Adiecit autem sermoni, ualde phreniticæ, quanꝗ; simpliciter phreniticæ dicere potuisset. Videtur autem mihi & sermoni adscripsisse ægroti nomẽ, ꝙ multos nõ idiotarum modo uerum etiam & medicorum in talibus falli contingat. Imò & de quodam aliquando quis mecum contendit ita desipiente, neꝗ; hunc perniciose habere neꝗ; prorsus phreniticũ esse existimans. Et forsan huic qui prædictionẽ hanc scripsit, talis quæpiam cõtentio cum aliquo facta est: ideoꝗ; nominatim ægrum memorauit.

34 Ex rigore desidiæ non ualde apud sese existunt.

A Haud scio cur libri huius autor orationibus in multis aliena utatur dictione. qui interdum ab affectibus ad affectos homines pertranseat, interdum uero & ab affectis ipsis ad affectus. Præfatus igitur & nunc, Ex rigore desidiæ: subintulit, non ualde apud se existunt. cum dicere potuisset, Ex rigore desides non sibi admodum constant. Quod ergo inquit, tale est: Cum rigorem consequetur desidia ignauitasꝗ;, hi non admodum incolumi mente existunt. Nempe corpus uehementer refrigeratum ex eo quod contigit, ostenditur. Constat autem totius corporis intemperaturas consequi sæpe mentis læsionem, affecto nõ secus quàm totum corpus cerebro.

35 Circa umbilicum dolores palpitantes, quod mentis permutationem ostendat quippiam habent. circa iudicationem uero his spiritus uniuersus cum uehementi cupiditate penetrat: suræ quoꝗ; dolores in his, mentis aberrationem indicant.

B Quidam non solũ ἅλις quod ἀθρόον, id est simul totum, uniuersumꝗ; significat, scribũt: uerũ quoꝗ; & συχνόν, id est multum, uerbo ἅλις adijciunt. alij γόνῳ per γ scribunt & non per τ τόνῳ, adijciuntꝗ; γόνῳ uoci εἴκελον, id est simile, totam dictionem talem facientes, γόνῳ εἴκελον διέρχεται, id est genituræ similis penetrat. alij pro πνεῦμα, id est spiritus, φλέγμα, id est pituita scribũt. Palpitationem ergo flatuoso à spiritu proficisci demonstrauimus. Ideo circa septum transuersum collectus lædit nõnihil

C & mentem, propterea ꝙ neruosis partibus principium compati assueuit. Cum uero aliam quãdam earum quæ inibi sunt partium, occupauerit, mens quidem incolumis manet: sed iudicatorie his pituita multa μετὰ τόνου, id est μετὰ προθυμίας ἰσχυρᾶς, id est cum uehementi cupiditate, qualis in tenesmis fieri solet, deorsum agitur. Tales tensiones euenire consueuerunt ex crassis lentisꝗ; humoribus uix ad internas intestinorum sedes commeantibus. In exemplaribus quibusdam uelut dixi non est scriptum, per τ τόνῳ διέρχεται quod uacuatur, sed per γ γόνῳ εἴκελον, id est genituræ simile. An uero uel substantia, uel colore, uel utroꝗ; uelit genituræ simile esse quod uacuatur, non cõstat nobis.

D Qui autẽ à Praxagora uitreus appellatur humor, quòd uitro fuso similis sit, eiusmodi est ut maximos uehementesꝗ; inferat dolores, cũ per intestinorum meat tunicas. Est autem temperatura omnium qui in corpore ortum habent humorum frigidissimus. Quòd aũt et ex crassioribus humorib. spiritus flatuosus oriatur, id antea audiuisti cũ de palpitatione ageremus. Non tamen qui suram infestant dolores, desipientiam in ipsis indicant. Unde fit ut qui dictioni opem præstant, subaudiri uelint, κατεπαυσάμενοι, id est absꝗ; ratione de repente occultati. citantꝗ; scriptum in tertio Epidemiorum ægrũ qui in Dealcis orto iacebat. in quo præfatus Hippocrates ꝙ genib. & tibijs doluerit, sedatis ipsis consecutam ait insaniã. Sed dixi antea expositiones faciendas nõ esse per talium ægrorum

citationem. Omnia siquidem omnium signa hac ratione erũt. Praeterea surae dolores mentis perturbationẽ indicaturos quod sese occultauerint, cum in oratione non sit appositũ eiusmodi cessasse dolores, absurdissimã habet enarrationẽ. Nam hoc pacto liceret quicquid uellemus in contrariũ trahere, ut si & capitis dolorẽ scriptũ alicubi inuenerimus, non qui existit, sed qui placatus sit, audire oporteat. Tussim item, & spirandi difficultatẽ, aurium etiam sonitum, atque quodcunque aliud.

ARGVMENTA CAPITVM LIBRI SECVNDI COMMENTAriorum Galeni in praedictiones Hippocratis.

GALENI IN PRIMVM PRORRHETICI HIPPOCRATIS COMMENTARIVS II



Si quippiam in urina sublime petierit occultato coxae dolore, delirium portendit. & quae circa auriũ sonitus talia existunt.

Multa quidem in libro toto carent perspicuitate: sed quem sensum habeant, deinceps uideamus. Si occultato, ut interpretes dicunt, coxarũ dolore quippiam in urina sublime petierit, nos securius certiusque de futura desipiẽtia pronunciabimus. Non tamen uerum est quod dicunt, si tanquam uniuersale proferat. Nempe enaeorema, id est quod sublime petit, optimum est tum album tum laeue, tum aequale. Non est igitur simpliciter dicendum futuram esse desipientiam si quippiam in urina sublime petierit, occultato coxarũ dolore, sed si enaeorema prauum fuerit. Neque hoc satisfacit: sed si uel unum delirij signum simul cum dictis apparuerit. Nam fieri potest ut si delapsus in coxã humor recurrerit, pars quaedam alia capite inferior, eo recepto ipsa quidem afficiatur, caput uero laedi inhibeat, si coxae dolor apparere desierit, atque enaeorema comparuerit, capite nihil patiente. quoniã est urina inculpata quae enaeorema non habet. Sola siquidem una est inculpata quae colore quidem subluteo mediocriter fuerit, & substantia moderata, quae scilicet tum crassae tum tenuis urinae medium obtinet. Ego sanè quae in libro indistincte prolata sunt, atque ob id legẽtes offensura, perpetuo attempero distinguoque. Nam quae indistincta est expositoribus doctrina, nouitios ea lędit magis quàm iuuat. Virtutem siquidem expositionis existimant esse, si scripta omni ope, omnique pacto, etiam si cõspicue falsa fuerint, defendant. Quod ubi in manifestis cõspicuisque studiose faciant, multo utique magis in obscuris absconditisque nihil ipsis curae est ueritatis. Quod in calce dictionis dictũ est, & quae circa aurium sonitus talia existunt, bene per se scriptum fuisset sine urinarum consideratione, ut sermo particularis esset quẽ pauloante uniuersalem dixi, Nempe dolores coxae, si qui eos fecit, humor recurrerit, possunt aliquando desipientiam inferre, si ad caput humor peruenerit. Ascensus igitur humoris ad caput signum erunt quae in eo apparent symptomata: quo ènumero habentur & sonitus. Scribunt autem nonnulli: & quae in uesica talia. Aiunt siquidem orationẽ hanc ostendere non solum consideranda esse urinarum enaeoremata tanquam delirij signum: uerum quoque & si aliud quippiam tale uideatur ex his quae ex uesica excernũtur, tanquam citra hoc affirmare quod scriptor enunciare hoc pacto uoluerit, nequeuntes.

2 Multoque magis si urina in sublime elata sit, & quaecunque alia in ea fiunt, desipientiae signa.

Rursus & impraesentia memoria tenere tyrones ipsos oportet, nullũ in urinis esse signũ quod delirium portendat. Nempe haec partium hepatis renumque & uesicę affectionũ indicant uasorumque sanguinem continentium & uirtutis succos generantis tum robur tum imbecillitatẽ. Affectionum uero cerebri alia sunt tũ symptomata, tum signa, de quibus antea audiuisti.

3 Quibus aluus liquida, lassitudo, capitis dolor, sitis, uigiliae, obscuritas, & impotentia fuerit, ut hi mente moueantur spes est.

Liquida aluus (ita autẽ appelletur in qua liquida deijciantur) & lassitudinis sensus, qui scilicet aegro fit, morbosa quidem sunt symptomata: sed delirium non portendunt, si quae ante dicta sunt, memoria non exciderint. ubi quonã pacto singulorum morborũ signa, atque alia omnia quę in aegri corpore appareant, cognoscere oporteat, percurrimus. Quaedam enim sunt, ut morborum singulorum differentiae inter se disiungantur separenturque: alia uero, ut singularum affectionum mores cognoscantur, uel futura cognoscatur iudicatio, qualisnam futura sit, & quãdo. De singulis autem tum symptomatis tum signis ita docendum esse ostendimus, quomodo Hippocrates in Prognostico fecit, singulorũ uires aut per se aut cum pluribus eiusdem generis demonstrans. quo modo libri huius autor capite dolentes commemorauit, uigilesque & obscuros. Nam si ἀσαφεῖς, id est obscuros dici intellexerimus eos qui obscure loquũtur, uel propter uocem explanantium organorũ offensam, quam ex neruorum uitio contraxerunt,

uel propter mentis læſionem, tria eiuſdem generis erũt ſigna. Dolor ſiquidem capitis ferè locum affectum demonſtrabit: uigilia uero quomodo in diuerſis cerebri affectionibus, uigiliã ſomnumq́, & uigilias comaq́ ac ſoporem fieri contingit, cognoſcenti oſtendet. De aſaphia quam obſcuritatẽ diximus, quo ſenſu intelligentibus delirium portendat, nuper egi. Hæc igit̃ uel genere, uel ſpecie, uel quouis modo quis appellare uoluerit, inter phrenitica cõnumerantur ſigna. At quoniam maxime ſiccam phreniticam affectionem cernamus, quæcunq; ſiccitatis in uicinis capiti inſtrumentis exiſtunt, aut quamuis cum eo ſocietatem habeãt ſymptomata, ea quoq; & futuram deſipientiam cõmonſtrant. Quo ſignorum in genere in præſentis dictionis morbo dictum eſt, ſitis. Laſsitudo uero quod multis modis fiat, ut in cõmẽtarijs De tuenda ualetudine demõſtratũ eſt, nobis manifeſta eſt. nihilq́ aliud indicat q̃ laſsitudinem ſenſum ulcerationis habentẽ, quæ ob mordentes acresq́ humores efficitur, & laſsitudinẽ tenſionis ob copiã, & phlegmonoſam ob utrunq;. Si igitur laſsitudo uel ulceroſa uel phlegmonoſa fuerit, ad ſpem deſipientiæ generãdæ quippiam conferet: ſi tenſionis ſenſum fecerit, nihil. Sic & aluus liquida, bile quidem flaua ſyncera exeunte, uel & ex colliquamentis, de generatione phreniticę affectionis quippiã demõſtrabit: magisq́ ſi ſpumoſæ fuerint deiectiones. Cũ uero nõ adiecta ſit in dictione exeuntium qualitas, ſed dicta ſimpliciter aluus liquida, nihil ad morbi huius prænotionẽ ex ea adſumere ualebimus. Nempe, ut antea dictũ eſt, ex proprijs affectionis ſignis, quęcunq; generis in quo affectio eſt, indicatoria exiſtunt, ea quippiã demonſtrant. Primum ſiquidẽ non affectionis ipſius indicatoria talia exiſtunt, ſed generis in quo affectio cõtinetur, quæ calida & ſicca eſt. Quoniã uero unũquodq; genus ſpeciebus familiare ſit, ad pręcognitionem ſpecierũ conferet, ſi ſignorũ generis propriorum quædam apparuerint. Verbum autem impotẽtia, in dictorum ſignorũ concurſione adiectum nihil prorſus ad affectionis delirij pręcognitionẽ affert auxilij, ſicuti neq; ad magnitudinis ipſius cognitionẽ. Nempe inquiẽs, ut hi mente moueant̃ ſpes eſt, delirij quidẽ affectionẽ fore oſtendit, nõ tamẽ hanc uel paruã uel magnam. unde igitur magnitudinem ipſius accepit? Neq; enim ęruginoſus neq; niger uomitus factus uidetur, nõ urina, non deiectio talis, ſicuti neq; alia quę ἐκστάτικως, id eſt cõmotionis mentis ſigna recenſuit. Non igitur dictã nuper ſyndromen in phrenitim finiturã ſperamus & periculoſam, propterea q uerbũ impotentia, adiecit. talem aũt ſequi phrenitim ὡς ἐκστῆναι, id eſt ut mẽte moueatur, neq; ipſe ſperabis, neq; alteri prædicere audebis. Talis ſiquidẽ fieri poteſt: ſed prænotio non ex his quæ rarenter contingunt ſignis fit, ſed ex his quæ perpetua ſunt, uel magna ex parte ueritatẽ habent. Volumus ſiquidẽ in prædictionibus ipſis perpetuo ſi fieri poſsit, uoti compotes eſſe. Quo fit ut ſi quis octies animi ſentẽtia fruſtretur, bis uero ei ſuccedat ex uoto, is idiota abiecti-

A or, & contemptibilior ſit. Poteſt ſiquidẽ idiota corãm ægris pronuncians ſemper quod euenit, ſi ſæpius aſſequatur quod uelit, uera loqui uel falſa.

4 Si qui ſudantes & præſertim capite in acutis paulũ implacidi fuerint, malum: tum alias, tum ex urinis nigris. Turbidus quoque & in his ſpiritus malus.

Pernicioſa quidem & abſq; alijs eſt nigra urina, uerum ſi & illa adiecta fuerint, præcognitionẽ ual de augebũt. ſed quidnam indicet θολερὸν πνεῦμα, id eſt turbidus ſpiritus, inter obſcura collocare oportet. & potiſsimũ q neq; in prognoſtico, neq; in aphoriſmis, neq; in legitimo alio libro ſpiritum turbidum dixerit, quo pacto urinam. Sed quænã
B urina ſit turbida nõ nos modo ex his qui turbidas aquas perpetuo dicũt intelligimus, uerum quoq; & Hippocrates ipſe docuit cum inquit, tanquam ſubſidẽtiam returbaueris. aſsimilat quoq; & eam ſubiugalium urinis. non tamen quid per ſpiritum turbidum intelligere oporteat, liquet: quoniã nullus dicat, ut aquam turbidã, ita & aerem turbidũ: niſi quis uapore plenũ intellexerit: quomodo expoſitores quidã huius orationis intellexerũt. quo etenim pacto ſudorẽ in animi deliquijs foras effundi cõſpicimus, ita effluuium humiditatũ in his qui intus diuaporantur ægris, internũ fieri dicũt: atq; ob id per expirationem uaporem effundi per quam multũ, idq́ turbidũ ſpiritum eſſe. Si uero ut nõnulli primã ſyllabã nõ per ο θολερὸν ſed per α θαλερὸν
C ſcripſeris, nõ amplius qualiſnam ſit ſpiritus θαλερὸς cõiectura eſt colligendũ. Faciem enim θαλερὰν forſan quis intellexit uelut bene habitã & bene coloratã. ſed quidnã ſignificet ſpiritus θαλερὸς noſſe non eſt: niſi uehemẽter magnũ indicare uoluerit. Nominũ ſiquidem alienus uſus, occaſionẽ præbet uolentibus, ut intelligãt, prout in mentem uenit. Proinde quidã per ο ſcriptũ θολερὸν graueolentẽ intellexerũt, ut alij raucũ. Alij rurſus turbatũ, ut difficultatẽ ſpirãdi ab eo ſignficari uelint. ueluti ac ſi ita dixiſſet: ſpirãdi quoq; difficultas in his mala. Neq; tamen libri huius autor poſſe ſimpliciter ſpirandi difficultatẽ indicare uidetur, ſed unã quandã eius differẽtiã. ſiue ẽm per α θαλερὸν, ſiue per ο θολερὸν ſcriptũ ſit, uidetur ea appellatio-
D ne ſpeciẽ unam difficultatis ſpirandi, nõ ſimpliciter difficultatem ſpirandi omnẽ indicare uoluiſſe.

5 Quæ præter uacuationis uaſorũ rationem cõtingunt impotẽtiæ, infirmitatesq́, non exiſtente uaſorum uacuatione, malæ.

Quod dicitur neq; obſcurũ eſt, neq; ipſius cauſa inuentu eſt difficilis. Nempe quod dicitur tale eſt: inualidos languentesq́ in operationibus, ſicuti plurimum uacuatos, in periculo eſſe exiſtima, ſi nulla in ipſis facta fuerit inſignis uacuatio. Nam ſi uirtus ſine ulla manifeſta uacuatiõe imbecilla fuerit, grauantẽ oſtendit copiam, uel unius principiorum intemperiem. Cum uero tria ſint, ut didiciſti principia, cerebrum quidem functionum earum quæ ex uoluntate oriuntur, cor uitalium appella-

tarum, iecur uero earũ quæ alimoniæ inseruiunt, quas & naturales uocant, naturalis uirtutis uitalisq; imbecillitas deterrima est, & cito hominem tollit. Nempe et unà cum ea quę à cerebro est, confestim exoluitur: quæ si afficiatur, non protinus cor ipsum læditur. Sed de huiusmodi cunctis in multis nostris lucubrationibus didicisti.

6 Si intercepta aluus parua, nigra, uelut caprarum stercora, ad necessitatem demiserit, per nares eruptio fiat, malum.

σπυραθώδεις uocant caprarum deiectiones. sunt autem hæ siccæ, atq; id quod excernitur propria circunscriptione rotundum circunductumq; existit. Cum igitur quis hoc pacto sicca, & circunducta deiecerit, σπυραθώδη, id est caprarum stercoribus similia appellantur. fiuntq; talia & ꝙ plusculo tempore retineantur, et propter copiam igneæ caliditatis. Si igitur præterꝙ ꝙ talia existant, nigra quoq; fuerint, flagrantem ardentemq; circa medium corporis affectionẽ esse declarant: atq; ob id mala existũt. Sermoni adiectũ est, et per nares eruptio fiat, ueluti in alijs multis dictionibus, scribente quod multorum cõmune est tanquam propriũ autore: ꝙ sermone uno uniuersali doctrinã comprehendere non possit. Est aũt cõmune in ipsis tale, bilis uacuationem multam tanꝙ turbationem uehementem, atq; multis in morbis cõmode fientem non sustinent resiccati, neq; rigorẽ, neq; alui excretionẽ. neq; sudores, neq; parotidas insignes, uel quampiam materiã aliam ex aliqua parte ad aliam transeuntem. Ita enim eos qui in epidemijs facti sunt abscessus incusamus, uel minores, ut dixi, tanꝙ nihil iuuantes: uel maiores tanꝙ sustineri nequeant. Sanguinis itaq; eruptiones hoc modo non ferunt qui ante sunt arefacti. Talis aũt est prędicta affectio cũ ne uni quidẽ per morbi initia, caprarũ stercoribus similia exeãt excremẽta, neq; ea simpliciter: sed cũ medici diligẽtia & operatione uel per clysterẽ uel glãdulã. Nẽpe hęc oratio πρὸς ἀνάγκην .i. ad necessitatẽ, tale quippiam ostendit.

7 Quibus lomborũ dolor diu perseuerans cũ æstu fastidioso fit, si sudẽt, malũ. an et his tremor fit et uox ut in rigore uidetur.

Rursus cõcursio dictorũ symptomatũ ratione caret. atq; ob id ipse quoq; de hoc addubitans inquit, an & his tremor fit? malã uero ait cõcursionem, de ea re non dubitans ꝙ lumborũ dolor unà cũ æstu fastidioso diutius maneat. sudor aũt his adueniens certiorẽ efficit præcognitionẽ. Siue nãq; sudorem exiguũ toto fieri corpore ab ἐφιδρώσεως nomine significari intellexerimus, signũ bonum non est, cum ab eo, & si non lumborũ dolorẽ certe fastidiosum æstũ solui oportebat: siue sudores eos qui circa thoracem caputq; fiunt, intellexerimus, quòd perpetuo hi mali sint, constat, uirtutis imbecillitatẽ, uel in his partibus copiã indicãtes. Ob hæc quidẽ omnia prædicta signorũ cõcursio mala est. Dum uero multæ in lumbis sint partes, non liquet quænã ex dictis patiatur, in qua dolor

A diu perseueret, & æstus fastidiosus nõ desinat: sed signis alijs dijudicare conuenit. Si igitur renes fuerint perpessi, scis horum affectiones per urinas cognoscendas esse: si uero aliquis uel eorum qui inibi sunt, uel dorsalis medullę, musculorũ passus fuerit, iam tibi & cum alio adiecto signo constat. Nẽpe affecta dorsali medulla, sensus corporis erit in his partibus quæ ex affecto enascuntur loco. Didicisti aũt ex dissectione neruorum dorsalis medullæ, & qui ab unaquaq; uertebra enascantur nerui, & partes corporis ad quas dispertiantur. Si igitur signum aliquod patientis dorsalis medullę tibi adfuerit, tum tremorem, tum aliã omnẽ neruorum affectionem fore expecta. quas inter una existit, tremulæ uocis oblæsio. Nempe oratio hęc, ut in ri-

B gore uidetur uocem tremulam indicat.

8 Summæ corporis partes si celeriter in utranq; conditionem permutentur, malũ. sitis quoq; huiusmodi mala est.

Quidam cum præscripta dictione præsentem annectunt copulantq;. atq; ob id eam cum cõiunctione Autẽ hoc scribunt pacto; Summæ autem corporis partes si celeriter in utranq; conditionem permutentur, malum. Sed quæ in ea dicuntur, ab ante dicta concursione distinguuntur. quapropter & scriptor qui cum illis ea scripsit, ueluti & multa alia inter se coniunxit, quanꝙ nullam habeãt comunitatẽ. Nos igitur horũ expositionem seorsum moliri oportet. Nam si summæ corporis

C partes facile in utranq; permutentur conditionẽ, malum signum est. Summę corporis partes pedes sunt, manus, aures, & nasus, quæ & in his qui cum frigore fiunt accessionum ingressibus, primæ omnium frigescunt. Quòd aũt oratio hæc, In utranq; conditionem, caliditatem dicat & frigiditatem, liquido cõstat omnibus. Cum igitur secundum naturam habemus, temperate habent summæ corporis partes, nulla repentina facta in his mutatione. Nam tametsi quammaxime hyeme frigidę, & æstate calidæ fuerint, paulatim tamen sensimq; talem assequuntur permutationem: non celerem quidem nec usq; adeo ualidam, ut uel hyeme similiter glaciei refrigerentur; uel æstate his quæ ab igne multo calefacta sint, assimilentur. In morbis

D autem summe malignis permutatio harum hora una ad contraria efficitur: interdum quidem ut uelut in hyeme perfrigescãt, interdum uero tanquã æstate calescant. Id autem cõtingit cum propriam caliditatem non habuerint, atq; à febrili calfiant. quæ à corporis medio incipiens, flammęq; similis corpus totum depascens, extrema cõcalfacit: quę & cum trãspirauerit, statim ea refrigescunt, restincta scilicet naturali caliditate. Sitis quoq; huiusmodi (inquit) mala est. ubi uerbum huiusmodi, ꝙ eam dicat quæ celeriter in contraria permutatur, ueluti de summis dictum est partibus, nemo ignorat. Permutatio autem sitis ad contraria fit, cum pauloante sitiens, confestim sine siti reddatur: & rursum post paulo sitiens erit, non desinente siticulosa affectione. fieri siquidẽ non potest, ut æger

paulo

paulo ante ualenter exiccatus ita perfecte humectetur, ut sine siti fiat. Quidnam ergo est quod in ita affectis contingit? Sane quod his qui toto die totaq; nocte atq; interdum nullo pacto secernunt urinam. Prius siquidem neq; corporis affectiones mens ægri cōsecuta est, collectaq; urina nondum ualenter uesicam distendit. At posteaq; mens consecuta est, & uesica impleta, ob hæc ambo sensit affectionem æger. quo igitur modo id desipientiæ est signum: sic & quod in siti dictum est. cum ægri quidem sitiendi affectionem semper habeant, sed non sentiant donec eorū anima sensu prædita magis reddatur, & sitiendi affectio ad summum augeatur. Summarum igitur corporis partium ad contraria permutationem malum esse putandum, utpote quę caloris natiui imbecillitatem ostendat, & eius qui præter naturam est, robur. Sitis uero permutationem, languorem quidem sensificæ facultatis, robur uero siticulosæ affectionis.

9 Ex composito modestoq; homine ferox responsio mala.

Sermone hoc generalior uniuersaliorq; existit alius, qui non solū hunc continet, uerum & alios quosdam non paucos. Omne siquidem quod præter naturam propriā est, malum est: genus horum est atq; multorum aliorum sermonum. Cui enim propria natura cōposita est, is non solum cum incompositus desipit, perniciose affectionem habere demonstrat: uerum quoq; & cum ferocitate respondens prope ad phrenitidem accessit. Cui uero uice uersa responsio in feroci natura composita est, ut is uel in cataphoram uel lethargum uenturus sit, spes est.

10 Quibus uox acuta est, his hypochondria intrò tracta sunt.

Secundum naturam sanè dicendum erat: Quibus in morbis uox acuitur, trahunt his hypochondria ad internam sedem. Curnam uero libri huius autor ita enunciatiōibus alienis oblectetur haud scio. Relicto igitur de hac re studio ad eorum quæ dicuntur intelligentiam ueniamus, quæ neq; ipsa uniuersalis est, ut aliæ multæ eorum quæ in hoc libro dicuntur, uera tamē ita enuncietur, q plerisq; qui in morbis uocem mittūt acutam, ad internam sedem trahantur hypochondria. Nempe id uerbum ἀρύεται significat non q hypochondrium ipsum propria quadā affectione intrò accurrat, sed quòd interna magis ipsum trahunt. Nempe septū transuersum symptomatis eiusmodi causa est, cū uel inflammatur, uel arescit propter igneam caliditatem, uel à membrana costas succingente retrahitur: cū & ipsa rursus & ob phlegmonem, & ob siccitatem tēdatur. Suntq; ex medicis pleriq; qui retractum hypochondriū inter ea quæ simul cum phrenitide adsunt, scripserunt. Nam pleriq; phrenitici ita affici uidentur. Sed præsens oratio retrahi hypochondria nō dicit, sed ad interna trahi. Tu aūt, si uerū prorsus loqui lubet, ex dimidio utrūq; cōpones, dicesq; intrò sursumq; trahi hypochondriū, neq; immerito id fieri propter obliquā septi A transuersi positurā. Incipit enim ab ossis pectoris, quod στέρνον appellatur, termino: atq; hinc sensim obliq; descendēs, tum intrò tum infra ad lumbos peruenit: ita ut plurimū quidem totius ipsius substātiæ profundis hypochondrijs subiaceat, supernum uero principium altius sit. Ob hæc igitur ad internā supernamq; sedem trahi uidetur. Quòd si hęc inter se cōparaueris, plus intrò q sursum, trāsmutatum esse tibi uidebitur. Relicta itaq; quę prętet naturā ob instrumentorū siccitatem phlegmonemq; musculorū acuitur uoce, quoniam angina hæc affectio uocet, de ea quæ alijs in morbis acuitur uoce pronūciauit inquiens, his hypochondria intrò trahuntur. Vocē præterea acui ex uocalium instrumentorum angustia in cōmentarijs De uoce B demonstrauimus. Atq; ob id tū spadones, tum pueri, tum mulieres uocem reddunt acutam. In febribus uero siccitas horum angustiam efficit.

11 Hebetatus oculus, malū. & concretus immobilisq; & tenebrosus si fuerit, malū.

Oculus ἀμαυρούμενος, id est hebes obtususq;, & ἀχλυώδης, id est turbulētus tenebrosusq; tum ipsi ægro tum uidētibus fit manifestus. ægro quidem cum non amplius conspicue uidet, quomodo antea, in hebetibus conspectibus: ueluti in turbulentis, pręter id quod obtuse respicit, adhuc per quandam turbulentiam uidere putat. Vocant autem ἀχλὺν aeris θόλωσιν, id est turbationem, quæ medium tum nubis tum nebulæ habet crassamentū: C ita ut quàm nebula quidem magis concreuerit, quàm nubes uero minus. Fit autem tale in oculis pathema & non paucis qui febre carent, ueluti & ἀμαύρωσις, quæ obscura imbecillaq; instrumentorum sensio existit sine turbulentiæ apparitione: iam uero & laborantibus multis. Est autē ἀμαύρωσις ἀχλυώδους ὄψεως, id est turbulento aspectu generalior. Nempe cum in utroq; obscure cernatur, ægris tamen ipsis ueluti sensio turbationis cuiusdam in turbulentis conspectibus euenit: extrinsecus uero uidentibus oculus acie inertior hebesq; nullam humidi præter naturā habere uidetur concretionem. Perijt aūt ex eo tum splendidum tum lucidū, quod in acute uidentibus oculis inest. Hebetes item imbecilliq; mortuorum oculis similes D existunt. multisq; morientium, atq; adhuc tamen uiuentium tales oculi uidentur, ueluti & his quos extrema habet senectus. Turbulēti uero non omnibus, sed solis his quibus turbatum in pupilla uidetur humidum: quod sanitatis tempore tum lucidum tum candicans erat. Ex dictis itaq; affectiones oculorū utrasq; prauas esse manifesto liquet. Concretus oculus propter mouētium oculos musculorum immobilitatem fit. Immobilitas autem ea propter omnium ipsius musculorum uel resolutionem uel æquam & quæ in neutram partem uergat tensionem proficiscitur, uel propter exactam mouentis musculos potentiæ imbecillitatē. Talis constitutio ei qua oculi intus agitātur exaduersum pugnat. Nempe instabiles inconstantesq; sunt, non secus quàm qui equum appellatum ha-

bent, ita ut nunquam cōquiescant. Contra autem, concreti nunquam mouentur. Si igitur causas talis constitutionis oculorum intellexeris, constat & eas prauas esse. Scribunt aliqui in dictione, Et concretum turbulentum malum, turbulentiam quandam concreuisse in oculis uolentes ex affectionis tum siccitate cum caliditate.

12 Vox clangosa mala est.

Nonnulli quidem κλαγγώδης, id est clangosa. alij, κλαυθμώδης, id est querula plorabundaq; scribunt. Quòd autem clangosa uox fiat cum siccitas uocificorum organorum intenditur, est demonstratum. Plorabunda uero secundum eandem noscitur intensionem, sed difficilior quàm clangosa existit, quanto maiorem indicat affectionem.

13 Dentium stridor perniciosus quibus non est sanitatis tempore assuetus, suffocatio quoq; in his ualde mala est.

Cum libri huius autor memorare non consueuerit quę in Prognostico scripta sunt, nunc tamen de stridore dentium mentionem fecit. adiecitq; in calce quòd suffocatio in his ualde mala sit. At cū didiceris quonam pacto stridor dentium procreetur, quonam item modo suffocatio, nihil in hac etiam dictione fusius recensere est necesse. Nempe ex illis uniuersa ipse cognosces.

14 Faciei color bonus, & mœstitia multa malum.

Quod sæpius fallat coloratior facies, putentq; hanc uel sanguinis per nares eruptionis iudicatoriæ, uel abscessuum post aures significatoriā esse, ob id iure etiam si cum multa tristitia fiat, malum esse signum scripsit. fieri siquidem nequit, ut ægri ita bene colorentur, ut qui optime ualent, pro eadem quidem quæ in illis est affectione. sed ob caliditatem multā impense rubros ipsos factos, & bene coloratis similes uideri relinquitur. Quod aūt ualde rubrum est, id ad melancholiam idoneum esse ait in Epidemiarū secundo. cuius signum mœstitia existit. atq; si multa ipsi adfuerit, multo magis. Cum itaq; florida quidem apparuerit facies, æger autem ualde tristis fuerit, quædam in cerebro ualde calida affectio esse uidetur, quæ sanguinem exurit, eamq; ob causam bilem atram, ut demonstratum est, procreat gignitq;. Sed forsan alienum non erit, ut quædam per totum librum sensu carentia simpliciter commemoraui, ita & nunc faciam, scribamq; ex enarrationibus sensu & intelligentia carentibus aliquam gratia exempli. Neq; sane eum qui primus de his dixit, sum admiratus. Commune siquidem id omniū est uitium, ut quo modo filios, ita & quæ à seipsis excogitāt, diligāt. nisi quis ualde securus Aesopi fabulam perpetua in memoria habuerit, quæ duas nos gestare manticas ait: anteriorem quidem uitiorum alienorum plenam, posteriorem nostrorum. atq; ob id delicta aliorum uidere nos, nostra uero non cernere. is etenim solus ad uerorum cognitionem sese exercebit. Non igitur, ut dixi, eum qui primus expositionem scripsit, demiror: sed eos qui dicta illius

A inepte laudant. quomodo & nunc quidam laudibus extollit eorum explicationem, qui intelligendum esse aiunt, faciei quidem bonum colorem ad ægrotantis ipsius colorem: mœstitiam uero multam in medico colorem hilarem præter naturam ut signum malum cernente. Nam si id docere uoluisset Prorrhetici autor, ita dixisset: Faciei color hilaris ualde mœstum reddit medicū. neq; ad hoc in calce postea ascripsisset, malum. Absurdum siquidem admodum atq; ab omni intelligentia alienum, dicere, faciei colorem hilarem ualde mœstum signum medico, malum. uel rursum hoc pacto: Faciei color hilaris ualde mœstum reddit medicum; & est signum malum. Nempe uel id mœstum reddit medicum & signum est malū: uel malum esse colorē hilarem duntaxat dictum sat fuerit. sed ut utrunq; simul dicatur, fieri nequit. Adde
B quòd etiā coniunctio, &, apposita clare indicat in ægroto hæc ambo contigisse: tum coloratam faciem, tum uehementem tristitiam. Vt ergo quis pretermissa huius lectionis demonstratione ad id quod recensetur, ueniat, falsus est eorum qui ita exposuerunt sermo. Non enim de necessitate color faciei hilaris ualde mœstum reddit medicum, sed interdum hilarem magis quàm antea reddit, cum scilicet faciei colorem hilarem uel sanguinis eruptionis uel abscessuum post aures iudicatoriorum, signum esse sperauerit. Si itaq; dictione ipsa summe tum ambigua tum obscura existente talia quædam excogitarent, ueniam hi à nobis merentur: sed quoniam rem cōmodissimam clare di-
C stinguens docet, quādo sane quidem bonum existat signum bene colorata facies, quando uero nō bonum, quisnam ipsis ignosceret? sicuti & his qui præsentem sermonem de mutua inter se transmutatione boni faciei coloris, & mœstitiæ esse dicūt. Existimant siquidem cum hæc sibijnuicem succedunt, quando scilicet colore hilari desinente ęger ualde mœstus reddatur, rursus & mœstitiā illam subsequatur color bonus, difficile signum esse, ac si ambo simul esse nequeant, uel ipse de contrarijs antea non dixerit mutuam in sese transmutationem non bonum signum esse. Illic siquidem generatio alterius, tollit alterius essentiam. quo fit ut simul esse nequeant. Sed quòd mœstitia simul cū
D colore hilari consistat, non est impossibile. Si igitur quæ in unaquaq; oratione ab aliquibus perperam dicta sunt, redarguamus, commentariorum prolixitatem non pauci incusabunt. si uero nō reprehensa prætermittamus, iam postea eorum qui auditam peregrinam expositionem tanquā à me prætermissam uitio uertāt, & maxime cum expositionis tum uitium tum uirtutem nondum discernere queant. Cum ergo fieri non possit, ut incusationē deuitemus, qua uel superuacue sermonem protrahamus, uel utile quippiā prætermittamus, ad alterum diuertam, quod lecturis scriptas à me explanationes commodius fore credidi.

15 Deiectiones in spumosas synceras q; desinentes exacerbant.

Causam

Causam cur qui librum exposuerunt, ut multas dictiones alias ita & hanc perperam obaudierūt, non noui, Nempe cum dixerit, desinentes, expositionem hi faciunt deiectionum spumosarū syncerarumq;. At idem non est, aut cui talia deijciuntur exacerbandum morbum, aut cui desinent deiectiones in talia. Prauæ igit̄ affectionis signa sunt spumosæ & synceræ. si memoria tenuerimus deiectiones synceras appellari, quæ duntaxat unū qui excernitur humorē cęteris impermistum habent, non est tamen ut talia excernentibus morbus exacerbetur, necesse, cum fieri possit, ut cocta paulatim affectione in qua talia excernebātur, conquiescat ęger. Quando igitur necesse est ut morbus exacerbetur? cū scilicet deiectiones præter id quod non desināt, in spumosas quoq; syncerasq; permutabuntur. Nempe alijs quæ ante excernebantur deteriores, exacerbandum morbum indicant.

16 Vrinarum in morbis acutis ex refrigeratione interceptiones pessimæ.

Morbi acuti ex calidiore materia ortum habēt. Si ergo urinarum retentio ex uesicæ refrigeratione fiat, malum. Nempe ex tali intemperie secretoriæ quæ in uesica est facultatis factam imbecillitatem, uel sensus ob refrigeratū ipsius neruū priuationem, neruumq; ipsum quod cōtristat haudquaquam sentire ostendit. Refrigeratio aūt uesicę fit discusso euaporatoq; ab eo qui præter naturā est, naturali uesicæ calore. Sed forsan quis obiecerit, quam ob causam si febris totum occupauerit corpus, uesica refrigerata est? Quæstionem sanè diluit partis idoneitas & aptitudo. non enim omnia naturam eandem pariter sortita sunt.

17 Perniciosa sine signis leuātia mortem indicant.

Sine signis, inquit, uel excretionis, uel concoctionis. non autem aliud docet quàm uniuersale illud in aphorismis ita scriptum: Quæ non ex ratione leuant, his fidendum non est: neq; ualde formidanda mala quæ præter rationem eueniūt. Præsens siquidem dictio ab uniuersali recedēs, eorum quæ uniuersali subiecta sunt, quippiā edocet. De perniciosis siquidem duntaxat pronunciat, nō de prauis omnibus. Neq; enim prorsus quicquid prauum fuerit, mox idem & perniciosum existit. Demonstrauimus siquidē in Prognostico malorum signorum differentias non paucas dictas esse, in quibus Hippocratem ipsum ex nominū propriorum adiectione magnitudinem horum indicare ostendimus. De prauis igit̄ simpliciter & non perniciosis nosse id duntaxat satis est, non esse his fidendum si absq; signis desierint: redibūt siquidē, sed non tollent hominē. Quæ uero eo prauitatis deuenerunt, ut & inter perniciosa censeantur, ꝗ hæc quidem mediocriter prauis infida magis sint, nequeantq; secure, & cum fiducia sine manifestis signis sedari, in libris De iudicationibus est latissime à me demonstratum. Nempe ubi talia tractu temporis læsionem habitualem indissolubilemq; confecerint, reuertentur pro malitiæ suæ magni-

A tudine periculi magnitudinem afferentes. Nam causæ aliquæ eorum quę in corpore procreantur, potentia uirtuteq; tum uirus rabidorum canum, tum lętalia ea medicamenta repræsentāt, quæ etsi in affecto loco nullū protinus quod notabile sit, pariāt symptoma, post quatuor tamē uel sex menses uel longinquiorē temporis usuram, hominem perimunt. Scimus aūt nonnullos & à cane rabido morsos, qui postea tum aquas formidauerūt, tum à morsus initio post duos uel tres uel quatuor, uel multo plures menses, interierūt. Noui sanè & quēdam qui exacto anno eam incurrit affectionē quā ὑδροφόβον, id est aquæ timorem, uocant. De quo medicis omnibus summa in solidis animalis partibus siccitas esse uidebatur: atq; unà adaucta naturalis caliditas, & in igneam cōuersa. B Affectionem hanc caninum uirus parit longo tempore paulatimq;, atq; ob id immedicabilior existit, ꝗ partiū solidarū substātia in aliam transeat conditionē. ueluti in uitiliginibus, leucis appellatis fieri consueuit. nempe & altius descendit hęc pręter naturam affectio. Cum autem hæc alterent quidem solida corpora, sed nondum alterauerūt, simul ut uacuata sunt solidorū quoq; alteratio cessat: interdumq; die uno interdū uero citius etiam ad naturalē redeūt habitū. Nempe cum affectio fit, & nondū facta est, breuiter separata efficiente ipsam causa, sedatur: si uero cōpleta ea fuerit, etiamsi euacuata fuerint, quæ affectionē procreauerint humida, nihil in sanatione rationis amplius existit. Simile quippiam C in lignis ipsis cōtingit, quæ proxime mediocrem ignē sunt apposita. calefiunt siquidē ualde: sed nondū inuruntur. quæ si prius ab igne separaueris, ꝗ accendi inuriq; incipiant, celeriter contractam caliditatē exuunt, deponuntq;: si uero tantū in se exceperint, ut inuri incipiāt, etiam si ab igne tollātur, nihil minus inuruntur. Quòd si lignū humidū in ignem eundem cōijciatur, non protinus accenditur, ut si uel stuppam, uel calamū siccum, uel ellychnium conieceris: etsi post paulo lignum huiusmodi sustuleris, breui post interuallo deponet eam quam ab igne cōtraxerat, alterationem. Non est igitur absurdum, ut talis in corpore paulatim progenitus sit humor, qualis est & rabiētium canum, & tractu temporis longiore corrumpen- D tium medicamentorū: ita ut plerosq; medicos lateāt, quomodo in eo qui ob lassitudinem, ut uidebatur, maxime modicā febrijt, qui post quartum diem urinam secreuit substantia quidem tenuem, sed colore nigram, ut in utroq; eam quæ ex pauco atramento scriptorio aquæ multæ diluto consurgit, misturam repræsentaret. atq; modo alio si non atramentum ipsum dilutum intellexerimus, certe eam quæ à multis ἀσβόλη appellatur, fuliginē. Visus est æger hic quarto die bene habere, ita ut sequentibus diebus lauaret: deinde die septimo uesperi cum febrire cœpisset, tabefactus obijt. Docetur aūt in præsenti dictione, id quod optimis medicis opem affert, non uulgaribus. Neq; enim perniciosorum morborum signa hi nouerunt. Adolescēs pręterea quidam excernebat cum febre im-

becilla rubidam proluuiem nõ paucam: sæpiusq; die uno nocteq; cũ tepida febre, qui hinc mediocrius habere est uisus, ita ut tertio die à febre immunis esse uideretur. Ego itaq; urinas ipsius quæ tum tenues, tum albæ aquæ instar essent, conspiciens, iocinoris infirmitatem permanere conieci, præcepiq; ut occurrerẽt huic idoneis tum epithematis, tum esculentis, & ratione uiuendi uniuersa. Deridens uero me medicus quidam à Thessalo edoctus, qui non solum ipse nunquam urinas contemplatus erat, sed & cõtemplantes fullones appellabat, prohibuit ne homini præsidium ferretur, sola post inanitionem refectione utendum esse inquiens. Sed morbus septimo à principio die superueniens patuit omnibus esse hepaticus. Talia igitur omnia quæ ualde utilia sunt, prætermittunt expositores, tempusq; interdum circa dictiunculas nullo pacto utiles conterunt.

18 In acutis biliosis, albicantes, spumosæ & pericholæ deiectiones, malæ. malæ quoque & urinæ huiusmodi. an & his iecur laboret?

Quod sæpius iam & antea dictum est, dicam & nunc. Qui librum hunc composuit, uidetur quidem eiusdem cum magno Hippocrate esse artis: sed ipso longe est inferior. atq; ob id quidam librũ hunc, Draconis Hippocratis, alij Thessali esse putauerunt. Duo siquidem magni Hippocratis filij fuisse perhibentur, Draco & Thessalus: quorum utriusq; rursus filius Hippocrates. Siue igitur ab horum altero, siue ab alio quodam scriptus sit liber, siue qui scripsit, priusquam græcis publicaret, obierit, peruestigare superuacuum uidetur. Nam quæ de ipso dicta sunt sufficiunt. At legentes conquirere intelligentiam eorum quæ dicuntur studeant, sitq; gemina inquisitio, quod ab ipso dicatur, tum ad librorum Hippocratis cõfessorũ, tum ad rerum ueritatem referẽtibus nobis. Et nunc sanè quod proponitur, ita inuestigabimus: quod autor plerunq; symptomata implicet, permisceatq;, quorum uniuscuiusq; uires per se in Prognostico didicimus. Nempe quod deiectiões, tum albicantes, tum spumosæ, malæ sint, dictum est in libro illo. Quod præterea minus periclitentur quorũ naturæ conuenit morbus, ex aphorismis constat. quare quibus non conuenit, hi magis periclitantur. Biliosæ igitur deiectiones & biliosa uesicæ excrementa, cum biliosis hominibus, biliosis et morbis familiaritatem habent & cognationẽ. non biliosa autem & albicantia his præter naturam sunt, atq; ob id praua censentur. Spumosa uero deiectio naturis omnibus mala est. Atq; hæc si tantũmodo in oratione dicantur, nulla oborietur quæstio. Verum si adieceris perichola, maximã mouebis questionẽ. Quo etenim pacto fieri potest, ut albicantia simul & biliosa deijciantur? Vitiatam equidem & illam dictionẽ, ueluti & alias multas existimo. Nempe cõmodius fuit, ut in ea scriberetur non perichola, uel omnino omissa fuisset hęc dictio perichola. Si uero dictionem tanquam uitio carentem existi-

A mare cogimur, è duobus alterum ut sit oportet. Nam uel uno tempore albicantia, in altero perichola deijci est putandum, uel si tempore uno secerni utraq; quis asserere uoluerit, albicantia quidem tum constantiũ, tum durorum excrementorum colorẽ indicabunt. perichola uero excrementa, ea bilem substãtia tenuem circiter habere, atq; ea circumuolui ostendent. Cõsueuerunt aũt tales excretiões περιχόλους, id est circiter coloratas appellare. Vrinę aũt permisceri quidem hoc pacto non possunt, sed in his alterum eorum quæ dicta sunt, uel alterum intelligere est necesse: atq; utraq; esse mala, & albicans, & pericholum. In urinis autẽ pericholum quod superflue biliosum est, de necessitate est intelligendum. Neq; enim fieri potest, ut

B quomodo in deiectionibus perichola cũ albicantibus fieri posse retuli, ita & in urinis intelligatur. Quod in calce dictionis scriptum est, an & his iecur laboret: recte est dictum. Nempe alijs dolet, & alijs nõ, propterea quòd hæc tum ob phlegmonem, tum obstructionem, tum flãmantem quandam affectionem, & per uentrem, & per uesicam excernantur. sed de talibus omnibus unà cum peculiaribus demonstrationibus in nostris tractationibus diximus: ut neq; nunc singulis in dictionibus physicas audire demonstrationes conueniat, sed solis his quæ ex ipsis demonstrata sunt, unumquenq; contentum esse oporteat.

19 Si in febribus aphoniæ conuulsiuo

C modo in motionem mentis cum silentio transeant, perniciosum.

Quanquam uetera omnia exemplaria ita scripta sint, libriq; interpretes omnes hoc pacto recipiant, quidam tamen ex his qui tum heri, tum nudiustertius nati sunt, in eam quæ expositu ipsis facilis sit, transcribũt dictionem. Ego uero eum qui de expositione dubitans, uitiatam esse dictionem suspicetur, et ad id quod uerum appareat transcribat, nõ increpo. sed quòd expositionem faciat, ut ipse transcribere est ausus, perinde atq; ab initio ita scriptum sit, increpatiõe dignum esse arbitror. Cum uero plurimis in orationibus fecerint id nõnulli, malam ipsorũ in omnibus adulterationem memorare longum esse puto. Quo autem modo

D & alia multa hoc toto libro scripta semel aut bis adnotaui, ita & hoc. Dicta igit̃ à me sunt hęc propter eos qui prorsus à præsenti oratione auferunt uerba hæc duo, σιγῇ ὀλέθριον, id est cum silentio perniciosum. Ego aũt sensum talem esse autumo: Si in febre aphoniæ quæ conuulsiuo modo fiunt, desinant in eam quæ cum silentio sit ecstasim, perniciosum. perniciosum autẽ uel pathema uel symptoma subaudire oportet: libri autore ita ex consuetudine enunciante. Nomen igitur σιγῇ, id est cum silentio, in casu dãdi est intelligendũ, & cum uerbo ἐξίσανται, id est mente mouentur, cõstruendum ordinanduq;. In casu aũt dandi intellectũ nõ amplius ipsum solum significat hoc: si in mentis scilicet motionem transeant cum silentio, ualde malum. Nam rursus eum nomini silentio, uerbũ

perni

perniciosum, subiecisse constat. quapropter sanè intelligendum est pro latenter & obscure uulgo. Cũ ergo aphoniæ multis fiãt modis, ut dictum est, nunc eam quæ cõuulsiuo modo fit, in eam quæ cum silentio efficit̃ ecstasim desinere ait. Sed quonam nam conuulsiuum modum intelligemus? dixerit quis: uoci asseruientiũ organorum. quæ tum quod resoluta sint, tũ nullo pacto à uolũtate moueantur, aphoniæ causa existunt. quorum affectionem quæ cum conuulsione est, definiens, ob id inquit, si in febribus aphoniæ conuulsiuo modo. Non hæ igitur cum tumultu & clamore (non enim uociferari possint qui uoce sunt destituti) sed cum silentio in ecstasim perueniunt. Nulla sanè quæstio est quonammodo cum silẽtio mente moueantur qui nullo pacto uocem emittere possint. Vnde igitur inquiunt, mente aberrantes eos cognoscimus? ridiculam admodũ interrogantes interrogationẽ, solisque his interrogari dignã qui nunquam ęgros mente læsos cõspexerint. Nempe & si non loquantur, quòd familiares conuenienter ipsi non uideant, neque cum interrogantur affectionẽ dicant uel scripto uel nutibus, quòd item motus ostendant à ratione alienos exilientes uel inordinate conuulsi: hæc desipientiam ipsorum indicant. & si ualenter horũ affectio excedat, iam non desipientiã simpliciter, sed ecstasim, id est insaniã iure appellamus.

20 Quibus ex dolore aphoniæ, hi cum dolore moriuntur.

Verbum δυσθανατεῖ modo qui tardius moriuntur, modo qui cum dolore, significat. quod optima ratione in præsenti oratione dicitur. & maxime quia aphoniam huiusmodi in antecedente dictione memorauit. Nempe conuulsio doloris plena est affectio.

21 Febres ex hypochondriorum doloribus malignæ.

Orationem hanc siue libri huius autor, siue alius scripserit, non laudo. Nisi etenim limitetur, bifariam falsa est, quod & gemina indigeat limitatione. Cum ergo non paucæ in hypochondrijs sitæ sint partes, febres non sunt omnibus in his malignæ: sed in septo transuerso, uentriculo & iocinore. Scimus quoque & musculos quosdã qui inibi iacent, si inflammentur, febrem accendere. Quin imo neque ubi in iocinore, uel uentre, uel septo transuerso phlegmone oriatur, febris hæc continuo maligna est: sed acuta forsan fuerit, quanquã ne hoc quidem perpetuo, nondum uero maligna. Quòd autem neque acutam perpetuo fieri dicam, testatur experientia & ratio demonstrat, ab externis inflammationibus conspicuam reportans fidem. Nam cum inflammationum magnitudinem perpetuo febris ex proportione sequatur, ut in hypochondrijs, non perpetuo partẽ aliquam ex præcipuis ualenter inflammari est necesse: sic neque febrem inferri acutam. Orationem igitur his dimitto, qui & falsè dictorum causas falsas tanquam ueras pronunciant. Ego uero, ut retuli, neque ueterum cuiquam patrocinari, neque illis pertinaciter cõtradicere proposui: sed quæ uere tum fieri, tum apparere in ægris uidi, ea his qui medicam exercent artem narrare.

22 Sitis quæ non ex ratione in acutis morbis soluitur, mala est.

Est & hic sermo pars illius uniuersalis qui omnia non ex ratione leuantia, primum quidem suspecta esse ait. Deinde et periculosa sępius, cum & ea ipsa quæ præter rationẽ leuant symptomata periculosa existãt. Dictus autem & alius quidam in aphorismis uniuersalis sermo, in quo & id quod nunc dicitur est pronunciatum: Qui etenim parte aliqua corporis dolent, & magna ex parte dolorẽ non sentiunt, his mens ægrotat. Quòd igitur in acutis morbis sitim præter rationem solui signum malum sit, declarat abunde quæ præter rationem fit solutio. Quòd uero mentis læsio significet, ex eo patet quòd æger manentem adhuc affectionẽ non sentit, quanquam affectio doloris expers non sit. Quidnam autẽ παραλόγως, id est præter rationem indicet, tametsi sæpius plerisque in locis dixerim, non perperam tamen & impręsentiarum dicetur. Cum igitur neque per uomitum, neque per sudorem, neque per deiectionẽ, neque etiam per abscessum iudicatorium solui sitim contingat, non quòd affectio sedata fuerit, sed quòd sensus elanguerit: id si fiat, signum bonũ non est. quòd si & lingua sicca manente urinisque crudis existẽtibus sitis tollatur, certius adhuc malitiã affectionis dignoueris. atque adhuc amplius si medicus nihil tum refrigerantium, tum humectantiũ exterius adhibuerit. quandoquidem talia in acutis morbis sitim non tollere, sed mitigare nata sunt. Prorsus autem in acutis morbis malum, si sitis perfecte tollatur. Atque hæc quæ nuper dicta sunt, in exemplo eius quæ pręter naturam est solutionis, memoria teneri uelim, ne sæpius eadem audire tibi opus sit.

23 Sudor multus si cum febribus acutis fiat, malus.

Ad nomen, multus, mentem potissimum conuerte. quoniam sępius qui in acutis assidue sudant mediocriter, quanquam cunctentur quidem trahantque, non tamen moriuntur. Si uero multus fuerit sudor, qui febrem non soluat, quòd ægri uirtus cito exoluetur, liquido ostendit.

24 Et urinæ dolorosæ malæ.

In non paucis exemplaribus οὖρα πέπονα, id est urinæ coctæ scriptũ est, librique interpretes ita scriptum norunt. nisi quòd Rufus uir ephesius ueteres scripturas obseruare conatus, hoc in loco Zeuxidem increpet, tum uetustissimum empiricum, tum qui in omnes Hippocratis libros cõmentaria scripsit, his usus uerbis: Zeuxis autem, si utique & ipsius meminisse oportet, cũ diu effugisset inscitiæ opinionem, hic aperuit. obuiam enim uitio factus, in ipso immoratus est. Vult enim urinas coctas scriptas esse ut purulentas & prauum continentes crassamentũ: nequaquam quòd hæ inter presentissima numerarentur auxilia, conspicatus. hæc Rufus nõ ingenerose aduersus Zeuxim scri-

pſit, uitiatam quidem ſcripturam qua οὖρα πέπονα, id eſt urinæ coctæ ſcribatur, aſſerens, atq; huic οὖρα ἐπίπονα, id eſt urinæ quæ cum dolore excernunt, præferens. Qui ſcripturam πέπονα recipiunt, hi nonnulla quidem tum improbabilia, tum memoratu indigna effutiũt: ſed probabile quiddã, quod uulgus in errorem pellere poſſit, hoc eſt. uidetur ſiquidem dicere Hippocrates: Iudicatoriorũ non iudicantium alia letalia, alia difficilem faciunt iudicationem. Ob eam cauſam, & coctas urinas ubi morbũ non ſoluunt, non bonum eſſe ſignum ait. Ignorant hi iudicatoria ab Hippocrate appellari tum ſymptomata, tum ſigna quæ iudicationẽ indicant, uel ex ſeſe etiam faciunt: ut eſt ſanguinis eruptio, per uentrem uacuatio, urinarum copia, uomitus, menſes, hæmorrhois, parotides, collectiones ex alia parte ad aliam irruentes, et quicquid aliud. Ab his uero alia coctionis ſigna exiſtunt. de quibus in primo Epidemiorum ait: Coctiones celeritatem portendunt iudicationis, ſecuramq; ſanitatem. De urinis autem in Prognoſtico ſcripſit: Vrina optima eſt ſi quod ſubſidet, album fuerit, læue & æquale per totum tempus donec morbus iudicetur. ſecuritatem enim morbumq; breuẽ fore oſtẽdit. Tibi autem qui in libris Epidemiorum morborum enarrationem legeris, conſtat nullum ex his qui mortem obierunt, coctas urinas excreuiſſe. Cæterum te latere non debet exemplaribus in multis ſimpliciter ſcriptum eſſe, urinæ etiamnum coctæ, non adiecto nomine, malæ. Nempe paulopoſt tum his tum deinceps dictis urinis adiectum eſt nomen, malæ.

25 Rubra quoq; ex his epanthiſmata ſi retinẽtur, ac æruginoſa, mala: atq; exigua paruaq; uelut ſtillæ ſuperapparentia.

De urinis iam dictis eſt ſermo: ſed claritatis gratia copulanda ſunt hæc, ut tota dictio talis fiat: Vrinæ etiamnũ doloroſæ & rubra ex his epãthiſmata ſi retinentur, & æruginoſa, mala. Orationẽ itaque hanc, Ex his, uult indicare, ex urinis quæ cum dolore excernuntur, & non ex coctis. Nunquam enim ex coctis urinis epanthiſmata colore rubida neq; æruginoſa ſuperueniũt, Verbum, Si retinentur, adiectum eſt talibus urinis, uel quod ægre excernantur, uel quod prorſus detineantur, indicãs. Sed forſan quis dixerit fieri nõ poſſe, ut cuiuſnam coloris ſint cognoſcatur, ſi retinẽtur: uerum cum talia prius minxerint, & poſt retentionem excreta fuerint, ubi uel ægri ui expreſſerint, uel arte ſua medici prouocauerint, atq; unà cognitis tum colore, tum retentione quiſquis ita excerni dixerit, nequaquam mentietur. Ex eo autem quòd ſermoni adiectum ſit, atq; exigua paruaq; uelut ſtillæ ſuperapparentia: adhuc quoq; coloris ipſorum notitia euidentior erit & retẽtionis ueritas. Volo autem ut memoriæ mandes quæ de ſubrubentibus urinis in Prognoſtico dicta ſint, his uerbis: Vrina ſubrubens ſi fuerit, ſedimentũq; tum ſubrubrum, tum læue, hæc priore quidem diuturnior, ſed ualde ſalubris. Subrubens igitur urina, cuius memi-
A nit in Prognoſtico, ab impenſe rubra, de qua nũc agit, ualde diſtat. Nempe quòd impenſe rubra cruda & incocta ſit, ſupra explicauit. Subrubentẽ uero cõmendat quidem tanq; ſalubrem, ſed diuturnioris temporis ſignum eſſe ait. Quòd uero rubẽs urina in medio tum impenſe rubræ tum ſubrubentis conſtituta, medium tum laudis tum uituperij obtineat, palàm eſt omnibus.

26 Vomitus quoq; cum uarietate, mali: tũ alias, tũ ſi mutuo ſeſe prope cõſequãtur.

Permutauerit quis interpretationis abſurditatem, qua libri autor delectari uidetur. erit autẽ ſermo talis: Vomitus quoq; cum uarietate eorũ quæ uomuntur, malum ſignum exiſtit, tum aliàs, tum
B ubi quę uomuntur, propius, id eſt non multo poſt tempore ſeſe conſequantur. atq; per adiectum illud, cum uarietate, eorum quę uomuntur, mentionem facit. Neq; enim omnium quæ in Prognoſtico dicuntur, uidetur meminiſſe, niſi quis adijcere maluerit. Nẽpe in Prognoſtico de uomitibus ita ſcriptum reperitur: Si uero quod uomitur, porri colorem repręſentet, uel liuens uel nigrum fuerit, quicunq; horum fuerit color, malum eſſe eſt exiſtimandum: quòd ſi colores omnes idem homo uomuerit, ualde pernicioſum exiſtit. Clare quidẽ in Prognoſtico explanata ſunt hæc, uarietatẽ eorum quæ uomuntur accuſante Hippocrate: quòd affectiones multas in ægri corpore quæ prauæ ſint demonſtret. At in præſenti dictione, ut modo
C dixi, adiectum eſt, quòd redundantes præter naturam in corpore humores continenter uiciſſim uomuntur. Quòd autem qui cõtinue uacuantur, deteriores his ſunt qui intermittunt, cuiuis patet. Pleriq; uero eorum qui librum hunc expoſuerunt, dictionem unam ex omnibus conficiunt quæ ante dicta ſunt ab hoc principio: Sudor multus ſi cum febribus acutis fiat, malus, copulata eſſe omnia uolentes adusq; orationem hanc, Tum aliàs, tum ſi propius ſeſe conſequuntur. ut in ægro uno cõcurſionem ſcriptorum in medio nuper dicti principij, & finis huiuſce præſentis dictionis cõprehenſorum exiſtiment. fieriq; poteſt ut hoc ſenſu ab autore libri coniuncta fuerint prædicta hæc ſymptomata. Nempe & ex diſſimilibus genere cõcurſio-
D nes interdum facere uidetur.

27 Quæ in iudicatorijs diebus cum proiectu & inquietatione & abſq; ſudore perfrictiones ſunt, malæ exiſtunt. atq; ex his ſuperuenientes rigores mali.

Quòd concurſionem orationis huius ex his aceruauerit quę ſeorſum ab Hippocrate dicta ſunt, nemo ignorat. Nempe quòd ἀλυσμὸς, id eſt inquietatio ſemper mala ſit, pari modo & perfrictiones tanquam conſequentes, malæ ſunt. Quòd uero omnia quæ iudicatorijs diebus apparent, cæteris fideliora ſint, ab ipſo Hippocrate didicimus. hoc autem in loco inquietationi perperam adiacet abſq; ſudore. Nempe inquietatio cum ſudore non mala eſſe uidebitur. aut ſi eſt, nihilominus: imò

imò mala magis. non solum igitur superuacue oratio hæc absq; sudore, adiecta uidebitur, uerum A quoq; & in detrimentum librum legentium: qui eam quæ sine sudore est inquietationem ea quæ cum sudore est deteriorem esse existimabunt. Præterea quod in calce orationis dicitur, atq; ex his superuenientes rigores mali, falsum est simpliciter ita dictum, ut nunc dictum est, nisi ut, inquietationi, ita &, rigori, adiectum sit, absq; sudore, magisq; rigori tũ familiaris tum cõmoda adiectio existit. Nam quæ sine sudore inquietatio est, minus mala est. Rigor uero sine sudore maius malum. Nam si iudicatorius rigor ex inquietatione fiat, morbum soluit, superuenientibus sudoribus, uel uomitionibus cõmodis, uel aluo subducta.

28 Vomitiones synceræ atq; implacidæ malæ. B

Composita sunt rursus hoc in loco signa duo ex his quæ ab Hippocrate mala esse dicta sunt. Nempe & cum uniuersaliter synceras humorum uacuationes & implaciditatem omnem in morbis mala esse doceret, didicimus. Non solũ igit̃ uomitiones syncerae & implacidæ, malæ sunt, uerum quoq; & deiectiones, & sputa, & urinæ, & quiduis aliud.

29 Sopor an ubiq; malus?

Ambiguitatem nobis mouet dictio, quia significatũ ex uoce κάρος, id est soporis nõ clare dictum sit. Neq; enim cum ex liberaliore uini potu soporatum quempiam dicamus, ut Plato in conuiuio de Poro dixit, morbosam illam affectionẽ ostendimus. Sed si quis uerbis longius interpretari uelit, profundum ac difficilem excitatu somnum. C At hoc loco caros, uidetur significare nõ bonum. Præterea quæstio non parua de morboso caro oborta est, an eandem genere causam habẽs, cum eo qui ob uini potionem obortus est, difficilem solutionem adsumpserit, an alterum genus causæ existat. iure igitur ambigit de sopore quærens an omnino esse eum existimandum sit, an interdũ etiam bonum & medium inter ea quæ bona & quæ mala dicuntur. Si enim & profundus & excitatu difficilis somnus, carus intelligitur, nullamq; genere dissidentem affectionẽ carus morbosus habeat, erit sane aliquando carus bona tum causa, tum nota. Vidimus enim in ægris quibusdam qui tribus D uel quatuor deinceps diebus uigiles permanserant: difficilem excitatu somnum superuenientẽ, qui prorsus nocte dieq; perseuerans, magnum attulit auxilium. Sæpius quoq; & in infantibus somnum eiusmodi superuenientẽ non uno die solum: uerum quoq; & duobus ex ordine diebus magno ipsis fuisse cõmodo conspexi. Si uero morbosi carialia genere fuerit affectio, somnum profundum à caro discrepare asseremus, atq; quod καρώδες, id est soporosum sit, ubiq; malum esse. Demonstrauimus autem uigilantiam quidem fieri propter tum siccitatem, tum caliditatem primæ sentientis partis, id est cerebri: somnum uero ex contrarijs, cum scilicet ex humidi utilis copia grauet̃ corpus, quomodo ex ebrietatibus profundus somnus oritur: quem carum, si lubet, appellare potes. Non discrepante autem affectione in nomine solum controuersia est. Cum uero cerebrũ ob pituitam tum humectetur, tum refrigeretur, in lethargicis affectionibus coma erit. quod & ipsum, si lubet, carum appellare poteris. Sunt qui ubi æger tum motu, tum sensu tempore aliquo priuatur, etiam si uel stimules, uel ferias, uel inclamites, carum appellant. qualis in quibusdã uisitur, ubi temporalibus in musculis uehementer percussi fuerint. Videtur quoq; sępius & in febrilium morborum accessionibus, in quibus neq; stimulantes, neq; ferieẽtes, nedum inclamitantes sentiũt ægri. Si ergo pathema eiusmodi quis carum appellauerit, difficilem uero excitatu constitutionẽ & coma & cataphoram, tertium autem ab ipsis somnũ profundum cuius primum meminimus: nunq; φ coma bonum sit, nedum φ carus, dicere oportet. Si uero quis de recẽsitis affectionibus dubitauerit, aliter eas fieri affirmãs, uel non ut ego nunc dico, in re controuersus erit. si uero ut dictum est fieri concesserit, nominibus aliter usus, in his solum à nobis dissidebit.

30 Ignorãtia cum rigore, mala: mala quoque & obliuio.

Siue μετὰ ῥίγεος, id est cum rigore in generandi casu, siue μετὰ ῥῖγος, id est à rigore in casu accusandi scriptum sit, nõ admodum dissident inter se sermonis utriusq; intelligentiæ. Nam cum rigore ignorãtia & obliuio uictum calorem natiuum ab ea quæ symptomatica est, refrigeratione, indicãt. Quòd enim non cognoscãt familiares, neq; factorum recordentur, ex cerebri refrigeratione enasci id constat. patetq; utrunq; per se malum symptoma esse: & si ambo simul fiant, geminari perniciẽ.

31 Ex rigore refrigerationes quæ non recalescunt, malæ.

Languorem caloris natiui extinctionemq; talis refrigeratio indicat.

32 Si ex perfrictione sudantes recalescant, malum, ex his quoq; laterũ æstus cum dolore, & rigor superueniens, malus.

ἀναθερμαινομένους, id est recalescentes, nunc intelligere oportet eos qui rursus febricitãt. Sermo autem talis est: Si in morbo quis, posteaq; sudauerit, frigidior quidem protinus quàm naturæ conueniat, fiat, rursusq; febricitet, non sine periculo afficitur. Quòd autẽ & idipsum malum sit, cuius patet. Connectit autem huic ueluti & in alijs symptomata quædam, quæ diuersas concomitantur affectiones. lateris siquidẽ æstus cum dolore, signum est phlegmones quę partem eam infestet, ob quam febricitauit: si uero & rigor ipsis superuenerit, suppuraturã expecta phlegmonen. Quo autẽ modo fieri potest ut latere ex phlegmone obsesso æger rursum febriat, sic et ex pulmone, ex hepate, uel uentre, uel quauis alia parte. Particularis igitur sermo & is est, & non uniuersalis, præterea & secundũ compositionẽ dissimilis generis signorũ.

33 Æstuosi rigores quadamtenus perni-

ciosi, flammans quoq; cum sudore facies in his, mala. posteriorumq; refrigeratio, conuulsionem accersit.

Siue *καυματώδεις*, id est æstuosi prima syllaba per *α* & *υ*, scriptum fuerit, siue *κωματώδεις*, id est comatosi per *ω*: difficilem grauemq; uerbũ utrũq; indicat affectionem. Nam qui uniuersaliter de rigore intellexerunt, perpetuo eos meminisse oportet: quòd si uel tertio uel quarto die fuerit, talium febrium peculiare est symptoma. In morbis uero postea apparens si iudicationẽ non intulerit, deterrimũ existit. Scis etenim quòd iudicatoriorum non iudicantium quædam letalia sint, & quædam difficilis iudicij. Rursum huic symptomata cõiunxit affectionum quæ non necessario cum rigore fiunt. Dictum quoq; antea quòd quanto plura periculosa homini fiant symptomata, tanto fideliorem in eo efficiant prædictionem. quomodo si & signorum salubrium multa appareant, eo certior sit salutis expectatio. Neq; ignoramus flammantem sine rigore & cum sudore faciem, malum esse signum: quoniam & unum ex iudicatorijs sudor sit. Cum igitur non iudicauerit, malignitatẽ morbi ostendit. Ex his autem, refrigeratis posterioribus partibus conuulsionem non absq; ratione sperauerit: quoniam & partes neruosæ sint, & frigus conuulsionem pariat.

34 Si in sudoribus uigiles recalescãt, malũ.

Si quod de ita complicatis dictũ est, memoria non excidit, non est quod amplius nostra indigeatis explicatione. Nempe talia omnia subiacent tantulo huic uniuersali. Iudicatoriorũ non iudicantium quædam letalia, & quædam difficilis sunt iudicij.

35 Ex lumborum recursione oculi peruersio mala.

Fieri non potest ut aliud quippiam intelligatur quam lumborum dolores ad superiorem transire sedem: principiumq; neruorũ affici possibile est, cuius symptoma est oculorum peruersio. Nam quæ à cerebro neruorum propaginem assumunt partes, non affecta quopiã tali affectu spinali medulla, ipsius affectiones demõstrant. hic sermo his similis est quæ in Prognostico ita dicta sunt: Qui cum febre circa lumbos & inferas sedes fiunt dolores, si septum transuersum relictis infernis sedibus attigerint, letales admodum existunt.

36 Dolor pectoris firmatus & ægre auferibilis cum torpore, malus. super febriẽtes hi si acute ardent, moriuntur.

Miscuit rursus dictione in hac duarum affectionũ symptomata. Dolor etenim pectori *ἱδρυθὲς*, id est *στηριχθὲς δυσλύτως*, id est firmatus & ægre auferibilis, thoracis indicat phlegmonen: torpor uero cerebri humiditatem uel frigus, uel utrunq;. Quòd in talibus sermonibus omnibus meminisse te oportet coniunctionis disiunctiue significãtis, cuiuis patere potest. Non est tamen necesse ita affectos si caustici acute fiant, mori. si utiq; nomen *καυστικοὶ* idem quod uelut *καυσώδεις*, id est arden-

A tes significat. Quidam uero torporem mouendi difficultatẽ corporis intellexerunt. Nempe quod sæpius dixi in obscuris & luce carentibus dictionibus, cuipiam ut lubet intelligere conceditur.

37 Nigra reuomentes, cibos fastidientes, deliros, in pube parum dolentes, quibus oculus ferox claususq;, purgare non oportet, perniciosum enim.

Quod hi omnes perniciose habeant, ut in calce dictionis retulit, ueritati est consentaneum, sicuti & quod eos *φαρμακεύειν* quod est *καθαίρειν*, id est purgare dici sæpius est demonstratũ. Hic autẽ sermo illi dissimilis non est. Corde uulneratis promittenda curatio non est: morientur enim. Siue igitur sin-
B gula ea quę in dictione continentur, seorsum quis intelligat, prauę affectionis signa ea sunt, siue multa quoq; simul æque perniciosa fuerint. Quod ergo primo dictum est, reuomere nigra, inter perniciosissima censetur signa, etiam si absq; alijs solum fuerit. Deinde scriptum est *ἀπόσιτοι*, quod est *ἀνόρεκτοι*, id est cibos auersantes. quod quanq; minus quàm illud malum existat, uerumtamen & ipsum malum. Pari modo *παράφοροι* quod est *παρανοοῦντες* & *παραπαίοντες*, id est deliri. Verum oratio hæc, parũ in pube dolentes, neq; luculenta existit, neq; qui librũ exposuerunt, idem censuerunt. Quidam enim utrunq; seorsum explicantes, nomine pubis pubertatis ætatem intellexerunt: parum uero dolentes, unum & ipsum ex symptomatis quorũ ca-
C talogum fecerunt: alij autẽ in pube parum dolentes, de parte dictum esse aiunt, in qua etiam uesica suam posigturã habet. Vult siquidẽ partẽ eam grauiter esse affectam ostendere: sed eos desipere, quod ægri exiguã habeant à principio ipso sensionem. Deinceps autẽ duo alia scripsit symptomata, quæ manifeste phrenitica ostendunt: ferocẽ oculũ & clausum. Duo siquidẽ sunt hæc, quanq; de parte una dicantur. Potest siquidem alterũ ipsorũ per se solum constare, ut oculus ferox quidẽ interdũ existit, non tamẽ clausus: interdũ uero clausus quidẽ, non tamen & ferox. Claudi siquidem oculorum palpebras contingit, uel propter cõuulsiuam claudentium oculos musculorum tensionem: uel propter aperientium imbecillitatẽ. Qui igitur ita affe-
D ctos purgare ingredit̃, is indoctus est, & artis medicinalis planè inscius. Neq; sanè qui non purgare consulit sapiens est. nec uero quod hi perniciose habeant nosse magnum quippiã existit. Nullã itaq; artificiosam speculationem quæ libro digna sit, nos docet dictio. quomodo nos uniuersaliter docuit in Aphorismis una in qua inquit: In acutis morbis raro, & in principijs medicamentis purgantibus uti. atq; alia, in qua dicitur: In acutis purgare si turgent, eodem die. Hæc siquidẽ medico insigni digna sunt, ut in horũ explicatione demonstrauimus: quæ uero nunc dicuntur, superuacua. Nullus etenim ita affectos purgare ingreditur, ut dictio ostẽdit, cum hoc quòd procedente morbo fieri hæc cõmonstret, & non circa principia: quando in acutis solum purgandi est occasio.

Neq;

38 Neq; intumeſcentes, uertiginoſosq;, neq; in errando deficiẽtes, neq; cibos auerſantes, neq; decolores.

Ac ſi libri ſcriptor luculentum quippiam promere ſit ueritus, ita tum propria, tum perſpicua ubiq; nomina pertranſiens, aliis uti ſtudio ſibi habet. Nempe ſi per orationem hanc, ἐν τῷ πλανᾶσθαι ἐκλείποντας, id eſt in errando deficientes, hos ſignificare uoluerit, qui quanq; quiete leuiterq; moueantur, λειποψυχοῦσι tamen ἰσχυρῶς, id eſt forti animi deliquio corripiuntur, id per nomina quę nunc dico clare explicare poterat. Præter hæc quoq; ſatius erat ita in uniuerſum quod medicis omnibus eſt confeſſum, et non minime idiotis notũ dixiſſe: Imbecillas habentes uires purgandos non eſſe. Equidem ex eo φ intumeſcant, ſintq; σκοτώδεις, id eſt uertiginoſi, quod eſt in motionib. obtenebrentur, purgatione indigere uidebuntur qui per præſentem ſignificantur dictionem: ex eo uero φ uires collapſæ ſint, uacuationem non ferent.

39 Neq; in febre comatoſos, inclinatosq;, pernicioſe etenim habent.

Κατακεκλιμένους, id eſt inclinatos in hac dictione rurſus propter obſcuritatẽ dicere maluit. quoniam clare dicere potuiſſet, ἐκλύτους, id eſt exolutos. Subiacent etenim hi uniuerſali ſermoni omnibus plane cognito. Quis enim non nouit, aut quis non dixit exolutos purgandos non eſſe? Superuacue igitur eſt adiectum uerbum κωματώδεις, id eſt comatoſos, bifariam ſcripta prima ſyllaba, & per ο & ω. & per κ & α & υ. Cum enim in confeſſo ſit, nullum exolutorum eſſe purgandum, licebit nobis hinc unumquenq; affectũ aſsignando mille particulares conficere.

40 Stomachi dolor cum hypochondrio contento, dolorq; capitis malignum, & ſuſpirioſum quippiam. An repẽte hi moriantur? ut in Dyſode, cui & urinæ fermentatæ erant uehementer, & faciei rubor.

Quòd quærat an ſicut uidit hæc in Dyſode accidere ita de ipſis uniuerſaliter pronunciare conueniat nec'ne, clare oſtẽdit. De talibus autem antea dixi cum oſtenderẽ, quæ in uno affectu fiunt ſymptomata, cõmode continuo inter ſe ordine doceri: quæ uero in diuerſis, non recte copulari, cum nulla quæ artificioſa ſit doctrina ex eorũ miſcella fieri ſoleat. In ægris itaq; utiliſſimũ eſt omnia contemplari, nihilq; prętermittere. quod utrunq; fecit Hippocrates, tum in Prognoſtico, tum in Aphoriſmis prænotiones per uniuerſalia efficiens, in Epidemiis uero quæ ægris contigerunt, omnia ſcribens. Docetur quoq; & in his ipſis libris quædam citra ægrotantium mentionem uniuerſalia. In hoc uero Prorrhetico ſæpius confuſa eſt doctrina, his omnibus quæ in ægris uidentur unam in congeriẽ reductis, quanq; in diuerſi generis affectibus fiant. quomodo & nunc in Dyſode inquiens, καρδίας πόνος, id eſt, oris uentris dolor cũ hypochon-

A drio contento, & capitis dolor, adiecit, & ſuſpirioſum quiddam. deinde poſt hæc in dictionis calce, & urinæ fermentatæ erant βιαίως. Nam & hoc ſermoni adiectũ eſt, ut hic inueſtigemus an fermentatas uehementer urinas factas dicat, βιαίως pro σφοδρῶς, id eſt uehemẽter accipiendo: an cum aduerbio βιαίως ſubintelligere oporteat excretæ eiectæq;, oſtendente autore urinas, tũ ægre tum cum uiolentia excerni eiiciq;. Quin etiam in oratione dictum eſt, fermentatæ, quod neq; in Prognoſtico dictum eſt, neq; in libris Epidemiorũ. Preterea iam cum omnia percurrerimus, nihil amplius nobis accedit: ſed quia explicare inſtituimus, de fermentatis quoq; dicamus. Cum igitur in terram acetum acre effuſum fuerit, protinus intumeſcens

B ſurſum quaſdam terræ partes ſimul tollit; fitq; cõpoſitum quoddam ex terreſtri ſubſtantia, & aceti humiditate, & ex facto uaporoſo ſpiritu. Simile rei huic contingit cum atra bilis in terram effuſa fuerit, nempe & in utroq; ſpirituoſa quædam motio euidenter fieri uidetur, ei ſimilis quæ in feruente muſto apparet. Simile quoq; & in panibus quotidie fieri uidetur, cum remiſta aquæ tritici farina, miſto illi & fermento mediocriter macerari permiſerint, fermẽtatio fieri uidetur, fuſa ſimul & intumeſcente quæ fermentatur ſubſtantia. Quapropter & urinæ quæ fermentãtur, ut prorſus craſsitiem notabilem habeant, oportet, deinde & in ea leuem quandam efferueſcentiam, quodq; pars ſpirituoſa motionem nacta, tumorem habeat maio-

C rem quàm cum excerneretur habebat. Quòd autẽ urinæ eiuſmodi fiant perturbatis agitatisq; crudis humoribus, in cõmentariis De iudicationibus didicimus. Præterea antedictus æger, forſan non multo poſt repente defunctus, quæſtionem ſcriptori mouit: an omnes ita affectos repente morituros dicere oporteat nec'ne. Cõſtat uero & quonam pacto nos reſpondere oporteat ita interrogantibus, ut pronunciauit ſcriptor. an hi repente moriantur? reſpondebimus enim uériſimile eſſe hominem repente moriturum eſſe ſtrangulatum. Nempe id ex aſthmate ſignificatur. Sed quænam fuerit affectio in qua efficitur hoc ſymptoma, eſt diuinandum: quòd non fuerit locutus autor. Nam & ob flatus pituitæq; multæ ex capite in pulmo-

D nis bronchia per aſperam arteriam delapſum, atq; ex pleuritide in ea translata, & pure multo propter affectionem aliam medium inſtrumentorum duorum occupante locum, aſthmatica acuta oritur ſpirandi difficultas: crebeſcente admodum reſpiratione, & ualde ſeſe dilatante thorace. Cũ igitur fuerit talis difficultatis ſpirandi ſpecies, rubẽs iure optimo reddet facies. Si uero & capitis dolor ſimul fuerit, nil miri ſi ualde rubens fuerit. Omnes ſiquidẽ in morbis eiuſmodi capitis dolores cum caliditate multa fieri conſueuerunt.

41 Ceruicis dolor malus quidem in febre omni: ſed peſſimus quibus inſania ſperatur.

Particulare & hoc quoq; tanq; uniuerſale ſcripſit. Nam ſi dolor uel propter adfectũ cerebrum,

uel ſpinalem medullam, uel ipſas cerebri membranas oriatur, malum eſt ſignũ. ſi uero affectus quæ extrinſecus uertebram circumiacent partibus enaſcatur, malum non eſt. In quibus autem inſaniæ ſpes eſt, quænã affectio deterior eſſe poteſt quàm ipſa inſania?

42 Febres cum comate, laſsitudine, lucis turbulẽtia, uigilijs, & ſudoribus, malignæ.

Ex ſupradictis manifeſta ſunt quæ hic dicũtur. Nempe catalogum malorũ ſymptomatũ efficiũt, nullamq́ ut ſimul fiant, habent neceſſitatem.

43 Ex dorſo frequentes horrores celeriter in aliam tranſeuntes conditionem, implacidiq́ urinæ interceptionem cum dolore indicant.

Præfinita in uerbo, implacidi, priore dictionis parte, ſecundam efficere licet, urinæ interceptionem cum dolore indicãt, quaſi ita dixerit: Ex dorſo frequentes horrores celeriter in aliam tranſeuntes conditionem implacidi ſunt inquietiq́, atq́ ad huc urinę ἀπόληψιν quod eſt ἐπίσχεσιν, id eſt retentionem cum dolore indicant. ſed melius eſt quòd urinarum retentio ex dictis omnibus ſignificetur, protuliſſe. Conſtat ſiquidem uidiſſe ægrum quendam affectũ iuxta lumbos in ſpinali medulla, uel his quę circa ipſam ſunt membranis, uel in utriſq́: deinde affectus participatione urinarum interceptionem cum dolore habuiſſe. Nempe quòd qui celeriter tranſmutantur horrores implacidi, ex dictarum partium phlegmone fiant, ueriſimile eſt.

44 Qui cum anxietate & ſine uomitu exacerbantur, male habent.

Debuit autor adieciſſe an nauſearent, nec'ne. quidam enim nauſeant, & non uomunt: alij anxietate correpti nunq́ nauſeauerunt: quos per præſentem dictionem ſignificare mihi uidetur. Bifariã enim ἀσώδεες, id eſt anxij fiũt. uno modo cum uirtus à corpore grauatur, nullamq́ decubitus figuram facile ſuſtinet: altero modo cum os uentris à prauis mordetur humoribus. Priores pernicioſe afficiuntur: nauſeabundi ſunt poſteriores.

45 Refrigeratio cum duritie ſignũ malũ.

Duobus modis corpora indurantur, interdum quidem cum in imo tota uehementer refrigerantur, interdum uero cum ualenter exiccantur. Refrigeratio autem ſi ita uiolenta fuerit, ut tota omnino refrigerentur corpora, indureſcãtq́, extinctionis ſignum exiſtit. ſi uero & ſiccitatẽ acceperint, nomine utroque ſignum bonum non eſt. Quòd ſi in ſolis acceſsionibus id fiat, moderatius indicat malum: ſi diutius permanet, maius: ſi uero perpetuo, in foribus mors eſt.

46 Si ex uentre tenuia nõ ſentienti ægro exierint, ſi extra ſe nõ ſit, malũ, ut hepatico.

Bene facit autor cum adiecit, ut hepatico. Nempe & nos tenuia excrementa morſu carentia hepaticis nonnullis fieri uidimus: quanq́ talia excrementa magna ex parte mordeant. uidetur igitur

A in his uel non generari bilioſos humores ob caliditatis hepatis imbecillitatẽ, uel non defluere ad inteſtina. Si uero proprie orationem, Non ſentienti ægro, intellexerimus, dixerimusq́ nunc ab autore factum eſſe ſermonem de his quæ inuoluntarie excernuntur, & non de morſu carentibus, abſurdum quippiã continget. Nempe cum duobus modis inuoluntarie excernat ęger, aut quòd mens ægrotet, aut ꝙ partes per quas excretio fit, minime ſentiant: ꝙ mens quidem non ægrotet, explicuit inquiens, ἐόντι παρ᾽ ἑωυτῷ, quod eſt κατανοοῦντι & σωφρονοῦντι, id eſt & apud ſe fuerit, cognouerit, & ſapuerit: reliquum uero non uerisimile exiſtimandum. Fruſtra etenim in ſermone dixerit de excrementis, tenuia, cum partes ſenſiles ea quæ per ipſas

B tranſeunt non ſentiant, nullum quoq́ aliud in dictione ſcriptũ ſit ſymptoma quod neruorũ affectum indicare poſsit. Nempe hæc oratio, ut hepatico, alijs quidem tenuibus excremẽtis iuncta eſſe poteſt, per ſympathiam uero neruorũ inferre noxam non poteſt. quòd ſolũ tum cerebro, tum ſpinali medullæ neruorum propagines condolere uideantur. Neq́ enim condolentiam huiuſmodi hepar ſequi uidimus: neq́ id natura cõmonſtrat uiſceris quod minimis neruis participat.

47 Si uomitus exigui bilioſiq́ fuerint, malum tum alias, tum ſi ægri ſuperuigilauerint, nariſq́ in his ſtillans malo eſt.

Excerni pauca in ægris unum quoddam ex ſig-

C nis eſt, quæ ex toto prauitatẽ habent, ſiue ſanguis per nares excernatur, ſiue deorſum per uentrem, ſiue per uomitus tale quippiam quod ſuperfluum ſit, excernatur. Idem & in ſudoribus eſt, & his quę per uterum excernũtur. Nihil etenim eorum quæ decretoria exiſtunt, exigue ſecerni conuenit. Sed quę ita uacuantur, omnia duorũ alterum ſubeunt. Nam uel quòd non queant tolerari, ob copiam ab affectis effunduntur partibus. uel imbecillitatem oſtẽdunt naturæ, quæ proponit quidem ſuperflua excernere, ſed nequit. hoc igitur uniuerſali intellecto particularia inuenire oportet. idq́ eſt q̃d nunc de bilioſis pronunciatur. cui adiecta eſt ex ſignis proprijs uigilia, quæ bilioſos conſequitur humores, & nõ pituitoſos. Nempe cataphoræ in talibus

D fiunt, & non uigiliæ. Cum igitur pituitoſi exiguũ uomatur, longiusq́ & tardius ſolito dormire uideantur, ex cataphoricis morbis quempiam expecta, ſeruans in memoria aphoriſmum illum: Somnus & uigilia utraq́ ſi modum excedant malum.

48 Si mulieri à partu alba cum febre retineantur, ſurditasq́ fiat, atq́ lateris acutus dolor, pernicioſe uehementer inſaniunt.

Quod item nunc dicitur, ueluti & quod antea eſt dictum, atq́ alia multa quæ in hoc libro ſcripta ſunt, uniuerſalibus ſubiecta ſunt theorematis. Nõ enim in albis ſolũ, ſi eorũ quę à partu uacuanť, retẽtio fiat, praua eſt tũ cauſa tũ nota: uerũ quoq́ in bilioſis, & ſanguine ipſo. Nẽpe λοχία purgatio eſt: atq́ etiã ex nominis ratione purgatio uitioſorum

quæ

quæ gestationis uteri tempore in uenis aceruata sunt, absumpto quidem in fœtus alimentum utili qui in ipsis erat sanguine, sed permanente uitioso re qui singulis mensibus antea per uterum excernebatur. Cum igitur is uacuatus non fuerit à mulieris puerperio, aut uterum ipsum in phlegmonē agit magnā, aut ad superiorem aliquā sedem delatus parti excipienti proprium affectum, periculumq; infert. ad quam autem peruenerit, mox appartia symptomata indicabūt: quomodo & nūc tum thorax, tum caput uitiosum sanguinē ab utero sursum latum exceperunt.

49 In ardentibus febribus cum aliquantula perfrictione, deiectionibusq; aquosæ bilis multis, oculorum peruersio: signū malum tum alias, tum si catochi fiant.

Rursus hoc in loco malorū, tum signorum, tum symptomatū catalogum fecit. quorū singula seorsum et per se ab Hippocrate praua esse didicimus, in morbis quidē febrē ardentē, in deiectiōibus uero hydatochola, id est, aquosę bilis excremēta. Signorū aūt malorū quæ oculis obuenire solent, unum existit & peruersio. De catoche, id est detentione occupationeq; stuporis altiore quid dicere attinet? Si igitur signorū prauorū nomina omnia recensere uoluit, longe plura prætermisit q̃ recensuit. Si uero tanq̃ congeriem unam, nō sunt generis eiusdem quæ dicta sunt. Nam febris ardēs cum refrigeratione, grauissimū est symptoma. Quæ uero deijciuntur, & planè omnia quæ in oculis contingūt, diuersi hæc sunt generis. Catoche uero generis alterius symptomatū existit. Palpebrarum peruersiones rursum alterius sunt differentiæ.

50 Subitaneis apoplexijs si febris mediocris solutaq; & diuturna superuenerit, perniciosum. ut Numenij filio.

Declarauit quidem & hic sese ex ægro uno ad uniuersalem peruenire enunciationem, unaq; ex consuetis quippiam circa dictionem facit. Nam ὑποπυρεττήσαντι λελυμένως, id est mediocriter & solute superfebrienti dixit, à proprijs nominibus discedere constituens: ut curiosarum expositionum materiam sophistæ haberent. ut uerbi gratia, sunt in hoc loco qui aduerbium λελυμένως pro μετρίως, id est mediocriter in apoplecticis intelligūt. alij transferunt in proprie dictas paraplegias: in quibus ad partium aliquarum immobilitatem sensusq; priuationē decūbit morbus. Nempe & has apoplexias dixisse uolunt per abusum. Præterea cum hæ bifariam fiant, ut Erasistratus in cōmentarijs De resolutione ait (nam hę membrorum compositiones contrahunt contenduntq;: aliæ uero exoluunt laxantq;) speciem paraplegiæ in neruosorum corporum exolutione & relaxatione consistentem ab eo nunc dici aiunt. Sed in talibus omnibus neruosi generis affectibus, cum ob pituitosos & frigidos fiant humores, ut sunt tum apoplexiæ tum paraplegiæ, febris calida superueniens non modico adest iuuamento. Quæ igitur in

A Aphorismis dicta sunt, hic nos docet: Febrē, scilicet, à cōuulsione fieri melius, q̃ à febre cōuulsionem. Item: Si ebrius quisquā repente obmutuerit, cōuulsus moritur nisi febris prehēderit, uel ubi in horam qua crapulæ soluuntur, uenerit, loquatur. Accidit itaq; ut dictio ostendit, Numenij filio, q̃ oborta apoplexia, non acuta & calida, sed debilis & diuturna subsecuta febris nihil profuerit.

51 Ex lumborū dolore ad os uentriculi recursiones febriles cum horrore, aquosa tenuia & multa reuomētes, mente aberrātes, uoce priuatæ, nigra uomentes moriuntur.

Congesta sunt & hoc loco praua & multa symptomata, Atq; unà inepte pronūciata. Nam recur B siones dixit & uomentes & mente aberrātes, ubi ægros & uomentes & mente aberrātes dicere debuisset. Tu uero qui symptomatū singulorū uires nouisti, non magno negocio inuenies ad quātum periculū æger ueniat. Hoc uero in calce prognostici sufficienter admonuit Hippocrates.

52 Oculi clausio in acutis mala.

Iam supra inter pluriū signorum aceruationes quas syndromas empirici uocāt, oculi clausionē scripsit. sunt qui κατάκλασιν per α. & non κατάκλεισιν per ει scribūt: non magno sanè circa amborum significata existente discrimine. Vult enim ostendere palpebram uel confractā, uel clausam. In quo duorum alterum. Nam uel robur uigorēq; claudentium ipsam musculorum, uel imbecillita C tem aperientium sequitur affectio.

53 An in anxiosis, non uomentibus, & lumbos dolētibus, si ferociter delirauerint, ut nigra procurrant, spes sit?

Ad hoc quoque prompte tibi respondemus, quòd nō omnibus, sed quibusdam id erit ut supra est demonstratum.

54 Fauces dolentes absq; tumore cum implaciditate strangulantesq;, supra modum perniciosæ.

Memineris uelim eius orationis quæ in Prognostico est, hoc principio: Anginæ grauissimæ sunt, & celerrime enecant, quæ neque in faucibus D neque in ceruice conspicuum quippiam habent, plurimum uero doloris inferunt, ac spirandi quæ non nisi recta ceruice fit, difficultatem. Nempe hinc uiri docti interpretationē rerum earū quas promit, comparare poteris cum interpretatione errantis in cōcursionibus, propterea quòd eas ad uniuersale reducere nequeat. Nam Hippocrates & nomen affectionis prædixit, & differentias omnes continuata serie recensuit, à grauissima earū exorsus, cuius nunc dictionem adnotaui. Qui uero librum hunc scripsit, primum quidem peccauit, fauces strangulantes inquiens, cum angina strangulans dicere debuisset: neque enim est dicendum quòd parte affecta pro affectu sit abusus. Primo enim neque ita affectis affectæ quippiam sunt fauces, ut Hippocrates ostendit, gra-

uiſſimas inquiens eſſe anginas, quæ neque in faucibus, neque in collo conſpicuum quippiam efficiunt. Qui autem prorrheticum hoc ſcripſit, ait: Fauces dolentes abſq; tumore. Nempe uox ἰσχνή, id eſt ſine tumore, idem poteſt quod nihil conſpicuum habere. Adiecit hoc modo fruſtra, cum implaciditate, quod alterius ſymptomatum generis exiſtit: deinde & uerbum, ſtrangulantes, qui quidem librum hunc ſcripſit, indiſtincte & communiter eſt locutus. Hippocrates uero proprio differentiæ nomine appellauit, inquiens orthopnœam, id eſt rectã ſpirãdi difficultatem inferre ipſas. Vocant autem tum ipſe tum cæteri omnes orthopnœam illam difficultatis ſpirãdi ſpeciem, in qua iacentes ſuffocantur, & uix recto thorace ſufficiunt dorſo ad nullum fulcrum innitẽte. Nam cum B aſpera arteria principium à ſummo gutture habẽs in pulmonem diuidatur, quoties quidem thoracẽ cum collo recte extendimus, arteriam ipſam dilatari contingit, atq; etiam quæ ex ea in pulmones diſtribuuntur, propagines omnes. atque interim regionem augeri eis internã. Ob id ſanè & in peripneumonijs orthopnœa fit, & in appellatis aſthmaticis affectibus. Ob idipſum & in grauiſſima angina, in qua phlegmõe obſeſſi ſummi gutturis interni muſculi uiam reſpirationis intercludunt. Intenditur autem & huiuſmodi affectio cubantibus, ſuſcipiente augmentum anguſtia. Præterea & anginarum differẽtias alias in Prognoſtico ſcripſit Hippocrates tum euidentiſſime, tum accuratiſſime in ea libri parte in qua dicta à me nunc, recenſetur dictio. In hoc autem Prorrhetico etſi faucium ſæpius meminit libri author, nihil tamẽ nos quod manifeſtum articulatumq; ſit de his qui inibi ſunt morbis docuit.

55 Quibus ſpiritus retrahitur, uox'que ſtrangulabunda eſt, & uertebra intrò fugit, his in fine uelut contrahente quodam ſpiritus redditur.

De ſpirãdi difficultate cõmentarios ſcripſi, quot in ſingulis ipſarũ differentiæ omnes ſint, demonſtrans: quæ'nam item cauſæ cuiuſque effectrices, & quid ſignificare natæ ſint. Demonſtraui quoq; & in eiſdem commentarijs eas quæ ab Hippocrate in legitimis ipſius libris dictæ ſunt ſpirandi difficultates, neq; ſanè differẽtiam ullam reperi qua ſpiritus retrahitur, neque ab Hippoc. didici: atq; ob eam cauſam quodnam difficilis reſpirationis genus dicat libri author perueſtigaui. Sunt ſanè & aliæ duæ orationis huius ſcripturæ: quarũ hæc quidem ſignificat, ab altera parum quidem uoce euarians, ſed intellectu eodem. Nempe in ea uocem ἀνέλκεται, id eſt retrahitur, litera ω, interiacet poſt duas primas literas α, & ν. ut dictio talis ſit, quibus ſpiritus ἄνω ἕλκεται, id eſt, ſurſum trahitur. Recentiores autem quidam ualde diſcedentes ἀνέχεται ſcribunt, nullo ex antiquiorib. agnoſcente ſcripturam. de qua quidem circa finem agemus. de prioribus uero quæ tum certorum, tum confeſſorum ſunt, conſiderabimus. de quibus qui

A quod probabile eſſet, diceret, ne unũ quidem reperit: alios uero palàm conuitiantes: queadmodũ & eos qui in uocem ἀνέχεται tranſcripſerunt. ſiquidem quaſi priores ſcripturæ ſine præſidio eſſent, ad tranſcribendas eas acceſſerunt. Videtur autem mihi author ſpiritũ retrahi, uel ſurſum trahi dicere, quem ſuperius tum promptũ tum ſublimem dici aſſerui: cum uidelicet thorax inter inſpirandum partibus ſuperioribus magnam efficit reſpirationem, ita ut ſcapulæ moueri uideantur. & quam ob cauſam qui ſuffocantur, omnes hoc reſpirent pacto demonſtraui. De his item qui ſtrangulatione afficiuntur, non propter pulmonis anguſtiam, neque propter muſculorum ſummi gutturis inflammationem: ſed propter eorũ qui tum ſummo gutturi tum gulæ incumbunt, dixi. De muſculis autem ſpinalibus qui partibus anterioribus adiecti ſunt, tum alibi tum in hoc Prorrhetico libro recenſui. atq; in his quibus ſecũdum Epidemiorum librum expoſui, ubi inquit: Erant autem angina laborantium affectiones eiuſmodi. Ceruicis uertebræ ad interna uertebantur, alijs quidem magis, alijs uero minus. Exteriuſq; ceruix euidentem oſtendebat cauitatem, doloremq; qui hac parte tangebatur, ſentiebat. Erat etiã cuidam ſub ea uertebra quam dentem nominant: ſed non adeo eſt acuta. Quòd autem uertebram ſecundam totam particulariter dentem appellauit, uel ſolam ipſius propaginem illam quam non nulli dentiformem, alij planè dentem, quòd canino denti appellato ſimilis quodammodo uideatur, conſtat omnibus. Quia autem ubi dixerat: Erat autem cuidam ſub ea uertebra quam dentem nominant: adiecit quòd non ſimiliter acuta eſt, oſtendit qui hæc ſcripſit uertebram hanc periculum non ſimiliter inferre acutum. ueluti & cum in Aphoriſmis puerorum affectiones recenſens dixit: Vertebræ quæ in occipitio ad interna luxationes: non aliam intelligere oportet uertebram quàm eã quæ dicta eſt. Cum enim adiacentes partibus anterioribus muſculi uel inflammati, uel quouis modo intenſi uertebrã totam ad ſe traxerint, poſterior ſedes cauatior uidetur, in anguſtũ guttur ſummũ redigitur, & ob id ſtrãgulantur ægri. Talis autẽ angina rariſſime cernitur. Et nunc D igitur uertebra ipſa ἐγκαθίσθαι, id eſt, intrò fugere dicta eſt. Periculum autem affectus per propoſitam dictionem eſt demonſtratum cum inquit, his in fine ueluti contrahente quodã ſpiritus efficitur. In fine autem cum moriuntur ſignificat, uelut uero contrahente, quòd morientibus his conuulſiua efficiatur reſpiratio, uehementer quidem trahente thorace: ſpiritu uero uiam ſufficientem non habente, ſed per anguſtum foramen uiolenter inſpirato. Id igitur & ex uoce ἀνέχεται quidã ſignificari putantes ſcripſerunt: Quibus ſpiritus ἀνέχεται, id eſt, cohibetur.

56 Capite dolentes, cum catoche delirantes, intercepta aluo, oculoq; feroci, & floreſcentes, in ſcapulas rigent.

Supra

A Supra demonstrauimus uirum hunc signorum diuersi generis cōcursiones quas in ægro uno uel duobus conspexerit, scribere: atq; ob eam rem sæpenumero coniunctionem ἄρα, id est, an adijcit: quam si & in hac dictione adiecisset, satius fecisset dicendo, an in scapulas rigent? Nempe capitis dolor caput ipsum affectum ostendit: aduerbium uero κατόχως, id est cum catoche, cerebrū ipsum: quomodo & uerbum, delirantes. demonstratum est quoq; antea symptomata huiusmodi nequaq; controuersa esse, quo pacto existimāt quidā, fieri non posse asserentes, ut æger catocho laboret simul, & mente uacillet. Sed de his antea egi cum primā omnium enarraui dictionem, atq; eam ubi dicitur: Tremulæ, obscuræ, blandeq; & contrectabiles desipientiæ: ualde phreniticæ. B Quocirca nihil amplius de his dicendum uidetur, satiusq; est exponere reliqua duo hæc quę in præsenti dictione sunt adscripta. unum quidem quo ait, intercepta aluo: alterum uero quo dicitur, oculo feroci. Nempe intercepta aluus, id est retenta, affectionis cerebri signū proprium non est: auget tamen, & deteriorem ipsam reddit. Oratio uero, oculo feroci, de necessitate concursioni adiecta est. Nam quòd κάτοχοι proprie appellati tensos apertosq; habeāt oculos, norunt tum Archigenes, tum Philippus: non ut comatosi & cataphorici clausos. In his siquidē humiditas affectionis causa est, neruorum dissoluens firmitatē, roburq;: in illis uero propter siccitatem tensio oritur. Quidam etiā ex nostris condiscipulis, C cum assiduo disciplinarum studio se fatigaret, malo hoc correptus est. Iacebat enim ueluti lignum prorsus inflexus rigidusq; atq; extēsus, uidebaturq; oculis apertis nos ita intueri ut ne conniueret quidem: nihil tamē loquebatur. Is quoq; tempore eodem quæ loqueremur, audire se dixit, quanq; non euidenter clareq;. nōnulla item & memoria tenens referebat, præsentesq; omnes sese conspicere dixit, ita ut quorundam actiones recordatus exponeret: sed neque loqui posse, neq; membrū ullum mouere. Quare & in dicta concursione exoritur ambiguitas, quonam modo adiectum sit, delirantes. Nam in ea dictione ubi dicit: Tremulæ, obscuræ, blandæq; & contrectabiles desipientiæ, nō prorsus immotos esse ita affectos ostēdit. D Quemadmodū neq; in comate desipiētes. At in catochis prorsus immotis dementiam neq; cognoscere ualemus: sic forsan uidit catochi speciē, ut immotū quidem & concretum corpus totū esset, exiguū tamen homo quippiam loqueret, unde dignosci poterat desipiētia: uel desipientiam ueluti ducem subsecuta est catoche, scribendumq; secundum eam expositionem: Capite dolentes, cum catoche delirātes. Fieri autem potest ut secundum primam ipsius constitutionē declaret loquentibus ipsis desipiētia: completa uero catoche, non amplius loquantur ęgri. ἀνθηρὸς uero, id est florescētes uocauit eos, ut par est, sicut paulo ante ἐξερύθρους, id est impense rubentes nominauit, quod copię in capite unà cum caliditate collectæ signum fuerit. Ex qua & antecedēs capitis dolor, atq; ab hoc sequēs ὀπισθότονος, id est, in scapulas rigor. sed & hæc quidē in ipsorū generationem quis prius signum acceperit: posterius uero interceptam aluum semper capitis symptomata exacerbantem.

57 In oculorum peruersione cum febre & lassitudine rigor perniciosus: comatosiq; in his male habent.

Demonstrauimus etiā supra libri huius authorem permiscere inuicem implicareq; grauia & difficilia symptomata. de quorum singulis, per se dicendum simul erat: cum quoties plura inter se permisceantur, grauius ægris quidem ex ipsis periculum reddi, nobis uero certiorem effici præsensionem intelligere ualeamus. Nihil igitur noui dictū est. Nempe quonam in affectu peruersio oculorū fiat, quænam item lassitudinum differentiæ, & quando rigorem cōmode apparere oporteat, præterea qualenam coma sit, & quænam cerebri affectio ipsum pariat, didicimus.

58 In febribus ad hypochondrium dolores sine uoce, sudore si soluūtur, maligni. his ad coxas dolores, cum ardente febre, & si aluus profluxerit, perniciosum.

Dubitationem legentibus pariunt non obscurę dictiones modo, uerum quoq; & ex perspicuis quæ contra euidenter apparentia pronunciantur. Quędam modo utroq; ambiguitatem inferunt, in quo genere præsens dictio collocatur. Exuperat tamē in ea quòd quæ in ipsa dicta sint, minime his consentiant quæ in ægris cernuntur. Prompte igitur talem quēdam sermonē ostendere præsens dictio uidetur: in febribus ad hypochōdria dolores cum aphonia, sudore si soluūtur, maligni. At cum falsum esse uideatur, ut solutiones cum sudore malignæ dicātur, in hoc ipso primū ambiguitas quædam nos occupat. Nam quæ absq; ullo auxilio uel artis uel naturę cessauerūt affectiōes, quòd suspectam insidamq; habeant solutionē in confesso est. Quæ uero cum tali quodam qualis nunc sudor dictus est, non suspecte certeq; solutę esse uidentur. Contrario si quidem prorsus modo quoties sudore uel aliquo alio naturæ auxilio nō soluatur, morbus malignus existimatur. atq; ob eam rem probabiliter quis deficere in ea dictiōe negationem, nō, dixerit, atq; ab eo qui primus librū transcripserat, prætermissam, quomodo & alia multa sæpius in libris multis nemo negat, alia quidē prætermissa, alia uero permutata esse: nullo postea delictum emendare auso. Verus si quidem erit sermo si ita scripserimus: in febribus ad hypochondria dolores sine uoce, sudore si non soluūtur, maligni. Sed pleriq; hominum relictis tum claris, tum notis, ænigmatice dictis pronūciatisq; oblectantur. Sunt etiam qui patrocinari manifestis erratis documentum sapientiæ arbitrentur, eorum instar qui apud tribunalia rhetoris obeuntes munus, manifeste uel cædis uel talis cuiuspiam flagitij conuictos à iusta liberant pœna, iudices ipsos cum sermonum

A rudes fuerint, & ſubdolas eorum improbasq; uafritias ignorauerint, decipientes & mente uacillare facientes: ſic ſanè nonnulli in præſenti oratione ἀναύδως id eſt ſine uoce pro ἀλόγως id eſt ſine ſermone dici putauerũt: quia λόγος, id eſt ſermo in φωνῆς, id eſt uocis genere ſit. Dicitur autem apud ueteres φωνὴ non ita ſolum, uerum quoque αὐδή: atq; hoc tralatu ἀλόγως ex ἀναύδως ſignificari dicimus. Quæ autem abſq; ratione deſierunt, infida omnia & ſuſpecta exiſtunt. At cum ſermoni huic aduerſentur, & quòd tales excretiones non ſuſpectæ ſed malignæ dicantur, & q̃ non abſq; ratione cum ſudoribus ſoluãtur, ut ipſe dixit: quidam alij ſapientia ualidiores ſine ratione ſolui dicunt non ſolum quæ nullo auxilio uel artis uel naturæ leuia facta ſunt, uerum quoq; & hæc facta quidem, ſed B non pro magnitudine morbi: tanquã ſcriptor exiguum factum ſudorem dixerit, etſi abſq; ulla adiectione ſcripſerit, ſudore ſi ſoluuntur: ſubintelligẽdum autem, modico, aiunt. Forſitan uerò & alius quiſpiam audacius cæteris pronũcians, multo & immoderato ſubintelligendũ uolet. Deinde pueris tum rudibus indoctisq;, tum diſciplinæ omnis inexercitatis de ſymmetria, multa nugatus aliquis ſapiẽs uidebitur. Quòd ſi prorſus his quibus id licet, orationi, ſudore ſi ſoluuntur, uerbum, multo adijcitur, melius erat adiecta ſyllaba, nõ: & ſcripta oratione, ſi non ſoluuntur, à negotijs nos extricare. Nam hypochondriorum cum febre dolores quos ſudor nõ ſoluit, maligni exiſtunt. Reipſa C igitur oſtendi & nunc quomodo iam ſępius in obſcuris multis dictionibus nihil quidem eorũ quæ non nouimus ab ipſis doceri: ſed inſumi tempus ueluti in ænigmatis, ſi quæ nouimus dictioni accommodauerimus. Itaq; & quod in fine dictionis recenſetur, non paruã habuit quęſtionem. quare, ſi uẽter καταῤῥαγῇ, quod eſt ἀθρόως ἐκκριθῇ πολλά, id eſt, confertim multa excreuerit, letalem morbum indicabit: Nam, ut inquit Hippocrates: Deiectiones multitudine æſtimandæ non ſunt: ſed ſi talia deijciantur qualia conueniunt & æger facilè tolerat. Hic quidẽ ſermo quòd & manifeſtus ſit, & uniuerſaliter quippiam doceat, contemnitur: quæ uero ænigmatice dicũtur, ſophiſtis quidem iure affectantur, ut diſcipulos mirũ quippiam docere uideantur: diſcipulis uero approbantur pro- D pter primarũ diſciplinarũ in quibus antiqui pueros alebant, ruditatẽ. Inexercitata autẽ horum cogitatio neq; quæ dicuntur aſſequitur, neq; ueritatem in ipſis diſcernere poteſt. Nam quis ſine limitatione profluentis alui pronunciationẽ aliquam audiens, non continuo ſermonẽ incuſat tanquam nihil docentẽ? Nẽpe aluus in quouis morbo profluens ſine quidẽ coctionis ſignis, quæ ſæpius audiuiſti, nihil iuuat. ſi uero moleſtius ferentes fecerit, præter id quòd nihil iuuat, noxam etiam attulit. Cum his uero iuuat, magisq; ſi contriſtans humor uacuetur, atque adhuc magis ſi æger poſt uacuationem placidior ſit: certiusq; cum in die iudicatorio apparuerit quippiam quod per indicem diem ſignificatum fuerit. Qui ergo hæc nouit, dictam dictionẽ neglectui habet, atq; alias omnes quæ particulariũ ſymptomatum, uel morborum mentionem faciunt. Nempe in quibus aluus confertim fluit, uel morbis uel ſymptomatis, ſi cum ea quam nuper dixi fiat limitatione, ſecuram efficit cognitionem. Abſq; ea autem limitatione nunquam uerus erit ſermo qui profluentem aluum uel iuuare uel nocere aſſerit. In omnibus ſiquidem utrunque fit. At in definitis limitationibus nihil eſt dicere in hepatis quidem inflammatione uitioſum eſſe ſymptoma profluentem aluum, in alio uero quodam bonum. Verum in omnibus ut dictum eſt, & bonum & malum fit cum proprijs limitationibus.

59 Quibus uoces cum febre deficiunt poſt iudicationem, hi cum tremore & comate pereunt.

Hæc item dictio his quæ in obſcuritatem de induſtria nituntur, ſimilis exiſtit. Quidam enim uerbum, deficiunt, de ſolis uocibus intellexerunt: alij uero & febres uocibus adiecerunt, dictum eſſe quòd utraque deficiant aſſerentes: & uoces, & febres, ut ſermo talis ſit: Quibus apparente ſoluta febre aphonia fit, & poſt iudicationem: hi cum tremore & comate pereunt. febribus ſcilicet non ſine ſignis, ſed cum mala iudicatione uiſis deſiiſſe. Conſtat autem malas dici iudicationes, quæ cum naturalibus uacuationibus, uel abſceſſibus factæ non ſolum ægros nihil iuuerunt, uerùm quoque & deterius habere quàm antea fecerunt. Alij autem non uocem cum febre: ſed ſolam uocem deficere exiſtimantes, totum ſermonem ita efficiunt: Quibus uoces manente febre deficiunt, ſi id fit poſt iudicationem, hi cum tremore & comate moriuntur. Atqui rurſus impræſentiarum diſcordia alia inter expoſitores orta eſt. Quidam enim cum ex dictis tremant, perire hos aiũt tũ trementes, tum comatoſos. Alij autem comatoſos factos ita interire. Nemo autem inter eos ex rerum natura logicam ſcripſit demonſtrationem; neque atteſtantem experientiam oſtendere poteſt. Neque enim ex prædictis & trementes & comatoſi magna ex parte interire uidentur. Quòd ſi quidam rarenter tales fiant, ab arte tum prognoſticæ partis, tum prorrheticæ deſciuerunt. Non enim ad prædictiones talibus utimur, ſed his, quæ uel aſſidue, uel ut plurimum fiunt. Immo uero & his quæ dubie contingunt, non tamen raris. Nullus enim uult ſæpius animi uoto fruſtratus ſemel aſſequi quod petijt.

60 Quibus deurentia, fatuitatem inferentia, inducẽtia catochen, uariantia hypochondria, uẽtrisq; tumor cibis interclusis, cum ſudoribus, an his turbidus ſpiritus, & genituræ quippiam ſimile ſuperueniẽs ſingultum indicet? uẽtriq; tum ſpumoſa, tum biliosa procurrant? emictum in his ſplendidum iuuat, & uenter his perturbatur.

Acer-

Aceruauit iterum hoc in loco affectionum diuersi generis symptomata, in quibus nullam artificiosam doctrinam esse supra demonstrauimus. Omnia siquidem quæ in ægro sunt, contemplari, nihilque neque negligere, neque otiose inspicere oportet: singulorum uero horum uires seorsum discere conuenit, ut confestim uerbi, καυστικά, id est deurentia: quod primum omnium dictum est. Nempe intelligi possunt affectiones causticę, id est deurentes, quasi calidas & urentes dixerit. possuntque & eiusmodi intelligi excrementa, quorum uirtus est morbū & acutum & uelocis iudicationis reddere, præterea & periculosum si uehementer talia fuerint. μωρωμένα, id est, fatuitatem inducentia uocat quæ μώρωσιν, id est, fatuitatem menti inducūt. Ea autem est symptoma citra delirium ægros naturalibus fatuis similes reddēs, quales etiam ex ijs qui dicuntur consenescere nonnullos fieri nouimus. Cui pathemati simile quidē est, quāquam non idem, quod uocāt ἄγνοιαν, id est ignorantiā. de qua & Thucydides scripsit in his qui ex peste seruati sunt, hoc pacto: Ignorauerunt que tū seipsos, tum familiares. Quo autem modo differat τῆς λήθης, id est, ab obliuione, nō est ut in præsentia cōsideremus necesse. Cum autē κάτοχα, id est quæ catochen uocatā inferant, intelligamus, alij morbos stabiles, firmosque, & ueluti hærentes appellata esse catocha dicunt, uariantia, item assiduas cōtraria in symptomata permutationes facientia quidam intellexerunt: separantesque à uoce hac, hypochondria, uno contextu legunt, uentrisque tumor. Alij autem uno etiam contextu legentes, uariantia hypochondria, per se rursus legūt, uentrisque tumor. aiuntque, uariātia, de hypochōdrijs dici. Nam ut antea in his quæ in toto corpore ad contraria fiunt transmutationibus dixerūt, sic in hypochondrijs fecerunt. Qui uero totam hanc copulant dictionem, hypochondria uentrisque tumor, significari aiunt eos qui præter naturam his partibus intumuerunt. quomodo & per orationem, cibis interclusis, cuius deinceps meminit: nonnulli quidem cibos auersantes dictos esse aiunt, ac si dixisset, à ciborum exhibitione exclusos: alij eos qui uentrem habent retētum. Nempe & in libro De uictus ratione in morbis acutis uocem hanc de deiectionibus dictam esse aiunt. Præfatus igitur hæc omīa qui librum hūc scripsit, adiectoque in calce, cum sudoribus, (quod & ipsum totius corporis sudorem exiguum ueluti humiditatem significare potest, uel eum qui thoracem & caput solum occupat) his superintulit ęnigmaticam magis quàm ea ipsa, dictionem, inquiens: An his turbidus spiritus, & geniturae quippiam simile superueniens singultum indicet? Nempe et hic θολερὸν πνεῦμα, id est turbidum spiritum, ueluti iam antea, ambiguum habere intellectū reperimus. At in ea quidem dictione turbidum spiritum ab eo de expiratione dictum esse ut enarratum est, uerisimile uidebatur. Nunc autē & ipsum de ructibus dictum esse quidam nos existimare iubēt, quomodo alij de flatibus; diximusque antea uerbū θολερὸν, à qui-

A busdā δυσώδες, id est graueolēs, & ab alijs ἀτμώδες, id est uaporosum intelligi. quomodo & θαλερὸν quidam per α, scribētes, id est ueluti, θάλλον id est germinās, & ἀκμάζον, id est florēs, & μέγα, id est magnū, dictum esse aiunt. Prædixi quoque & Hippocratem sæpius in libris qui omnium doctorum consensu ipsius legitimi censentur, alias alibi difficultatis spirandi differentias cum enarrarit, in secūdo & sexto omnes deinceps, nusquam tamen turbidum nominasse spiritum. sicuti neque turbidum singultum, neque turbidum flatum, neque aliud quippiam tale. Magis etiam ænigmatice & hoc geniturae quippiam simile superueniens, dictum est. siue urina fuerit, siue deiectio. Post hæc & quam ob causam adiecerit singultum significa-

B re & turbidum spiritum, & geniturae quippiam simile superueniens, difficile est reperire. Nempe in symptomatum causis singultum fieri demonstrauimus, cum uenter ad excernenda ea humida, quæ tunicis obstinatius adhærēt, mordentesque habent uires, excitatur. Non contentus autē author symptomatū multitudine, deinceps adiecit: uentrique tum spumosa, tum biliosa προδιέρχεται id est procurrant. quod & ipsum rursus bifariam scribunt, alij quidem in prima syllaba σ, adijciētes, alij auferentes. quòd si adijciendum sit, tempus prædicto succedens significabit: si uero auferendum, quod præcedit. Non est tamen par neque simile alterum alteri succedere, aut præcedere. Nempe quod præcedit signum futurę erit excretionis:

C quod uero excernitur à pręcurrente nunciabitur. Cum igitur tanta in his omnibus existat obscuritas, neque ex his quæ post ipsa inferuntur, licet quippiam ad præsentium explanationem accipere, sicut neque ad illa: inquit enim, emictum in his splendidum iuuat. Duplex autem & in hoc sermone est obscuritas. una quidē est quidnam λαμπῶδες, id est splendidum significat: scriptum quidem ab aliquibus per duplex ππ. ab alijs uero per μ, & π. Altera uero in hac oratione, in his. Nempe in quibus dicit: an prædictis accōmodabit, an ultimis? & quibusnā ultimis? possunt siquidē etiā ultima dici omnia quæcunque post principiū dixit: An his turbidus spiritus, & geniturae quippiā simile procurrens singultū significat? an sola hæc ultima dixit: uentrique tum spumosa tū biliosa procur-

D rant? Præterea his omnibus in fine adijciens, uenter his perturbat, atque hic sermonē absoluēs nullius gratia uidetur eorū quæ in principio sunt meminisse. Nempe fatuitatē inferentia, & inducētia catochen, magnam membri principē animæ partem habentis noxam indicantia frustra dici uidentur, & sine deurentibus quidem interficere ualentia, cū illis uero magis. At certe nihil de morte dictum est, sicut in alijs antea non paucis: sed adiectis uariante hypochondrio, uentris tumore, & cibis interclusis: copulato insuper cum his sudore, an his (inquit) turbidus spiritus & geniturae quippiam simile superueniens singultum indicet? quibusnam his? quibus prædicta omnia symptomata insunt. Atqui si cū his omnibus turbidus spiritus

factus unà cum excretionibus genituræ similibus singultum indicat. Quodcunque ergo uel unum ex dictis deficit, singultus non erit: Et forsan quis semel in annis pluribus talē cernit ægrum. Quod autem dictorum omniū est absurdissimū iam tibi referam. Cum multos ægros sim contemplatus & mille futura præfatus, neq; tamen experimento signis ex talibus singultū adfuturū noui, neq; ex rerum natura indicatiue uel ipse inueni, uel in scriptore aliquo legi. sed præsens dictio, ei quod in ludo prouerbialiter dicitur, similis est: parturiebat mōs, & murem peperit. Multa siquidem ubi recēsuit pathemata, alia quidem summe perniciosa, alia his minus, alia uero mediocria, singultus prædictionem prius scripsit. Deinceps splendidum, inquit, in his emictum iuuat. Sed quibusnam his inquit? deurentibus scilicet fatuitatem inferētibus, uel inducentibus catochen, uel quibus uariantia hypochondria, & uenter intumuit, uel cibos auersantibus, uel quibus aluus retenta est, uel quibus sudor, uel quibus turbidus spiritus, uel quibus excretio geniturā repręsentans, uel singultientibus, uel quibus uenter spumosus & biliosus προδιῆθεν, id est procurrit: quoniam & hoc ipsum bifariam scriptū est cū σ, & sine σ. congruitq; unūquodq; dictorum. Aut enim quibus singula ex relatis adsunt, aut quibus oĩa, dictum esse accipere oportet. Nempe uox, his, singulis apte cohæret, quapropter omnino simul intelliguntur, etsi dictum non fuerit. Nempe & unumquodq; horum iuuat

A splendidum emictum. atq; etiam si duo, & tria, & plura concurrerint, auxilium his præbet. Mirum autem fuerit tot pathemata diuersas differentesq; aliarum atq; aliarum partium sequentia affectiones cum splendido iuuari, prorsus quidem spumoso existente, si utiq; album quod in urinis innatat, splendere nouimus. Omnes autē spumosum inquiunt appellari: facta utiq; spuma cum flatuosa substantia, uel crudis pituitosisq; humoribus, uel pinguitudinis tabi ammista fuerit, ut ne dicā q̃ limitatione opus habet hæc pronunciatio, tali qualem etiam circa dictionem pręcedentem hanc, de his quæ iudicatorie excernuntur, dixi. Omnia siquidem tum bonarum tum malarum iudicationū cōmunia distinguuntur, præsertim quidem & pri-
B mis coctionis signis quæ perpetuo bonum quippiam indicant: sed cum ipsis, ut dixi, facili scilicet tolerantia: contristantis humoris uacuatione: & diei quo hæc fiunt fiducia & securitate: pretermissa à nobis inuestigatione an non λαππῶδες scriptum per duplex ππ significet λαμπῶδες quod per μ & π quidam scribunt. Vt enim per has literas scriptum ἀπὸ τοῦ λάμπης, ita λαππῶδες ἀπὸ τοῦ λάππειν appellatur. Hæc igitur omnia congesta sunt ueluti ænigmata etiam siquis omnia percurrerit. Scripti etiam in calce ueluti epodi, Et uenter his perturbatur, ratio afferenda non est. Neque enim ratio neque experientia eorum quæ ut plurimum dicta consequuntur, uentrem perturbari
C ostendunt.

CAPITA LIBRI TERTII COMMENTARIORUM GALENI IN Prædictiones Hippocratis.

GALENI IN PRIMUM PRORRHETICI HIPPOCRATIS COMMENTARIUS III



1 Vibus coma spumosis prodeuntibus oritur, febris accedit acuta.

Primam omnium præsentis libri dictionem ab expositiōe libelli cui titulus est, De comate secundū Hippocratē, scripsi. In quo significatū uocis huius, delationem in somnū esse ostendi. uigilare quidē apertis oculis nequeūtibus comatosis, at nō prorsus dormientibus ubi eos clauserint, atq; interdū uigilantib. Docui aūt id significari per ea quæ Hippocrates in cōfessis germanis libris, tum primo tum tertio legitimorum Epidemiorum recensuit, ex ijs, quæ simul cum comatis nomine explicantur, uel apparent, uel quouis modo quis nominare uoluerit. Solum enim hoc pacto significatum ab unaquaq; uoce reperitur. Nec tamen hoc in libro fieri potuit hucusq;, ut quod à comate significat per ea quæ simul explicant inuenire: dictionib. nempe omnibus ænigmatice pronūciatis: imò neq; in
D sequētibus fieri potest, ut quod significat, per coordinata ipsi nomina inueniatur. Quo fit, ut in obscuris dictionibus securius existimauerim uocem eam ita intelligendā, ut usus est Hippocrates. Esse autem cataphoram, id est in soporem delationē, ut in quibusdam docui cōmentarijs, atq; ijs, quos De affectis locis cōfeci: interdum quidem grauato ob utilis succi copiam cerebro, ut in ebriosis: interdum uero & propter pituitosum humorē: uel & propter ægre separabilē absq; humore frigiditatem. Cum autem uigilantiæ coma iunctū fuerit, succi mordentis permistione fieri affectionē hanc ostendi. In libris igitur Epidemiorum, siue ex coordinatis, siue ex his, quæ simul enunciantur quis nominare uoluerit, demōstratæ sunt comatis differentiæ. atq; unà demonstratū est Hippocratem distin-

distincte, interdum quidem profundum coma, interdum uero somniculosum, & interdum uigilās, uel quippiā tale dixisse. In pręsenti uero libro neque ex eiusmodi distinctiōibus, neq; ex coenunciatis differētiam comatis intelligere, neq; ex his certam compertamq; constituere prænotionē ualemus. Vbi igitur uel desipiētiam, uel phrenitim, uel fatuitatē, uel catochen in ea quam scripsit concursione pręedicit, differentiam comatis scire commodum existit. In præsenti uero cōcursione, prorsus inutilis existit talis notitia. ut enim libri huius autor in cæteris concursionib. nō pauca symptomata in eam quam pronunciāt prædictionem, nihil cōferētia adiecit, pari modo & nūc inutilis est ad præsentem iudicationē mentio comatis. Nempe febrem in spumosis deiectionib. proritari ego quidē perpetuo uidi. singuli uero alij eorū quæ ipsimet uiderunt, reminiscantur. nō tamen in comatibus febres omnino accedunt. Sed fortasse quendam uidit comatosum simul & spumosa deijcientem, deinde febrem accedentem, atq; ob id coma inuadēti febris accessioni conducere putauit. Vocaui autem planè spumosam deiectionē quomodo fecit Hippocrates in Prognostico inquiēs: Deiectio autē si ualde aquosa fuerit, uel alba, uel pallida, uel admodum rubēs, uel spumosa, mala hæc sunt omnia: atq; in Epidemijs sæpiuscule. Quidā interpres libri huius dicebat Hippocratem uocare ἐπαφρα quæ spumam sursum uectam habent, tanq; fluxilibus quibusdam existentibus, uel deiectionibus, uel urinis, uel succis: in quibus spuma poni alio ordine apparet. Quare aūt in solis febribus ad instar ignis urentib. spumosum deijciat, dixi sæpius. sicuti & q usitata nomina permutare studiose contēdat qui librū hūc scripsit, quanq; id facere nequiuerit. significata itaq; permutādo, simul & horū syntaxin, id est constructionē ordinationēq; suo arbitrio statuēdo, figuras cōmittit solœcas. quòd si nō syntaxin appellare lubet, potes eam synthesin, id est compositionem uocare.

2 Si ex capitis dolore aphoniæ fiant, atque cum sudoribus febrientes soluantur, & mala repetant, diutius perdurant. & superrigere his malum non est.

D Discordia quædā nō parua inter dictiōis huius expositores orta est, alijs aliter eam exponētibus. Ego uero quæ ex dictis in ea ueris adiungere potero, facere id conabor. Quod autē reliquum est, non mea, sed obscuritatis scriptoris culpa existit. Nempe q uiri eiusmodi qui adhibita multa diligētia quæ dicuntur, & declarare, & defendere uolunt, omnes male fidem reperiāt, scriptoris est culpa. Videntur aūt mihi ex dolore capitis aphoniæ ob id dici, q capitis dolorem uelit signum esse affecti neruorū principij, nō aūt localē ipsius aphoniæ affectionē. quales fieri sæpius cōsueuerūt uel propter tensionē uehementē, uel propter uocificorū tum musculorū tum neruorū exolutionē & laxamentū. Oratio aūt hæc, cū sudoribus, tenuis humiditatis copiā, uel retētricis facultatis exolu-

A tionem indicat. hæc autem, χαλῶντι ἐφ' ἑαυτῶν, id est soluantur (siquidem ut quamplurimi expositorum intellexerunt, de ijs scilicet, quæ præter uoluntatem excernuntur, ita & nos intellexerimus) uel mentis ostendet læsionem, uel sedem claudentium tum musculorum, tum neruorū. Si uero uerbum χαλᾷν, ut nōnulli existimant, de affectione exponatur, quod est moderatiorem ipsam efficere, & remittere, ob sudores quidem, inquiunt illi, morbum diuturniorem fieri continget. Ob eam causam prætermittūt hi uerbi ἐπανιόντα, id est & mala repetāt, expositionem: quoniam idem dicere cogerentur, quod in uerbo χαλᾷν antea dixerunt. Ob id igitur permutantes ε literam, scribentesq; ον, in ea quæ finē præcedit syllaba, ἐπανιόντα

B dici aiunt, declarantes per uerbum ἐπανερχόμενα νοσήματα. Vocant autem ita morbos qui parum quidem remittuntur, moderatioresq; fiunt, sed rursus accessione repetūt. Si uero oratio χαλῶντι ἐφ' ἑαυτῶν, de inuoluntarijs deiectionibus dicat, totus sermo talis erit: Si ex capitis dolore aphonia fiat, febriente ægro cum sudore, & absq; arbitrio superflua excernunt: & si repetitio quædam symptomatum pari modo fiat, indongius mutantur morbi eiusmodi tempus. Quòd autem in dictis grauibus symptomatis nō dicendum erat solum q morbi protraherētur, sed ante hoc an sperandum esset seruādos qui ita ægrotāt, an morituros, cōstat omnibus. Prætermittēs autem hæc scriptor de diuturnitate tantum explicauit. Sed rur-

C sus rei huic aduersāt quod in calce dictionis narratur, Superrigere his malum nō est, in quo quidam erratum esse dicunt. Nam, malum, sine negatione: non cum ea, non malum, scribendum fuit. Concessa uero ea, quę in exemplaribus omnibus cum negatione reperitur scriptura, iure inquiunt rigorem dici nō malum esse, propterea q exolutam excitet naturam. Quòd autē exoluta sit, tum aphoniam, tum inuoluntariam superfluorum excretionem, tum sudores id ostendere.

3 Quibus manus tremulæ, capitis ceruicisq; dolores, subsurdiq; fiūt, & nigra densataq; meiunt, his uentura expectare nigra perniciosum.

Capitis dolor caput his affici, ueluti & sensus auditorij læsio cerebrum ipsum, ostendit. quo fit ut & colli dolor & manus tremulæ neruorū principium offensum esse portendant. Quòd uero nigræ urinæ principij alterius affectionem indicēt, sæpe est dictum, fitq; hoc propter uehementissimam caliditatem. Vrinæ uero densatæ ex eorum sunt numero, quæ ad obscuritatem tendunt, ueluti & alia libri huius multa, adeo ut in præsentiarum quoq; nugari possint quibus id placet. Nempe Hippocrates in Prognostico differentias urinarum omnes quæ in acutis morbis fiunt, enarrans, nullam de densis mentionem fecit: sicuti neque in Epidemijs, neq; in Aphorismis. At qui talia quidem pronunciare audent (de quibus notitiam exquisitam habere non possumus, neque si

habuerimus, plus aliquid ijs, quæ scimus, habemus) uere autem commoda non agnoscunt, inæqualem habere superficiem aiunt urinas densas, eminentijs scilicet tum paruis tum albis ueluti capillis exasperatas. Suntq; inter hos nonnulli, qui spumosas tales urinas esse dicant: spumam scilicet tenuē in superficie inæqualiter dispersam habentes. alij uero crassas quidem eas duritiem in superficie sabuli instar ualde tenuem obtinētes. Sed sanè percurrētibus omnia hæc nobis nihil commodi accedit. Nempe autor ipse ad dictionis calcem uentura expectare nigra, scripsit: & huic rursum ipsi adiecit, perniciosum. Dixit uero antea nigra meiere ægrum. quare spes uēturorum nigrorum de his relinquitur, quæ uel deijciūtur, uel uomuntur, intelligenda. superfluum autē existit illa expectare gratia prædictionis eum qui perniciosiora uidit signa, urinas scilicet nigras. Adde quòd neq; perpetuo, neq; utplurimum nigrarum urinarum excretionem consequuntur per uētrem uel uomitum nigra. Eamq; ob causam uidetur Dioscorides subnigras tales scripsisse urinas, sub, præpositionem adijciens, ut prorrheticum quippiam tametsi exiguum sermo haberet. Superuacanea autem prorsus erit cæterorum symptomatum adiectio. Nam subnigræ urinæ, ut nigræ fiant inclinationem habentis febris speciem expostulant, quę certiorem definiat prædictionem: aliud uero nihil. Si enim abunde tum acris, tum ignea febris fuerit, subnigræ urinæ in nigras promptè transibunt: si uero non talis neq; magnopere ignea fuerit, huic tremulæ manus erunt, ueluti & dolor capitis, subsurditas, & ceruicis dolor. Hæc etenim omnia phrenitica sunt signa.

4 Quæ cū exolutione fiunt, & catocha, aphoniæ, perniciosæ sunt.

Rursus hoc in loco particularem scripsit sermonem, ueluti & antea, cum dixit, Desipientiæ pessimæ. communiter autem talibus omnibus inest, quod & idiotis ipsis patet, ut magnæ uehemētesq; affectiones uirtute languētibus perniciosæ fiant. sed quod ibi prælanguētium dixit, id in præsentiarum cum exolutione dixit. Potest autem quispiā & cum exolutione uel infirmitate, uel imbecillitate inquiens, multitudini, indoctisq; quasi aliud quippiam dicat, præbere opinionē. potest quoq; & de particularib. affectionib. ita agere, ut interim alias alia dicere uideaē. Nam & peripneumoniæ & pleuritides quæ cum uirtutis fiūt imbecillitate, omnis itē huiusmodi fortis affectio perniciosa est. Si eñ neq; ex ipsis qui uirib. ualēt omnes seruanē, ꝙ nemo ex ijs qui imbecillam habēt uirtutem, seruari possit, liquido cōstat omnibus. Hoc igitur in loco duo symptomata quæ cerebri læsionem cōcomitātur, memorauit. quorum qui uel alterutrum tantum dicit, uera loquitur. Nam catochæ cum exolutione prauæ sunt. Aphoniæ item cum exolutione similiter his habent.

5 Lateris dolor ex sputis biliosis si absq; ratione euanuerit, in furorē aguntur.

Sermonis quoq; huius uniuersale sæpius dictum: ꝙ scilicet omnia sine ratione euanescentia, malum quippiam portendant. Adest quoq; & in præsentiarum particulare aliquod malum, quod ex biliosis sputis in pleuriticis affectiōibus repente euanescentibus fit, neq; tamē perpetuo, neq; sæpius: sed cum biliosi humoris ad caput ipsum trāsitus factus fuerit, tunc solum ἐξίσανται, id est in furorem agūtur. Atqui sueta iam enunciatione usus qui librum scripsit, alienam fecit dictionem, cum nō habeamus cuinam orationem, in furorē aguntur, ordinemus componamusq;. Nempe quātum quidem ex dictione est, lateris dolori adiūgimus: dicēte utiq; ipso, Lateris dolor absq; ratione si euanuerit, in furorem aguntur: ualde uero improprie dictum fuerit, Lateris dolor absq; ratiōe si euanuerit, in furorem aguntur. Nam & si pro ἐξίσανται scribamus ἐξίσαται sine ν, syllaba quæ finē pręcedit per sola τ & αι scripta, nō minus & sic absurda fuerit interpretatio, atq; priore longè deterior. Nempe in illa ab affectionib. ad ægrum per solœcismum transiē. Hoc autem ἐξίσαται tametsi absq; ν enuncieē, ne sic tamē prorsus quid prius illud significet inuenire queas. Cæterum secūdum naturam dixisse licebat, Lateris dolore ex biliosis sputis absq; ratione occultato, ægri ἐξίσανται, uerbo illo uidelicet significante demētiam uehementem & maniæ participem.

6 Ex ceruicis dolore cū comate & sudore uēter inflatus, si ad necessitatē liquida dimiserit sublutus, ex his bile carētia in ecstasin agūtur. Talia aūt si seruētur, diutius æger laborabit. An & his bile carētes proluuies mitiores meliorisq; moris existant, & flatuosum adiuuerint tumorem?

Aceruātur quoq; in hac dictione dissimilis generis symptomata. Ceruicis etenim dolor cum comate morbosam in cerebro affectionē esse ostendit. Sudor uero tanquam symptoma & non iudicatorius, aut redundantiam, aut retētricis facultatis imbecillitatem indicat. Venter autem inflatus eam ipsam partem affectam esse indicat, uentrem scilicet. Ad necessitatem autē liquida demittere, sublutumq; id facere, iecur ostendit affectum. ἐξίστασθαι aūt quod est παραπαίειν σφοδρῶς, id est ualde desipere, eos ait, etsi nullū fortis desipiētiæ, quam ἔκστασιν uocant, signum effectum fuerit. Dictū est enim comatosam cerebri tātum affectionem esse ecstasi cōtrariā: nisi quis ceruicis dolorē signum ecstasis esse dicat. quod neq; simplicem desipientiam absq; signorum aliorum coniūctione significare potest. ut sunt uigiliæ, capitis dolores, ferox oculus, respōsio audax, somni turbulenti, aut aliqua in sensibus uel motionibus arbitrarijs offensa. Iure igitur quidā pro ἐξίσανται, id est in furorem aguntur, ἐφίσανται, id est cohibentur, de alui excrementis dici aiunt. atq; melius copulari illis, ut ita cōtinuetur dictio: Venter inflatus si ad necessitatem liquida demiserit sublutus, ex his bile carentia

tia excremēta cohibentur. Post hęc uero inquiēs: Talia autem si seruentur diutius æger ægrotabit, tandem scripsit: An & his bile carentes proluuies mitiores melioris q; moris existūt? & quod flatuosum est tumori adiuuerint? quasi ita dixerit, & flatuosum tumorē adiuuerint? quod rursus idem in significatu potest quod & flatuosis tumoribus opē ferre. Quòd si aliena tibi uideatur cōstructio, ignoscendum est ijs, qui ita enarrāt. Permulta siquidem talia libro in hoc uidentur pronūciari nōminibus insusitatis. Iure autem optimo inuestigare uidet̃ an bile carētes proluuies tales iuuent tumores? flatuosos non à bile, sed à frigidis humoribus substātia aquosis & flatuoso spiritu fieri cōijciēs. Secundū hanc igitur expositionē consentire hæc inter se uident̃. & nō perperā à quibusdam scriptum est συνίσανται uel ἐφίσανται, id est consistunt uel cohibentur, de alui excrementis: & melius utiq;, cohibentur. Quia enim bile carēt, ideo cohibentur. Atq; ad necessitatem uix demittunt̃: hoc est cum medici auxilio: superflue autē inter initia coniunctum esse uidetur, ex ceruicis dolore cum comate, & sudore: nullo pacto uetris symptomatis cohærens quadransq;. Quo igitur modo concursiones alias multas in uno uel duobus contemplatus ad eas scribendas peruenisse est uisus, ita & nūc fecisse est uerisimile nō præscripto ægrotantis nomine, ut in alijs fecit. Et si res ita habet, fieri potest, ut in principio quidem morbi copia quædā humorum, & temperatura frigidorū, & substātia tenuium particulas circa caput ceruicemq; infestauerit: defluensq; in uentrē & flatuosam in eo molem pepererit, & deiectiones tum tenues, tū aquosas fecerit, atq; ob id manētes in uētre & nō penetrātes quo penetrāt modo, quæ tū biliosæ, tum mordentes existunt. Cæterum nō parum interest an autore libri quæ cuipiam euenerunt narrante causas nos reddere eorum probabiles tentemus, quemadmodum in opere de Epidemijs fecimus, an ueluti uniuersales sermones expendere. A capite enim ad uentrem defluere potest humor, ueluti & in fauces, gutturq;, & pulmonem, & thoracē, & septū transuersum, & lienem, & hepar, & quiduis aliud, ueluti & ex unoquoq; horum rursus ad caput deferri. Sed ꝙ uel perpetuo uel magna ex parte in unum dictorū permeatio fiat, falsum existit. id quod plurimæ libri huius dictiones ostendunt in quibus simpliciter enunciatur absq; adiectione cōiunctionis dubitatiuæ, uel nominis ægrotantis: uerū in hac dictione inquiens, an & his acholæ proluuies εὐηθέστεραι, id est melioris moris existāt? sese haudquaq; sermoni uniuersali confidere declarauit. εὐηθέστεραι aūt significat quidē & κακοηθέστεραι, id est maligniores, & sæpius in hoc significato pleriq; ueterū usi uidētur. uerum & εὔτροποι significat, id est mitiores, & ut uertant̃ promptiores. usi siquidē sunt & hoc significato quidā ex antiquis, iuxta quod & nūc dictū esse uidet̃. Nempe id cōmonstrat quòd in calce dictionis dictum est, adiuuerint?

7 Ventris circūtentio ad necessitatem li- A quida demittēs, cito intumescēs, cōuulsiuū quippiā habet, ut Aspasii filio. superrigere his letale, cōuulsusq; ex his & inflatus diutius ægrotabit, superuenietq; in ore putredo uiridis.

Quòd medicinalis speculationis doctrina ab Hipp. in legitimis omnibus libris per uniuersalia facta sit, atq; aliquando particularia quædam gratia exempli ad eorum qui discunt perspicuitatem ab eodem exprōpta sint, antea exposuimus. Sed quoniam non satis est præcepta uniuersalia condiscere, ut & prompte in operibus absq; exercitatione dignoscantur, ob id gratia exercitationis ęgros in Epidemijs scripsit. in quib. nihil eorū quæ his contigerunt est omissum. Quòd uero quæ à B Prorrhetici autore emanauit doctrina nō habeat uniuersale nisi utiq; rarēter, iam sæpius est ostensum. Deficit quoq; & ea ab exquisita illa particulari explanatiōe quæ in Epidemiorū ægris descripta est, ubi primū quidem si quoquo pacto causæ præincipientes indicare ualeāt indicat, recensens si quis, uerbi gratia, uel ex laboribus, uel exercitationibus intempestiuis uel ebrietate ęgrotare cœperit. deinde ꝙ primo quidem die hæc circa ægrū cōtigerūt: & secūdo alia, & ita tertio, & quarto, & deinceps omnia quæ facta sunt, explicat: his qui ab ipso didicerūt præceptionē uniuersalē consentaneam ijs esse quæ in ægris apparuerunt, ostendens. ducitq; simul interdum is ad exercitationem, ut in horum explicationibus ostēdimus. C Qui uero ægros in hoc scribit libro, ab huiusmodi explanatione ex quibusdam semel uisis iā uniuersalia præcepta cōstituere intēdit, nō parum in multis errās, ut in hoc quod alteri factum est, alteri attribuit: quomodo & nunc. Nempe ubi Aspasii filio uētris symptomata solū scripsit, ea cōuulsionis quippiā habere ait. Tria aūt sunt ab eo scripta symptomata. unū quidē est uētris distētio. alterū ad necessitatē ὑγρὰ χαλᾶν, id est liquida demittere, quod in quibusdā διαχωρεῖν, id est deijcere dicere cōsueuit. tertiū ab ipsis est cito intumescere. significat aūt cū hoc ꝙ uēter minuat̃ forsan ex liquidis deiectiōibus. Nēpe mox post ipsas dictū est cito intumescēs. Solis aūt his symptomatis D iunctam conuulsionem quandam si quis in ita ægrotante homine prædixerit, falletur sæpissime, uerum aliquādo uel etiā in paucis semel uoti fiet compos. Is quoq; qui hæc scripsit, ubi dictis nunc uentris symptomatis similia in antecedēte dictione commemorauit, de conuulsione nullum fecit sermonē, & si ceruicis dolorē factum cum comate dixerit. Ita autem habet oratio: Ex ceruicis dolore cum comate & sudore uēter inflatus, si ad necessitatem humida demiserit sublutus. Quod igitur symptomata uentris hæc similia illis sint, quæ nunc sunt dicta, liquido cōstat omnibus. Sed præter hæc ceruicis adiectus est dolor neruosę partis & prope cerebrum sitæ & dorsalem medullam continentis, cum hoc quòd cerebrū iam erat affectum. Nempe comatosum illius symptoma uerisimilius

ſimilius erat in ita laborante ſcriptũ eſſe quàm habere conuulſionem quandam in præſenti. in quo fieri poteſt, ut ſymptoma aliquod aliud conuulſionis indicatorium factum ſit, quod in expoſitione omiſit, niſi ipſum ſuperrigere, in ea dictũ, quis conuulſionis ſignum eſſe exiſtimauerit. quod ſanè et ipſum à quibuſdam expoſitoribus eſt dictũ, qui quotidie tertianos quartanosq; circuitus quibuſdã cum uehementiſſimo rigore fieri nihil conuulſionis habentes non uident. Verum qui talia ſcribunt, adeo in re medicinali ſapientiſſimi ſunt, ut rigorem neruorũ affectionẽ eſſe ut conuulſionem tremoremq; exiſtiment. Neq; ſanè cur Aſpaſii filius conuulſionem paſſus ſit, poterit quis dicere, nõ ſcriptis omnibus, quæ ipſi contigerunt. neq; cur χλωρὰ, id eſt uiridis putredo in oris locis facta ſit. ſucci etenim uitioſi ſoboles ſunt eiuſmodi pathemata. quam unde aliquando aceruauerit eſt incertum: cum quonã pacto cibatus ſit, ignoremus. Neq; uero quæ in ipſius uẽtre facta ſunt, putredinoſi & ſucci uitioſi ſignũ præferunt. adde ꝙ neq; quamnam dicat putredinem uiridem manifeſte cognoſcitur: quoniam χλωρὰ & quæ æruginеum & pallidum habent colorem, uocitant.

8 Quibus lumborũ tenues & diuturni dolores ad hypochondrium eũtes, & ciborum auerſio cum febre, dolor his ualẽs contentusq; ad caput perueniens, cito cũ quadam conuulſione perimit.

Siue ὑπὸ λεπτὸν, id eſt ſub tenue, ſiue παρὰ λεπτὸν, id eſt iuxta tenue ſcribatur (utroq; eñ modo ſcribunt) multam habet obſcuritatẽ. Eam ob cauſam quidã ὑπὸ πλευρὸν, id eſt ſub coſtã. Qui ergo ὑπὸ λεπτὸν uel παρὰ λεπτὸν ſcripſerũt, ſententiis ſunt diuiſi. Nempe alij tenue inteſtinũ dici aſſerunt, alij latum os & ſacrum appellatum. Sunt qui horum tertium quippiam fecerunt, ita ut ſimul utrunq; dicant, rationemq; ſimul iis quæ inferũtur, adiungant. Nempe à iecoris ſuperficie uenæ propagines ſciſſurasq; plurimas in meſaræo fieri aiũt. quibus affectis lumborum dolores non continuos, ſed tenuibus quibuſdã interuallis infeſtantes ſuccedere. quos ad dextrum hypochondrium in iecoris portas tũ reduci tum contrahi & ueluti conuelli aiunt, ubi uelut radicem eſſe affectionis uena hac unà cum propaginibus omnibus inflammata admonent. Quare autem ita intelligendum ſit uerbum γριφόμενα, id eſt griphi modo euntia, prætermittũt quidem hi, ſed quidam alij παρὰ τὸν γρίφον nomen accepiſſe aiunt. uocatur autem ita rete quoddam piſcatorium, non, ut hi exiſtimant per φ ſcriptum (nempe aliud uocis huius ſignificatum exiſtit) ſed per π. Quare quidã in præſenti dictione ſcribũt γριπόμενα. alij inuolutas membranas γριφομένους dici ex conſuetudine inquiũt, cum quis digito diduxerit diſcreueritq;. Atq; ob id per metaphorã dolores qui morſis perroſisq; fiunt, γριφομένους uocatos. alij & à principio dictionis dictum eſſe aiunt lumborum tenues diuturnosq; dolores, quaſi hoc pacto dixiſſet: dolores

A παρὰ σμικρὸν, id eſt exigui minutiq;, quod eſt imbecilli. Condonantes igitur tum iis qui ita exponunt, tum his qui portas iecoris pati aſſerunt, recte dicta eſſe omnia (nam ciborum auerſionẽ argumẽtum quoddam affecti iecoris eſſe inquiũt) ab eo quodnam ex ſic dictis futurũ ſit nobis emolumentum audiamus. Inquit enim orationis ſcriptor: Dolor his ualens contentusq; ad caput perueniẽs, cito cũ quadã conuulſione perimit. Num igitur admonẽt nos, ut ſequentia hæc omnia prædicamus: nempe ꝙ infeſtantium cõmutatio non ſolum in caput, uerum quoq; & in quãlibet aliam partem ſiue meſenterium, ſiue & hepar pati uelint, fieri queat, condonet quis. At certè quonam pacto commutatio fiet, prænoſſe poſſibile nõ eſt,

B priuſquam peculiaria parti ſymptomata adſint, quanquam dum fit cognoſci queat. & præſertim cum quæ prius infeſtabant, conſederint. Quinetiam cõmutationes eiuſmodi in ægrotis, in Epidemiorum libris ſcriptæ ſunt, qualis & nunc ſcripta eſt. Nam ſi quibuſdam dictis uentris ſymptomatis poſtea repente occultatis doluerit uehementer in capite æger, dixerimus utiq; in ipſum commutationẽ factã: neq; tamẽ quid factura eſſet, certo licebat dicere prius ꝗ aliquod aliud ſignũ compareret, uel cataphoræ, uel delirij, uel cõuulſiõis. nẽpe & id fieri poteſt. poteſt quoq; & natura morbo robuſtior inuẽta ſanguinis per nares eruptionem moliri, uel parotidas ſuſcitare. didiciſti ſiquidem horum omnium incipientium eſſe ſignum.

C ſed prius ꝗ incipiant capitis dolorem ſolum exiſtentem ſuſpicionem quidem omnium præbere, certam uero nullius ex ipſis prænotionem.

9 Superuenientes rigores & nocte magis quodammodo exacerbantes cum uigiliis & uenarum agitationib. in ſomnis, atq; urinas præter arbitrium excernentes in comatoſas aliquando finiũtur conuulſiones.

Libri huius autor, ut in ſingulis dictionib. uel nomen aliquod inuſitatũ, uel compoſitionẽ inueniret, magnopere laborauit. quomodo & nũc utrunq; fecit. At quæ in ſingulis dictionib. inuſitata ſit cõpoſitio, trãſeunte eò uel ab affectionibus ad affectos, uel ab affectis ad affectiones, prætere

D unda nobis eſt, propterea ꝙ, quantum in ipſis eſt nullam ſermo ſit habiturus perſpicuitatẽ. In præſenti uero dictione φλεβοδονώδεα nouũ peregrinumq; nomen fecit, uenas agitari, quantũ ex uoce eſt, oſtendẽs. uel etiã, ut quidã nomen ſcripſerũt per literã τ φλεβοτονώδεα, uenas extẽdi. ſiue igiт proprie appellatas uenas, ſiue arterias ipſas, ꝙ has interdum uenas antiqui appellent, agitari uel extẽdi audire oporteat, mirari licet ꝗmodo nunc primum eas memorauit. Nam ſi arterias indicare uoluerit, uel tẽdi uel agitari, ꝗd de uibratitia motione eſt intelligẽdum, de ipſis aliquid in multis ægrotantibus dixiſſe oportebat. Nam ſi autor circa arteriarum motiones uſq; adeò diligẽs erat, ut & uibrari eas, & tendi obſeruaret, nequaꝗ alias pulſuum differentias ignorauit. Quomodo igitur

tur de ipsis nihil scripsit? Si uero propriè appella- A
tas uenas tendi memorauit, quomodo & non hu
ius symptomatis iam antea mentionẽ fecit, quòd
scilicet in uehementibus capitis doloribus fieri
consueuit? Videtur siquidem in his & præsertim
ubi cum multa caliditate fiunt, pulsantes & quasi
uibrari temporum uenæ. Sæpius autẽ & colli iu-
gularias, quæ uidelicet in superficie collocantur,
motione pulsui cuidam non dissimili agitari uidi
mus. Videtur quoq; & in tẽporibus ex subiacen-
tibus arterijs motio accidere, quo tẽpore illæ ma
xime pulsant. Ambiguitates ergo huiusmodi qui
dam effugere uolentes, prò φλεβοδονώδεα, φλεδο-
νώδεα inquiunt: nomen ἀπὸ τῶν φλεδόνων faciẽtes.
quòd autem φλεδόνας, & φλυαρίας, & λήρους, id est
nugas & deliramenta quidam ueteres nominaue B
rint, nõ te præterit. Affectiões igitur, inquit, cum
uigilijs existẽtes, & in somnis delirantes, urinam
inconsulto χαλῶντων, quod est ἀποκρινόντων, id est
excernentes. Nempe ab affectionibus ad ægro-
tantes transiit, & rursum ad affectionẽ reuertens,
inquit, in comatosas aliquando finiuntur conuul
siones. inquiẽs autem, aliquando, nos à molestijs
liberauit. Principio siquidem neruorum affecto,
ut uigiliæ, nugæ, & urinarum inuoluntaria excre
tio ostendunt, nil mirum inde phrenitim fieri, &
coma, & conuulsionem, & uocis priuationem, &
quoduis aliud tale pathema. Superfluũ itaq; fue-
rit ad hanc prædictionem tum superrigere, tum
nocte magis exacerbari. Sed quod iam sæpius est
demõstratum, scribit etiam quæ prædictionibus C
ab ipso dictis minime conueniunt, communia à
proprijs separare nescius.

10 Qui principio sudant urinis coctis,
deurunturq;, & absq; iudicatione refrige-
rantur, & celeriter perurunt, torpidi item
comatosiq; & conuulsi perniciose habent.

Rursus hoc in loco, qui principio sudant urinis
coctis, superuacaneũ est. nempe & deuri & absq;
iudicatione refrigerari, perimere hominem suffi-
ciũt. Deinde & celeriter deuri, ueluti & quæ prin
cipium alterum faciunt, per seipsa ægrũ corrum-
pere queunt. De quibus ita scripsit, torpidi item
comatosiq; & conuulsi perniciose habent. Ab his
utrisq;, principio sudantes cum urinis coctis, scri- D
psit: quod perinde est atq; quispiam aiat, In peri-
culo mortis uideri hominem, quoniam & cerebri
membrana perforata sit, & thorax simul perfora-
tus, atq; in coxa ul cusculum æger habuerit. aut si
quis periclitari hominem dicat propter aquam
inter cutem & unguium abscessum. Quidnã pro-
inde adhuc desideremus, quas nam dicat urinas
coctas? de quibus antea dixi Rufum Ephesium,
Zeuxidem empiricum increpasse: nempe falsum
esse id, neq; malum esse aliquod ubi tales urinæ fa
ctæ fuerint. Verum autem esse quòd laboriosæ
urinæ malum aliquod significent. nempe eas in-
dicari, quæ cum labore excernuntur. Secundo ue
ro loco scriptum hoc de urinis coctis in utraq; di
ctione æquè sermonem uitiasse non amplius cre-

dibile est, ut Rufus censuit Zeusin redarguens.
Sed forsan author coctas urinas crassas & albas
uocauit, quoniam subsidentiam huiusmodi & in
uerè coctis urinis uidit. Quæ uero returbatæ sub-
iugalium modo, non coctæ.

11 Vterum gerentib. si capitis dolores,
soporesq; cum grauitate fiant, uitiosi sunt,
forsitan uero & his cõuulsionis aliquid pa
ti contingit.

Quidam rursus præsentem nominum compo-
sitionem solœcismum habere uidentes, uerbum
his permutauerunt, talem efficientes dictionem.
Forsitan uero & hæc conuulsionis aliquid pati iu
uat. Verum, ut antea retuli, dum intelligentia eã-
B dem maneat, scribere unicuiq; suo arbitratu con-
cedentes, de eorũ quæ referunt ueritate dissera-
mus. At de ea certe iã disserere non finit dictioni
adiacens nomẽ, ὠῖφόροισι, id est uterum gerenti-
bus, quod explicatione eget. Non solum etenim
nominum inusitatam compositionem dictioni-
bus in singulis excogitare contendit author: ue-
rum quoq; & ex nominibus ipsis unum dunta-
xat, atq; interdum & duo & tria inserit uel planè
peregrina, uel nõ in eo significatu qui apud Græ
cos usui fuit. Quidã igitur ὠῖφόρους grauidas eas
quæ non longè à partu absunt, intellexerunt: alij
prompte concipiẽtes, atq; assidue uterũ gerẽtes.
His igit, inquit, si capitis dolores, soporesq; cum
grauitate fiant, uitiosi existunt. Sed cum in cõmu
C ni omnes ita habeãt, quomodo hic uocẽ, uterum
gerentibus, ad dictionẽ cũ grauitate adiecit? Vt
peruestigemus utrúm ne q; laborantis totum cor
pus graue uideatur, id adiecerit, uel q; capitis do-
lores cũ capitis grauitate, uel sopor cũ grauitate
adsint. Sed ubi quis uniuersa hæc transcurrerit ad
prædictionẽ nihilo plus assequet, neq; secũdum
hunc scriptorem. Inquit ergo: forsitan uero & his
conuulsionis quiddã pati cõtingit. Cũ aũt uirũ au
dieris dicentẽ, forsitan, atq; ex particularibus tan
quã uniuersalẽ inconsulto fecisse orationẽ, raro
rem usu euenire liquido cognoscas. Quæ uero
rarẽter contingũt, à prorrhetica speculatione de-
sciuisse sæpius tibi diximus. Nam si tanq; contin-
gẽtia fieri quis dixerit, sæpius iã audiuisti affectũ
D cerebrũ posse quoduis symptoma uel in sensibus
uel arbitrarijs motionibus comitari. Si uero tan-
quam sæpius fieri, non solum non fit sæpius, sed
neq; dubiè quod nunc dixit.

12 Faucium sine tumore dolores stran-
gulantes conuulsionis quiddam habent,
tum alias, tum à capite orti, ut Thrasynon
tis fratris filiæ obuenit.

Ex hac quoq; dictione librum hunc non esse
legitimum Hippocratis quis dixerit, ubi inquit
φάρυγγι ἰσχνῷ, id est faucium sine tumore. Nempe
scripturam hanc habent tum antiqua exemplaria
omnia, tum interpretum cõmentarij, nisi scriben
ti uitio id uertat, quomodo & alia multa in exem
plaribus multis uitiata reperiuntur. Artemido-

rus tamen & Dioscorides manifeste φάρυγγι ἰσχνῶ scripserunt. Nempe quòd φάρυγξ fœmineo scribatur genere, superioribus omnibus est confessum. Reperitur quoq; & in hac dictione, φάρυγξ ἐπώδυνος ἰσχνὴ μετὰ δυσφορίης, πνιγώδης, id est, Fauces sine tumore dolentes cum implaciditate strangulantes. Quòd autem ægros cernens concursiones horum scripserit, neq; ex ijs quæ uiderit seipsum instruxerit, neq; ad uniuersale particularia reduxerit, uel ex hoc palàm fecit. Non enim fauces semel memorauit, ueluti in Prognostico Hippoc. fecit, omnia quæ de eis sunt cõtinuata serie, & nõ sæpius aliàs in alia libri parte percurrẽs. Quod ergo in præsenti dictione ait author, si sæpius seorsum dictorum memor fueris, etiã in hac cognosces, quonam pacto ex inuento particulari in enunciationem uniuersalem transire ausus sit, nominatim Thrasynõtis fratris filiã perstringẽs. In qua scriptam concursionem conspexit.

13 Quibus tremores conuulsiones facti cum sudore redire consueuerunt, iudicatio his euenit ubi superriguerint. superrigent hi prouocati in uentre ardore.

Dictionem hanc quidam in duas dispertiunt orationes, unam quidẽ quæ ita habeat, τὰ τρομώδεα σπασμώδεα γινόμενα, id est tremores cõuulsiones facti. Fatẽtur uero hi orationẽ hanc mancam esse, subaudiendumq; aliquid de quo post paulo dicam, uolunt. alteram orationẽ principio altero efficiunt, τὰ ἐφ' ἱδρῶσι, & cæt. id est cũ sudoribus redire consueta. iudicatio his euenit si superriguerint. Qui uero orationẽ utranq; connectũt, sine articulo, τὰ, scribunt: Tremores conuulsiones facti, ἐφ' ἱδρῶσι, id est cum sudoribus redire consuerũt. id quod quia falsum sit, ab expositoribus est dãnatum. alterum uero, ꝙ mancum. At quod dictioni deest, scribentis delicto id accidisse potest. falsitas autẽ ipsa nullam admittit excusationẽ. Nempe ꝙ tremores conuulsiones facti cum sudoribus redire consueuerint, falsum est, cum redire non cõsueuerint, sed letales existunt, siue cum sudore fiant, siue non. Considerabimus igitur ea quæ hi dicũt. Tremores conuulsiones facti, mortem inferunt. Aut tremores uel conuulsiones per se legi præcipientes. Nempe & hoc intelligi pacto posse inquiunt: Tremores conuulsiones facti mortem inferunt. Posse autem & in hunc modum: Tremores uel conuulsiones si fuerint, praua existunt. ut prius quidẽ planè perfectam absolutamq; ex tremoribus in conuulsiones degenerationẽ doceat: posterius uero tremoris affectionibus ubi superuenerit conuulsio sequi mortẽ. utrunq; siquidem est letale: sed prius quidem tanquam tremoribus ad conuulsiones ante hominis mortem transmigrantibus, posterius uero tanquam planè cũ conuulsiõe factis, atq; ubi firma hæc facta fuerit, mortem inferentibus. Cui uero hęc placent, ipsis licet uti. Ego autẽ ad eos pergam, qui principio altero dictionẽ cum articulo ita legunt, τὰ ἐφ' ἱδρῶσι φιλυπόστροφα, id est cum sudore redire consueta. de-

A inde subticentibus nobis & posteà legentibus, iudicatio his euenit, si superriguerint, ut sermo huiusmodi sit: Cum sudore desistere uisæ affectiões, rursumq; reuertentes, & rursum ignescentes, atq; iterum sudoribus solui uisæ, ueram certamq; habẽt solutionẽ iudiciũq; ubi superriguerint. Quod autem subinde dicitur, superrigẽt hi prouocati in uẽtre ardore, eiusmodi habebit sententiam, uentris æstus antecedit superuenturo rigori.

14 Lumborũ dolor cum capitis & stomachi dolore, atq; exscreatu uiolento conuulsiuum quippiam habet, submutumq; cum iudicatione rigorem.

Quidam dictionẽ coniunctione, &, semel scripta exponunt, conuulsiuum quippiã habere nõ ex prædictis quatuor fieri: sed ad ueritatem de tribus prædici uolẽtes, quatuor dico lumborum dolorem, capitis stomachiq;, & uiolentum excreatum. Ita fit, ut hoc scribant modo: Lumborum dolor capite & stomacho dolẽti. alij coniunctionẽ, &, bis scribunt: quo ego modo protinus ab initio scripsi, propterea ꝙ exemplaria complura ita habeant. descriptio autem tale quippiam indicabit: Lumborũ dolor siue & capite doluerit quis, siue & stomacho, uel cũ screatu uiolẽto, conuulsiuum quippiã habet. quanq; & dictio ita scripta utrũq; simul ægrotanti factum significare possit, & lumborũ dolorẽ & cephalalgiã. Ego aũt neq; experientia, neq; rei natura conuulsionẽ prædictis cõsequentẽ esse pronunciare possum. Quinetiam autor adiecit, conuulsiuum quippiam habet, quod nõ idẽ est ac si dicas symptomata huiusmodi conuulsiua esse. Docui porrò antea ꝙ nõ similiter audire conueniat cautum hominẽ tales expromentem uoces: & eum qui facile de particularib. tanquam uniuersalib. pronunciat. Nam cum temerarius ille hæsitans dicat, conuulsiuum quippiã habet: uel exiguũ esse uel raro contingere quod dicitur, ostendit. De singulorum autem quæ in omnibus tertij huius commẽtarij dictionibus referuntur symptomatum uirtute, paucis quidem docui in harum commentationum prima & secunda. Longè autem lateq; in Prognostici commentarijs, uberius uero ac fusius in libris De iudicationibus & symptomatum causis. Non pauca quoq; de his in libris Epidemiorum sunt enarrata. Satis ergo hoc loco fuerit solam dictionem explicare, atq; insuper uerúmne an falsum sit quod enunciatur, aut frequens, aut ambiguum, aut rarũ, sententiam adiungere. Post orationẽ conuulsiuũ quippiam habet: scriptum est ὑπάφωνον nomen, id est submutum. quod quidã cum prædictis connectunt ita ut fiat talis dictio: conuulsiuum quippiam habet submutũ. Alij principium dictionis quæ infertur esse existimant, commutãtq; iterum ij ipsi dictionẽ. Nempe alij sine articulo scribunt, alij neutrum articulum adiungũt talem fabricantes dictionem: τὸ ὑπάφωνον, id est submutus cum iudicatione rigor, uentris deiectiones sublíuidæ turbationis plenæ, & urinæ tenues. Quidam legunt

gunt per se cum iudicatione rigor, neq; cum prædictis, neq; cum sequentibus ordinantes. Alij totam dictionem commutant, atq; ita scribunt, ὑπόφοβου ἅμα κρίσει ῥῖγος, id est subterrefaciens cum iudicatione rigor. Consequenter autem tibi utrumq; expositionem per se exacte scribam. Quidam igitur ἅμα κρίσει ῥῖγος, id est cum iudicatione rigor, per se scriptum esse uolunt, multasq; fieri cum rigore iudicatiões significare. Orationem uero ὑπόφοβου ἅμα κρίσει ῥῖγος, dixi iã ante quosdam permutare, & pro ὑπάφωνου, ὑπόφοβου scribere. geminamq; faciunt expositionem: alij quidem pro φοβερὸν ἅμα κρίσει ῥῖγος dici putãtes: alij pro μετρίως φοβερὸν, quasi mediocriter terrificũ dixeris, ut τὸ ὑπάφωνου. simile sit τῷ ὑπόφοβου. Fuerit autem & tertia quædam scripturæ huius expositio talis. Coniũgi quouis modo rigorem bonum non est, ueluti si uel per sanguinis eruptionẽ quis, uel uomitum, uel uentris uacuationem, uel sudores, uel hæmorrhoidem iudicetur, uel mulier per menstruam purgationem rigeat. Sæpius autem fieri uidetur, ut bonam aliquam uacuationem antecedat rigor: cum uero iam excernunt, rigorem incipere malum. Quòd aũt id uerum sit, qui multos ægros diligenter contemplati sunt, norũt. An uero prorrhetici autor ita censuerit, est diuinandum. Principio siquidem neq; an ab illo scriptum τὸ ὑπάφωνου sit nouimus. In antiquis etenim exẽplaribus plurimis non ita scriptum est.

15 Ventris deiectiones subliuẽtes cum perturbationib. & urinæ tenues aquosæq; suspicionem habent.

De his utrisq; seorsum in Prognostico disseruit Hipp. tum liuentes uẽtris deiectiones prauas esse inquiens, tum urinas tenues aquosasq;. Nunc suo more diuersi generis notas complectens nihilo plus docet. Potuit sane & his author praua sputa coniungere, uel spirandi difficultatem, uel aliam quampiam uitiosam notam. Quidam uero expositores dictionẽ hanc huic submutus cum iudicatione rigor, coniungunt, unumq; totã efficientes, super dictis omnibus illatũ esse ab autore dicunt, id quod in calce dicit ὕποπτα, id est suspicionem habent. Nempe & his subliuentibus scilicet uentris deiectionibus urinisq; tenuibus & aquosis, nõ absq; ratione infertur, suspicionem habent. Si uero quispiam his addiderit & τὸ ὑπάφωνου, id est submutum, non suspectam solum ait esse concursionem, uerum quoq; & euidenter malam.

16 Fauces si parum exasperentur, uenterq; inanibus surrectionibus murmuret, & frons doleat, cõtrectatiq; fatigẽtur, atq; in stragulis uestimentisq; doleant, quæ ex his augentur, difficilia existũt. somnus multus in his conuulsiuus, & dolores in frontẽ graues, & mictio difficilis.

Ventrẽ tum murmurantẽ, tum rugientẽ cum inanibus surrectionibus quidam phreniticũ esse symptoma cõtendunt. Nempe duob. modis erra-

A re eos, uel quòd quæ sub sensum cadunt, nõ sentiant, quanquam cũ dolore persæpe fiat: uel quòd quæ sub sensum nõ cadunt, sentire uidentur. altero autem modo desurgere quidem eos tanquã morsos aiunt: sed nihil operari. quoniã neq; quod morderet erat. morderi siquidem sese putãt, sed nõ mordentur. Oratio autem, In stragulis uestimentisq; dolentes, ex assueto sibi enunciandi modo absurde mõstroseq; dicta est, quæ talem habet sensum: tactum eorum quæ ipsis substernuntur, nõ ferentes sed dolentes. An ne quidem & ob id quod ab incumbentibus grauentur (dura siquidem esse arbitrantur uel mordentia, quæ substrata sunt, atq; inuisam habent quæ circumfunditur uestem stragulam) aut si ob aliud quippiam ipsis contingit,

B prorsus est incertum. Deinde & alia deinceps recensens cum inquit, somnus multus in his cõuulsiuus, sophistis prebet peruestigandi occasionem an possit aliquando somnus lædere. Nam aut iuuare ipsum inquiunt, aut si nõ iuuet, nequaquã tamen unquam lædere. De ea re autem in Aphorismorum commentarijs antea disserui. Neq; uero si somnus multus lædit, conuulsionem efficere uidetur. at solum periculosum esse morbum ostendit. Mictio autẽ δυσκολαίνουσα, id est difficilis, miro modo ab autore in obscuritatem est excogitata, ita ut inter expositores alius dicat δυσκολαίνουσαν, eam quę fit cum dolore esse dictam. alius eam quæ retinetur. alius eam quæ ægre fit, & eam quę cõtinue, & eã quæ in stranguria fieri solet. eam uero quæ præpotẽter mordet alius. ubi uero omnia

C percurrerimus, nihil quod effatu dignũ sit, ad prędictionẽ cõsequemur, propter eam quã sæpe retuli causam. quod scilicet permulta diuersi generis cõfundit permiscetq; symptomata. Argumentũ rei huius maximũ est, uel hoc quòd interpretũ nõnulli eò quidẽ ierint, ut dictionem pertingere ad hanc usq; orationẽ, somnus multus in his cõuulsiuus, existimarẽt, principio alio quæ cõsequunt legi præcipiẽtes. alij uero cõiungãt, atq; ex cõiungentib. alij alia in parte cõsequenter dictorũ circũscribi dictionẽ uelint. Si igit omia ad finẽ usq; quis persequat, quę in singulis suspicionib. separatim expositores dixerũt, lõgũ sane efficiet sermonẽ, nihilq; eos qui in hunc incident librũ iuuabit.

D 17 Vrinæ detẽtio, & quib. rigores ex his cõuulsiões: ut & ipsa ubi inhorruit, sudauit

Si coniunctionem, &, permutauerimus, sermo erit dilucidior, talis redditus: Vrinæ retẽtio quib. rigores & ex his cõuulsiones. hæc particula, quibus rigores, dicta est & in libris Epidemiorum in hac dictione: Ante rigorẽ urinarũ retentiones. quòd aũt & in cõuulsiuis affectionibus urinę retineantur, apposuit author in præsenti dictione. Quę autem temere à quibusdã dictionis huius explanatoribus dicta sunt, subticere est melius. Ego autẽ quæstionem ad sufficientẽ prænotionẽ prodesse dixerim. Sequitur, & ita ubi inhorruit, sudauit. Quintus quidem solam hanc cum sciret scriptionem, quam in antiquis, ut ait, exemplaribus repe-

rit,fatetur se non intelligere. Verum in compluribus exemplaribus scriptum est,& ipsa ubi inhorruit,sudauit. Vt mulieris nomẽ ea uoce intelligamus,quam ubi inhorruit,sudare contigit.

18 Syncerę desistẽtes purgationes omnibus quidẽ exacerbãtes:his uero & ualde si fuerint, ex talibus parotides exurgunt.

Vt pro purgationibus uacuationes dicanť,pręstabilius erat.Cum eñ excerni cõtigerit,quæ corrupta sunt,purgatio est corporis, cũ uidelicet excernunť ea quæ morbi ratione alicui fiũt. Quòd aũt de his dicať,patet ex uerbo desistentes, ꝙ expurgãtes corpus uacuationes principiũ quidem à syncerís interdũ habẽt,sed desinũt in benignas mitesq; deiectiões.At hoc,his uero et ualde tales exacerbãtes esse uacuationes,ad antea dicta relatione habet.Antea aũt dictum est,urinæ retentio quibus rigores,& ex his conuulsiones. Prænotio aũt in ea re est,ꝙ parotis suscitari possit.atq; ob id scribiť,ꝙ ægro cuidam ex ijs quæ in dicta syndrome relata sunt,parotida habere contigerit,non tamen perpetuo,sed magna ex parte parotidas pręđictam sequi syndromẽ, est rationi consentaneũ. didicimus siquidem talium abscessuum notas.

19 Turbulẽtæ ferocesq; è somno excitationes cõuulsiuæ cum aliàs, tum in sudore.

Iam antea concursiones huiusmodi explanauimus, nihil sanè neq; quod necesse sit,neq; magna ex parte habentes. Atq; ob id præsentem dictionem quidam ijs quæ inferuntur nectunt: cæteri autem distrahunt.

20 Ceruicis dorsiq; perfrictiones apparẽtes per totum corpus, in his & spumosæ urinarum excretiões cum animæ deliquio atq; in oculis totius lucis impedimentum conuulsionem prope esse indicant.

In multis quidem exemplaribus dictio ita scripta est,perfrictiones apparentes: in alijs uero melius hoc pacto,apparentes per totum corpus,tanquam fieri non possit,ut totũ simul refrigeratũ sit corpus,atq; ob id bene adiectum sit, apparentes. Quod deinceps dicitur,non paruam habet in scriptura controuersiam. Quidam enim scribunt ἀφρώδεα,id est spumosę mictiones,alij autem πυώδεα,id est purulentæ.sed ad totum rei sensum uerbum,spumosæ,est rationabilius.Nam purulentæ mictiones si propriè utiq; intellexerimus, & non ut libri huius author improprijs nominum metaphoris uti consueuit,pus urinis permistum esse indicant.Puris autẽ generatio tantum abest ut conuulsionem significare possit, ut etiam in aliquo, qui cõuulsionis incurrit suspicionem, signum bonum sit,morbum concoqui ostendens.Spumosæ uero siue ob colliquationem,siue ob perturbationem quandam,flatuosumq; spiritum exoriantur, suspectæ utroq; modo ad conuulsionem existũt: non tamen purulẽtæ his similiter. Si uero impropriè purulentas dixit urinarum tum crudarum, tum crassarum excretiões, neq; ita suspectæ sunt,

A neq; ad conuulsionis generationem proficiunt. Animæ autẽ defectio,& totius in oculo lucis impedimentum,quod ἀμαύρωσις dicitur,imbecillæ animalis facultatis signa existũt. Conuulsionẽ igitur non ea symptomata dictis adiecta,sed sola illa possunt indicare: illa dico, ceruicis dorsiq; perfrictiones unà cum toto corpore:urinã item spumosam,aut crudam,aut incoctã. Totius autẽ in oculo lucis impedimentũ per accidens conuulsionis expectationi fidem faciet, ꝙ principiũ neruorũ affectũ significet. Nosse aũt oportet & concursionẽ hanc ex his esse quæ possunt inferre cõuulsionẽ,nõ tamẽ perpetuo,uel ut plurimũ,sed ambiguè magis,si spumosas scripserimus.neq; si scribatur purulẽtis, expers, ut dictũ est, expectationis

B erit:mediũ utriusq; obtinẽte si ὑπνώδεες,id est,somniculosæ scriptũ sit,sed illis adhuc magis si crudæ & incoctæ uideanť.Quare aũt ex ipsis cessauerint,his propè esse tum conuulsionẽ, tum mortẽ, & in oculis totius lucis impedimentũ & apsychia indicant.Dicit autem animi deliquium.Dioscorides pro apsychia apopsychiam scribit.

21 Cubiti & ceruicis dolores cõuulsiui. à facie autẽ hi, atq; in faucibus sonitus multi,sudores in his per somnos boni.an & sudore quamplurimos leuari non malum?

Orationẽ,à facie aũt hi,intellexerũt omnes, ut æquã habeat cõditionẽ cum hac,à capite. Nempe & supra in alia dictione dixit: tum aliàs, tum à

C capite orti.Quare autẽ conuulsiua hæc dicat symptomata,nõ est incertũ ijs qui antedictorũ meminerũt.Quidã uero primam dictionis partẽ per se tũ scribũt tũ legũt,ut sermo talis sit: Cubiti ceruicisq; dolores cõuulsiui. à facie aũt hi.nõ amplius indigẽtib.nobis ad cõuulsiõis prenotionẽ consequẽte oratione.Hi aũt cõiunctionẽ,atq;,tollẽtes, principiũ cõsequẽter scriptorũ hoc fecerũt.in faucibus sonitus frequẽtes. quidã pro ἦχοι,id est sonitus,scribũt ὄχλοι,id est tumultus,ita: in faucib.tumultus multi, ut Dioscorides. Capito autẽ ita scripsit:Fortassis & in faucib.pallidi,graciles. Promptè siquidem,ut persæpe est dictum, recentiores in obscuris libris ueteres scripturas pro arbitratu mutabant. At hæc quidem quoquo modo habe-

D ant symptomata,mala sunt:uidenturq; ad præsentis dictionis ueritatẽ quippiam cõferre. Sed iusta est quæstio quã ob causam adiecit,sudores per somnos in his boni. Nihil eñ est peculiare hoc pacto laborantibus,ut à sudorib. per somnos duntaxat iuuenť. Nempe cõmune est cõmodis sudoribus tũ in dictis affectionibus, tũ in cunctis alijs limitatiões habere alias, ut si ex morbi coctiõe fuerint,si per uniuersum corpus, si dieb.iudicatorijs, si febres & symptomata sedauerint.Sudores autẽ qui in somnis fiunt,uigilãtibus fieri superuacaneum.Quidam uero sermoni opem ferre cupiẽtes, sudores in ijs qui conuellunť,ob morbi robur fieri aiũt.Si igitur corpore tum exoluto tum relaxato,quod in somnis fit,id oriať,sudare hos secundũ naturam est existimandũ.Quod deinceps dicitur

maiorem

maiorē habet dubitationē scribente ipso, an & sudore quamplurimos leuari nō malum: nullam siquidem ambiguitatem habet, quod manifeste est bonum. si minus, at prorsus certe non malum. A

22 Dolores si ad infernas dilabūtur partes, facile ab his perferuntur.

Quòd quasnam infernas dicat nō adiecit, propterea geminam expositores fecerūt scripturam: alij siquidem εὔφοροι, id est facile perferunt, scripserunt: alij aūt δύσφοροι, id est difficulter perferunt. Nam si ad thoracē, & os uētriculi peruenerint dolores, maiorē inducēt tolerādi difficultatē quam cum in ceruice cubitoq; essent: si ad crura, morbosam totam affectionem insigniter iuuabunt.

23 Qui in febribus sudāt cum capitis dolore, suppressa aluo conuellentur. B

Ex breuissima interdum significatione cōuellendos scribit. Nempe forsan semel quendam ita habentē cōuulsum uidit, nō sæpius. Liber autem fere totus ad insaniæ cōuulsionisq; prædictionem expedit. Si quis igitur authori crediderit, & in febre capite dolētes cū sudore & alui retētione conuellēdos enūciare ausus fuerit, sæpius admodum aberrans, semel petitum assequetur.

24 Arenidæ & liquidæ deiectiões, perfrictionesq; nō sine febre uitium habent. rigores ex his tum uesicam, tum uētrem prehendentes opprimentesq; dolorē pariunt. an & his comatosum conuulsionem quandam habere fuerim admiratus. C

Ψαδυρὰ per δ Attici scribūt, per θ uero ψαθυρὰ cæteri omēs. uocātq; ψαθυρὰς carnes quæ duris membranosisq; & ægre diuellibilib. atq; mādi contumacibus contrario habent modo. tales autem maxime sunt, quæ à multis ἀρχναὶ appellantur, diem unum uel duos à iugulato animali repositæ. ἕωλας autem eas Græci uocare cōsueuerūt, quasi biduanas uel triduanas dixeris. & ἑωλίζειν, ita ante putrefacere. hinc edulium summe recens ἐπὶ βραχὺ προσεωλισμένον, id est parum adputrefactum, mortificatumq; dicitur. Ego igitur ostendi quænam dicant homines ψαθυρὰ, de edulijs, & non excrementis orationem habentes. Sed libri huius authorem æquum erat nobis dicere, quænam excremēta ὑποψάθυρα, id est subarenida uocet, nempe quòd mediocriter ψαθυρὰ, id est arenida, cōstat. Prorsus siquidem ad eum spectabat nobis ostendere quænam dicat ὑποψάθυρα. Cum autem prophetæ uatesq; ipsi inter se cōtrouersi existant, maior adhuc nobis, qui prophetæ non sumus, existit dubitatio. Nempe est qui liquida nūc simpliciter dici aiat. alius cum aquositate liquida, crassitiemq; & substātiam nullam habētia. alij ea tanquā pinguitudine uacua. alij ueluti non lenta glutinosaq;. alij nescio quod ipsis uisum sit, aiunt ea quę humidis alijs olei instar nō miscētur. alij in liquida deiectiōe biliosos et incoctos globos. alij aūt quæ facile dissoluuntur, ut si arenā aqua consperseris, deinde digitis componēs cōstrinxeris, & mox ubi solueris diuulsam dissolutamq; dixeris. Videnturq; hi cæteris probabiliores esse. Eadem uero potestate dicunt qui non glutinosa esse aiunt. quæ quis composita, & una uoce dixerit ἀγλισχρα, id est nō glutinosa. si em ab arenulentis edulijs ad deiectiones transferre similitudinem liceat, probabilius fuerit dicere ψαθυρὰ alui excrementa esse quæ de facili dissoluūtur, nullamq; habent ægre dissolubilem unionem. Talia uero excrementa fiunt, & à cibis qui arenulentam, & solutu facilem habēt substantiam. Vidi ego cum in agro essem hortulani pueros frumenti quidem indigos, piris uerò abundantes, talia deijcere. qui milium panicumq; edunt, uel hordeaceos panes similia his excernunt. Si uerò triticeos panes quis edens talia deiecerit, quòd tenuis & dissoluēs humiditas excrementis permista sit, quæ mutuā prohibeat unitionem, est suspicandum. Dioscorides ut multa alia in obscuris libris prompte commutauit, ita & uerbū ὑποψάθυρα permutauit, fecitq; ὑποψέφαρα, appellariq; is ita ait subnigrātia. Nempe & tenebras ψέφας dictas esse apud Pindarum. Post uero ψαθυρῶν ut uaticinium uel coniectationem, uel temeritatem (nempe quòd quis in talibus tanquam certe nouerit, enūciet, temerarium existet) ad consequentes pergamus dictiones. ex quibus prima est, perfrictionesq; nō sine ardore: quod rursus ipsum certo nosse quid sibi uelit, temerarij est hominis. Conijcientes uero & in hac re, ut in alijs libri huius multis fecimus, perfrictiones nō sine ardore dici asseremus, cum quis superficie quidē perfrixerit, in imo autem corpore sentiat igneam caliditatē. Has igitur uitiosas esse ait. Quis uero cute quidē perfrigescentē, intus uerò ardorē sentientē uitiose habere non nouit: etiam non quærētibus nobis an fragiliuscula deiecerit. Nempe scriptis in Prognostico cōtenti ad dignotionē tum bonarū, tum malarū deiectionum non fallemur. Deinceps aūt in præsenti dictione scriptum est ita: Rigores ex his tū uesicā, tū uentrem prehendētes opprimentesq; dolorē pariūt. Quærere igitur rursus nos hoc loco uult scriptor quidnam significet uerbum ἐπιλαμβάνοντα, id est prehendentia. Nempe antea ipsas ἐπισχέσεις, id est retentiones, uocauit, ἀπολήψιας, id est interceptiōes. D Nunc aūt qui ἐπιλαμβάνοντα scripsit, alijs quidem in re eiusmodi nomē ferre uidetur de interceptionibus retētionibusq;, quas ἀπολήψεις uocant. alijs uero quod ueluti admodū extēdant indicare. Quod uero dicitur, dolorē pariūt, sufficit ostēdere ægrotationē quandā significari per uocē ἐπιλαμβάνοντα. In cæteris quidē operibus plurima eorum quę dubitationē afferūt, ex illatis dignoscūtur: in hoc uero libro maior perpetuo priore infert questio, quomodo & nūc cum inquit: An & his comatosum quandā habere cōuulsionem fuerim admiratus? Nēpe uel tale est quod ait in ijs quæ dicta sunt, uel tū omnibus, tū cōsequētibus. Nam & id patet comatosam affectionē habere quippiā simul existēs quod conuulsionē repræsentet, ueluti in quo quidē & ipsa etiā simul existit, quod prædicta comatosum

tosum sequat. sed neutrũ horũ neq; est necessariũ, neq; ut plurimũ euenit. & quidem autor ipse consentit. adiecit enim cõiunctionem dubitandi, an. Deinde ipsi acclamauit cũ dixit, nõ admiratus fuerim? Nẽpe ita in cõpluribus & fide dignis exemplaribus est scriptum, ueluti et in alijs quibusdam nullo pacto scriptum reperitur.

25 Quæ in acutis morbis uomendo trahuntur, uitiosa: atq; albæ deiectiones difficiles. Lentore carentia ex his percurrentia multo cum æstu in mentis eunt aberrationem. ex his comatosi torpidiq; postea fiũt. morbus ex talib. diutius manet. an & circa iudicationẽ arescẽtes difficulter spirẽt?

Quæ in acutis, inquit, morbis in uomendo trahuntur, uitiosa sunt. tale autẽ quippiã & antea est scriptum: nosq; in similib. similia dicere cogimur. Adijciam uero nunc & illud quod ante dictum non fuit, cum nauseam fieri dicebam, quando ad expurganda quæ contristant uenter cietur. Quidam & ob phlegmonem ipsius nauseabundam fieri affectionem dixerunt. quod in supradicto uniuersali sermone cõtinetur. Nam si phlegmone sua propria ratiõe nauseam pariat, nunquam uenter phlegmone obsideri citra nauseam reperiet. Incidit autem huic symptoma eiusmodi cũ phlegmone obsidetur, duobus modis. Altero quidem, cum tenues quædam humiditates ex inflammatis particulis ad interiorem ipsius capacitatem decumbentes, collectæq; in eo loco os ipsius contristauerint. Altero autem cum permistio affectionum fuerit. Duabus siquidẽ inter se complicatis affectionibus, per se in utraq; fieri solet. Permista igitur phlegmone ea quæ nauseam parit, affectione, propter alteram earum nauseantes ęgri fiunt, non propter phlegmonem. Contingit autẽ nonnũquam ut ex moderatis nauseis uomitus statim incidat, nonnunq; sane & cõturbatio quidem plurima & frequens fiat, uomatur uero uel nihil, uel prorsus paucũ. quod conijcere licet his uerbis, uomendo trahuntur, ipsum uelle significare, quæ in præsentis dictionis capite sunt posita. Prauum autem est non ut signũ tantum: uerum etiã ut causa symptoma huiusmodi. nempe quatenus succi malitiam excerni contumacem contineri in uentris ore ostendit, eatenus signũ prauum est. Quod uerò cõtinuis lacerationibus uellicationibusq; uentrem afficiat grauetq;, ob id rursum tanquã causa ipsius erit, phlegmones quidẽ nondum existẽtis, tanq; modo futuræ: eius uerò quæ iam adest, tanquam incrementũ suscepturæ. Præterea albicantes, ut inquit, deiectiões difficiles. quod quidã ab antedicto separãt, cæteri copulãt coniunguntq;. Cæterũ quod de prædictis antea diximus, idẽ & de his nũc dicimus. albæ etenĩ deiectiões fiũt nõ defluẽte ex hepate in uentrẽ bile. q̃d sane & per se & cũ dicta ante oratiõe cõstare potest. Quia uero autor dissimilia multa inter se cõmisceat, legẽtes ob id ea & copulare & separare ab inuicẽ pos-

A sunt. Sed quod mox post albicãtes deiectiões scriptum est: Lentore carẽtia ex his percurrẽtia multo cũ æstu in mẽtis eunt aberrationẽ: inter ea quæ semel forsan uel bis uisa sunt autori, est, nullã quæ necessaria sit, habẽtia cõsequentiæ causam: ut sæpius iã dictũ est: quę fieri possint, interdũ quidem q; infesti transmittãtur humores, interdum uero q; diuidantur, atq; aliquando q; increscente affectione plures occupẽt locos. Adde q; neq; comatosos eos fieri inter necessaria annumeret, sed cõtingẽtia. quod & ipse cõfessus est, cum inquit, An ex talibus comatosi? uisus est siquidẽ & id supra perpetuo adscribere, ubi enũciare quippiã nõ audet. Cætera quę deinceps ad finẽ usq; dictionis dicuntur, similem habent absurditatẽ, ut forsan iam

B ab earum, quæ huic libro supersunt, dictionũ explanatione temperandum sit. Nempe qui exactè didicerunt, tum quæ in libris Hippocratis scripta sunt, tũ quæ in ipsorũ explicationib. à me sunt dicta, hi cognoscere possunt quænã sane ex signis scripsit, quę prognosticen æqualiter perpetuo habentẽ obtineant, quænã magna ex parte, & quæ ambigue uel raro, atq; amplius quas in ipsis pro maioris minorisue ratiõe cõtinuerint differẽtias: ut nihil ope mea ad præsentia indigeant. Cæteris uero qui priusquã illa didicerint, sese ad hæc cõferunt, prolixissimæ in horum singulis oratiõis est necessitas, ut nõ tribus, sed triginta opus sit libris. Ego uero consentiẽtes uerisimilesq; fide dignorũ exemplariũ scripturas in præsenti percurri dictio

C ne. Sunt uero & aliæ multæ scripturæ, aliæ aliter pro cuiusq; arbitratu: sed ad infinitã, ut dixi, prolixitatem incidere cogar, si omnes memorauero.

26 Quæ ex lumbis ad collũ caputq; redundant, resoluuntq; paraplectico modo conuulsiua & mentis uacillationem parientia, an & talia conuulsione soluatur? ex his uarie ægrotant per eadem profecti.

In hac quoq; dictione est incertũ quonã pacto legere nos uoluerit qui librum hũc scripsit. an ex ordine uniuersa cõnectẽtes symptomata: deinde ab his dicẽtes, an & talia conuulsione soluantur? an ad hanc usq; orationẽ, resoluuntq; paraplectico modo, serie cõtinuata legere, mox silentes rur

D sum postea dicere, cõuulsiua & uacillationẽ mentis pariẽtia. Nempe quidam hoc modo, alij illo legerunt. Deinceps etenim inquit, an & talia conuulsione soluantur? Conuulsiua conuulsione solui, inter absurda est, prædicta uero solui cõuulsione probabilius quis intellexerit (prædicta autem sunt, quæ ex lumbis ad collum caputq; redundãt, resoluũtq; paraplectico modo) postea scilicet fieri cõuulsiua, & talia reddita paraplegiam soluisse. Hæc siquidem sensum quendam habere uidetur. propterea q; paraplegia affectio unius partis corporis talis sit, qualis est paraplexia totius, huicq; aduersissimum sit secũdum motionem pathema conuulsio. Nempe cum partes affectas motu priuet paraplegia, cõuulsio ad motionem agit naturali uehementiorem, ita ut uiolẽter hæ cõcutian-

tur

tur. quòd si obstructio uel humidorum aut crassorum aut glutinosorum impactio in neruis fuerit, ob id paraplegiam iuuare uidebitur. Quod uero in calce orationis dictũ est, ex talibus uariè ægrotant per eadẽ profecti: in quopiã id factũ conspexisse mihi uidetur. Nempe & semel ego ita affectum quẽdam, permutationẽq; uarie sese mutuo excipientium symptomatum habentem uidi. Fiebant autem & illi hæc prægressis lumborum colliq; & capitis doloribus, manus tota ab his ægrè tum sentiebat, tum mouebať. sicuti & in dictione dictum est, paraplectico modo, cum nõ esset exacta paraplegia. mox superueniẽs cõuulsio sensiliorem eam atq; ad motiones expeditiorem fecit. Placata aũt conuulsione sensim rursum deterior reddebať. Deinde rursus tum lumborũ, tum colli, tum capitis dolore correptus uniuersam subitãq; habebat paraplegiæ in manu adauctionem. Atq; rursus postea non parum cõuellebatur.

27 Conuulsiões in hystericis sine febre faciles sunt, ut Dorcadi contigit.

Et in hoc loco quod à nobis cognosciť dictioni adaptabimus: nihil ab ea discentes. Nomen siquidem εὐχερὲς, quod facile dixi, ambiguũ, quantum in se est, existit. Potest enim quis intelligere ex eo rationabilem earum, quæ in hystericis affectionibus fiunt, cõuulsionum generationem. Potest quoq; & dici securitas ipsarum & à periculo recessus. Nihil itaq; dictio nos docet: sicut neque alius, qui ambiguus sit sermo. Qui in rebus quæ dicunť, ueritatem scire præuertũt, uni ambiguitatis parti adaptãt, interdum aũt & duabus: quo pacto & nũc hi legũt. Nẽpe mulierib. hystericis appellatis, quæ strangulationibus uteri capiunť, fiũt & continue totius corporis contractiones cõuulsiuæ, nec simile cæteris cõuulsionibus periculum habent. Sed quoniam & in magnis uteri inflammationibus conuulsiones interdum assident, ab his nunc dictas separauit, adijciens dictioni ἀπύρως, quod sine febre est. Nempe φ magnas uteri inflammationes febres consequantur, neminem latet. An nõ sæpius fiunt ex uteri inflammatione conuulsiones. si fiunt, periculosæ sunt.

28 Vesica intercepta tum aliàs, tũ cum capitis dolore conuulsiuum quippiam habet. Quæ ex his cum stupore exoluuntur, difficilia existunt, non tamen perniciosa. An & in mentis pellat uacillationem quod huiusmodi est?

Ἀπόληψιν, id est interceptionem tum urinarũ, tum deiectionum pro retẽtione appellare cõsueuit. cõuulsiuum autẽ quippiam habere ait. quod idem cum hoc est, posse aliquãdo conuulsionem prouocare: & præsertim cum dolor capiti aduenerit. Fuisse siquidẽ neruorum principium in societate affectus uesicæ ostẽdit. quod uero postea scriptum est. Quæ ex his cum stupore exoluuntur, bifariam est expositũ. Nempe quidam de urinis dictum inquiũt, tanquam ex retentione cum stupore excretæ sint. uolunt siquidem ἐκλυόμενα, id est quæ exoluuntur, dictum esse pro ἐκκρινόμενα, id est quæ excernuntur. alij uerbum exoluuntur de corporis partibus dictum esse intellexerũt, alij de uniuerso corpore: quasi sensione quidem torpẽs ipsum, uoluntaria uero motione exolutum fuisse dixerimus. Volũt igitur hæc δύσκολα quidẽ pro οὐκ ἀκίνδυνα dici, quæ difficilia & periculo nõ uacãtia dicimus, nõ tamẽ perniciosa. An uero in dictionis calce dubitãter enunciet in dementiã pellere quod tale est, néene, sæpius mentem ipsius dicimus, in quibus addubitat.

29 An & ossium, quæ in temporibus sita sunt, pertusiones disiunctionesq; cõuulsionem accersant? uel temulentum sauciari uel sanguinem ualenter erũpere in principijs, an hoc facit conuulsionem?

Quod in calce orationis dictũ est, facit cõuulsionẽ, in exemplaribus quibusdã adiectũ nõ est, neq; si nõ adiectũ sit, quantũ ad intelligẽtiam rei spectat, quippiam refert. quia sub eo intelligitur quod principio dictum est, cõuulsionẽ accersant. Dilucide igitur hoc in loco idipsum quod in uno quoq; ægrotãte apparuit, demonstrauit. cum iustum esse sibi scripturam interpretari uisum fuerit, interdum quidem tanquã uniuersale enũciãs, interdum uero addubitãs. sicuti & nũc in aliquo, cui os capitis positum in tẽporibus traiectum intercisumq; fuit, qui temulentus sauciatus est, confestimq; erupit uehemẽter sanguis, & tandem est conuulsus. Cum ergo tria ipsi euenerint, unũ quidem ossis temporalis traiectio, alterum quòd temulento id factum sit, tertium uero sanguinis eruptio: inquirit à quonam horum sit orta cõuulsio. cui respondebo facile. Nam de ossis temporalis discissione ita Hipp. Quòd plagæ tẽporibus inflictæ letales sunt, & perturbantes. quòd item in conuulsionibus distentionibusq; temporum musculi primi patiuntur. De ebrietate uero aphorismum illum dixit: Si ebrius quispiam repente obmutuerit, cõuulsus moritur. De sanguinis autem eruptione, quòd cõuulsio à repletione fiat, uel uacuatiõe, nõ autem totius corporis, sed neruorum ipsorum. quo fit, ut ex sanguinis eruptione haud quaquam cõtrahantur, nisi refrigeretur, uel propter præsentium incuriam, uel quod sedare uelint fluxionem sanguinis per refrigerantia remedia.

30 In sudore sputa præter fluẽtia febriẽti ægro leuia. An ad dies aliquot uentres humectentur? arbitror. an his abscessus in articulum futurus?

Quidam dictionis antecedẽtis finẽ principium huius efficiunt, bifariam. alij quidẽ cum articulo, τὰ σπασμώδεα, id est conuulsiua in sudore sputa præterfluentia. uerum quod ad intelligẽtiam ipsam attinet, nihil interest siue adiectus, siue ademptus fuerit articulus. qui uero deinceps dictis, cõuulsiua, præordinãt, magnam faciunt sensus permutationẽ. Atq; adhuc magis scriptura alia, quã recen-

recentiores quidã moliti sunt, pro ἐν ἱδρῶτι, id est in sudore, nomẽ compositum ἀνιδρωτὶ, id est non in sudore & absq; sudore facientes. Si igitur non sæpius in dictionibus multis, quæ nihil conferãt ad prædictionem pro conferẽtibus adscripsisset, confestim culpassem eos qui dictioni uocẽ conuulsiua, pręscribũt præordinantq;. cum uero & ipse adiecerit quod nihil conferret, ignosco ijs, qui conscripserunt, cõuulsiua: quanq; ad præsentia nihil quod effatu dignum sit, conferat. siquidem in febribus cũ sudorib. nõ iudicatorijs præterfluẽtia sputa ob copiam immoderatam uel uirtutis imbecillitatem oriunt. atq; ob id sunt εὔηθη, id est leuia, quasi ἄτροπα, id est nõ cõtumacia, & uersu facilia dixerit. Absurdior autem fuerit intelligentia si ἀνιδρωτὶ, id est nõ cum sudore scripserimus. quanquam qui scripturam antiquam permutauerunt, tanquam sapiẽtius quippiam inuenissent, ita scripserunt, pro ἐν ἱδρῶτι ἀνιδρωτὶ facientes. Orationem autem hanc, an ad dies aliquot uẽtres humectentur? in ægro factum id uidelicet conspicatus ita scripsit, an multis euenire id possit, inquirens. Nihil autem certi, quantum ex dictis est, quod ipsi respõdeamus, habemus. Nempe quo pacto tali in ægroto cætera habeãt limitare oportet, de quibus dixit nihil. Modus idem est de futuris in articulos abscessibus. Constat enim quibusnam ex signis talia definire oporteat: de quibus in præsentia nihil dictum est.

31 Quæ cum tantula ferocitate in desipientiam pellunt, melancholica. si uero à muliebribus fuerint, ferina. amplius autem incidunt hæc. an & hæ conuellantur? an cum caro quoq; aphoniæ conuulsiuæ? quomodo coriarij filiæ obuenit. cœpit autem malum præsentibus menstruis.

Quamnam appellet melancholicam desipientiam dixi antea. Nam is dictionis eiusdem quam nunc retulit, scripsit principium. Præsens uero sermo, ut autor fatetur, est quod coriarij filiã ex menstruorum retentione ferociter delirasse cõspexerit. demonstrauit autem per uocẽ hanc melancholici intentionem. Prompti siquidem ad inferenda propinquis mala, qui ex melancholia delirãt. ubi aũt ingentia mala designant, ferinas desipientias appellat. Sed quòd ex purgationis menstruorum retentione talis oriatur desipientia, neq; prorsus uerum, neq; magna ex parte. Nam si melancholicus fuerit sanguis, atq; in cerebrum ierit, desipientiam huiusmodi parit. Si uero biliosus, nõ talem, sed consuetam familiaremq;. si copia pituitæ fuerit, cataphoram lethargumq; magis efficiet: si uero mistum ex his, mistam etiã affectionẽ ex cataphora & uigilia, uel desipiẽtia cõficiet. ut aũt horum nihil uniuersale ipsis inest: sic neq; cõsequentium aliquid, quæ coriarij filiæ euenisse scripsit.

32 Quibus conuulsis oculi fixi relucẽt, non apud se hi sunt, diutiusq; ægrotant.

Quidam pro παρ᾽ ἑωυτοῖσι scribunt παρὰ σφίσιν αὐτοῖς. sed quod utraq; oratio & παρὰ σφίσιν αὐτοῖς εἶν, & παρὰ ἑωυτοῖσιν εἶν; id est apud se esse, de his dicatur, qui tum intelligunt tum sentiunt, cuiuis patet. οὐκ εἶν παρ᾽ ἑωυτοῖσιν autem est non intelligere, sed mente circumagi distrahiq; iudicium. sed quòd nota habeat ex oculis fixe relucẽtibus, ut ex alijs quibusdam, ignorant. Satis uero fuerit in eam rem quod ab eo dictum est: Oculi ferocitas desipientiam indicat. quomodo & idiotis ipsis dilucet, qui non prorsus stupidi existunt. Nempe quòd id semper subaudire oporteat, constat omnibus. uocamus siquidem in eiusmodi omnia testes idiotas, qui rudes tum existunt, tum uocantur: sed maxime quidem si fieri possit, natura prudentes: si non, mente desides ignauosq;. In pręsenti uero sermone supra modum relucere oculi ponuntur, quod per seipsum signum irascentium erat. sed forsan id oculo ἀτενεῖ, id est fixo cõtẽtoq;, quod est θρασεῖ, id est feroci, concurrẽs uehementiorem indicabit fore desipientiam. Superuacue autem ad prædicẽdum quòd delirաturi tales sint, cõuulsorũ meminit. Nam & sine his procreari potest desipientia, & præsentibus his nõ procreari. Aegrotaturos autem diutius & temere magis dictum est. Nempe in quibus conuulsis fixe ferociterq; relucẽt oculi, hos acute ægrotaturos, nõ diuturnius, rationi est consentaneum.

33 Sanguinis ad latus diuersum eruptiones malæ, ut si cũ lienis magnus fuerit, dextra ex nare fluat, atq; res in hypochondrijs ita habet. cum sudore deterius id existit.

Si quippiam aliud sæpius cõtingere ipse uidi, ita & hoc. Videtur aũt Hipp. ex multis experientia quã ex particularibus sibi fecit, uniuersalia collegisse. Nẽpe & in Epidemiorũ libris ęgrotos scripsit multos, alios quidẽ quibus sanguis salubriter erupit, alios uero quib. insalubriter. Causam horũ alibi enũciãtes cõsiderauimus. Nũc id nosse satis fuerit, ꝙ qui asserũt quomodo ex hepate caua uena sursum per thoracẽ ferť, ita & ex liene aliã ortã partib. distribui sinistris, nõ uera dicãt. cũ una sola uena sit, quæ ex partib. septo transuerso inferiorib. ascendit. Quærit aũt nõ sine ratione ab expositorib. quã ob causam uerbo, lienis, adiecerit, magnus: aiuntq; qui maxime probabilia dicere uisi sunt, in paruo liene nõ admodũ manifestã esse in utraq; uel præsidij uel offensæ inclinationẽ. Ego uero sermoni adiectũ esse existimauerim uerbũ magnus, quasi uel tumefactus, uel in molẽ assurgẽs, uel phlegmone obsessus adscripserit. Nã si lienis simpliciter scripsisset, rursus alia oriretur quęstio, q̃nã uitio lienẽ affici dicat. Quo igiť hoc nõ inquiramus, sed nobis cõstet in omi tumore præter naturã lienẽ fatigãte in latus diuersum sanguinis eruptionẽ nocuã esse, limitatiõis gratia uerbũ magnus, adscripsit. Exemplũ aũt hoc ipsum uidelicet de liene omnium cõmune est, quibus ad latus diuersum sanguis erumpit. atque ob id sermoni additur aduerbium, ut, perinde atq; si ita dixisset, ut si cum iecur magnum fuerit, ex sinistra na-

re

re erumpat sanguis. Cæterum ita à liene tanquam exemplo ad iecur transire in promptu esse arbitratus, iecoris non meminit. Quòd autem à uiscere ad uiscus migratio fieri possit, adiecit hypochondrium, inquiens: Atque res in hypochondrijs ita habet, ne tantum ex uisceribus directas sanguinis eruptiões bonas esse existimemus, uel malas quæ in latus diuersum fiant, sed etiã ex hypochondrijs ipsis. Cum autem uitiosa sit, quę in latus diuersum fiat sanguinis eruptio, deterius adhuc fuerit signũ si cum desudatione contingat. ἐφίδρωσιν autem, id est desudationẽ iam sæpius quidem in hoc scripsit libro: sed nusquam ita lucide ut cognoscamus nunquid sudores circa thoracem caputq; apparentes ita appellet, an eos qui toto emanant corpore, ubi tum pauci, tum nihil conferentes sint. Prauum autem utrũq; horum est: deterius autem quod in superis fit partibus. Nempe cum omnis desudatio demonstret uel copiam in sudantibus partibus, uel facultatis retentricis imbecillitatem, utrumcunq; eorum in locis, tum thoracis, tum capitis fuerit, deterius est signũ quàm si in alia quapiam parte fuerit.

34 Ex naribus exiguo cum sudore perfrigescentia maligna prauaq;.

Rursus hoc loco interpretatione est usus, non adiecto orationi ex naribus erumpẽte sanguine, quod nos de necessitate subaudire oportet, propterea quòd nihil aliud intelligere ualeamus. Fiet autem sermo integer, si ita interpretari liceat: si ex naribus sanguis erumpat, cum sudores uel fuerint uel superuenerint, perfrictionẽ quidem aiunt malum indicare morbum. At cum perfrictio tum in extremis fiat, tum per totum corpus, grauior certe difficiliorq; quæ per totum corpus est.

Post sanguinis eruptionem deiectiones nigræ malæ. prauæ autẽ & impense rubræ. an in quarto die talis eruptio fiat? comatosi ex his cõuulsione moriuntur. an nigris procurrentibus & tumefacto uentre.

Rursum & hoc loco ut in alijs multis sermonẽ manifestum utilemq; ab Hipp. dictum confudit. Est autem ipsius primum quidem uniuersale huiusmodi: Iudicatoriorũ non iudicantium alia quidem letalia, alia uero difficilem faciunt iudicationem. Cum autẽ iudicatoria multa sint, in horũ singulis suus est sermo. particularis quidem ad eum, qui dictus est relatus: uniuersalis uero ad subiectos subordinatosq;, qualis & talis: Sanguinis eruptio non iudicans, uel mortalis, uel iudicium reddit difficile. Ita sudor, uel copia tum urinarũ, tum deiectionum, tum uomituum, uel quę per hęmorrhoidas, uel uterum excernuntur, & parotides, & cæteri humorum influxus ex alia parte in aliam transeuntes. Omnia siquidem hæc si non iudicãt, interdũ quidem letalia, interdum uero & δύσκριτα, id est ἄκριτα ποιεῖ τὰ νοσήματα, id est morbos iudicationis expertes faciunt. Communissima autem ex his efficitur oratio uniuersalissima genera

A lissimaq; (uocet enim unusquisq; pro suo arbitratu) iudicatoriorum non iudicantium alia quidem letalia, alia non iudicabiles faciũt morbos. Prestat autẽ hoc loco quando sint letalia, & quando non iudicabiles faciunt morbos definiuisse, id quod etiam ab Hipp. ipso demonstratũ. Quæ nanq; ex iudicatorijs nihil iuuat, sunt iudicatu difficilia. Quæ uero etiã in contrariũ repunt, sunt letalia. Iam quæ ad contrariũ inclinãt, alijs ex signis certitudinem capiunt: quomodo & malignas scripsit hoc in loco deiectiones. acciderit quoq; aliter cuipiam altera talis affectio maligna, ut uomitus, uel prauæ urinæ, ueluti & perfrictio quæ cũ difficultate excalfieri possit aut totius corporis aut extremarum tantum partium. sic etiã profunda sitis, æstusq;, &
B caligo, & implaciditas, & uigiliæ, atq; prauorum aliorum quippiã. Didicisti uero hæc eadem omnia ex commentarijs De iudicationibus, atq; ex Prognostico, quædã item ex Epidemijs. Scripsit certò & hoc loco sermonẽ uniuersalem particulariũ speciem unam cõmemorãs. Nempe qui modo artem ediscit, putat sola hęc maligna esse, de quibus audiuit. Si uero acri est ingenio, potest & alia quædam talia esse suspicari, tẽpusq; expectare aliud, in quo & ipsa perdiscat. Quòd si ita didicerit, tunc alia quoq; quæ particularia existunt, rursus expectabit inscius quantum doctrinæ adhuc ipsi desit. Qui uero uniuersale didicerit, particularia omnia cognoscit. At qui Prorrheticũ hoc scripsit, in particulari uersatur. atq; ob id interdum quidem ex di-
C uersi generis symptomatis cõcursionem aceruat: interdum uero ex uno ægro, aut duobus uniuersaliter pronunciat: atq; aliquando addubitat, ambigitq;, quomodo & nunc inquiens, An & quarto die talis eruptio fiat? Nam uelut quempiam uiderit cui quarto die sanguis erupit, omisso nomine sermonem fecit, quanquam dies ipsi uniuersalem in Prognostico habeant disciplinam. Rursus autem particularia enũcians Prorrhetici author, nõ tanquam particularem, sed tãquam uniuersalem fecit sermonem, scribens ita: Comatosi ex his conuulsione moriuntur: non necessario fiente, proposito, sed interdũ contingẽte, ueluti & aliud quippiam quod inutilem habet generationem, sed id quidem simpliciter enunciauit. de nigris autẽ pro-
D currentibus & uentre tumefacto, respondemus ipsi & hic posse quidem & ea fieri. sed neq; perpetuo, neq; ut plurimum.

35 Sanguinem profundentia cum desudatione uulnera mala. loquentes ita affecti occulte pereunt.

Quidam τρώματα, id est uulnera per τ. & ρ. & ω. primã syllabam scripserunt. alij autem, τρομώδεα per τ. ρ. & ο. & usitatissimæ quidẽ scripturæ hę sunt, tum expositoribus, tum scriptoribus: sed concursionibus raræ existunt. ueluti & quæ primam scriptã habet per τ. ρ. α. & υ. Exordiendũ igitur est & nobis à cõsueta usitataq;, quã per τ. ρ. & ω. scriptã reperimus, & quæ idem significat cum ea, quæ per τ. ρ. α. & υ. scribitur. Nempe τρώματα

læsiones eas appellat etiã Hipp. quæ ab externis A inferuntur causis. fecisse igitur in præsentia sermonem non solum in uulneribus uel exanthematis, uel abscessibus, uel diuisionibus: uerum quoque & in sanguinis eruptionibus, par est. quin in uulneribus cõsonant magis cum sola hæc sanguinem profundãt. Quidam scriptorem hunc etiamnum de sanguinis e naribus profusione nunc agere dicunt, non in febribus solum: uerum quoque & in iam dictis affectionibus interficere. Siue igitur de omĩbus his sermo sit, siue de uulneribus dũtaxat, sanguinis cum desudatione profusiones malignæ sunt, nec dissimili modo si & τρομώδεα, id est tremores scriptum fuerit. illud autem, Loquẽtes eos occulte perire, tale quippiam indicare aiũt. quòd tales nihil mali habere uidentur: sed tanquam extra periculum constituti & præsentibus loquẽtes repente pereãt. Quòd si aduerbium λαθραίως, id est occulte, hoc uelit ipsis significare, naturalẽ interpretationẽ alienis metaphoris permutare summopere studere uidentur. Putant nanque uirtutem esse orationis semper à communi loquendi consuetudine recedere: perinde ac si nihil referret si quis uel ad deterius recedat.

36 Post modicam sanguinis eruptionẽ, nigramque deiectionem in acutis morbis surditas malo est. sanguinis deiectio in his perniciosa, surditatem uero soluit.

Continetur in hac syndrome uerum quippiam & uniuersale. Nempe in acutis morbis, nigris ex deiectionibus si sanguinem deiecerint, perniciosum uere existit. id quod & nos scimus & cæteri qui in artis operibus consenuerunt. Atqui symptoma esse uidetur eam secundum rationem qua in superpurgationibus ultimũ excernitur quod sanguineum est: sed particularium est in his quos scriptor nominauit.

37 Lumbis dolentibus stomachi dolores accedentes signa eruptionis sanguinis puto notamque prægressam.

Non recte explanauerunt dictionẽ hanc plerique, qui in hunc librum cõmentarios scripserunt: simulque & pugnantia dixerũt. Videtur autem mihi quis ipsam in discentium utilitatem hoc modo exponere posse. Non meminit febrium uel acuti morbi ut consueuit. Vt ergo sermo eius in non febrietibus sit, uerisimile est: ex nulla manifesta causa plures cõsequentes dies lumbis dolẽtibus atque ore uentris. In his igitur uacuationem per hæmorrhoidas expectare oportet. Posses autẽ nõ solum id fore prædicere: sed & propter hæmorrhoidum retẽtionẽ illa facta fuisse cõijcere. magisque si eius, qui hæc patitur temperaturã uideas melancholicã, ut tibi ex dictis prædictio nõ solum futuri, uerum & præteriti, & tertio præsentis sit. Nempe cum ab alijs distinctus fuerit lumborũ & oris uentriculi dolor, præteriti quidẽ erit prænotio, quòd & antea fuisse illi per hæmorrhoidas uacuationem noueris. futuri quòd & nunc erit. præsentis autem affectionis perspicua sunt symptomata. Nempe copia in uenis aceruata tenue quoddam serum in uentrem confluens cardialgias parit in os ipsius ascendens, quod omnium ferè partium maxime sentiendi facultate præstat. Bona autem abundantiæ portio ad inferum repens locum, in quem et primum deferri consueuerat, lumborum dolores efficiet.

38 Qui statis certisque temporibus sanguinem profundunt, siticulosi hi, difficiles & exoluti si non profuderint, epileptici moriuntur.

Hoc rursum loco satis erat uniuersaliter dicere, primum quidem quibus uacuatio sanguinis con- B sueta retẽta fuit, his morbos fore plethoricos, manante ipso ad eas corporis partes, quę retentis excretionibus propinquæ sunt, uel ad eas quæ imbecilliores existũt. particulatim uero de ijs, qui ex hęmorrhoidibus, utpote qui excrementa atræ bilis alant uel melancholiam, uel phthisin, uel hyderum, uel uarices, uel cancrum, uel elephantem. præter hos autem unicuique in ea parte fore affectionem, quæ cæteris manifeste imbecillior existit. Non recte autẽ duorũ symptomatum cõcursionem adiecit, sitis & exolutionis in sanguinis retentione. Nam sitis nullo pacto retẽtionis sanguinis proprium existit: exolutio autem immoderatas excretiones nõ retentiones cõsequitur. & recte dictum est in secundo Epidemiorum: Sangui- C ne multo fluente lassescere. ubi & quod ex uoce exolutionis significatur exposui.

39 Qui statim perturbantur, peruigilant, naribus stillant, sexto die leuantur, nocte laborant, postridie sudant, in somnum feruntur, delirantque, abunde sanguinẽ profundent. an et aquosa urina tale quippiam indicat?

Dilucide rursus hoc loco ostendit quod in particularibus apparet concursionibus. Nempe profluuij sanguinis peculiaria sunt signa clare in commentarijs De iudicationibus deinceps scripta. Nunc autem in homine qui abunde sanguinem profudit, omnia quæ sanguinis profusionem ante- D grediuntur scripsit.

40 Quibus sanguinis eruptio multa fuerit, procedente tempore aluus male afficitur, si non urina concocta fuerit.

Dixit in Aphorismis Hipp. Quibus in febribus sanguinis quacunque ex parte copia eruperit, cum reficiũtur, alui his humectantur. hic autẽ simpliciter inquit πονηρεῦνται, id est male afficiũtur. forsan in uerbo male afficiuntur, complecti uolẽs & humectantur, & quęcunque in uentre perperã fiunt, alijs siquidem morsis, alijs inflatis, uel ructu acido correptis, uel prorsus non coquentibus. Omnia autem caloris natiui inopiam consequuntur, ob quam & urina aquosa uidetur.

41 In iudicatorijs perfrictionibus sangui-

nis eruptiones uehementes pessimæ.

Conspicuus est sermo nullamq; quæstionẽ habet, si uehemẽtes & pessimæ scriptum fuerit. si uero, ut nõnulla exemplaria habent, pro κάκισται, id est pessimæ, scriptũ fuerit κράτισται, id est optimæ: maxima oritur quæstio. quod defendẽtes nõnulli, tale quippiã significari aiũt: quæcunq; sanguinis eruptiões uehemẽtes refrigerant in iudicatorijs diebus optimę sunt. tanquam refrigeratio sanguinis eruptiões retineat. Hi autem nõ scriptam enarrãt dictionem: sed alteram, quã ita dici oportebat: Quę in iudicatorijs dieb. fiunt eruptionum sanguinis uehementium refrigerationes, optimæ sunt. Adde quod frustra additum sit, iudicatorijs diebus. Nempe quocunq; die sanguinis eruptionibus uehemẽtibus perfrictiones aduenerint, sanguinis eruptiones sistunt.

42 Capitis affecti grauitate, & sincipite dolente, peruigilesq; sanguinem profundũt, tum aliàs, tum si quippiam in ceruice tendantur.

Sanguinem profundunt quidẽ & in huiusmodi concursionibus, sed non multi.

43 Qui peruigilauerint, repẽte cum inquietatione quadam sanguinem profundunt, tum aliàs, tum si quippiam non ante fluxerit. an & ubi inhorruerint?

Concursioni quoq; huic sermonem adijciam eundem, quod quidam horum sanguinẽ profundunt in capitis doloribus.

44 Ceruicis dolores, impẽse rubri oculi, sanguinis eruptionem ostendunt.

Reuera hæc ubi cõcurrerũt, sæpe sanguinis eruptionem induxerunt. Verum alia prius relata, raro. Inter hæc uero magna præstant uirtute impense rubri oculi.

45 Quibus uenter sistitur sanguinem hi profundunt, superrigentq;. an uenter intestinorum incurrat leuitatẽ, fiatq; durus, uel ascarides fatigent, uel utrunq;.

Verbũ αἱμοῤῥαγεῖν, id est sanguinẽ profundũt, autorẽ uelle intelligere sanguinẽ è naribus fluere sæpius nõ semel ostendi. arbitrorq; eũ adnotasse aliquẽ qui suppressa aluo sanguinẽ profuderit, deinde superriguerit, & postea intestinorũ leuitate correptus sit. Sed q aluus cũ intestinorũ leuitate induruerit, controuersiã habet manifestã. Nempe quidam duritiẽ in ipso uentris corpore intellexerunt, nõ in excrementis: alij nihil id prohibere inquiunt, alijs quidẽ sanguinẽ profundentiũ adhuc magis q antea superinduratũ esse uentrẽ, alijs uero contractã intestinorũ leuitatẽ, ueluti & habere ascaridas. Alij fieri posse inquiũt lienteriã durã, si quæ permeauerint nõ solum qualitate uel inuertibilia, uel immutabilia mãserint, uerũ quoq; & dura qualia deuorata sunt, citra ullã madefactionẽ. Dioscorides præsentẽ dictionẽ in duo secans seorsum quidem scripsit, quibus uenter sistitur, san-

A guinem hi profundunt, & superrigent. an ad sanguinis profusionem tale cõsequatur? deinde principio altero inquit, uenter intestinorũ leuitate correptus, uel durus, uel ascarides, uel utrũq;. Scribit autem nõ ἐπίσκληρος sed ἐπίσλληρον per ν. & iuxta illud superne imponẽs λ utrinq; punctis includit. uult autẽ per uocem hanc ἐπίσκληρον, corpus induratum significari.

46 Quibus ad caput manusq; ex lumbis fit recursio, stupefacti hi, uentriculi ore dolentes, & saniosi sanguinẽ abũde profundunt, uenterq; turbatis his copiose fluit.

Diligenter rursum hoc consideres loco autorẽ, qui concursiones ita scribit, ut in quibusdam san-
B guinem profundentibus uidit. Et si quę à me sunt demõstrata memoria tenueris, iudicare ipse quænam superflue scripta sint in sanguinẽ profundentibus facta indicia, poteris. Cætera quidem dictionis similiter quamplurimi scribunt. quidam uero non ἰχωρώδεες, id est saniosi: sed χωλώδεες, id est biliosi scripserunt. Si uero eorum quæ supra dicta sunt, memor fueris, quonam modo utrunq; defendi possit non ignoras.

47 Quibus ex copiosa sanguinis eruptione & frequenti, nigrorũ multorum est deiectio. hi suppressa aluo, dolorosi sanguinem profundunt, cum quadam uero fluxione facile ferunt. An hi sudores frigidos habeant
C multos? perturbata his urina mala non est, neq; quod residet genituræ simile. frequentius uero meiunt aquosa.

Conspicatus quoq; hæc omĩa, uniuersale inde comprehendisse se manifestũ facit, ac ostendit q singulorum quæ dicta sunt, uires nõ cognouerit. quæ tibi cõstant si es memor eorũ quæ dicta sunt, tum in his Commentarijs, tum in ijs quos in Prognosticum fecimus, tum in libris de iudicationibus. Meditationẽ quoq; eorum exercitationẽq; in Epidemijs perdidicisti. Lectis autem aut semel aut bis talibus, ut memoriæ tuę confisus à reliquo temperes, non oportet. Vix eñ eam tum facilem, tum promptam habebit qui etiam assidue in omnibus uersetur commentarijs.

D 48 Quæ ex naribus cum surditate & ignauitate parua est stillatio, difficile quippiam habet. uomitus his confert, uentrisq; perturbatio.

Nescio quomodo uelut paruum malum despiciat sanguinem è naribus stillicidij instar fluentẽ. Nempe orationẽ ἔχει τι δύσκολον, id est difficile quippiam habet, in paruis dicere homines cõsueuerunt: sed nõ paruũ id malũ existit, etiamsi absq; surditate ignauitateq; fuerit. Cũ his uero, quæ cerebrũ affectũ esse indicant: letale signũ erit sanguinis è naribus stillicidij instar fluor. An uero uomitus uel uentris perturbatio his cõferat, nõ potuit simpliciter absq; distinctione pronunciari. Distinctio autem est quibusdam morbi in principio si ui-

res ua

res ualentes, uel ſanguinis redūdantiam habeant, uel pituitæ, uel alterutrius bilis. Nā ſi uires ualentes, ſanguiniſq; abundantiam habeant, quòd ſectione uenæ non uomitu, uel uentris perturbatione indigeant, neminem latet. Quòd uero in uomitibus uētriſq; perturbationibus antea eſt dictum pateſcit: quòd medicus uomitum ciere & uentrem perturbare debeat, ſi ea quæ in natura fiunt, non compareant.

49 Quibus ex rigore ſæpe febres laborioſæ fuerint, muliebria his decurrunt, ceruix autem in his dolens ſanguinis indicant eruptionem.

Mulieribus quoq; recte ualentibus etiam citra rigorem cum febre mēſtrua fit purgatio, cum ſenſione quadā laborioſa. Cum igitur & rigores fuerint, maiorem totius corporis motionem parientes, & ſanguine in eo redundante naturam ad ſuperflui uacuationē excitent, magis utique muliebrium, id eſt menſtruarum purgationū uacuationem fore ſpes eſt: ſi & purgationis, quæ per circuitum repetit, tēpus adfuerit. Si uero ceruix ex prædictis doluerit, uergentis ad ſuperas partes humoris ſignum conſtituitur.

50 Et per nares ſanguinē effundere ſpes eſt, ea quæ caput cōcutiunt: Et quæ ſonitū faciunt, ſanguinem profundunt, uel muliebria deducūt, tum aliàs, tum ſi ſpinæ æſtus conſequatur. forſan & dyſenteriā facient.

Rurſus hoc loco nomen unū adſcripſit anceps ambiguumq;, totam dictionis ſeriem quæſtionis cuiuſdam opus habere efficiēs. Nempe quænam ſint caput σείοντα, id eſt cōcutientia, obſcurū admodum uidetur. Quidā enim capitis ſymptomata omnia ita dicta eſſe inquiunt: inuenta generali quadā hac uoce ab eo, ut antea cum de uentre ageret, uocem hanc πονηρεῦϑαι, id eſt male affici inuenerat. Alij in palpitationibus pulſationibusq; temporalium uenarum, uel tremulis, uel quodammodo uibrantibus, motionem quandam totius capitis. hæc igitur caput cō cutientia mouēt interdum & ſanguinis è naribus eruptiones, ueluti & menſtrua. Sperat autem id fore magis, ſi mulier ſenſionem æſtus ardoriſq; circa ſpinam habuerit. Potes autem contriſtantium humorum ad caput impetum cauſari, niſi per uterum uacuentur, uel dyſenteriam procreent.

51 Ventris quoq; palpitationes cum hypochondrij tenſione ſublonga & tumente ſanguinis indicant eruptionem. inhorreſcunt autem hi.

Incertū eſt de quonam ſymptomate dictum ſit παλμῶν, id eſt palpitationū nomen. Nempe præter id quod neq; appellatiōes antiquorum aperte diſcretæ ſunt, ut & oſtendit liber De palpitatione, in quo de arteriarum pulſibus diſſeritur, & hic libri huius autor ad nomina conſtituēda uel ex abuſu uel metaphora promptus exiſtit. Non ignoA ramus autem q; cum Hippocrates in Prognoſtico diceret: Si uero pulſus in hypochōdrio inſit, ſubintulit: perturbationem aut dementiam indicat. Cæterum et ibi quidam intellexerunt pro pulſu palpitationem dictam eſſe. nōnulli uero proprie de uehementi ſpinā perreptātis arteriæ motione. Quāquam autem & hi palpitationem ſcripſerunt, nō tamen ſanguinis profundēdi ſignum indicatoriū pulſum hūc eſſe enūciauit in Prognoſtico Hipp. Sed poſtea de hypochōdrij inflāmationibus ſcribens ſermoni adiecit: Fit autem his & ſanguinis per nares eruptio, & ualde iuuat. atq; ut magis fore quis ex naribus ſanguinis eruptionem ſperet, interrogandos eſſe ait an capite doleant, aut oculi caligent. Nam ſi horum quippiam fuerit, in eam
B partem ſanguis repet. Quum autē bene Hipp. in hypochondrij inflammationibus dixerit: Fit autem his & ſanguinis per nares eruptio: hic hoc loco ſermonē ex uniuerſali in particularē trāſtulit, inquiens, cum hypochondrij intentione ſublōga: fuerit autem ob ſanguinem tenſio ea mediorum duorum muſculorum: qui à thorace ad pubis oſſa pertinēt. Fit autem & ſplenis phlegmone ſublonga. Sed nemo phlegmonas huiuſmodi, quæ cum palpitatiōe fiant, hæmorrhagicas eſſe dixerit. Verum in phlegmonis hepatis, aliorū hypochondrij muſculorū (ſex enim reliqui à duobus prædictis exiſtunt) ipſis ſanguinis eruptiones eſſe. Quod ergo in dictionibus multis libri autorem redarguerim, redarguere quoq; & nūc non pertimeſcā, qui
C ſcilicet particulariū enunciationem multam fecerit, breuē autem & ueram doctrinā uniuerſalium reliquerit. Præterea in calce dictiōis adiecit, inhorreſcunt autem hi, tanquam uniuerſaliter his contingens, quanquam uniuerſale non ſit: fit enim ex talibus concurſionibus interdum & hoc ſymptoma: perpetuo autem uel magna ex parte non fit. Scribenda uero ſunt in prorrhetica doctrina quæcunq; uel perpetuo, uel magna ex parte fiunt. ueluti quo in propoſito ueluti expēli ſermo manifeſtus fiat: ſi quis dixerit inter muſculos abdominis octo numero exiſtentes, medios rectos hæmorrhagiæ aptiores cæteris eſſe, plus edocebit quàm qui hæmorrhagias ſuperuenire dicunt. Aut ſi ſimpliciter dicat, ſolos hos inflammatos hæmorha-
D giam inferre, ſiquidem et aliud quoddam ſignum hæmorrhagicum ipſis acceſſerit.

52 Quibus è naribus copioſa uiolenta, & multa fluunt, ad conuulſiones hi interdum deducuntur, uenæ autem ſectio ſoluit.

Si in huiuſmodi ſanguinis eruptionibus cōuulſionem aſciſci ſimpliciter dixiſſet, hominē reprehendiſſemus q; ut in cæteris multis ita & nunc particulare tanq; uniuerſale pronunciaſſet: quia uero Interdū appoſuit, laudamus & uera loquit. Nempe & nos ſæpius uidimus in hæmorrhagijs huiuſmodi conuulſos aliquos non ſolum ob exuberantem purgationē, quā ὑπερκένωσιν uocant: ſed etiā propter refrigerationē, ſi medici caput refrigerauerint ſanguinis profuſionem retinere uolentes.

Quod autem in dictionis calce dictum est, uenæ sectio soluit, tale quippiam indicare uidetur: Tales affectiones, in quibus uehemēter sanguinem profundūt, uenæ sectio soluit ante sanguinis profusionem exhibita. Constat autem quod grauata sanguinis multitudine natura excitata quidem sit ad ipsius euacuationem, sed modum obtinere nō ualens, uocatā à recentioribus medicis ὑπερκένωσιν, id est superuacuationem fecerit. Potest autem & uehemētis ipsius hæmorrhagiæ auxiliū sectionem uenæ dixisse. Nempe et nos sæpius auxilium experti sumus, perspicue immoderatā sanguinis lationem sistentes. Quod autem manū recto tramite nari, unde sanguis abunde fluit respondentem secare, manusq; eiusdem humeralem uenā ferire oporteat, liquido constat omnibus. si uero ex nare utraque fluxerit sanguis, secare utrasq; nihil prohibebit: non enim per eas uacuationis, sed reuulsionis gratia sectionem facimus.

53 Frequētes & paruæ surrectiones suffiauæ lentæ stercoreum exiguum habētes, cum hypochondrij dolore & lateris, morbi regij participes existūt, An his suppressis hi exoluantur? simulq; sanguinē profundant? lumborum tensio his, & dolores sanguinis indicant eruptionem.

Congessit rursus hoc loco symptomatū diuersi generis multitudinē quæ uidit, nec ipse affirmat: singulorum autem uires didicisti in his, quos paulo ante dixi, Hipp. libris, & nostris cōmentarijs.

54 Hypochōdrij tensio cum capitis grauitate & surditate, & quæ cōsequenter fatigant, sanguinis denunciant profusionem.

Vult sanè quę circa aspectum Hippocrates tenebrosa dixit, in dicta symptomatum concursione hæmorrhagica ostendere, sicuti per commētarios nostros didicisti. Nempe rursus admonere, quæ nuper sæpius memorauimus, cōmentarios in sermonis prolixitatem est extendere.

Vndecimo die sanguinis stillicidij instar fluores difficiles, tum aliàs, tum si superstillauerint.

Verbum quidem ὑπερστάξει, id est superstillauerint, superuacuum existit. Nam si & decimoquarto, similiter absurdum. Cum autem omnes è naribus stillationes difficiles sint, quoties crassæ & nigræ destillationes fuerint, maxime perniciosas has reperies. Si uero tale quippiam diebus quibusdā uel indicatorijs uel iudicatorijs cōtingat, certius præostendisse licet. Vndecimus autē decimiquarti est index. Vbi ergo theoremata uniuersalia diximus, nunc libri huius autor particulare aliquod unum dixit: undecimi diei in ipsis mentionem faciens. In uniuersali autem de indicibus & iudicatorijs, id dixisse par est.

55 Qui in horrore simul iudicatorie sudant, postridie uero ubi inhorruerint, præ-
A ter rationem uigilant, hos sanguinis eruptionem incursuros puto.

Bene dixit, puto, prædictionis eorum quæ neque assidue, neque magna ex parte fiunt affirmationem adimens.

56 Quibus principio largum sanguinis profluuium, rigor fluxionem sistit.

Est quando rigorem moderatum uidimus prægressum sanguinis profusionem in corporis plenitudine. turbationē etenim in ipso faciēs naturam ad excernendum quod infestat, irritat. Magna igitur ex parte sudores, uomitusq; biliosorum, & deiectiones ex rigore fiunt: cōtingitq; & interdum, ut dixi, per sanguinis profusionem, copiam uacuari.
B Si uero successerit rigor largę sanguinis profusioni, ipsam reuellit.

57 Ex hæmorrhagia, rigores longi.

Vbi morbum nō sedauerit sanguinis eruptio, exceperitq; eam rigor, utrunq; longū redditur, ex eo quod corpus difficulter calfiat. & quod pluribus insuper maneat diebus, fiens, ex circuitu quidē plurimū, cōtingit aūt interdū & uagabunde.

58 Quibus capitis dolores, ceruicis labor, atq; totius corporis cum tremore infirmitas, hæmorrhagica soluunt. cæterum & tempore ita soluuntur.

Multas in hoc toto sermone cōcursiones ex ordine scripsit, methodū uniuersalem in ijs, qui san-
C guinē profundunt, paucis describere non ualens. Considerare autem oportet duo hæc prima: febrē ualde æstiuam, cuiusmodi causi sunt: symptomata item tum capitis tum ceruicis, et pręsertim plethorica. Connumerat quoq; haud dubie & cum symptomatis capitis, quæ circa faciē fiunt. Deinde & quæ toto in corpore abundantiæ sanguinis signa existunt, hisq; nihilominus ea quę anni ex tēpore æstiuo uel uerno, & quæ ex regione tēperata aut calidiore contingunt. Itemq; si in hypochondrijs phlegmōe quędam fuerit, postea quæ circa caput faciemq; sunt hæmorrhagica signa, & si aliquod in thorace hypochondrijsq; uergentiæ ad superas partes signum fuerit. Hæc siquidem omnia in cōmentarijs De iudicationibus exposui, pręterea in
D Prognostici primiq; Epidemiorum: in quibus distincta sunt & uenturæ quàm proxime sanguinis profusionis signa, & quæ talia non sunt.

59 Vrinæ quibus abscessus post aures fiunt, si celeriter & exigue concoquuntur, uitiosæ, & ita refrigescere malum.

Quod in hac quoq; oratione recensetur particulare est sermoni uniuersali subiectū. Nempe urina in morbo omni celeriter & exigue concocta, deinde uero cessans, uitiosum quippiam indicat. Liquet autem quòd & refrigerari malum sit, non in his solum, uerum & omnibus. Neq; enim in cōmunibus adest quippiā peculiare ueluti in ardentibus febribus. Nempe quòd urentes hæ summas partes non calfaciant, malignæ existunt: benignis

man

mansuetisq; totum corpus æqualiter urentibus.

60 Qui subsoporantur icterosiq; existunt, neq; ualde sentiunt, uenter his copiose fluit: forsan quoq; & si detinet, exoluuntur, an & his parotides fiant?

Si ex nobis propria parotidum signa didicisti, perniciose item habentium signa: facile quæ nũc dicuntur propria non esse, tibi constabit.

Suppressæ cum rigore urinæ malæ: tum aliàs, tum si ante sopor prehenderit. num parotides in his fore spes est?

In his quidem quæ antecedunt hanc dictionibus futurarum sanguinis eruptionum concursiones scribere uoluit, sed cõplecti quæ propria essent, paucis, ut dixi, nequiuit. Rursus quoq; & alteram hãc dictionẽ ad prædictionem futurarum parotidũ scripsit: sed quod peculiare sit, nihil habet & ipsa unà cũ hoc quod & permista sint quædam perniciosa symptomuta, ex quibus raro parotides fiãt. Quod autem neq; ipse de parotidum generatione enunciare ausus sit, id sanè ex adiectione coniunctionis An, planè constat.

61 Ex torminoso sedimentum limosum subliuidumq;, malum. an ex hypochõdrijs dextrũ dolere uideatur? exoluaturq;? atq; his parotides parum dolorificæ? uẽter his omnibus copiose fluens perniciem affert.

In cæteris omnibus exemplaribus scriptum in principio dictionis reperi, torminoso, preterquã in exemplaribus Dioscoridæ & Capitonis. Nempe hi scripserunt: ex στροφώδεων, dictaq; apud eos est, de urinis oratio: atq; ob id residentias harum, tum ab Hippocrate, tum ab ipsis considerari, & non deiectionum, inquiunt. Dioscorides igitur στροφώδεα οὖρα dici ait, quæ πεπηγότα, id est concreta quædam per ipsas inuecta habent: facto nomine à uerbo διαστρέφεσθαι, quod est πήγνυσθαι, id est concrescere. Neq; enim ignoramus poetam ita dixisse, καὶ περιστρέφεται κυκλωδῶς, quod est περιπήγνυται, id est circulariter concrescit. Cæteri ferè omnes expositores limosas subliuidasq; in deiectionibus residentias dici nunc aiunt, quoties humectetur aluus, putantq; torminosa conuenire. Nempe eiusmodi deiectiones cum torminibus prorsus fiunt. Subsidere autem inquiunt ita deiectis liquidis residentias tum limosas tum subliuidas ubi praua affectio fuerit, in qua talia excernuntur. Prorsusq; ijs qui talia deijciunt, affectum esse hepar aiunt, atque ob id authorem adiecisse dictioni: An ex hypochondrijs dextrum dolere uideatur? Nempe quanquam deiectiones eiusmodi perpetuo hepaticæ existant, nõ tamen semper sunt cum uisceris inflammatione. quo fit, ut orationi adiecerit coniunctionem, an, quòd scilicet ita affectis dextrum hypochondrium perpetuo dolere asserere non potuerit. Præterea quod deinceps dictum est, exoluatur, hepaticũ proculdubio symptoma est: ut in secũdo Epidemiorum

A est demonstratũ. Post hæc de parotidibus scripsit. Videtur autem in his omnibus dictionibus ex cõcursionibus quibusdam prænotiones harum scribere, atq; id esse maxime & in eo quod ipsi proponitur & in præsenti dictione: sed de his enunciare ausus non est, quanquam in particularibus persæpe uniuersales enunciationes scribere cõsueuerit. Verum nunc sanè ait, An his parotides parũ dolorificæ? rursus quendã talem ægrum uidisse sese ostendens, in quo à natura, impetus quidam factus sit ad parotidum generationem, ut tamen nõ potuerit eò deponere humores affligẽtes, contigitq; ægrum copiose fluente aluo perniciose habere: natura scilicet nõ iudicatiõis ratione, sed propter hepaticæ facultatis imbecillitatem contristantes

B humores deorsum excernente.

62 In anxiosis quibusdam uigilantijs parotides maxime.

Vocẽ, maxime, adiecit in præsentia hæc quòd sæpius uiderit & non semel. quocirca iuxta propositam dictionem uerum est anxiosos esse quibus excitantur parotides: sed id sufficiens nõ est. Nempe quòd dementiam denuncient talia symptomata supra declarauit. Si igitur quæ Hippocrates nos docuit ante contemplatus parotidas fore speraueris, deinde ægrum anxium & uigilantem uideris, parotidas excitandas expecta. signa aũt per quæ parotidas fore sperabis sunt hæc: Primum sanè abscessuum omium cõmune est quod

C diutius trahenti moram morbo eueniunt ægro, deinde si morbus deses fuerit & deorsum uergat, uel calidus & sursum repat, uel ceruicis capitisq; grauitates fuerint, & dolores, & faciei rubor. Nã per hoc si parotidas fore ante speraueris, certior prænotio erit, cum quæ in dictione relata sunt apparuerint. Sermonem quidem illum ante omnia memoria teneri uelim. Post hæc uero signa omnia singulatim dixi ab Hippocrate duobus iam libris scripta ipsa, quibus apponenda sunt quæcunque per pulsus in singulorum prænotionem conferunt. quæ etsi prætermissa quidem ab Hippocrate existant, habes tamen scripta ea à nobis in pulsuum libris.

63 Ex uoluulis male olentibus cum febre

D acuta hypochondrioq; sublimi diutius perseuerante parotides exurgentes perimunt.

In dictiõe hac facta quidem est obscuritas quædam & ob scriptorem, facta quoq; & ob interpretes quosdã, incertũ esse existimantes utrum'ne ex unoquoq; dictorũ symptomatum uir nos sperare uelit ut parotides fiant, an oĩa cõcurrere. In principio quidẽ libri huius cum mens autoris adhuc ignoraret, cõgruenter incerta talia esse quis existimare potuerit. Vbi uero in toto libro ꝓpositi ipsius experientiã habuimus idoneã, cognoscamusq; prænotiones ex horũ cõcursione scribere, cõstat & nunc ex omnibus quæ scripsit simul factis nos sperare ut parotides fiãt, uelle. Quòd uero letales sint si fiant, est manifestũ ꝙ & nũc uiderit in ita laborantibus factas parotidas secutã mortẽ, quę ob paro-

parotidas facta non est, uelut constat ex ijs, quæ scripsit: nempe quod febris acuta erat non sine periculo, quodq; ueluti perniciosa affectio. Quoniã uero amplius nihil scripsit: sed graueolentẽ hunc esse uult, multò utiq; magis. Quomodocũq; enim acceperis graueolẽtem uoluulũ, perniciosior est non graueolente. fieri aũt potest ut graueolens intelligatur, primũ quidẽ in quo stercus euomatur, signum maxime letale: deinde si graueolens fuerit respiratio: tertio si ructus graueolens: quarto si flatus talis: & quinto si graueolens corpus. Nempe talis uoluulus aliquãdo à nobis uisus est.

64 Surdis mansuete parotides fiũt, tum alias, tum si anxiosum quippiam superuenerit, & comatosis magis.

Quoniam aduerbiũ ἐπιεικῶς, id est mansuete in medio dictũ sit eorum quæ multam & eorũ quæ paucam habent spem in omnibus symptomatis: sic et hominẽ uocamus ἐπιεικῆ moderatũ et à quo nihil per uitã fit nimis. Totus itaq; sermo talis quidem est: Si surditas accidat, parotidas fore mediocriter spera. Adijcit autem quod hoc speret, ægro anxioso fiente: idq; magis si & idẽ comatosus fuerit. Verum tum hæc tum antedicta magis desipientiæ & phrenitidis signa sunt quàm parotidum, cum non præfinite dicat in biliosis quidem humoribus ab initio morbi desipiẽtiæ ipsius potius esse signum, procedẽte uero morbo in crudis crassioribusq; parotidũ, & magis ubi iã occupasse parotidum generatio apparuerit. hoc siquidẽ uniuersale caput est in parotidibus, si nõ amplius lateat quod inuasit, ita ut æger impetum infestantiũ humorum caput petere sentiat. Potest itaq; quis hic denuo allucinatus in unoquoq; eorum quæ ad supernas partes motum indicant, scribere, tãquam ex prædictione parotidas secuturas. Sunt uero & modo dicta impetus ad caput signa. Dico sanè surditatem & comatosum, non magis horum quàm eorum qui uentre & thorace laborãt esse symptoma. cũ utriscunq; autem fuerit, horum simul præcognitionem augebit.

65 Paraplegicis parotides uitiosæ.

Paraplegias unius partis corporis affectum talem esse didicisti, qualis est totius corporis affectus apoplexia. Videtur autem mihi uisis forsan uel duobus uel tribus paraplegicis nihil à parotidibus adiutis signum uitiosum eas esse pronunciasse. Ego autem non simpliciter dixerim malum signũ esse superueniẽtes paraplegicis parotidas, sed quod is abscessus morbo minor sit referre fuerit satis. Constat siquidẽ ex Hippocrate abscessus bonos esse qui pro iusta morbi ratione, ad inferas corporis partes deuoluunt, quorum neutrum parotides habẽt. Nempe & affectu minores sunt, & ad inferas partes nõ deuoluuntur: quare hoc duntaxat perniciosum pronunciare non satis erit.

66 Quæ conuulsiuo modo cum catoche exacerbantur, parotidas mouent.

Quod ex cõcursione nihil obseruatio reperiat, rerũ fide didicisse in promptu est: nisi enim natu-
A ram rei in qua prænotionem dicẽdo curationem faciemus, fuerimus contemplati, de singulorũ signorum ui iudicare nequaquam licebit. Et nisi rerum singularum uires noueris, cõflari quippiam nequit. id quod uos edocui in omni arte fieri, nedum in medicinali. Atque hinc quantum Hippocrates superiores suos in uirium cuiuslibet simplicis medicamenti inuentione euicerit, in omnibus suis est demonstratum libris. id quod memoria tenere oportet. Ad præsentem autem sermonem, qui particularis est, tãtum rursus ex uniuersali accepisse conuenit, quantum ad quod nunc dicitur congruit. Catochæ etenim cerebri affectus sunt, ut didicisti, ueluti & per totum corpus conuulsiones: de quibus nunc ipsum dixisse par est. Non e-
B nim simpliciter de manu uel crure uel alia quapiã parte pronunciauit, inquiens: Quæ conuulsiuo modo exacerbantur, quanquam licebit. Conuulsionem autem ex repletione malam esse inquit Hipp. Constat autem conuulsiuos affectus appellari in quibus à principio, aut non multo postea, ubi fieri cœperint conuulsiones, perseuerãt ex repletione ortum habentes. Veluti uiceuersa: quæ ex uacuatione post sudores multos, uel uomitus, uel deiectiones, uel sanguinis eruptiones, uel inediam, uel uigilias, uel motiones tum multas, tum uehementes fiunt. Quæ eñ postea fiunt cõuulsiones, ad euacuationes magis consequuntur. Quæ uero statim ab initio, ad repletiones. Proinde ut parotides ex cõuulsiuis comatosisq; ubi protra-
C hũt, fiant, est rationi cõsentaneum cunctãte ægro.

67 Ex cõuulsione, tremore, anxietate cũ catocha, exigui post aures abscessus proritantur.

Non in exemplaribus omnibus quibus scripta est hæc oratio, eadem habet uerba. At in quibusdam, prædicto uerborũ scripta est tenore. In alijs autem tali: Quæ conuulsiuo tremuloq; modo accedunt, cùm catoche abscessus post aures suscitant. Laudo eos, qui in suis exemplaribus dictionem non scripserunt. abunde siquidem nobis erat permiscente eo symptomata multa multis dissimilis generis hucusq; perueniisse, & nõ ab ægris recessisse. Nempe symptomatum græcis ignoto-
D rum permistionem, facere, summe absurdum per se existit. Non autem fermè apparent in cõuulsione tremoris symptomata. fieri siquidem non potest ut ægris ipsis in conuulsionibus tremores deprehendantur: nisi utiq; talẽ sit autor contemplatus symptomatum uicissitudinem, ut cũ cõuulsiones quidem relinquerent, tremulus fieret homo. Vbi uero cõuulsio superuenerit, nõ posse dignosci tremorem arbitrantur. Symptomatum implicatio eiusdem generis quidem existit, uerũ superuacua. Nempe ex catocha parotidas fieri abunde à nobis dictũ, augẽte simul & generationis expectationem fastidioso ipso. Imò uero & aurium affectiones expectationem simul adaugebunt. nomen preterea σπασμοτρομώδης, id est cõuulsiuum tremulumq;, prauum existit.

68 An quib. poſt aures abſceſſus ſunt capite doleant? uel & ſuperiore ſudent parte, & ſuperrigeant? deinde & uenter deijciat, & comatoſum quippiã fuerit? an & aquoſæ urinæ pendentia alba habẽtes? & uariæ albæ graueolẽtes faciant poſt aures abſceſſus? an & quib. tales urinæ ſtillationes è naribus frequentes? an & lingua his læuis?

Si ut dixi prænotionem ab his exordiretur quę ſcripſit Hippo. tum in Prognoſtico, tum in Epidemijs, de abſceſſibus omnibus in uniuerſum, contingeret aliquod, & ex ijs, quæ ab ipſo dicta ſunt ad ſecurius pronunciandum adiumentũ. Nam ſi abſceſſum fore ſperaueris, humorum cõſidera inclinationem, ad quam uidelicet fiat partem. atq; ita ubi ſingulorũ capitis ſymptomatum uires adnotaueris, parotidas fore tum magis, tum minus ſperabis. Exempli igitur gratia de ijs, quæ nũc ante oculos poſuit ſermonem facere nõ malum fuerit. Capitis dolor ex eorũ eſt numero, quæ humorum ad caput inclinationem ſignificãt. ſed quòd ſuperiori ſudauerit parte, puſillam ad eiuſmodi præſenſionem facultatem habet: ſed maiorem habet, quòd ſuperriguerit. Deiectionem uero alui quonam quis pacto generationis parotidũ ſignificatorium eſſe dixerit, haud ſcio, cum potius modo contrario contriſtantium humorũ ad infernas partes inclinationẽ operetur. Comatoſum ad parotidum generationem ſignum effatu dignũ exiſtit. Aquoſæ præterea urinæ, in quibus alba ſublime petunt, ad prænotionem per accidens conferũt: quoniam aquoſæ quidem abſq; albis pendentibus incoctum eſſe morbum ſignificant. quæ uero ſubſtantiam ſecundum naturam habent, atq; præter id pendens album cõtinent, coctum morbum eſſe indicant abſq; ſedimẽto. Oportet igitur eas neq; prorſus incoctas, neque abſolute concoctas eſſe ubi natura abſceſſum molita fuerit. Quæ uero uarie albæ & graueolentes fuerint, raro quidem abſceſſum qui fiat habẽt. quòd ſi aliquando habuerint, malũ habebunt. bene igitur adiecit ad dubitans, an quibus eiuſmodi urinæ ſtillationes è naribus freq̃uẽtes? Malignitates ſiquidem in ſuccis incoctis etſi ad caput ferantur, ſtillationes magis è naribus malignas faciunt, non parotidas. Oratio præterea, an & lingua his læuis? dubitatiua eſt. Nempe in prædictis & febres malignas fieri, & linguam exaſperari eſt rationi conſentaneum.

69 Quibus ampliter & crebro ſpirantib. morbus regius & febres acutæ cũ duris hypochõdrijs refrigeratæ fuerint his abſceſſus magni ſecundum aures ſuſcitantur.

Πνευματουμένους eos quibus magna eſt et frequẽs reſpiratio dixiſſe uidetur: quoniam & in libro De uictus ratione in morbis acutis hoc pacto eos nominauit Hipp. Iure uero optimo ſuſcitandos poſt aures abſceſſus ſperat. nempe & ratione non caret, atq; hoc ſæpius fieri uidimus. Si uero πνευμα-

A τουμένους eos dixerit, qui uẽtre inflant, ut nõnulli intellexerũt, qui & πνευματώδεας ſcribũt & πνεύματα, nihil hoc ad parotidũ generationẽ contulerit, ſicuti neq; morbus regius. De febribus acutis & præſertim ardentibus dictum eſt antea ſanguinis eruptiones mouere, ſanguinẽ tum fundẽtes tum ad caput ſurſum ferentes. Quænam præterea dura hypochondria dicat, nõ clare cognoſcere poſſumus, propterea q dolentia nõ adiecerit. Nempe hoc adiecto iam phlegmonẽ horũ indicabit: non adiecto uero, frigidiuſculũ tumorem ſcirrhoſum magis quàm flagrantem. Soluuntur uero talia abſceſſibus magis, nõ ſanguinis eruptionibus. Nempe cum inflammãtur, ſanguinis eruptiones maxime fieri conſpicimus. Propter alienam uero
B autoris enunciationem cognoſcere exquiſite nõ poſſumus an prætermiſſum ſit nomen doloris, obſcurius tum pronunciante tum ſcribente ipſo: an hypochõdriorum duritiem uere ſcirrhoſam intellexerit. Verbũ uero, refrigeratæ fuerint, (nempe & id dictum eſt) ſignificare poteſt non ſolutã eſſe febrem: ſed partes corporis inferiores, cũ alijs collatas minus calidas eſſe, ut caliditatis reuerſionẽ ex ea re conijciamus. Cum magnos abſceſſus in eiſdẽ fieri dixit, uidetur mihi in aliquo uidiſſe. & ita de particularibus pronunciaſſe tanquã uniuerſaliter pronuncians. ſatis ſiquidem fuerit pronunciationem ſine nomine, magni, ſcriptam fuiſſe.

70 Quibus comatoſa, anxioſa, hypochõdria dolẽtia, & uomitoria exigua, in his pa-
C rotides exciũtur. antea autem faciei ſigna.

Quòd futurus quidam abſceſſus ex ijs, quæ Hippocrates ſcripſit, ſperabis, deinde in qua corporis fiet parte utilem habebis dictam concurſionem. Nam comatoſum ſi & aliud ſymptoma parotidas antegreditur. Dolentia uero hypochondria phlegmonem habẽt, ſiquis animaduerterit. Cum autẽ hæc ita habeant, ad generationẽ conferent, & anxioſa, & uomitoria ſymptomata. Quod uero in calce orationis dictum eſt, antea autem faciei ſigna, ualde utile exiſtit, ſiquis conuenienter orationem intellexerit. cõuenit autem hoc pacto intelligere, ut uerus fiat ſermo. uerus autem erit ubi intelligi hoc ſenſu intellexerimus. Ante parotidum generationem faciei ſigna conſiderare o-
D portet: ſunt autem hæc: rubor, tumor præter naturam, oculorum humiditas, caliginoſa uiſio, et quęcunq; talia. Siquis uero non omnia, quæ circa faciem apparent, intelligere uoluerit, ſaltem tumorem præter naturam prorſus intelligere oportet. poſtquam enim dixiſſet in his parotides exciuntur, deinde ſerie continuata dicẽs, antea autem faciei ſigna, uidebitur enunciare à communi intelligendum uerbum exciuntur.

71 Ventre nigra ſtercoroſaq; deijciente coma ſuperueniens parotidas excitat.

Haud recte ſcripſere quidam uentre nigra ſtercoroſaq; bilioſa deijciẽte, neq; in antiquis reperi exemplaribus, neq; quiſquam eorum, qui librum enarrauerunt, hanc nouit ſcripturam. Quin & bilioſa

liosa quæ de pallida bile ab antiquis dici cõsueuerunt, non dicta esse possunt in eadem dictione, in qua nigra prodire dicuntur. Hac de causa uocabulum biliosa expũxi & reliqui scripta magna, à Capitone quidem in ipso pauimento: in fronte uero à Dioscoride. Videtur autem mihi libri huius autor concursionem hanc in ægro contemplatus totam uoluisse explicare, ea quæ ex casu prægressa sunt id quod parotidas significat, nequaq; distinguens. Sufficiens nanq; ipsi erat signum coma.

72 Tussiculæ cum frequenti sputo abscessum post aures tollunt.

Potest de thorace scribere. fieri siquidẽ potest ut facta intrò inclinatione per canalem naturalẽ effluat quod tenuius est ex conficientibus parotidas succis ad oris capacitatem, & ita frequẽs fieri sputũ: considentibus autẽ ita, non consentaneum est alias apparere parotidas. Nẽpe uerbum ἀπαλλάσσει proprie uacuare significat, ipsum autem uacuari consequuntur & contrahi & mollius fieri.

73 In capitis dolore coma & surditas abscessum aliquem post aures eructant.

Vere semper hæc signa sunt parotidum, postquam ita fore abscessum quendam ante sperauimus: succi enim ad caput recurrentes calidi quidem & tenues desipientias & sanguinis eruptiones procreãt: crassi autem & frigidi comata & parotidas. Capitis dolor utrisq; cõmunis existit, uelut & surditas: sed calidis magis capitis dolor: frigidis uero, surditas. Comatis uero nomen scriptori satis fuit, qui scilicet lethargi appellationem toto subiicuit libro.

74 Hypochõdrij cõtentio, cũ comate anxioso & capitis dolore, parotidas attollit.

Rursus & hoc loco coma unà cum capitis dolore signum demonstrãdæ parotidum generationis effatu dignum existit, simulq; hoc monstrat et hypochondrij contentio. per hanc itaq; appellationem phlegmone indicatur. neq; enim magna est ipsius iudicatio. Si uero absque phlegmone contentio fiat, in humorum ad superas partes inclinatione signum ad parotidum generationem notabile existit, sanguinisq; ostẽdit eruptionem. Anxiositas uero per se quidem parotidas nullo pacto indicat, sed simul apparens dictæ concursioni fidem addit.

75 Dolores absq; iudicatione soluti inutiles.

Iam sæpius sermo hic tũ particulariter, tum uniuersaliter dictus est, meliusq; ostenditur, si adijciatur repente occultati. Nam καταμολωθέντα, solutionem quæ sensim fit, significat. Repẽte uero occultari dolorificas affectiones absq; hoc quòd in alia quadã quæ manifesta sit parte abscessus fiat, transmigrationem contristantium succorum ad uiscera ipsa factam ostendit.

PROGNOSTICA HIPPOCRATIS CVM GALENI COMMENTARIIS IN EADEM.

Laurentio Laurentiano Florentino interprete.

Quàm sint necessariæ medicorum prænotiones. Cap. I



EDICVM uti prouidẽtia, ut mihi uidetur, optimũ est.

Pro præsensione, dixisse prouidẽtiam, perspicuum est. Igit infert: Præsentiens enim & prædicens coràm ægro. Cæterum prætexuit operi præfationem, utpote necessariam (quanquam nõ admodum utatur præfationibus) ob quosdam medicos, ut par est, qui illius seculo extiterũt, quales item nunc sunt sese nominantes methodicos, medicorum officium haberi dicẽtes, aut præsentem conseruare sanitatem in bene ualẽtibus, aut reuocare corruptam in ægrotãtibus, uaticinationis uero interesse, prædicere futura. Itaq; docet Hippocrates ex præfatione, quàm usui medicorum præsagia habeant, oratione in tria capita distracta. Aegri enim parent propẽsius: ac medicus præsentiẽdo futura, de longinquo obuiã it: & demũ crimine uacat internecionis. Porrò uoluit ut nihilominus salutis causa censeatur. Sed iam attendamus dictionibus ex quibus singula capita adstruit.

2. 3 Præsentiens enim & prædicens corã ægro præsentia, præterita, et futura, quæq; infirmi omittunt enarrans, creditur agnoscere ægri conditionem. Hinc audent homines magis se concredere medico.

Primum caput hac adstruit oratione: audere dicens homines magis se concredere manibus medicorũ, quoties prædictiones haudquaq; intercidant. Ita enim efficitur ut ęger facile existimet medicum agnoscere conditionem ægri, id est quænã sit natura morbi. Atq; ad hũc modum sequela texitur demonstrationis: Ex prædictione existimat æger medicum agnoscere naturam ęgrotationis. porrò existimans medicum agnoscere naturã ægrotationis, se exhibet obsequentiorem: ac demũ se exhibens obsequentiorem, morbo facilius uindicatur. Quæq; infirmi omittunt. Infirmi omittũt non quæ nullo pacto agnoscũt: quemadmodum nonnulli interpretes inscite prodiderunt, sedes in profundo corporis perpessas, aut causas, & item affectiões earũ: sed ex causis, procatarcticas nomi-

ne, id est lacessentes: ex accidentibus autẽ, ea quæ euidentia circa corpus sunt, ac sensibus usurpantur. Ergo quæcunq; talia per enarrationem infirmi nequaquam dixerũt, simulatq; audierint à medicis relata, eos optima ratione demirantur. Cæterum quonam modo id fieri conueniat, procedente sermone docebo.

4 Ita curationem optime molieris, prænoscendo futuras affectiones. fieri enim nõ potest ut oẽs in sanitatẽ ægri perducãtur. id enim melius foret, quàm præsentire futura.

Secundam præsensionis utilitatẽ hoc loco persequitur. Etenim ubi medicus agnoscit exquisita ratione affectionem ægri: quosdã prohibebit affectus qui ad illam consequi assolent: quorũdam prohibebit magnitudinẽ: omnibus uero in cõmune recte prospiciet & præcauebit, queãdmodum bonus gubernator per futuram tempestatem.

5. 6 7 Cũ uero homines intereãt, alij priusq; adhibeãt medicũ, ex ui morbi: nõnulli adhibẽtes medicum, statim moriuntur: quidam diem uiuentes unum, aut paulo plus temporis anteq; arte repugnet. Oportet igitur agnoscere talium naturã affectionũ, quãtum supra uires corporis sit: pariter & si quid in morbis diuinum habetur, illius quoq; ediscere prouidẽtiã. Ita enim merito cõmẽdabitur, & fidus medicus erit. etenim superesse qui possint, eos uel magis poterit recte seruare, ex multo ante tẽpore singulis consulens. atq; morituros euasurosq; prænoscens ac prænuncians culpa uacabit.

Hoc sermone, duo de prædictis capita in præsentiendo utilitatis adhuc adstruẽs, adiecit tertiũ: insontẽ abolitionis crimine fore medicũ dicens, quoties cõualituros aut morituros ægros prænũciet. Igitur adolescentẽ medicus quidã nuper incipientem sudare perniciose, ignarus demisit in balneum. tũ autem sudoris copia effluente medicus gauisus est: tanq; scrutatus esset exquisite tẽpus. paulopost intermortuus æger magna necessariorum indignatione est, et medicus accusatus, uelut qui ipse illum occidisset. Hactenus fecimus præfationis enarrationem, præterq; uerbũ diuinum, breuissimis. quod inquã enarrationis genus congruit ijs qui periti sunt circa principia, & ad libri utilitatem festinant. Insuetis uero dictionibus authorum, aut sequelę in orationibus ignaris, aut utilissima contẽnentibus, diuersantibus etiãnum in cauillis & argutiolis orationũ, alius enarrationis modus proprius est, qui longioribus perficit, quem præterire omnem licebit utilitati studentibus: intermediũ relinquentibus librũ, dum ad eã ueniamus dictionem cuius tale est initium: Considerari cõuenit hunc in modũ per morbos acutos.

Altera longior enarratio præfationis. Cap. II

Medicum uti prouidentia (ut mihi uidetur) op-

A timum est. Non secundum communem authorum consuetudinem uidetur Hippocrates usurpasse prouidentiæ nomen. etenim curam & diligentiam ita appellant: quemadmodum Euripides indicauit dicens. Hæc moriens tamẽ multum prouidit ut honeste caderet. Quinetiam uerbum prouidere, per omnes modos infinitum multitudine est iuxta authorũ intellectum, pro eo quod est curam gerere cuiusdam rei, & præparare utilia. Præterea prouidentia mũdum gubernari, uulgata alioqui apud philosophos & trita quęstio, eã ipsam indicat significationẽ. At uero Hippocrates non ita: sed de præsensione prouidentiã dixit. Mihi uero uidetur non simpliciter, sed à communi quadam significatione secundum utranq; appellationem.

B Quòd enim uideantur quædam antequam fiant, prędiuidere apud Homerum, & item præuidentiæ uocabulum factum est: & ab ea ipsa præsentire & item præsensio. Quocirca quicquid natura sensile ratiocinatione peruestigamus antequam intueamur, prędiuidere hoc merito dicimus: indicantes uerbo ut talia uideamus antequã fiãt. & ob eam rem, quæ geruntur, si fiant, de repente, contra arbitrium & cogitationem: si consulto, cum prouidentia fieri dicimus. id quod Soloni quoque est proditum, hunc in modum: Interstinguant perpendantq; iudices Areopagitæ conueniet, num cædes, uulnus, incendium prouidentia commissum sit, & item medicamentum si quis adhibens interemit. Quinetiam rhetores antiquio-

C res sæpenumero talia uerba & nomina usurpant: in quibus quæ prouidentia geruntur, diducuntur aduersus ea quæ sine ulla consultatione & deliberatione contingunt: uerbigratia, si quis inuitus alterum oblæsit, aut si percussit obiratus, haudquaquam prouidentia extitisse dicũt. Sed si quis multo cogitauit ante aliquid tale committere, & considerauit quo pacto: prouidentia id commissum uolunt. Id ergo commune significatur apud authores de prouidentiæ uocabulo, bonarumq; & malarum gestionum: nec ut quidam existimant, de bonis tantummodo dici assolet. Etenim ea ipsa quæstio, utrum fortuna quadam regatur mundus, an prouidẽtia: de communi significatione relata est: quomodo ex opposito fortunæ dilucet.

D Porrò quidam non fortunam, sed casum aduersum prouidentiam diuidunt, idipsum utraq; appellatione significantes. Quinetiam sæpenumero dicitur à philosophis mundum prouidẽtia gubernari, melioris appellationem adijcientibus, & item optimi: propterea quòd prouidentiæ uocabulum, meliores deterioresq; notæ promiscuum faciant. Si igitur prouidentia secundum hanc cõmunem significationem dicta est: constat ut ita appelletur ea ratione quòd aliquid antea quàm fiat uideatur. Pari modo pręsensionis uocabulum factum est. Si enim quæ sensibus suapte ui & natura usurpantur, quibusdam peruestigamus indicijs: merito talia dicimus præuidere, perinde quasi uideantur antequam fiant. Et mihi uidetur prouidentia quæ opposite ad fortunam dicitur, non

iuxta

iuxta cōmunem significationem dicta esse. Quæ enim ita dicitur prouidentia, bonorum solum dicitur. Vniuersi enim prouidentia, non est malum opus. Ita efficitur ut rerum quæ per tria accidant tempora, præsensio censeatur. Vates enim nihilo minus demirandus est, qui tanquam præsentia dicat præterita, quæ non uidit ipse: quàm qui futura prænunciet. pari ratione, qui ea quæ nunc geruntur dicit, antequam uideat: nihilominus quàm illi, bonus uates est. Id igit Hippocrates indicauit dicens, Præsentiens & prædicens corā ægro præsentia, præterita, & futura. Eiusdem ergo facultatis interest, præterita quæ non uideris, dicere ut extiterint: & item præsentia, atq; etiam post futura. Vsu uero inter se admodum dissident. futurorum enim præsensio utilissima est: præteritorum uero inutilis quidem alijs, sed utilis uni medico, cui libeat artem suam ostentare. Cæterum hæc quanquam non sint medicinalis propria artis, tamen enarrationi nimium concinunt explicāti in commentarijs implicitas nominum significationes. Illud ex superabundanti quidem relatum est ad enarrationē, utile uero ad aliquid aliud, quod quidam dicunt expositores de moribus scriptoris modestiam commendantes, etiam hoc loco dicentis: Vt mihi uidetur, optimum est. Potuit enim dixisse, Medicum uti prouidentia, optimum est. Ipse uero hac quoq; parte adiecit uerbum: Vt mihi uidetur. & quidem scripturus huius decreti demonstrationē. At uero quæ Herophili sectatores dixerunt, diuidentes præsensionem à prædictione, nō solum inutilia sunt & impropria significata, sed sophistica & falsa. Atqui uident rerum discrimina docere, non de significatis institutiones tradere: primum in eoipso peccātes, quòd nesciant se de significato facere sermonem, nō de natura rerum utilium arti. Sensio enim presensionis nomine contenta dicitur magna ex parte si firma sit: interdū uero & si quid desit ne firmissima sit, tantisper similiter nuncupatur. Quocirca nonnunquam cum adiectione dicunt ij qui talia enarrāt, interdū exquisitam sensionem, interdū ratā, quandoq; firmam, aut etiā perpetuam, ex ipsa adiectione indicantes nequaq; significari semper firmum de nomine sensiōis. Pari ratiōe præsensio duplex est: altera firma: uerbigratia: ab hyeme futurū uer est: à quo æstas: post autumnus. non firma altera, in his quæ Aratus uersu cecinit de Luna: Si uero cornu sublimius annuat illi, Vim Boreæ expectes, Austrum si recta supinat. Ita enim fieri magna ex parte obseruatum est, atqui interdum non ita contingit. At uero Herophili astipulatores uolunt presensionem esse firmam & stabilem, prædictionem uero nihil habere istiusmodi. Multa enim prædici dicunt quæ non eueniant: perinde ut quis posit prædicere ea quæ non præsensit: aut aliud uoce eloqui, ꝗ quod est animo cognitum. ꝗ si nolint appellare cognitū, prorsus nominent opinatū, ita ut antecedat in animo predicentis. At si non dicant præsensionem, & præopinationem: non tamē authores uocant præopinatio-

A nem: quomō nec Herophili sectatores, etsi parte plurima barbarissent. Aut igitur præopinationē lege sanciāt dissidere à presensione, pariter suadētes hominib. recipere legis sanctionē: aut si id facere nō queunt, uocabula rerū secundū consuetudinē inaudiāt: At uero in cōsuetudine est medicis spem de futuro magna ex parte & item firmā, nominare præsensionē. At fidi medici interest nō talia uestigare, sed quo pacto quispiā in ægris predicendo uentura, magna ex parte uerus sit, raro falsus. Etem uocula, magna ex parte, singularis quidem est, sed rerū plicas multiformes agnoscit, iuxta maioris minorisq; rationē. Si quis igitur in uiginti prædictionibus aberrat semel, interpellauit perpetuitatem: melior tamen est ꝗ qui bis à fine B prædictionis intercidit: rursusq; melior hic est ꝗ qui ter: quomodo rursus ille quàm qui quater elusus est. Atqui promiscue tribuitur omnibus consequi finem magna ex parte. Talem ergo docēdi uiam, ex qua auspicatus quispiam sæpius alio cōsequatur finem, admittere, superuacuam aūt in significationibus nominum operositatem, abalienare & defugere conuenit: quàm Prodicus tātus sophistes exosculatus, peritioribus grauis molestusq; erat: subindeq; à Socrate mordebatur apud Platonem: in cæteris alioqui commēdandus. Sed non recte fortasse feci inter initia memorans Herophilum. Præstat enim indicare uera præcepta medicorum, ijs qui festinant ad opera artis, neq; morari eos bifariam, partim docēdo deliras fabu- C las sophistarum, partim refutando. Rectius enim erit utilia in his commentarijs tantummodo persequi, quærere uero alio uolumine, & considerare in maiori ocio quæcunq; Herophilus in præsensiones Hippocratis obloquatur. queq; infirmi omittunt enarrans creditur magis agnoscere ægri conditionem. Oportuit eos qui talia enarrare aggrediuntur, ostendere ipsa re quam ob rem ita scribere audeant. Etenim promptissimū est quicquid libeat, scribere: difficile uero talem indicare contemplationem ex qua magna ex parte consequatur finem, dicendo ægris nō futura solum, sed etiam antefacta quibus ipse nequaquā interfuit, & item præsentia circa ægros quæ nondum audi- D uit ab eis nec ipse agnouit, quemadmodum nos in ijs quæ dicemus erimus merito ueri credendi, quoties operibus ipsis præstruamus contemplationis ueritatem. Cæterum ne cogamur semel atque iterū eadem scribere, nunc in enarranda præfatione, et item post in enarrandis particulatim dictionibus, satius duxi hæc omnia seruare in enarrationibus dictionum medicinalium à nobis per hunc librum dicendis, maxime quia id nondum quispiam fecit ex ijs qui librum enarrauerūt, alioqui maxime necessariū. Quod enim censuit Hippocrates exercere medicum, quantum in his agitur, omisit, nequaquā indicans quo pacto conueniat præterita aut præsentia nō perspecta à nobis sensibus, præsentiri. Et si quid in morbis diuinum habetur, illius quoq; ediscere prouidentiā. Quidnam sit diuinum illud, cuius fieri admonet præsensio-

sensionem, inter expositores dissensio est. Nõnulli putant ob iram quandã deorũ hominibus accidere morbos, dicũtq́; testimonium huius opinionis, eos qui uocatas scripserunt historias, citra rationis adminiculum, nequaquã indicãtes, utrum fuerit Hippocrates huius opinionis. quod inquã erat officium boni expositoris. Non enim simpliciter dicendum est per enarrationes quicquid nobis uideatur uerum, sed quod sit secundũ sententiam scriptoris, quanquam fuerit falsum. Constat eñ ut Hippocrates nullo suo libro causam ægrotatiõis in deos refundat, quare & syderatos, quos ab aliquo progressi ueteres ita uocarunt, uolumine De uictu acutorum morborũ recensuit. Hic igitur liber confesse uerus germanusq́; est. At libro qui est De sacro morbo, multa quoq; scripta sunt ad obstirpandam suspitionẽ eorum qui Deũ mittere ægrotationes contendunt. Non igitur comitialem putamus diuinum haberi morbũ, neq; amoris affectum: id enim credentes quidã scripserunt historiam, deprehendisse Erasistratum ob amorem ægrotare filium regis: diuinum tamẽ esse nequaquam docuerunt, neq; ab Hippocrate, neque ab Erasistrato uocatum, neq; ab alio quodã medico amorem. Porrò eos qui gracilenti sint de coloresúe aut insomnes aut febricitantes ex causis amatorijs, illo capite complectuntur maiores, quo de causis procatarcticis, id est lacessentibus commemorant. Cum enim hæc in plura diducantur genera, unum ex his tristitia est. Tristantur uero hi quidem intermortuis liberis, aut necessarijs, aut cognatis, aut amicis: illi uero expectantes seipsos uel suos affici, uel etiam patriam omnem fore euersam. Itidem tristãtur studiosi pecuniarum priuati pecunijs: uel etiam ambitiosi priuati gloria: & item alij omnes ita afficiuntur. Ex his ergo sunt qui ob amorem tristantur, haudquaquam diuinã perpessi, sed humanam affectionem: nisi quis credat Poetis: qui fabulantur dæmonem quendam pusillum, recens natum, gerentem faces ardẽtes, homines quosdam in hanc agere affectionem. At uero qui decretorium genus dierum diuinum appellet, suum quendam confessus est affectũ, haudquaquam prodidit Hippocratis opinionem. Nõ enim simpliciter quæcunq; causas habent incognitas aut inopinabiles, diuina uocamus, sed ubi mirabilia habeantur duntaxat. nec ignorauit Hippocrates causas decretoriorum dierum; ut in cõmentarijs De diebus decretorijs à nobis demonstratum iam est. Igitur, ut docui, nequaquam memorare conuenit per has commentationes quæcunq; prodita perperam sunt: sed quæcunq; uerisimilia & consentientia uideantur. Et ob eam rem quæ ab Herophilo scripta sunt in præsensiones Hippocratis, dilata ad alium locum dissimulabo, idq́; nunc & toto deinceps uolumine ipse efficiã: & item commoneo faciendum ijs qui in has incidunt cõmentationes, quò minus culpent me multa expositorum errata de consilio reticẽtem. Sed si diligenter lecturi sint quæ à nobis sunt prodita, illa ex seipsis æstiment atq; arbitrentur licebit. Ergo omittentes nugas quæ de diuino circumferuntur, nitemur ipsi eam rem secundum Hippocratem uestigare. Igitur, ut unum aliquid ad artem medendi attinens, diuinum sit: nec solum ab Hippocrate commendari cognitionem eius, sed etiã ostensam esse, cuius perspicuum est. Scriptor eñ deridiculus foret commendans rei cognitionem quã nullo pacto docuerit. Quare ipsa diuini præcognitio unum ex ijs sit oportet, quæ ab Hippocrate scripta sunt. Itaq; soluamus, fidentes iam nõ aliud haberi id præterquam ambientis nos aeris conditionem, de qua scripsit in sentẽtijs ita: Si hyems squalida & aquilonia fuerit, uer uero pluuiũ australe q́; febres acutas fieri æstate necesse est, & lippitudines, & intestinorum difficultates, maxime mulieribus, & ijs qui humidam habent naturam. Hæc & alia quæ deinceps sunt prodita, præsensiones sunt eorum quæ in nobis ob circumflui aeris causam infestant: de quib. per sententias breui summa quasi decursu per capita commonuit, sed libro De morbis uulgarijs latius docuit, in his uero prognosticis omisit, quanquam ad huius operis institutum attineant. Itaq; rectius erat quæsiuisse quam ob rem dicere supersedit quidnã diuinum habeatur, quàm praue enarrare. Mihi uero uidetur ob libri magnitudinem haudquaquã adiecisse huic uolumini tractatum De uulgarijs morbis. & ob id, simul ac absoluit librum, in calce hæc adscripsit: Oportet impetum morborum uulgariorum cito considerari: necnon tenere temporis conditionem. Ergo quàm necesse sit agnoscere medicum & si quid aliud attinet ad præsensionum solertiam, et item genituram morborum uulgariorum, indicauit: proprium uero uolumen seorsum illis dicauit, per sententias quidem, ut est proditum, breui summa: in libris uero de morbis uulgarijs, fusius tractatum excoluit. Quam ob rẽ nonnulli expositores statim ab hoc opere librum De morbis uulgarijs merito enarrauerunt: & nos similiter faciemus.

De signis quæ in uultu existant. Cap. III

8 Considerari conuenit hũc in modũ per morbos acutos, principio uultũ ægroti, sit ne similis bene ualentium, potissimũ sui. ita enim optimus erit: si uero quãmaxime contrarius simili sit, exitiosissimus est.

Perspicue indicauit ut hoc libro De morbis agat acutis. Incepit autem ab indicijs quæ in uultu existunt: eo q̃ in primis appareant, & uim obtineant maximam. Vt hæc igitur in primis appareant, cuius perspicuum est, ut autem uim ad præsentiendum obtineãt maximam, deinceps discas licebit. Atq; in primis reuocetur in animum communis totius medicinalis artis præfatio, quam libro κατ' ἰατρεῖον id est, de chirurgia prætexuit hunc in modum: An similia, an dissimilia sint, statim inter initia considerandum de maximis: de facillimis, ex ijs quę ex toto & usq́; quaq; accedunt: & quę cõtueri licet obtutu, tactu, auditu, lingua, & animo usurpare. non enim præsensio solum ex

his

his, uerumetiam faciendorum indicatio incipit. De faciendis itaque in libro De curandi uia & ratione definitum iam est. de præsensione nunc agendum est: remonendumq; ut intersit præsentiendi artis, non solum futura, sed etiam præterita ac præsentia, ex quibusdam indicijs in corpore inuenire. Sed præsentium cognitionem proprio & suo nomine consueuimus nominare denotationem. Itaq; cõsiderandum admonet uultum ægroti inter initia, similisne an dissimilis bene ualentium sit, sed potissimum sui. Hoc enim signum secundum decreta Hippocratis intelligitur, ut non solum de communi natura omnium, sed etiam de propria uniuscuiusq; præcepta artis considerent. Quando enim conferri partes affectas censebat cum bene ualentibus; non alienas intueri consulebat, sed eius qui affectus sit. Optimus igitur ægri uultus est, quoties simillimus sui permaneat. e contrario deterrimus, si quàmaxime in cõtraria uertitur. Ea uero quæ inter optimũ & deterrimũ habeantur, tua interest cõsiderare finitis extremis. nã si propiora sunt optimo, meliora: si deterrimo propiora, deteriora existũt. media uero inter hęc sunt quæ pari utrinq; intercapedine discedunt. Itaque uultum optimum uno capite complexus indicauit. etenim simillimus ei qui secundum naturam est, optimus existit: maxime uero contrarium, utpote nobis nequaquam familiarem, particularib. iudicijs explanauit: quorũ singula seorsum aggrediar, prodita deinceps ad hunc modum.

9 Talis autem fuerit nasus compressus.

Malum hoc indicium primũ adscripsit, nasum compressum. Sed oportet, ut docuimus, tanquam ad eum qui secundum cuiusq; naturam est conferendo considerare. nam si natura simus est, nasus prorsus compressior apparebit, queadmodũ si aquilinus aut etiam subrectus est. Ita uero cõsiderandum est ut in quantũ à naturæ forma recessit, in tantũ ipse prauus existat. Itaq; cõpressus nasus plane apparet in ijs qui longiore morbo extenuantur, aut labore conflictantur, aut quouis modo exoluant, aut animo linquant, & itẽ omnibus defunctis. Et ob eam rem quis merito colliget epilogismo, cõmuni omnium hominũ utens ratione, prauũ esse indiciũ quod per malã existat affectionẽ. Cæterũ quænã sit talis affectio per quã nasus cõprimit, dogmaticæ iam cõtẽplationis munus est iudicare, quã deprehendi tantũmodo analogismo conueniet. Analogismus uero ratio est quæ ab euidenti auspicatur, rei obscuræ faciens cognitionem. Epilogismus uero communis ratio est, & omnium assensu conspecta. Sed primum epilogistice de singulis consideremus indicijs. rectius enim erit ex confessa communiq; omnium hominum ratione facere initialem doctrinã, quàm statim inter initia uenire ad analogismum.

10 Caui oculi: astricta tẽpora: aures frigidæ cõtractæq;, & fibræ earũ uersæ: & item cutis circa frontem dura, intenta, arida; & color totius uultus uiridis aut niger.

Hæc quoq; indicia omnia circa uultũ existunt in morbis diutinis, & laboribus, et animę defectionibus, & multo magis in morte. Epilogistica enim ratio facilima est, ut dissimilia naturæ, mali cuiusdam obtineant significationem. posito sanè statim ab initio, eo quod confessum conspectũq; est, ut maxime contraria naturæ, exitiosa: similia uero, salutis inditia habeãtur. Itaq; hæc à nobis de eis epilogistice dicta sint. nã post, exquisita ratione de omni eorum natura considerabimus. Fiunt ergo tales affectiones, aut ob aliquam causam cõsumentem & corrumpentem partes animalium carnosas: aut ob debilitatẽ natiui caloris, qui non amplius extẽdi in extremas corporis queat partes sed in uiscerib. solis exiguus cõseruet. Porrò huic scilicet comitatur affectui, ut non præterea affluat ad extremas corporis partes tãtum sanguinis aut spiritus, quantũ antea affluebat habentibus secum dũ naturã. & ob eam rem in uultu maxima mutatio naturalis habitus liquido apparet. Cum enim partes osseæ & item carnosæ & humidiores inter se adiunctæ sint: tum autem osseæ persistant similes, propter terrestrem substantiam: carnosæ uero humidioresq; consumantur facile, & collabantur in seipsas ob inopiam spiritus & sanguinis: facillimus cognitu affectus est. Nasi enim circa solas pinnulas nomine, substantia carnosa: subsiduum uero omne, osseum est. Merito igitur quoties pars carnosa consumpta aut uacuata considat, extremum eius tenue redditur: pari modo quoties uehemẽter refrigeratur: quod iam defunctis accidit. Stipata enim per refrigerationem substantia carnosarum partium, gracilentus in summis merito redditur. Non enim alium quendam nasum uocamus compressum, quàm qui gracilentus in summis existat. Igitur ad hunc modum nasus compressus apparet. Caui præterea fiunt oculi propter eas ipsas causas: sed quanto humidiores mollioresq; summo naso sunt, tanto citius cauantur. Quinetiam spiritus animalis copiam participãt, & item caloris non parum habent: quibus deficientibus, merito contrahuntur. Id uero, cauum oculorũ est. Tempora similiter astringuntur, propterea quòd sola de reliquo capite musculos habeant, quos nominãt à temporibus crotaphitas: reliquum uero caput omne prorsus carne uacat. Aures frigidæ & contractæ, quia cartilagineæ, carne uacant, exangues habentur. Itaque celerrime refrigescunt, ut quæ suapte natura ad affectum instructiores paratioresq; sint. Sed quã ob rem fibræ earum uersæ sunt? An quia molliorem obtinent substantiam, non quemadmodum subsiduum omne, quod inquam tenuis cartilago exquisite est tenuiore intecta cute? Quam ob rem de prædictis causis fibrę extenuantur, uertuntur, siccantur, stipantur: ita uero affectæ retrouersus tenduntur magis ad originem præbentium illis sensum neruorum. Etenim conuelli, cunctis corrigijs exiccatis commune est: proprium uero unicuique in corpore parti, est illò uerti & conuelli potius, ubi innexorum ei neruorum initium est.

Id enim in digitis planè intueri licet. si enim intimus tendo ab aliqua causa tendatur, digiti perspicue inflectuntur. si extimus, extenduntur. Cæterum ob eam ipsam siccitatem stipationemq́, cutis omnis circa uultum omnem duriuscula apparet & intenta. Affectus uero manifestius apparet circa frontem: quia carnosa substantia tenuior hac in parte cuti subtenditur. de prædictis uero causis carnosa natura afficitur magis quàm cuticulosa. At uero coloris mutatio pessima est, quoties ad nigrum existat: utpote sanguine refrigerato: quemadmodum ubi foras effusus sanguis conglobatur. moderatior uero, quoties in chloron, id est uiride fuerit. Veteres enim assolent ita nominare nonnunquam pallidum colorem. interdum, ut plerique, brassicam & lactucam chloras, id est uirides nominant. qui quidem color, nigrior est quàm rubidus: est etiam tanquam initium quoddam nigri liuidiq́, quem frigus perinde qua si nigrum effecit. Quo circa uultus in quo omnia prædicta habentur, exitiosus merito nominatur. isq́ per morbos longiores sæpe numero uidetur. Raro uero inter initia apparet: & ob eam rem cũ maximo periculo est: ut qui nullam abs tempore causam habeat. Longo enim interposito tempore consumi corpus, & item refrigerari partes extremas, haudquaquam mirabile est. Inter initia uero præsertim acuti morbi prorsus exitiosum censetur: nisi ob aliquam aliam causam talis extiterit. Cæterum quænam committere causæ eam rem possint, ipse procedente dictione docebit. Nunc uero rem adijciendam quam uidetur Hippocrates omisisse, prius audi. Vt enim per morbos diutinos talem fieri uultum nõ admodum exitiosum est: ita nec in terra frigida, hyeme, conditione frigida, senecta: quemadmodum per sententias indicauit: Per morbos minus periclitantur ij quorum naturæ morbus conuenit, aut ætati, aut habitui, aut tempori, quàm quibus nõ competit aliqua ex his ratione.

11 Si igitur inter initia morbi talis fuerit uultus, nec dum scrutari alijs signis possibi sit, interrogare oportet num uigilauerit homo, an aluus resoluta admodum fuerit, an fame affectus: & si quid horum confiteatur minori cum periculo est. Iudicatur uero talia per diẽ & noctẽ, si ob has causas talis fuerit uultus. Si uero nullum horum dixerit, neq́ prædicto tempore destiterit: signum esse exitiosum sciendum est.

Summe exitialis & insanabilis morbus est per quem statim inter initia uultus exitiosus sine exteriori causa extitit. Minori uero cum periculo est, si propter aliquam causam euidentem acciderit: uerbi gratia, propter uehementem insomniam, aut inopiam alimenti, aut alui fluorem. Præstaret enim nec ex his causis quidem nimium exolui uires inter initia ægrotationis. Minori uero cum periculo est quoties ob aliquam talem causam ex-

A titerit, non ob maleficentiam ægrotationis. Sed quænam sit affectio corporis in qua talis uultus efficitur statim primis diebus, perspicue breuibus tibi iam explicabo. Vbi debilitas detentoriæ in animalibus facultatis pariter sit, atq́ humores tenuiores, cum febre calida: præ debilitate excernitur subinde aliquid inuisibile propter paruitatem extra cutem, utpote tenuioribus humoribus effluentibus. At uero febris etiam magis consumit tenuissimos humores: minus uero tenues extenuat, ita ut nunquam uacuatio desinat, sed simi letur continuis uomitionibus, aut alui fluoribus, aut ex urina immodicis uacuationibus. Verum interest, quòd eæ sensibiles sunt: ea uero quam nunc commemoraui, præ tenuitate fluoris inuisi-
B bilis est. Talis ergo nequaquam consistit uultus in morbo pituitoso, quemadmodum nec in plethorico, propter exuperantiam sanguinis: sed inopiam potius esse oportet in corpore, & fatigationem præuenire & curas. ex his enim humor colligitur bilis amarę. At uero si terra calida sit, & anni tempus æstiuum, & conditio calida siccaq́, tunc sanè tali affectione prehẽdi hominẽ uel promptius est, potissimum quoties biliosior fuerit ex natura. Quinetiam nonnulli facile discutiuntur, atque difflantur: alij uero os uentriculi debile habent. quæ omnia quoties simul cõcurrunt, tale corpus propensissime prehẽdi potest affectione quæ uultum exitiosum efficiat. Si igitur hæc quispiam agnoscit: non solum præsensionem, sed etiam cu-
C rationem poterit inuenire, habens intentionem firmare uires, uentriculo idoneis alimentis. Sed hæc non parum extra itineris propositum dicta sunt. De causis exterioribus considerandum exquisitius est. Hæ sunt (qrarum ipse nominatim habuit mentionem) fames: insomnia: fluor alui. Quibus adijcias licebit similia horum, uacuationem immodicam sanguinis è naribus, aut uulua, aut hęmorrhoide, aut uulnere, aut quouis alio modo: Et item mœstitiam uehemẽtem, quæ quibus libeat causis constiterit. Sed forsan recta ratione aliquis dicet hanc dictam esse ab Hippocrate potestate in sermone qui est de insomnia. accidit enim insomnia etiam ob alias causas: accidit etiam propter mœstitiam: ita ut insomnia uniuersali
D or sit q̃ mœstitia, & ob id continere eam merito dicetur. Itidem aluus admodũ fluens, exemplum tibi cuiusuis immodicæ euacuationis erit. Si igitur diligenter uerseris in operibus artis, peritusq́ sis circa uniuscuiusq́ rei formam: sæpenumero apparebit causa quæ talem uultum effecit. Signa uero earum dictu difficilia sunt: & ob eam rem tradere ea sermone, quanquam plerique nouerint medicorum, refugiũt. Sed omnia proprijs & suis locis à nobis explanata iam sunt. Quapropter ipse quoque postquam didiceris ea, poteris interdum ingressus ad ægrum pronunciare de causa quæ talem uultum effecit: sed potissimũ ubi præcedentem omnem uictus rationem noueris ægri: considerans præterea de temperamento eius: & multo magis ubi peritiam habeas de motu arteria-

rum

rum: præterea & qualitate febris. Subijciamus e- A
nim aliquem, gratia exempli, tempore æstiuo, per
conditionem calidam & siccam, biliosum ex natu
ra, adolescentem, ex conflictatione, inopia, &
mœstitia incepisse ægrotare: sitq; calor eius, tan-
gendi sensum admodum mordens: & urina bilio-
sa: & pulsus, uirium indicans debilitatem. suspica
re hunc talem in relata fore conditione, ob quam
uultum cito sit habiturus exitiosum, nisi congrue
nutriri anticipet. Itaque si non sint talia circa æ-
grum, neque præcesserint, neque primo die uel
secundo existant, tertio uero ingredienti tibi uul-
tus appareat qualis nunc dictus ab Hippocrate
est: scias hunc propter aliquam causam exterio-
rem ita affectum. Igitur apud te cōsiderabis quid
nam potius in eo extiterit, num secretio aliqua B
multa, an insomnia. Ex inopia enim non erit ta-
lis uniuersim, nisi præuenerint talia in morbo qua
lia dicta iam sunt, atque ex natura fuerit talis qua-
lis dictus est. Si igitur pridie uideas ægrum, haud
quaquam latebit multam fore spontinam secre-
tionem. firmissima enim eius indicia habentur,
quæ à nobis in commentarijs De iudicationibus,
& item libro De præsagijs ex pulsibus explanata
iam sunt. Quapropter licebit statim aspicienti ho
minem, definire uehementem extitisse insomni-
am. etenim uidebis oculos eius admodum squa-
lidos: qui non propter euidentes & immodicas
uacuationes, perinde ut propter insomniam tales
reddūtur. Porrò uidebis palpebras resurgere diffi
culter, & item talem habere formulam in conni- C
uendo, atque etiam instabiles haberi, quales per
somnum obstupidum (ita enim Coma interpre-
ter) existunt. Quinetiam ubi nunc primum tibi
appareat æger, antea uero nullo pacto eum per-
spexeris: talia signa, atq; ea quæ ex pulsibus perci-
piuntur, aliquam indicabūt discretionem. Per im
modicas eñ excretiones, seruabit aliquod adhuc
(quanquam exiguum sit) indicium formulę, signi
ficans eas. per insomniam uero, chordulæ exten-
tæ speciem referet. At si propter inopiam dunta-
xat in talem uultus uenerit affectionem, ex dictis
indicijs neutra adsunt, neque insomniæ, neque ex
cretionis. & ob eam rem potius ex accidentibus
quam ex proprijs signis, in illis præsagire conue-
niet, propter inopiam alimenti deductū esse eum D
in talem affectionem: & adhuc magis, quoties fe
bris, proprietatem caloris discutientis, exquisita
ratione consideranti tibi nequaquam importet.
Si enim talis appareat, ob illam potius quàm ob
exteriorem causam, gracilentū ita uideri uultum
existimandum est. Cæterum conuenit immorari
diutius attrectando omnem manum, non solum
carpum id est manus iuncturam ægri, sed etiam su
periores partes diligēter animaduertentes, si non
solum acriorem, sed etiam si substantiæ copiam
unà secum, & quidem corpulentam reportet, ue-
luti flammulam quandā peruadentem cutem tuæ
manus qua cutem ægri contingis, seq; insinuan-
tem perspicue in profundum. Tales enim febres
sunt quæ uultum istiusmodi efficiunt. Hæc igitur
(ut docui) dici quidem possunt difficulter: non ta
men omnino dici non possunt, neq; difficulter a-
gnosci ab ijs qui circa ea exercitati sint, quiq; uide
rint talia sæpenumero à me om̄ia prædici: sed mul
to magis si studuerint agnoscere operibus ipsis
quæcunq; in commentarijs De præsagijs edocti
sunt: eo quòd uideant quidem talia prædici, ut fie
ri possint, re ipsa discentes, non reprobantes uero
prius quæ ab initio uidentur cognitu difficiliora.
Nam geminos fratres simillimos quidem, semel
aut bis uidendo, nequaquam interstingues: ex ne
cessarijs uero nullus allucinatur. Hæc igitur dicta
sunt ad cohortandos iuniores: sed potissimū eos
qui nunquā prædicta hæc omnia à nobis perspe-
xerunt, non enim solum insomniam dicere pos-
sunt, sed etiam ut propter mœstitiam tale quid ex-
titerit. Non enim Erasistratus uidens coruos aut
cornices uolantes, deprehēdit adolescentis amo-
rem, nec (ut quidam dixerunt) amatorium pul-
santes sensit arterias adolescentis: (nullus enim
pulsus proprius amoris est) sed quemadmodum
apparuit interdum etiam mihi, inijcienti manum
carpo ægri, muliere uero quadā uisa earum quæ
in domo erant, statim inæqualis pulsus atque in-
ordinatus euasit: paulo uero post ad habitum na-
turalem, simul recedente muliere uisa, rediuit. Ita
enim mutatus pulsus, communem quēdam signi
ficat perturbationis affectū in animo fuisse ægro-
ti. Perturbationem uero hanc interstingui conue
niet ex ijs quæ dicuntur ab eo pariter aut uident.
etenim rursus, dictis quibusdam, pulsus uertitur
ad inæqualitatem, perturbato ægro ob ea quæ au
diuit. Sed de his seorsum à me scriptum iam est di
cato opere, cui titulus est De præsentiēdo. Nunc
uero ad institutum redeamus. Illud agitabatur,
ut multa de præteritis & item præsentibus coram
ægro potest medicus dicendo commēdari, uelut
ea quæ nunc dicta sunt hac oratione: insomniam:
alui fluorem: famem. At uero interdum ex his u-
nū definite dscere difficile est, interdū è duobus
alterū, aut è tribus unū prorsus possibile erit firmi
ter presentire. At uero id quoq; laudē feret apud
audiētes, interrogando, præsentione facta ad hūc
modum: Num ob insomniam uehementē, an ali-
menti inopiam attenuatus est? Sæpe enim confi-
tentur utrunque, & demirantur bifariam medi-
cum: interdum alterum eorum respondentes ita
quoq; demirantur. Hoc igitur est quod ab Hippo
crate dictum est: Interrogare oportet num uigila
uit æger, an multa deiecit, an famescat. Deinde
quid dicit? Et siquid horū confiteat', minori cum
periculo est. merito. Melius enim est adeo fortem
esse facultatem ut à nulla causa exteriori uincat'.
Minori uero cum periculo est, si ob aliquā talem
causam, nec ob ægrotationis maleficentiam talis
consumptio existat. At uero quia possibile est, ut
ambo cōcurrant, tum causa aliqua exterior (ut di
xi) afficiens corpus, tum etiam febris cōsumens,
interstitio erit tibi de subsequēti die nocteq;. Si e-
nim ab exteriori causa sola, qualis dictus est uul-
tus extiterit, correctionem per diem & noctem

adipisce

adipiſcetur. ſi uero ex affectione in corpore: aut permanebit talis, aut etiã deterior erit. Itaq; cõſtat ut hæc omnia ab Hippocrate recte dicta ſint. Sed quamobrem dixit: Si igitur inter initia morbi talis fuerit uultus, necdum ſcrutari alijs ſignis poſsibile ſit, deinceps cõſideremus. Duorum enim alterum eſt, aut quia nõ accidunt inter initia morbi, aut quia nihil firmum denunciant, nequaq; poſſibile eſt talibus uti ſignis ad res dubias definiẽdas. Ego igitur dico non ſemper fieri talia: nec ſi fiant, firmum aliquid indicare. Cæterum quòd hoc ita ſe habeat, in enarrandis illis docebo, per hanc ſub ſequentem dictionem.

12 Si uero morbo antiquiori exiſtente uel tertiano, talis fuerit uultus, de ijs interrogare oportet de quib. antea monui. alia quoque ſigna eſſe conſideranda, quæ in toto corpore, atq; etiam in oculis exiſtant.

Principij nomen ſignificat primariam morbi acceſſionem, quæ nondum ullam obtineat latitudinem: & item eam quæ ad aliquod tempus non tamen multum extendatur: nec nõ primum ægrotationis tempus, à quo alterum numerant aſcenſum, deinde tertium conſiſtendi uigorem, & demum quartum inclinationem. Cum itaq; dixerit paulo ante: Si igitur inter initia morbi talis fuerit uultus, per illam dictionẽ nequaq; indicauit cuiuſnam de tribus principijs faciat mentionẽ. Nũc uero ſcribens: Si uero morbo antiquiori exiſtente uel tertiano talis fuerit uultus: clare docuit ut de eo agat quod habeat latitudinẽ. id enim ad triduum uſq; porrigit̃. Ergo tunc ijs quæ docuit antea ſignis, exiſtimauit addendam eſſe ductam ab alijs ſignis determinationem, de quibus dixerat. Nec dum poſsibile ſit alijs ſcrutari ſignis. Ea autẽ enumerat per hæc ſequentia uerba.

De ſignis quæ in oculis exiſtant. Cap. IIII

13 Si enim lucem effugiant, aut nolentes illachryment, aut peruertãtur, aut alter altero fuerit minor, aut candidum rubidum habeãt, aut liuidas aut nigras uenulas, aut ſordes appareat circa oculos, aut ſublimes tumidiue oculi uel caui admodum fuerint aut ſqualentes & obſcuri, uel totius color euariet uultus: hæc omnia mala eſſe atq; exitioſa cenſendum eſt.

Hæc omnia accidẽtia in commune præter naturam ſunt: ſed diſsident inter ſe, eo ꝙ quędam cõtraria ſimpliciter naturæ: alia uero, ut ipſe antea dixit, maxime contraria exiſtunt, & ob eam rem ex cõmuni epilogiſmo, omnia quidem exitioſa exiſtimabuntur, ſed pro quantitate contrarietatis, minuſq; & magis id obtinebunt. At uero affectiões ex quibus eueniant, ſecundum ſequelam decretorum Hippocratis, rectius eſt deinceps conſiderare. Itaq; refugere lucem, quod inquã eſt auerſari, propter debilitatem accidit uiſorię facultatis. quę nonnunq; propter organorum affectionem laborat ueluti per lippitudines. interdum ipſa ex ſe afficitur, quãdo ſanè exitiale indiciũ eſt. Pari modo ſi oculi illachrymãt propter lippitudinẽ aut fluxionem aliquã de capite decumbentẽ, præter naturã quidẽ affectus eſt: nõ tamẽ omnino ſignificat abolitionẽ. ſi uero propter debilitatẽ detentoriæ facultatis, exitioſum indiciũ lethaleq; eſt. Porrò peruertuntur oculi, cõuulſis muſculis eos cõmouentibus. ꝙ ſi fuerit illorũ tantũmodo affectus, nihil difficile ſignificatur. ſi uero principij neruorum, (quod quidẽ cerebrum eſt) ſumme exitioſum eſt. propinquantes eñ muſculi, principij affectũ prius ꝙ̃ cæteri perſentiſcunt: interdũ ij qui in oculis ſunt, de quibus nunc dicit: quandoq; crotaphitæ, id eſt muſculi temporũ nominati, de quibus libro De articulis indicauit. Quinetiã fieri alterum oculum minorẽ ꝙ̃ qui conſtet ex natura, accidens exitioſum habet. indicat enim extingui facultatẽ regentem eum. At uero albamentũ oculi apparere rubrũ, (quomodo per lippitudines quaſdã accidit, & itẽ quaſdã temulentias) copiã ſanguinis ſignificat quæ in cerebro ac mẽbranulis ſit: interdũ etiam inflãmationẽ quæ in ipſis facta fuerit. Nam utrouis modo ſanguis ad oculorũ uenulas exprimit̃: & ob eã rẽ pars in eis candida, rubra apparet, quæ corollã appellatã ambit circũcirca, quã per diſſectiões docuimus omniũ in oculis mẽbranularũ tunicularũq; copulã quandã haberi. & itẽ docuimus ut ambientis caluã mẽbranulæ terminus, ad eam unà cũ uenulis permeet. Cæterũ ut ob hęc dixerit candidũ fieri rubrũ, perſpicue indicauit ex ijs quę ſubinferẽs ait: Aut liuidas, aut nigras uenulas habeãt. id uero per quã exitioſum cẽſetur. Rubræ eñ apparẽt uenulæ etiã propter ſanguinis nimietatẽ (ut dixi) uel inflãmationẽ quandã eorum quæ in cerebro ſunt. At uero nigreſcunt & liuent dum refrigerant̃. refrigerant̃ uero dum extinguũtur. ita fit ut hi colores prorſus exitiales aſsidue exiſtant. Cæterũ ſordes oculorũ fit, ut conſtat, tum ob affectum organorum, quemadmodum & per lippitudines et aliter, quæ nullo cum periculo eſt: tum propter imbecillitatem regẽtis oculũ facultatis naturalis, quæ impos ſit oculorum cõcoquere alimentũ. ſordes enim (ut oſtenſum iam eſt) excrementũ ſemicocti alimenti eſt. Ergo per lippitudines præ copia humoris præter naturam, & item propter affectionẽ organorum, uериſimile eſt nequaquã concoqui recte alimentũ eorũ. At ubi inopia perſpicua eſt, quã cauum indicat oculorum: cauſa de nimietate prorſus recedit, ſed reſtat uirium debilitas ſola, nõ quælibet, ſed admodum uehemens, quæ nec minimũ quid alimenti oculorũ abunde cõcoquere poteſt. Quinetiã ſublimes oculi, id eſt inſtabiles & ſubinde cõmoti, ſignificãt aut delirium, aut tremorẽ circa muſculos eorum: è quibus utrũq; in relata affectione exitioſum habetur. Profecto deliriũ ex inopia, maximo cũ periculo eſt: & item tremor propter ariditatem organorum, inſanabilis eſt. At uero tumidos oculos, aut admodũ cauos deteſtatur. Itaq; tumentium accidens oculorum, inter initia quoq; fit ægrotationis

nis, maximeq; uomentibus ex copia ingesti uini A cibiq;: caui uero admodum oculi nequaquam fiunt: & ob eam rem neutrum commemorauit accidens inter initia, dum ait: Nasus compressus, oculi caui. Hoc quidē ea ratione, quòd nullo pacto appareat in uultu exitioso. Nam quo pacto pariter caui tumidiq; oculi erunt? Illud, quia nullo modo tunc eueniat. Atqui uidentur ea quæ dicta sunt de oculis tumidis, cum prædictis pugnare. Cum enim dixerit de uultu exitioso, nasum cōpressum, cauos oculos, tum autem talia determinans: ijs quæ post triduum appareant, tumidos nequaq; recte adiecit. Sed quod mihi uidetur ab Hippocrate factum hac oratione, iam explicabo, permutando omnem eius sermonem in hāc dictionem: Si uero morbo antiquiori existēte uel tertiano B talis fuerit uultus de ijs interrogare oportet de quibus antea monui alia quoque signa consideranda quæ in toto corpore atq; etiam oculis existant. In oculis uero signa exitiosa post triduum talia sunt, si lucem refugiunt & lachrymāt, si peruertuntur, si alter altero fuerit minor, & candida pars in eis rubra appareat, si uenulas habent aut nigras aut liuidas, aut sordes ipsis inhęrescit, aut sublimes sunt aut tumidi, aut admodum caui, aut totius uultus color euariat. Hæc enim omnia exitiosa sunt: & quicquid horum existat circa uultum prædictum indicium non paruum est futuræ mortis. Igitur ad hunc intellectum (ut mihi uidetur) numerantur cum cæteris signis quæcunq; in uultu exitioso pariter existere queunt, atque etiam tumidi oculi, C qui simul existere nequaquam possunt: quia non solum instituerat dicere quæcunq; simul sint cum uultu exitioso, sed etiam ex signis exitiosis quæcunq; circa uultum apparent. Quo circa si non unum solum, sed etiam plura de prædictis non possint esse in uultu exitioso, nulla pugna erit in sermone eius qui de prauis signis omnibus faciat mētionem. Cæterum ut recte dixerit, necdum possibile sit alijs scrutari signis: considerandum iam est uno capite communi tali. Vnumquodq; ex prædictis, aut non accidit inter initia, aut non ex toto exitiosum est. Sed seorsum singula consideranti tibi, uidebitur id quammaxime uerū. Igitur ex multa uini potione nonnunquam & uomitione uehementi, inter initia morbi lucem effugiunt: itidem D lachrymant, & peruertuntur oculi, aut sublimes fiunt, aut tument, aut uenulas habent rubras. At uero in colorem nigrum aut liuidum mutatio uenularum, nūquam accidit inter initia, quo modo neq; insigne cauū, neq; sordes oculorū: sed triduum aut quatriduum (quod minimum sit) in genituram talium desideratur.

14 Cōsiderari cōuenit hunc in modum suspectiones etiā oculorū per somnū. Si quid enī cādidæ partis subapparet cōmissis palpebris, nec alui fluor aut medicamētmu in causa est, aut nec ita dormire cōsueuit: uitiosum indiciū exitialeq; admodum est.

De uerbo ὑποφαίνεσθαι, id est suspici, ὑπόφασιν, id est suspectionē fecit, cuius pluratiuū ὑποφάσεις, id est suspectiōes existit: à quibus per diuisionem ionicam ὑποφάσιες, id est suspectiones formātur. Cæterum nō satis noui qua ratione adducti Artemidori & Dioscoridis sectatores scripserint ὑποφύσιας cum υ. Quod igitur est ab Hippocrate dictum, clarum est. Ipse enim enarrauit quidnā appellet suspectionē, dicēs: Si quid enim subapparet candidæ partis cōmissis palpebris. atq; etiam adiecit distinctionē ad exquisitiorē sermonis cognitionem dicēs: Neq; fluor alui, aut medicamentū in causa est. Sed subaudiri oportet cætera quoque quę uim eandē obtineāt. Vno enī capite complexus, dixeris accidens id propter imbecillitatē fieri claudētis palpebras facultatis, qđ inquā exitiale est, quoties sine causa constiterit exteriori. Hęc uero talia scilicet esse oportet natura, ut uires exoluant. Verbi gratia, alui fluor, aut purgatio ex medicamento purgāte uehemēs, aut mœstitia uehemens, aut insomnia aut inopia alimenti, aut sanguinis fluor multus, aut simpliciter quęuis alia immodica uacuatio. Cæterum connumerare Hippocratem (ut paulo aute dixi) omnia exitiosa signa, non solum quęcunq; in uultu exitioso habeantur, indicauit hac parte, adijciens, Nec alui fluor, aut medicamentum in causa est. Prædixerat enim in uultu exitioso talem determinationem an aluus admodū resoluta fuerit. Resoluta enim aluus, commune quoddam est fluoris alui, & item medicamenti. Sed quoniam rursus aliunde orsus omnia exitiosa percēset indicia, merito cuius eorum proprias distinctiones apponit.

15 Si peruertitur, aut liuida palpebra est, aut labrū, aut nasus cum aliquo alio signo, mortē prope esse sciendū est. Letale est etiā habere labia resoluta, & pendentia, & frigida, & albicantia facta.

In multis codicib. ita legit initiū orationis, in alijs uero, pro peruertitur, distrahit scriptum est: ita ut ex uoce, palpebræ contractio significetur, uelut ea quæ propter algorē refrixerūt. Id igitur indicium est extinctionis, quēadmodum liuida. Si uero peruertitur, tentionē quandam conuulsificam aut resolutionem in altero ex musculis oculos claudētibus indicat, utrunq; exitiosum censetur, quoties alia indicia suffragantur. quod indicauit dicens, cum aliquo alio signo, tanquam hæc sola nequaq; sufficiant denunciare mortem.

Quomodo oporteat cubare ægrum. Cap. V

16 Cubantē offendi ægrū à medico oportet in latus dextrum aut sinistrum, ac manus, ceruicem, & crura paululum reducta habentem, & omne corpus molliter positum. Ita enim pleriq; bene ualentium cubant, at ita cubare ut sani solent, saluberrimum est.

A Id quoque testatur numerari ab Hippocrate signa exitiosa hac tota libri parte: constat enim ut nobilissimus uir nunc non ab alio principio de signis in toto corpore doceat, sed ea copulat prædictis. Cum enim antea dixisset in uultu exitioso etiam alia signa consideranda esse quæ in toto corpore atque etiam oculis existant, deinceps omnia inter se copulando persequitur. Id uero quod dicitur, oportere offendi ægrum à medico uisitante non cubantem supinũ ceu quendam resolutum, sed in alterum latus, quo tempore medicus illi adfuerit, idcirco bonum est, quia robur indicat facultatis per musculos firmãtis corpus, quomodo rursus debilitatem ubi cubare in latus non queat. Verum ipse Hippocrates adiecit orationi cõmunem epilogismum dicẽs: Ita enim plerique bene ualentium cubant. scilicet potissimum tunc cum medicus ipsos uisitat. Rectius enim est subaudiri in oratione proditũ ab eo potestate per dictionem dum ait: Cubãtem offendi ægrum à medico oportet. Non enim simpliciter in latus ait oportere hominem cubare, sed à medico offendi cubantẽ ita. Porrò adiecit: Ac manus, ceruicem, & crura paulum reducta habentem. Id enim consuetũ plerisque bene ualentium est. Quinetiam adijciens uerbum Plerique, in memoriã tibi reuocauit distinctionem quandam alterum habentem caput alijs multis utile præsagijs, cuius meminisse te cõuenit, licet interdum omittatur. At uero quidnam illud sit, iam explicabo. Quæcunque in quibusdam ægris priuatim præter cæteros peculiaria sunt: hæc haudquaquam ueluti superuacua cõsiderari oportet. Si enim offendas ægrum ut plerique bene ualentiũ cubantem, diliges talem decubitum. Si uero ecõtrario, non cõuenit continuo horrere quasi malum indicium: sed requirere utrum in consuetudine sit talis ægro figura. Ceterum quod est dictum, molliter positum offendi corpus, exaduersum intẽto proditum est. Quatuor enim membra, id est crura ac manus paulũ reducantur, & omne corpus iaceat oportet, extra hyperbolicas figuras constitutũ. Intelligo figuras hyperbolicas, quoties aut summe extenduntur, aut immodice inflectũtur membra aut spina, cuius partes uertebræ quoque in ceruice existunt. Igitur hyperbolicæ figuræ, extentis admodum neruis efficiuntur, quomodo in libro De motu musculorum ostensum iam est. Quæ in medio iam est hyperbolicarum, absque tẽsione est. Quocirca talem uocauit mollem, quia corpora molliora intendi non solent.

17 Supinũ uero cubare manibus & cruribus extentis minus bonum est.

Talis decubitus omnino bonus non est: proindeque nec minus bonus est. Si enim omnino bonus non est: ut minus ei bonus congruere dicatur, fieri qui potest? Cæterum ut id bonum non sit; ipse postea docebit hunc in modum. Si uero procliuior fuerit, & subinde ad pedes dilabit, maiori cum periculo est. Tanquã enim prædictus decubitus cum periculo sit, ita dixit de eo: Maiori cum periculo est. At uero mihi uidetur ut talis decubitus neutris adnumeretur indicijs, quæ nec ad sanitatem uim habeant insignem, neque ad mortem, sed aut integre media sunt, aut parum ad alterum tendunt, ita ut qui negligentius loquuntur de eis, cũ utrisque cõferre possint, uelut hoc loco Hippocrates dixit minus bonam esse talem cubantis figuram, quàm quæ est antea prodita: deteriorem uero quàm hæc eã quæ deinceps dicta est: admonẽs hoc loco finiri oportere in omnibus locis, nũ consuetus sit æger cubare supinus. Si enim ita fuerit, nec admodum magnifaciat medicum ingredientem: tunc neque in medio mali bonique decubitus existimabitur, sed potius bonus. Si uero neque hac sola leat cubare figura, & admodum uereatur medicum, non bonum indicium est: sed potissimum si fuerit prudentior ex natura. Quocirca talis decubitus, in medio boni malique collocandus est: quantum in seipso est, sed utroque uersum pro natura ægri transferendus est. B

18 Si uero procliuior est, ac deorsum delabitur subinde ad pedes, maiori cum periculo est.

Quemadmodum cubare in latus, quandam obtinet uim: ita etiam erectius supinum iacere, quo modo omnes cubamus. Et ob eam rem si in alterum colloces latus corpus defunctũ, prorsus aut in partem pronam, aut supinam conuertetur: uelut si illud accliue figures: ita quoque in pedes delabitur. Merito igitur prauum id dixit haberi indicium: quòd quidem extinctionem quãdam significet regentis corpus facultatis. C

19 Si uero nudos habeat pedes, nec admodum calidos: ac manus, collum & crura dispergat inæqualiter: malum est. Significat enim inquietationem.

Optime determinauit orationem dicens, Nec admodum calidos. Per febres enim calidissimas unà cum cæteris partibus etiã pedibus ardescentibus, nudare eos ægri coguntur. Si uero febris nõ fuerit talis: nudare pedes, malaciæ est ægri uel inquietationis indicium. Porrò si manus quoque pariter cum ceruice & cruribus non ex more componit, ut antea dixit, sed inæqualiter tales dispergit partes: malum indicium est. Dixit enim significari inquietationem. Hoc uero nomen indicat illos conflictari quauis figura, necnon alium ex alio mutare. Quòd si te præsente (ut docui) iacens æger, statim commutet priorem figuram ad alteram, pariter & membra dispergat inequaliter, uel etiam ceruicis posituram: scias talem aut propter uẽtriculi uitium, aut propter uirium debilitatem inquietari: colligens hoc etiam loco epilogismo ingenium eius, utrum mollior sit, & ad singula manus det promptius, licet perquam exigua, & peruincatur. D

20 Exitiosum autem & hiantem dormire semper.

Debilitatis hoc quoque signum claudentium os muscu-

musculorum est, quemadmodum pauloante de musculis palpebras committentibus explanatum iam est. Codex quidem ita legitur, quemadmodum nunc dixi: antiquiq; codices ita habent. Dioscorides uero aliter legit, adhunc modum: Difficile autem est & hiantem semper dormire. ubi duplex concurrit significatio: una quidem, ut semper hiet: altera, ut semper dormiat. Quòd igitur secundum malum sit, quanquam non hianti fiat ore: planius indicauit per illam sententiam quã dixit: Somnus & insomnia alterutrum si modum excessit, malum est. Sed primum dictum esse uerisimile est, ut hiet tãtisper dum dormit. Sic enim plerunq; fieri contingit. Si enim hiet non dormiens, multo maiorem noxam significabit.

21 Si crura quoq; supini cubãtis admodũ reducta distractaq; sint.

B Hæc uox διαπεπλεγμένα, id est distracta, utroque scribit modo, scilicet & per γ, & per χ. significat autẽ crura quæ plurimũ dispersa sint. ac talis decubitus absurdus est, ita ut indicet deliriũ: quandoquidem nullus ita cubare soleat. queadmodũ neq; si, circumplexa, legatur. talis enim decubitus absurdus est, si quis cubando supinus habeat crura reducta, & inter se circumplexa.

Quomodo in uentrem cubare malum sit. Cap. VI

22 Si quis cubet in uentrem, nequaquam solitus ita dormire quo tempore sanus fuit, malo est. delirium enim, aut dolor circa uẽtris sedes significatur.

Crebro cõmemorat adiunctam his omnibus determinationem, ut secundum consuetudinem aliquid accidat ægrotantis. Etenim nunc cubare in uentrem contra consuetudinem, aut delirium significat, quemadmodum in prædicta cubandi figura: aut dolorem quendam qui circa tales partes fatiget. constat enim ut multi talem eligant figuram, quorum in uentre dolor infestat.

23 Si uero uelit residere æger in ipso morbi uigore, in omni morbo acuto malũ: pessimum uero in pulmonia est.

Qui pulmonia infestantur, ij dicunt sentire magnam in thorace angustiam dum supini cubant: residẽtes uero, fieri spirantiores. Decumbit enim ad spinam, per supinum iacendi habitũ, pars in pectore thoracis, à qua pulmo arctat, nec idoneũ accipit aerem inspirãdo. per alios uero morbos, quoties uigẽt (id enim maxime cõsiderandũ est, tanq̃ non sit temere additũ) exitiosissimũ est uelle ęgrũ residere in ipso consistendi uigore. Amant enim tunc maxime fatigati, immoti cubare: & si quis eos excitet, cõflictãtur. Itaq; arbitrare, propter uehemẽtem spirandi difficultatem, aut inquietationem, aut deliriũ, residere ægrum aggredi per consistendi uigorem ægrotationis.

Quam malum sit stridere dentibus ægrum in febribus. Cap. VII

24 Si quis dentibus strideat in febribus non cõsuetus à pueritia ita efficere: insania

A significatur ac mors. sed in utrisq; futurum prædicere periculum, necesse est. Si uero mente commotus ita efficiat, admodum exitiosum iam est.

Strident dentibus, quoties musculi in temporibus & maxillis modo conuulsionis commouent, interdum affectis musculis duntaxat, aut ab ortu naturę, aut propter aliã aliquã causam posteriorẽ, nonnunq; origine neruorũ in eiusmodi affectionem deducta, de qua maxime cõuulsiones fieri solent. Cæterum agnoscere oportet initialẽ uniuscuiusq; structurã partis propriam: de qua alio loco fusius explanatũ iam est. Nunc uero sufficiet semel dicere, præcipientes hoc loco reuocari in animum residuum disputationis, quo minus mireris fieri posse ut cõmuni neruorũ origine affecta, musculus aliàs alius tremore aut cõuulsione excipiatur. Vt enim clare uidemus in quibusdã corporibus optimã inesse crurũ structurã, in alijs deterrimam statim ab initio, ita ut hi currãt ocyssime, illi uix stent, & item partes alias similiter affectas: ita facile offendi ab exiguis causis alios cruribus, alios summis pedibus, aut oculis, aut capite, aut alia aliqua parte, statim à principio sequitur corporum structuras. Nihil igitur mirum uideri debet si aliqui debiles habent musculos qui oculos mouent: alij uero eos qui maxillas mouẽt. qua de re, nonnulli subinde strident dentibus etiam propter exiguas causas: illi uero subinde mouent oculos.

C Stridere enim dentibus ex natura, simile est affectui oculorũ insito quibusdã, quem appellitant equũ, cũ nullo tempore manere possint requieti, sed in modũ intremiscentiũ subinde nictant. Ceterum per morbos febriculosos, affectu originis fieri conuulsionẽ, simile est rursus illi structuræ musculorũ in oculis, de quibus ait: Aut sublimes apparent. In quibusdã eñ corporibus citius accumbunt originis affectibus musculi oculorũ: in alijs musculi temporũ aut maxillarum. Merito igit dixit accidens illud significare insaniã aut mortẽ. Insaniam quidem, quasi mentis dixerit uehemẽtem cõmotionẽ. Mortem uero, quia neruorum origo affecta est. Illud inquisitione dignum est, quonam modo supra dicens insaniã significari, mox dicat: Si uero mẽte cõmotus ita efficiat: admodũ exitio

D sum iã est. Etenim perspicuũ est, ut si stridere dentibus prenuntiat deliriũ: adeo nõ desinet, ut uehementius fiat accedẽte delirio, cũ hoc q̃ alij quidã musculi tunc in talem deducantur affectionẽ. Videtur ergo talis intellectus esse orationis: Stridere dentibus quibus ab initio nõ erat consuetum, futuri delirij accidens est. Si uero adeundo interdum ęgrum offendas utrunq; perpeti, delirare, & stridere dentibus: hũc iam esse prope mortem arbitrare. Quocirca in priore sermone cum nõdum commotus mente stridebat dentibus ęger: simpliciter idipsum indicabatur duntaxat ut insaniæ ac mortis indicium haberetur. ubi uero iam delirat, pariter & stridet dẽtibus: in propinquo mors est. Id uero clare docuit adijciens uerbum, iam. ut enim

enim exitiosum sit accidens, priore docuit oratione. sequente uero, uerbum, admodum & iam adiecit dicens: Admodum exitiosum iam est, id est ualde exitiosum: quod est quidem nõ multo post, sed cito moriturum ægrum.

De ulceribus. Cap. VIII

25 Vlcus, siue antea extitit: siue existat in morbo, cõsiderãdũ est. Si enim moriturus æger est, ante mortem aut liuidum & siccũ, aut pallidum & siccum erit.

Siccum erit omnino ulcus, quoties facultas nutriens corpus debilis habeat, nullus uero color in eo semper erit: sed pro diuersitate humorũ in corpore, & itẽ pro mẽsura lęsionis euariabit. Si enim biliosus humor exuperet, pallidus erit color. si nigribiliarius, aut liuidus, aut secundũ alterã significationẽ uiridis erit. Antea eñ docuimus ut chloron interdũ pallidũ colorem, interdũ uiridẽ & uelut æruginosum significet: ex qua significatiõe solemus etiã brassicã uiridẽ nominare. Pari modo læsio quoq; maior liuidũ solet efficere colorẽ, ut qui non longe distet à nigro: minor uero, uiridem aut pallidũ. Quocirca finẽ dictionis quidam legũt ita: Aut pallidum & siccum erit. alij uero illo modo, Aut uiride & siccum erit.

De gesticulatione manuum. Cap. IX

26 De gesticulatione manuũ hæc cognoscere oportet. Qui in febre acuta, aut phrenitide, aut pulmonia, aut capitis dolore, manus ob os fert, aut frustra uenatur muscas, aut colligit festucas, aut de ueste euellit pilos, aut de pariete stipulas carpit: id omne malum, exitialeq; est.

Gesticulationes manuũ, id est functiões & motus quos hoc loco cõmemorauit, ob imaginationem fiunt illi similẽ quæ per suffusiones cõtingit. Aegri eñ per suffusiões, quæcũq; uidẽt in medio loco crystalloedis (ita à glacie nominati humoris) & tuniculæ circa pupillam cornu similis, foris sita esse existimãt: quia semper assueti fuerũt dum haberẽt secundũ naturã, res per mediũ ante se aerem intueri. Pari modo ij de quib. Hippoc. agit in febre acuta, pulmonia, phrenitide, ac dolore capitis, intueri se tanq; foris sita credũt ea quæ intus in oculis habeant. Ostẽdimus eñ ut spiritus uisorius utpote splendẽs, sibi mediũ assimilet crystalloidis (ita à glacie nominati) & pupillæ humorẽ tenuẽ ac mundũ, simillimũ candido ouorũ, quo per lippitudines utimur. Ostẽdimusq; etiã ut spiritus per hunc ferat humorẽ ex pupillæ foramine ad aerem exteriorẽ unà cũ eo cõpacto. Quin etiã ꝙ aere illustrato utatur tanq; insito organo, qui talis facultate existit, qualis in corpore neruus habet: id docuimus seorsum dicato opere quo agitur de uisu: nec non xiij. De demõstratione libro: atq; etiã septimo De decretis Hippo. & Platonis: & item x. lib. De usu partiũ. Vt ergo cerebrum per neruũ sentit affectionem digiti in pede, ita per aerem circũductum externa uisibilia contuetur, quæcũq; modi-

A ce ad ipso distant. Itaq; suffusiones fiunt in hoc humore subsimili (ut dixi) candidæ tenuioriq; parti oui qui inter pupillã & crystalloeden (ita dictũ à glacie) incidit. In hoc itidẽ humore per cruditates quoq; nonnunq; uisa similia suffusis cõtingunt. Si enim restitit humor aut niger aut crassus, phibẽs digredi foras uisorium splendorem, ibi uisa pro natura humoris consistunt: interdum pilorum quorundam, aut subtegminis, aut staminis, quandoq; culicis nigrescentis, aut musculæ, quæ uolitare ob os uideatur, quandoq; rei similis lenti, aut milio nigro. Ita accidit per febrem acutam ac pulmoniam, ualde exhalãtibus ad caput in corpore humoribus, ut humor ille in pupilla mundus, concipiat exhalationem: ubi uero & quõ perturbatur, præ-

B dicta uisa apparent. At per uehementem capitis dolorem, quẽadmodum & per phrenitidem, præ capitis repletione perueniẽs aliquis humor in oculos, eadem accidentia cõmittit. Et κροκιδίζειν, id est euellere subtegmina, & καρφολογεῖν, id est colligere festucas (uerba ad omnib. medicis de phreniticis dici solita) locum inde acceperunt. Itaq; nõ nulli indicarunt nobis subtegminis & stipulæ uisa tantisper dum fiunt: & item qui postea meminerunt. At uero duplex eorum differẽtia est. Quidam enim per ipsa sensibilia uisa cœperunt delirare, iudicandi facultate constante: alij uero propter eximiã prudentiã, attamen affecti parua ex parte iudicandi facultate, restiterunt retuleruntq; pedẽ, ut uicerint & expugnarint, & uisa assequuti sint.

C Hi igitur indicarunt nobis quibus uisis mouerãt manus, ut Hippocrates scripsit, Sæpe eñ uidebatur illis, subtegmina uestiũ eminere: atq; in pariete stipulas adiũctas esse: sæpe uero & festucas multas impositas stragulis, atq; etiam uolare pusillas bestiolas prope oculos. has igitur uenari aggrediuntur, circumferentes manus tanq; aliquid arrepturi. alia uero quæ uidentur eminere, partim de uestibus carpere aggrediuntur: partim euellere de pariete. Merito igitur affectiones talia committentes accidentia, sunt difficiles: quippe quæ à febre acuta, aut pulmonia, aut dolore in capite fuerint propter humorũ magnitudinẽ effectæ: à phrenitide uero, quia sedes princeps est affecta: cuius uniuersum genus exitiale habetur. febres

D uero, & item pulmonia, atq; etiã capitis dolores, propter magnitudinẽ, quẽadmodum dictum est.

De spiratione. Cap. X

27 Spiritus crebrior significat dolorẽ, aut inflãmationẽ quæ supra præcordia fatiget. Si uero spirat magnus, multoq; interposito tẽpore, deliriũ indicat. Si uero frigidus de naso & ore, admodum exitialis iam est.

Hanc omnem dictionem, tertio de difficultate spirandi libro, absolutissime enarraui: quo circa nunc duntaxat capita rerum attingam. Spiritum hoc loco uocat uniuersam spirationem. qui si crebrior sit (ait) interdum significat dolorem, quandoque partium in thorace inflammationem, quæ sunt cor ac pulmo, positæ supra septum. Maio-

res

res enim præcordia ac septum, idem appellauerunt. Itaque per dolorē spiritus, queadmodū ostensum ab hoc est, creber paruusque est: per inflamina uero creber magnusque. Hæc enī assolent nomina re inflammationes. At uero rarus spiritus, hoc est multo interposito tempore, si magnus est, indicat deliriū: si paruus, extinctionem natiui caloris. sed hanc affectionē significauit ex accidente, dicēs: Si frigidus de naso & ore, admodū exitialis iam est. Cæterum ut de his spirandi difficultatibus fecerit hoc loco mentionē tantūmodo De morbis agēs acutis: itemque ut lib. De morbis uulgarijs plures citauerit spirādi difficultates: tertio libro De spirādi difficultate perpensum iam est.

A

28 Spirationis facilitatē existimari oportet per quām magnā uim habere ad salutē in omni morbo acuto qui cū febre infestet, & quadragesimo die iudicetur.

B

Naturalem spirationem appellauit spirationis facilitatem, significantem neque thoracem neque cor ac pulmonem, neque præcordia, doloris quandam habere affectionē. Quinetiam neque partes quasdam ijs adiunctas. Cum enim mouentur per spirationem, dolore afficiūtur, & ubi prehendantur inflammatione, & item quouis modo doloris trahant affectionem. Hę uero sunt uentriculus, lien, iecur. Si igitur nulla ex his afficitur, neque caloris infestat copia adeo ut deuri inflammarique uideatur: sed neque econtrario ut iam extinguatur calor insitus: quo pacto non dixeris magnam spem subesse salutis in morbis acutis, in quibus propter magnitudinem febrium, aut propter inflāmationē proprie nominatam, pericula imminent? At uero longi morbi, etiam sine his, eò quod uires exoluant, non sine periculo sunt: proindeque eos ab oratione excepit, ac de solis acutis definiuit. At uero cum duplex genus horum habeatur: siquidem nōnulli simpliciter ac primum uocantur acuti, quidam ex conuersione: de utrisque docuit dicens: Qui cum febre infestet, & quadragesimo die iudicetur. Adiecit enim qui cum febre infestet, ut eum à conuulsione & distentiōe neruorū, & bilari sursum ac deorsum effluxu disiungeret, & quicunque alij morbi sine febre acuti sunt. Quod uero dictū est: Et quadragesimo die iudicetur: ut connumeret cum simpliciter proprieque acutis acutus ex conuersione: talis fit quoties inter initia acute ægrotauerint, postea uero quartodecimo die, aut etiā ante, non integre iudicati fuerint, sed ut morbi quædam reliquię ad quadragesimum extendantur. Fit aūt conuersio per iudicationes imperfectas acutorū morborū, non solum in hos, sed etiā in alios diutinos, maxime marcorem, quartanam, suppurationē, tabitudinē, aquam intercutē. Verum Hippocrates excipit à præsenti oratione etiā illos: in solis simpliciter acutis morbis qui cū febre infestent, & itē ex cōuersione in quadragesimū ueniant diem, optimum esse indiciū dicens spirationis facilitatē, non in omnibus qui sine febri fatigent acutis, neque diutinis. ita ut tria sint omnino genera morborum quantum in ipsam agitur temporis differentiam. Aut enim acuti sunt, qui quartodecimo iudicantur die, quibus diutini opponuntur: ambiguum uero & uelut in confinio positum tertium genus, cuius terminus decretorium dierum quadragesimus dies est. Hæc igitur dico confirmare ea quæ in ægris euidenter apparent: quòd si quis ea probet in illis, ita se habere naturam rerum agnoscet. At uero quicunque uolunt significari numerum dierum decretorium ab Hippocrate dum ait quartodecimo die iudicari morbos acutos, præter quàm quòd nesciunt ea quæ maxime oportet eos scire, dictiones quoque uetustissimi medici nequaquam intelligunt. Si enim quartodecimo die finiri morbum, significat dierum decretoriorum multitudinē quanta sit: quadragesimo etiam die iudicari morbum, numerum significabit decretoriorum dierum. Quærant igitur ut queadmodū quatuordecim efficiunt ad quadragesimū usque, ita quadraginta nunc dies efficiant.

C

D

De sudore. Cap. XI

29 Sudor optimus est per oēs acutos morbos, si per diē euenit decretoriū, & integrē sedat febrē. Bonus etiā est si ex toto corpore prodeat, faciatque ut æger ferat facilius morbum. Si uero nihil tale efficiat, nequaquam utilis est. Pessimus uero est si frigidus egrediatur & circa caput tantūmodo, uultū et ceruicē. Hic enim cū acuta febre, mortē: cum mitiore, morbi longitudinem indicat.

In sudore optimo duo scribens indicia, tertium prætermisit, tanquam necessario sequatur ea quæ dixit. Qui enim die euenit decretorio, & integrē sedat febrem: is quoque ex toto corpore it. In bonis uero, non tamen optimis, prodire ex toto corpore, & aliquid morbi tollere scribens, nihil præterea adiecit de diebus decretorijs, tanquam id quoque bonum rursus sudorē necessario comitetur. Cęterum tertius sudoris ordo est modice mali, de quo dixit: Si uero nihil tale efficiat, nequaquam utilis est: hoc est ut nec ex toto corpore eat, neque faciat ut æger ferat facilius morbum. Sed constat ut ex his ipsis peior sit qui neutrum horum efficiat: moderatior uero qui alterum: & rursus ex his ipsis qui efficit ut æger facilius ferat morbum, moderatior est: quanquam non ex toto corpore eat: peior qui grauiorem exhibet morbum, licet in omne extendatur corpus. Sed omnis eiusmodi sudor calidus est: & ob eam rem nullo de tribus ordine indicauit eum, solitus omittere quæcunque sequuntur alia necessario, & item quæcunque ex oppositione eorum quæ deinceps dicenda sunt, demonstrantur. Omnibus uero in hoc sermone dictis sudoribus opponit frigidos, dicens ita: Pessimus uero est si frigidus egrediatur. & item cū eo malū esse dixit, si circa caput & ceruicē eueniat, licet frigidus non sit. Hic enim minatur syncopē. Si uero & circa tales partes, & frigidus appareat, pessi-

pessimus est, quippe qui non insuper fore, sed iam esse syncopen indicet. Distinguuntur uero uehementia febris. Nam si fuerit acuta, prorsus afferet mortem frigidus sudor, licet ex toto corpore prodeat: & item si circa caput ceruicémque calidus eueniat. Si uero mitior febris est, poterit facultas non absumpta prius ab acuta febre, spatio temporis prauos concoquere humores. Cæterum de diebus decretorijs non insuper docuit aliquid in alijs sudoribus: & si de optimo docuit inter initia, quia est uim quandam decretoriorum dierum in eorum sermone dicturus: in ipsa uero dictione pariter demonstrauit. Vna enim eorum uis est, reddere firmam iudicationem, siue in bonum, siue in malum finiatur. At uero cognoscere oportet prædictæ finem dictionis, quem Dioscorides scripsit ita: Pessimus est si frigidus est, & circa caput ceruicémque tantummodo prodeat. Hic enim aut mortem, aut morbi longitudinem præmonet. Sed constat ut hæc lectio sit quàm prędicta concisior, tamen eandem uim obtinet: atq; addendum erit ab expositore id quod in prędicta scriptum iam est: Cum acuta febre mortem, cum mitiore longitudinem morbi. Cæterum deinceps alia quædam de sudore sunt scripta, non in omnibus codicibus, quæ merito alij quidam sustulerũt tanquam non sint Hippocratis, atq; etiam Artemidori & Dioscoridis sectatores.

A | B

De Ilijs. Cap. XII

30 Ilia saluberrima sunt si dolore uacant, si mollia & æqualia sunt dextra ac sinistra parte. Si uero inflãmatione uexantur, aut dolore, aut intenta sunt, aut inæqualiter affecta dextra ac sinistra parte: hæc omnia animaduertenda sunt.

Omnem aliquis orationem cõprehendens, uno breuissimo capite dicet: Ilia si naturę simillima sunt, saluberrima sunt. Particulatim uero docens eorum indicia Hippocrates, primũ scripsit ex ijs quæ non existunt. Hæc solent medici recentiores non accidentia nominare: duo uero alia signa accidentia sunt in ilijs. Quo circa ilia dolore uacare, ex non accidẽtibus dictũ est: mollia uero & ęqualia esse, ex ijs quæ existunt. Sed mollia cognoscuntur quoties modice renitũtur. illis enim opposita, utpote uehementer renitentia, dura sunt. Cæterũ æqualia non secundũ unam intelliguntur qualitatem. fieri enim potest ut similiter æqualia sint, sed aut aliqua parte dolore uacent, aliqua dolore afficiãtur: aut altera pars calidior, altera frigidior sit aut subleuatior, aut depressior. Opponẽs igitur saluberrimis & ęqualibus ilijs pessimorũ & inęqualium signa, dixit: Si uero inflammatione uexantur, aut dolore, aut intenta sunt, aut inæqualitate affecta dextra aut sinistra parte. Itaq; uexari inflãmatione, de totis ilijs dixit. Significat uero uerbum inflammari, uelut si peruri succendi igniriq; proditum sit. Pari ratione dolore uexari, de totis ilijs dictum est: quomodo intenta esse: id enim totis etiam ilijs tribuitur. At uero inæqualiter affecta esse dextra ac sinistra parte, quoties nõ tota ilia eandem habeant affectionem, aut per caliditatem, aut per frigiditatem, aut per dolorẽ, aut per indolentiam, aut per gracilitatem laxitatemq; & intentionẽ. Quandoq; eñ intenduntur ilia sine inflãmatione proprie nominata, aut propter uehementẽ siccitatẽ nõ solũ in illa parte, sed etiã in succingente costas membrana, atq; septo transuerso: aut propter inflammationẽ cũ tumore ipsis in ilijs musculis sine inflammatione proprie nominata consistentibus, quæ quidem tumor dolens est.

31. 32 Si uero pulsus in ilijs insit, perturbationem significat, aut deliriũ. Verum oculos taliũ cõspicari oportet. Si eñ crebro obtutus mouetur, expectanda insania est.

In quibusdam codicibus non pulsus, sed subsultio legitur: ac perspicuũ est ut tale accidens ob spiritum fiat flatuosum. Sed in multis codicibus legitur pulsus, aut qui simul cũ magnis fatiget inflãmationibus, aut sensibilis ægro adsit motus arteriæ in spina maioris: quemadmodũ libro De morbis uulgaribus secundo dixit: Vbi uena in cubito pulsat, insanum furibundumq; est. Constat enim ut pulsare de magna adeo & uehementi afferat motione arteriarum, ut antequam contingatur, innotescat, interdum ægro duntaxat, quãdoq; etiam deforis intuentibus. Sed quodcunq; horum fuerit accidens, signum non bonum est. Maior enim arteria pars est maxime principalis: & item uenter, ac iecur: quomodo septum transuersum. At ex his prorsus unum afficitur, siue subsultio, siue pulsus legatur. Septum uero transuersum, delirium infert promptissimum: quam ob rem maiores id phrenas à ratiõis sede nominasse aiũt: & itẽ os uẽtriculi, quoties insigni afficiatur inflãmatione. Aliæ uero partes ibi quę aliquam ex prędictis affectionem traxerunt, in periculosam incidunt affectionem. Quapropter merito Hippocrates dixit uel perturbationem, uel delirium ab eo accidente significari. perturbationem quidem uno communi accidenti omnium periculosarum affectionum: ex quibus nõ solum ægri, sed etiam medici perturbãtur. delirium uero ob septum transuersum, & item os uentris. Cæterum de musculis in ilijs, considerandum est. neq; enim necessario delirium, neque periculum pulsantes subsultantesúe inferunt. Non igitur magis proprie inaudire oportet uerbum, insit per dictionem qua dixit Hippocrates: Si uero pulsus insit in ilijs: ueluti qui uelit præalte in ilijs pulsum subsultionemúe de uocula, insit, significari. Verũ cõspicari talium oculos oportet. Si enim crebro obtutus mouetur, expectanda insania est. Cum perturbationem aut delirium dixerit ab eo accidente significari: nunc determinat docetq; quando delirium, quãdo perturbatio sola futura sit. Determinatio uero ab oculorum ducitur motione. Quos non solũ hac in re, sed etiã in alijs morbis omnibus in quibus suspexeris fore delirium, exquisita ratione considerabis. Si eñ instabiles apparent, indicatur delirium.

C | D

Verum

Verum hoc loco non ſimpliciter ait fore deliriū, ſed inſaniam, indicans uehemens quoddam delirium ex prædictis indicijs affuturum. Porrò ut oculorum crebra motio, delirij firmet ſuſpitionem, patere arbitror ex iis quæ à nobis explanata iam ſunt, ubi muſculos oculorum diximus primos ſentire cerebri affectiones. ipſum uero cerebrū ſepto tranſuerſo & ori uentriculi cōſentit, quemadmodum cæteris omnibus neruoſis membris. Cum enim ex illo omnes naſcātur nerui, quæcunq; pars plurimis aut maximis participat, hæc merito in conſenſum originem eorum perducit.

De abſceſsibus. Cap. XIII

33 Tumor in ilijs durus & dolens, peſsimus eſt ſi per tota ilia fatiget. Si uero altera parte infeſtat: in ſiniſtra minori cū piculo ē.

Oedema id eſt tumorē ſolet Hipp. nominare omnē molem præter naturā: recētioribus medicis uocantibus unam tantūmodo molem quę premēdo dolore uacat, & digitis cedit. Quam uero rurſus medici recentiores proprie nominant inflāmationem: hanc Hippocrates cōpoſita dictione durum & dolens œdema appellitat. Inflāmationis enim uocabulū de inflamine afferebat. Itaq; cōſtat ut talis affectio ſi dexta affligat parte, periculoſior ſit, propter iecur: indulgentior ſi ſiniſtra, propter lienem: exitioſiſſima ſi utraq; laceſſit.

34 Tale uero œdema initio periculum mortis cito futuræ ſignificat.

Prædictum in ilijs œdema ſi durū ac dolēs eſt, à medicis recentioribus proprie nominatū inflāmatio, periculum mortis cito futuræ ſignificat. At uero id, niſi aliquid intimum afficiatur, mendacium eſt. Conſtat uero ut intimum ſit iecur, & item uentriculus, lien, & peritonæum. Nam muſculi in alijs, ſi inflāmatione laborant, inferre mortem qui poſſunt: niſi ſane raro, aut proptet magnitudinē inſignem inflāmationis, aut propter uirium debilitatē, aut etiā quia medicus male curet, aut quia æger aliquid peccati cōmittat. Itaq; cōfuſius indefinitiusq; talem dictionem ſcripſit.

35 Si febris uigeſimum tranſcendit diem, & febris detinet, & œdema non deſiſtit: in ſuppurationem uertitur.

Omnis tumor præter naturam diſiecto committente eum humore curatur. Ergo perſpicuum eſt ut niſi deſiſtat, cunctantur humores, ac ſpatio temporis prorſus mutatio futura eſt per qualitatem, interdum ad putredinem, quoties (ut in defuncto corpore) ad eorum concoctionem natura molitur: interdum ſi uires ualent, in pus. Itaq; merito Hippocrates ait: Niſi deſiſtat inflammatio, & febris detinet ægrum, in ſuppuratione uertitur. Sedata enim febre, conſiderandum eſt num inflammatio aliqua ſcirrhoſa infeſtet. Nam ſæpenumero euenit ita, ut morbum committentis humoris pars tenuior diffletur, craſſior uero & uiſcoſa in amplitudine corporis affecti depacta ſit. Cæterum quam ob cauſam uigeſimū diem limitem

A ſtatuit talium abſceſſuū ſuppuratiōis libro ſecundo De diebus decretorijs dicemus.

36 Accidit his in prima circuitione, ſanguinis è naribus fluor, atq; admodū iuuat. Sed inquirendum eſt num doleant caput, an hebetudines ſubeant oculorum. Siquid enim horum fuerit, eò tendet.

Quia inflāmationes in ilijs indefinitius commemorauit, per hanc quoq; dictionē definire ipſe uidetur. Sanguinis enim fluorē fieri dicit è naribus, qui ex uſu admodum ſit: id quod per inflāmationes in iecore & liene fieri potiſsimū ſolet: de quibus aliubi, fluere ſanguinem recto itinere cōmendauit: econtrario uero culpauit, docens ipſe quidnam
B econtrario intelligat: uerbi gratia, liene grandiore fluere ſanguinē è nare dextra. Sāguinis fluorem in prima circuitiōe fieri dixit decretoriorum ſcilicet dierum. ac legitur dictio bifariam, ſingulariter & pluraliter. Singulariter quidem, in prima circuitione: pluraliter uero, in primis circuitionibus. Si igitur legatur ſingulariter, ſeptenariā indicat circuitionem. Si pluraliter, conuenit quoq; ſeptenariam intelligi circuitionē. In quibuſdam enī ſanguis ſecundo ſeptenario effluit. Sed potius intelligi oportet in tali dictione quaternarias circuitiones. Nam in pleriſque funditur ſanguis primis ſeptem diebus; paucis nono & undecimo: rariſſimis quartodecimo. Cæterum tendentibus ſurſum uerſus humoribus, ſanguinis fluorem fieri do
C cuit, adijciens ſigna capitis dolorem, & item hebetudines oculorū. Sed deinceps de eo latius docebit, quo loco nos quoq; ſermonem omnem de ſanguinis fluore integre abſoluemus.

37 Sanguinis fluorem in iunioribus potius quintum & trigeſimum annum agentibus, expectare oportet.

Ductam ab ætate definitionem in præſagium fluoris ſanguinis docet. expectandū enim ſanguinis fluorem eſſe potius in iunioribus quintum & trigeſimum annum agentibus. etenim per hanc ætatem ſanguis plurimus eſt, & item facultas ualentior, atq; etiam calor exuperans.

38 Si uero molle œdema eſt, nec dolet, &
D preſſum digitis cedit: diuturniorē efficit iudicationem, ac minori cum periculo eſt.

Hoc eſt quod proprie medici iuniores appellant œdema: de quo nonnunquam dixiſſe maiores ſufficere uolunt, mollē œdema: quandoq; etiā adijciunt: nec dolens. Quoties igiť id dicere ſuperſedēt: tanq; unà cum molli ſignificetur, omittunt. Molle enim œdema dolore uacat. At uero nunc Hippocrates nō id ſolum adiecit, ſed etiā ut digitis cedat: quod quidē in uerbo molle, cōtineri uidetur: niſi uelit intelligi id quod preſſum cauatur in foueam: quod quidē non cuilibet cedenti accidit: at uero id accidit cute in œdema ſe attollente. Et quia omne tale pituitoſum cēſetur, idcirco diutius immoratur, ac minori cum periculo eſt. Immoratur enim diutius, quia frigidus eſt. Calore enim

nim concoctio fit. Porrò minori cum periculo est, quia dolore uacat. uires enim exoluit dolor.

39 Si uero p̄tereat sexagesimū diē, & febris detinet, nec desistit œdema: fore suppuratione hoc loco & reliq̄ uētre significat.

Supra de œdematis agens inflammatis, utpote calidioribus: nisi febris desinat, à die uigesimo dixit fore suppurationem. Nunc uero de frigidioribus, sexagesimum limitem posuit suppurationis. At uero alia inter hæc media incidunt, quadragesimum diem habentia terminum suppurationis. Sed uniuersum de his omnibus sermonem ad librum De diebus decretorijs distuli. Porrò non solum œdemata quæ in ilijs fatigent supersedentia suppuratura, sed etiam in reliquo uentre dixit, tanquam ilia secundum aliquam significationē partes uentris existant.

40 Quodcunq; ergo œdema, dolens durum & magnum est: periculum mortis breui fore significat. Quodcūq; uero molle, non dolens, digitis cedit prementibus, diutius immoratur.

Nihil amplius hac docet dictione quàm quod superiore dictum iam est, præter quàm quod adiecit dolēti duroq; œdemati magnitudinē: quam nos antea diximus, dum doceremus nō esse cum periculo inflāmationes musculorum in ilijs, nisi magnæ admodum fuerint.

41 Oedema quod in uētre fatigat, minus facit abscessum, quàm quod in ilijs. minime uero partes subter umbilicum in suppurationem uertuntur.

Oedema si non discutitur nō solum citius, sed etiam magis in ilijs suppuratur, propterea q; sedes calidior est. Quod uero lōgius abest: deorsum uersus serius minusq; suppuratur: & ob eam rem, œdema subter umbilicum, raro in pus uertitur.

42 Sanguinis uero fluorē, maxime de supernis sedibus expectare oportet.

In quibusdam codicibus dictio cum, &, copula perscripta est: atq; ostenditur non solum sanguinis fluorem fieri si in illis infestet œdema, sed etiam si in imis sedibus affligat. In quibusdam uero sine, &, copula: & ostenditur quidem fieri si in his quoq; infestet, sed minus. In aliquibus uero sine uerbo, maxime, ad hunc modū: Sanguinis uero fluorem de supremis sedibus expectari oportet. Nam inferiores nequaq; afferre solent sanguinis fluorem. Sed res ita se habet, ut si in umbilico fatiget, sanguinis fluor eueniat, magis de sede superna, maxime de suprema. Sed de sanguinis fluore deinceps ab ipso agetur, ubi nos quoq; toto repetito sermone, absolutius dicemus.

43 Vniuscuiusque œdematis supersedentis qui in his fatiget sedibus, suppuratio cōsideranda est.

Vno comprehendens capite perstrinxit quæ A supra docuit partculatim: & ob eam rē dictio noua enarratione non indiget.

44 Suppuratio inde prouenies ita cōsideranda est. Quæ em̄ foras uertitur, optima est si parua est, maximeq; egreditur, & in sublime resurgit. Si uero magna est & lata, minimeq; ad mucronē subducitur, pessima est.

Appellare Hippocratem suppurationem purulentiamq;, ubi pus uniuersum constiterit, concocto tumore quopiam præter naturā perspicuum erit, simul uniuersam hanc orationē eius euolueris, qua de œdematibus in ilijs habuit mentionē. At uero colligitur pus in eis quandoq; sub cute, sæpius in profundo, duplici de causa: aut quia purulēta pars intra peritonæum affecta est: aut quia B licet musculus affectus sit, pus ab aliqua tunicula eius includitur, haudquaq; prius in exteriorē deductum sedē, propter lentorē crassitudinēue, aut cōtinētis mēbranulę densitatē. Etenim studet natura secernere pus de affecto corpore, expellēdo: sæpiusq; finē adsequitur, quoties nacta sit meatulos idoneos in secretionē, ueluti quosdam aquæductus: nō tamen semper eos adsecuta, pus in adiacentes cōpellit sedes: quæ quoties exiguę fuerint, derodit continens eas tegumentum, sub eo amplificando sedem. Cōstat igitur ut ex his suppurationibus indulgentior habeatur, quæ foras non intro tendit: atq; ex his ipsis, quæ non ampliorē præhendit sedem in latitudinem extenta. in sublime uero resurgit, cum in uerticem quendam extendi C tur, coni formulam reddens: hæc autem simul robur foras expellentis indicat facultatis: & item nō magnam corrumpit sedem corporis quod erodit. Cæterum siue in mucronem subducta, siue in gibbum legatur, nihil interest. Nam ex utraq; lectione unus idemq; sensus est.

45 Quæcunq; uero intro rumpitur, optima est si cum exteriori sede nihil communicat, sed adducta est, nec dolet, & omnis exterior locus unicolor apparet.

Non simpliciter talis suppuratio optima est: sed earū quę intro forasq; rumpunt, optima est. Siquidem hæc deterior est q̄ quæ foras rumpitur. Hæc enim eruptio in partes multo nobiliores fit, q̄ fit D in ilijs cutis: & item non æque medicamētum adhiberi curatoriū potest, quoties introuersus rumpantur, atq; etiam per intestina secretum pus mordet & cōcerpit ea, dysenteriamq; inducit: & siquādo in ieiuno aut tenuioribus fiat intestinis, alimoniæ uitiat diductionem: at in uentriculo debilitat concoctionem. Itaq; perspicuum est ut pessima sit quoties in utranq; rumpitur sedem, introrsum atq; extrorsum. Ita enim geminatur malum: nam nec sedem nec uelut initium refectionis ullum obtinet natura reparandis ruptis, quo tanq̄ solo firmiora iaciat fundamenta incarnationis.

De signis quibus cognoscitur pus. Cap. XIIII

46 Pus optimum est, si candidum, æquale leueq;, & quamminime fœtidum est: maxime

xime uero contrariũ huic, deterrimum est.

Vt quamminime fœtidũ pus esse debeat, propalam est. etenim superans graueolentia, putredinis est, non concoctionis indicium. Vt autem cãdidum quoq; esse conueniat, discas licebit, si genituram eius intelligas ex ijs quæ alibi demõstrata insunt. Omnia enim iam omnibus docere locis nugacitatis potius quàm doctrinæ proprium est. Quæ uero alijs sunt commentationibus demonstrata, talia sunt: Libro de uiribus naturalibus dictum iam est unam ex ipsis esse uim alteratoriam, quæ & in uentriculo & in iecore molitur concoctionem, commutata alimonia in iecore quidem ad sanguinem, in uẽtriculo uero ad idoneum sanguini humorem. & item uniuscuiusq; partis animalium officium esse, ad propriam deducere naturam propinquantem humorem. Nouissima enim concoctio fit propterea quòd alimentum in nutrito apponatur atq; assimiletur. Itaq; perspicuum est ut spacio temporis longiore in talẽ præparetur similationem. Porrò proditum est libro de semine, ut in cõceptaculorum tuniculis de quibus aluntur testes, sæpe appareat liquido commutatus iam sanguis ad seminis creationem. Non enim conuenit ipsas conceptaculorum tuniculas ab alio quopiam nutriri. atq; appellant eiusmodi humiditatem nonnulli medici genitale uirus: & ob eam rem semen ipsum, genitale uirus nominatur. Sed potissimum ij qui uim eius dictitant semen, non substantiam corpulentam. Quinetiam quòd decumbens sanguis in partes laborantes inflammatione, committat inflãmationes, ita ut ab initio quidem sola conceptacula repleat distendatq;, mox adiacentes sedes inanes complures atque exiguas in singulis membris: libro De tumoribus præter naturam definitum iam est, & item dictum quoq; libro De inæquali intemperie. Talis igitur sanguis ad exiguas dispersus partes in locis inflammatione affectis, utpote extra propria conceptacula positus, non insuper remeare ad an-

A tiquam naturã potest: mutatur uero ac putrescit, quomodo omnia quæcunq; in alieno loco uehementius calefiunt. Si igitur natiuus calor de propria exorbitat temperie plurimum, ut in corpore inanimi, putrescit sanguis. Si uero uim seruet quãdam: permista quędam commutatio de causa per naturam & item præter naturam efficitur. siquidem causa naturalis concoquit: præter naturam, putrefacit. utra uero earum magis exuperet, per eam ipsam necessario signa accedunt, tum coloris, odorisq;, tum etiam consistentiæ. Ex his igitur (ut dixi) demonstratis in alijs commẽtationibus, series est ut colligas sanguinẽ qui probe sit in pus commutatus: primò quidem nõ putruisse, sed potius concoctum fuisse: secundo uero in ipso simul

B quid putredinis pręter naturam apparere, parum uero illud esse: &, ut Hippocrates dixit, quãminime fœtidũ: etenim hæc uox, quamminime, id pollet, quod quamparuissime. Ad hæc, colorem eius reddi similem semini, ratio est. candidũ uero non exquisita ratione uelut nix est. Semen enim à natura ducitur in solidiorum corporum colorẽ, exquisita ratione: modice, pus. Siquidem semen nihil habet præter naturam permistũ: pus uero non assidue par, ut explanatum iam est. permiscet ẽm omnino aliquid, quoniam sanguis de proprijs organis exiliuit. Hæc itaq; causa est ob quam candidum semen ac pus est. Pus enim quodammodo solidioribus assimilatur corporibus, quæ quidem sunt cõceptaculorũ tuniculæ neruiq;, & copulæ,

C ac membranulę, atq; etiam cartilago, ossaq;. Eadẽ causa est ob quam subsidet in urina candidum sedimẽtum. etenim id quoq; obtinet generationẽ, quæ puri proportione respondeat, inter id & naturales humores in medio collocatam. Quicquid enim alimenti in sanguinis generatione naturæ refugit confectionem, subsidet in urina, neque ut sanguis ab ea commutatum, neque ut pus, præternaturam causæ in generatione particeps.

GALENI IN PROGNOSTICA HIPPOCRATIS COMMENTARIVS SECVNDVS.

De aqua inter cutem. Cap. I



AQVA inter cutem omnis si ex acuto morbo existit, malo est, Non enim sedat febrem: sed dolorẽ admodum infert ac mortẽ: ferèq; incipit ex parte inani laterum ac lumbis iecoreq;.

Inter initia libri ipse dixit: Considerari conuenit hũc in modum per morbos acutos: principio uultum ægri, sitne similis beneualentium. Ita aliqui dicunt non solum de uultu exitioso per morbos acutos, sed deinceps de omĩbus ipsum facere sermonẽ cũ haudquaq; legerint finẽ sermõis ubi

D dicit: Hæc dico de morbis acutis, necnõ quicunque ex acutis morbis cõsistunt. Atqui constat ut de purulentijs docuerit, nõ solum illis quæcunq; uigesimo die rumpi solẽt: sed quæ ad trigesimum quadragesimum & sexagesimũ deuenerunt. atq; etiam antea de morbis qui ad quadragesimũ usq; diem processerũt, ubi dixit: Spirationis facilitatẽ existimari oportet perq; magnam habere uim ad salutem in omni morbo acuto qui cum febre infestet, ac quadragesimo die iudicet. Et item hoc loco ait non de quauis aqua inter cutẽ facere sermonẽ, sed quæcũq; ex acuto morbo existat: atq; etiã de purulẽtis tabidisq; deinceps docebit: et ad hęc de quartanis, ut constat, etiã diutinis morbis. Igitũ ut aqua inter cutem omnis si ex acuto morbo existit

stit, malo sit, nequaquam sedans febrē, sed inferēs dolorem: ipse dixit. porrò docuit genituram eius, iecoris nominatim faciens mentionē: atque una communi ratione, partis inanis, quę sunt ieiunū, & mesenteriū, & item intestina tenuiora. Nam in more est uocari illas partes inanes, quæcunque inter extremam thoracis costam, & iliū ossa habentur. At qui inanis uidetur omnis talis sedes si eam cū supernis infernisque partib. utrisque osseis cōferas. At uero omnis talis pars flaccida habet, quoties non fuerit aliquis pauloante repletus esculentis poculentisque. Ita mihi uidetur poeta has ipsas corporis partes, eo quod flaccidæ sint, appellare laparas. Itaque cuiusuis aquæ inter cutem communis genitura est, ubi sanguificationis officium intercidit. Etenim quemadmodū in uentriculo concoquuntur esculenta, pari ratione in iecore & uenis præconcoctum in uentriculo alimētum. Quinetiam ut in uentriculo interdum minus intercidit concoctionis officium, interdum magis: ita in iecore. Nonnunquam enim iecur afficitur per sese primum: quemadmodum etiam uentriculus: interdum per consensum aliarum partium. Itaque constat ut omnes sibi inuicem consentientes partes, aut quia uicinæ sint, aut quia habeant societatem magnam per conceptacula neruosque, afficiantur. In hunc modum, iecur per magnas uenas copulatur & lieni, & uentriculo, & intestinis. Atque etiam positura eorum ita uicina est, ut quædam contingant ipsum: quædam propemodum tangant. Itaque lienis nequaquam mentionem habuit Hippocrates. Siquidem De morbis acutis agebat. etenim hoc uiscus quādo per longos morbos traxerit scirrhosam dispositionem, ad consensum agit iecur, omnique corpori per tale medium aquam inter cutem concinnat. Porrò iecoris ac partis laterum inanis mētionem facit, ac docet differentias aquæ inter cutem ex illis, quomodo procedente sermone perspicuum erit.

2 Quibus ergo ex inani laterum parte & lumbis principia aquæ inter cutem fiunt, ijs pedes intumescunt, & alui fluor diutinus fit, neque exoluens dolorem qui ex inani parte efficitur ac lumbis, neque molliens uentrem.

Intumescere pedes, omnis aquæ inter cutē cōmune est; sanè & quibus ex iecore uitium est assidere hoc dicit. Sed cōstat ut & uitio lienis, & simpliciter omnibus alijs comitetur. Sed alui fluor peculiare est aquæ inter cutē ex inani laterum parte affligentis, ubi ieiunū & mesenterium inflāmatione uexent. His eñ potissimum uenæ debiles fiūt, per quas iecur ad se trahit alimentum: ita fit ut nequaquam subseruiant uisceri ad diductionē. Verum maneat in ieiuno tenuioribusque intestinis alimentum. Quòd si grauentur ab eo, utpote debilia: statim id omne pellunt deorsum. atque hæc alui fluoris causa est. Quinetiam corrumpi alimentum, bilisque colligi copiā, ratio est, ob calorē partiū quæ

A inflāmatione uexantur, & ob eam rē intestina admodum mordentur, proindeque incitantur ad excernendum contenta ibi excremēta. atque hæc rursus altera causa alui fluoris est. Quocirca merito ait neque sedare dolorem ipsum, neque mollire, id est uacuare ac contrahere uentris œdemata: indicās ex his quòd cum dolore excernāt, & quòd hypogastrium totum attollatur in molem. fieri enim dolorem necesse est ob inflammationem demorsicationemque. uentrē uero omnem subleuari, repletis intestinis spiritu flatuoso: cuius genitura, optima ratione subsequit cruditatibus: & tandem non manere intus ex imbecillitate comprehensoriæ facultatis intestinorum.

B 3 Quibus à iecore aqua inter cutem incepit, & tussis, & tussiēdi quidē cupiditas est, sed nihil excreant cōmentatione dignum, pedesque intumescūt ac uenter nō deijcit nisi dura, ac pro necessitate. atque etiā circa uentrem œdemata fiunt, partim in dextra parte, partim sinistra consistentia desinētiaque.

Cupiditatē dixit hoc loco propensionē, quam quidem ad tussiendum obtinēt, incitati quidē tanquam ad accidens, statim uero ab hoc desistētes, tantummodo tentātes initiū tussiendi. etenim iecoris moles incidens præcordijs, facit angustiam in pulmone. Cum ergo similis reddatur affectio ueræ illius angustiæ, ob quam inflāmatione laborans decumbēte ex capite materia afficitur: cupiunt tussire, sperantes nocuā uacuando materiam, esse angustiam curaturos. Sed incipientes statim

C desinunt, ob experientiā ipsam deducti in notitiā dispositionis exquisitiorem, sentientes quod temere sperauerint. Quinetiā natura ipsa per se infert tussim, infartiones expurgando pulmonis, quanquā ipsi nequaquam tussire cogitemus, ita ut difficile sit sæpenumero obsistere inhiberéque accidens. Nunc igitur quando ob angustiam ad tussim ęgri ueniunt frustra, ceu auxiliaturam affectui, naturalis facultatis nequaquam habentes ministerium, continuo desinunt. Ergo ob hęc propensiores ita affecti ad tussim redduntur, sed eos cito tale deficit munus, propterea quòd nihil dignum commē-

D tatione excreant, sed tantum quantum in asperā materiam seorsum tenueque ex conceptaculis sanguinem continentibus serosum, comprimitur in modum sudoris cuiusdam. Igitur hoc pacto aqua inter cutem quæ de iecore existit, à prælatis interstinguitur, atque etiam paucitate & ariditate deiectionū. Incitantur enim illi perpesis ipsis uel intestinis, uel mesenterio. per aquam uero inter cutē, quæ à iecore existit, utpote imperpesis his, nec uitiato alimēto, neque grauatis ab eo partibus (etenim bene ualent) nec alui fluor infestat, manētque diutius inibi reliquiæ alimēti, quę partim mittuntur ad intimā peritonæi sedem, partim inflāmatione iecoris torrentur. Porrò uniuersa cutis, utpote quæ de pituitoso sanguine nutriat, intumescit. quod si premas eā digito, statim apparet caua, sed paulopost

lopost ad pristinã reuenit conditionem. nõ tamẽ statim ab initio simul ut acutus uertitur morbus, ita fieri solet, sed pedes intumescunt primi. quippe qui procul à calidissimis absunt partibus: tum autem subrepens accidens circa uentrem omnẽ, eam ipsam quoq; committit affectionem: itaq; si premas œdema digito, cauatur, ac uelut foueam facit: tum autem paulo post ad pristinam remeat conditionem. quod Hippocrates ait: Atq; etiam circa uentrem œdemata fiunt quæ consistant desinãtq;. At uero fieri potest ut id quoq; dixerit de prima eorum genitura. Nam incipientia consistere, sæpenumero desistunt, ita ut uideantur quidẽ integre destitisse, mox rursus subleuantur, & rursus desistunt, & rursus subleuantur: procedẽte uero tempore permanent non insuper desistentia. Sane distant à prædictis quæ infestãt ex inani parte, eo quod pressa cauentur, pituitosam habentia naturam, nec insuper spiritu flatuoso, quemadmodum illa, consistentia.

4 Si caput, manus, ac pedes frigidi sunt, uentre costisq; calentibus: malum est.

Per morbos diutinos, potissimum hyeme & senibus, non solum per incursiones febrium quas nominant accessiones, sed etiam ex intermissionibus, nihil mirum uideri debet extremas corporis partes refrigerari, quippe quę carne uacant ex natura, longeq; sunt à uisceribus positæ. Verum hoc libro nequaquam agit de morbis diutinis. Itaque per morbos acutos, tales refrigerãtur partes prope dixerim propter affectionẽ cõtrariam illi quæ per morbos diutinos tale accidens infert. Per illos enim calor natiuus pro debilitate nequaquam permeat ad extremas corporis partes. in morbis uero acutis, propter inflammationis magnitudinem in uisceribus fatigantis, parum sanguinis in omne permeat corpus, plurimum uero eius in parte affecta inflammatione includitur: & ob eam rem mediæ corporis partes, quæ sunt thorax ac uenter, admodum calent. Fit tamẽ per morbos acutos interdum accessio cum rigore prehẽdens aut frigore, quæ non solũ extremas corporis partes, sed etiam cutẽ circa costas ac uentrẽ, frigidam reddit. Et hęc quidem circa uiscera uitium non ostendit. sed ubi permanentibus partibus circa costas ac uentrem calidis, aut etiam calidioribus quàm soleant ex natura, summæ refrigerãtur corporis partes: in uisceribus magnitudo significatur inflammationis. Ac forte melius est intelligere uentre ac costis calentibus ita dictum, ut planius calefiant quàm dum haberent per naturam. Ceterum ut febris lepyria nominata relegetur ad hoc genus, cuiuis perspicuum est.

5 Optimum uero est, si corpus omne æque calidum molleq; est.

Cum deterrimam prædixisset conditionẽ morbi, quoties medijs corporis calefactis partibus, refrigerentur partes extremę: hoc loco opponit optimam in nobis, in qua corpus omne æque calidum, & item æque molle est: etenim uerbũ, ęque,

A cõmune utriq; existit. Igitur æque calidũ corpus omne est in febribus ardentissimis, sed mordens & siccũ per eiusmodi affectiones haudquaquam molle apparet. quòd si molle pariter & calidũ æque sit, optimam indicat corporis affectionem.

6 Qui dolore uexatur, facile cõuertatur, sitq; resurgendo leuis, oportet.

Summa totius præsagitionis in morituris conualituris q; est, quoties uis ægrotationis cum ægri facultate cõferatur. Si enim morbus uehemẽtior est, æger omnino morietur. si debilior quàm ægri facultas, haudquaquã morietur, ubi nihil peccati committatur. Hãc uero summam ipse scripsit per sententiam, cuius initium est: Colligẽdum etiam est an æger possit eo uictu quem præceperis, du-

B rare ad consistendi uigorem usque ægrotationis. Hæc ergo summa præsagitionis habetur. Cæterum cum tres secundum genus uires ex triplici pendeant origine, cerebro, corde, iecore, per earum ministeria firmitas atque infirmitas cognoscitur. Præcipua uero cerebri ministeria sunt, meminisse ac cogitare: subseruientia uero, sentire & moueri secundum desiderium. Cordis uero, motus arteriarum. Iecoris uero, generatio sanguinis & humorum. Itaque cum præsensionis contemplatio in hæc diuidatur capita, quodcũq; signum est ab Hippocrate dictum, considerãdum quo genere collocetur, uelut nunc ut facile uertat æger, atq; resurgendo sibi leuis appareat. Hæc enim si-

C gna sunt facultatis corpus secundum desiderium cõmouentis. Cæterũ constat ut in præsens nequaquam intersit dicere secũdum desiderium, aut appetitum, aut uoluntatem. Ad hũc modum supra de decubitu dictum est in dictione cuius tale est principium: Cubantem offendi ægrum oportet. Indicatur enim quòd talis decubitus, quemadmodum etiam accliuis, fiat fungentibus officio musculis, & ipsum solent tonicon, id est, firmum nominare. Sed de eo, libro De motu musculorum fusius dictum iam est. Perhibuit autem & Diocles quòd animalium corpora consistant ex eo quod fert & eo quod fertur. fert facultas: corpus fertur. Ergo quemadmodum ferẽtes onera aut grauati ab eis uix mouentur, aut si leuius appareat onus,

D innocue ferunt: ita facultas. Si enim ualida est, facile corporis onus fert, ut haudquaquam mouendo offendatur. si debilis, utpote grauata, uix subleuat corporis partes.

7 Si corpus omne graue est, & item manus, ac pedes: maiori cum periculo est.

Aggredienti moueri secundum desiderium, grauitas partium cõspicua redditur, crurum quidem dum surgere & ambulare aut etiam omnino transferre ea cubando æger tentet. Pari modo manuum, dum capere aliquid ac dimittere necnon transferre tentet. Simili ratione ceruicis ac spinæ, dum commutare corporis habitum secundum eas partes experiatur. Estq; hoc maximum indicium præcipuumq; debilitatæ facultatis, ipsa scilicet partium grauitas, nõ cuiuslibet (ut antea

est

est proditum) sed eius quæ in musculis ac neruis A tantummodo est.

8 Si uero præter grauitatem ungues quoque ac digiti liuidi sint, expectanda mors continuo est.

Diximus alio loco quonam modo gubernantes animal uires simul intereant, et ut animal prorsus uiuat quoad quæuis earum seruetur. Cum ergo dixerit Hippocrates languentis indicia facultatis à qua musculi mouentur, addit alia facultatis quæ extinguitur propria indicia. nam liuescere signum est extingui calorem innatum qui de corde emanat: & ob eam rem non simpliciter ait liuiditatem grauitati partium accedentem indicare mortem, sed continuo & sine ulla cunctatione, B propterea quod utriusque intermorientis signa appareant facultatis.

9 Si digiti ac pedes omnino nigrescũt, minus pestiferi sunt quàm si liueat: sed & alia signa cõsideranda sunt. Si enim facile ferre malũ appareat, & aliquod aliud salubre fuerit signũ: morbum uerti spes est ad abscessum, ita ut æger quidẽ sit conualiturus, corporis uero nigrefactæ partes casuræ.

Nõ minus pestiferi dixisse quàm si liueat oportuit, sed ut interdum nullo pacto, interdum summe pestiferi sint. ac forsitã existimabit aliquis Hippocratem ignorasse id, propterea quòd non proprie utitur dictione: sed adijciẽs determinationẽ C deinceps, ac docens utrunque eorum quę dixi, constat ut agnouerit ueritatem, sed haudquaquã exquisite locutus sit. Nam interdum pars nigrescit, quia materia eò decumbit, interdum quoniã moritur. Sed quonam modo aliquis internoscat eam rem, perspicue indicauit. Si enim facile ferre malum appareat, id est facile se habeat æger, & item aliquod aliud salutare affuerit signũ, materiæ decubitus est: sin secus, mortificatio.

10 Si genitale testesque reuelluntur, dolor ac mors significatur.

Constat ut in quibus infestat dolor, eæ reuellãtur partes, quemadmodum in morientibus: idque habet rationẽ. Nam ubi uitalis facultas intermoritur, proindeque extendi ad fines usque corporis D impos est, sed accumbit, & ad suam cogitur originẽ, partes ut sequantur uires, contrahanturque, & ad intermedia corporis copulentur necesse est. Cæterum ut dolor contrahi faciat uires ad sese, perspicuum est. Ita fit ut ob eam rem partes ad originem reuellantur.

De somno. Cap. II

11 De somno, quemadmodũ ex natura & in consuetudine est, interdiu uigilandũ, noctu dormiẽdum est. Si cõtra commutetur, peior est. Minime uero offendit si quis dormiat prima luce ad tertiã diei partẽ. Qui uero ab hoc tẽpore somnus est, deterior est.

Non solum recte pronunciauit de signis per somnũ, sed etiam causam eis adiecit, in habitum referens naturæ quæcunque utilia sunt: contraria uero damnans, quia præter naturã existãt. Ad hunc modum res ex consuetudine habet. Quod enim consuetum est, bonũ est: inconsuetũ uero malum est. At uero temporibus Hippocratis non aliud fuit ex natura, aliud in consuetudine. Nunc uero diuites econtrario agunt, tum in quibusdam alijs, tum etiam somno, interdiu dormientes, noctu uigilantes. In his igitur, ut qui soliti sint uiuere præter naturã, doctrina ab Hippocrate dicta nequaquam uera est. etenim hoc tẽpore magis rata consuetudo est quàm natura, nõ in mulieribus solum ditioribus, sed etiam in non paucis uiris.

12 Pessimũ uero est, si neque interdiu, neque noctu dormiat. dolor enim ac labor uel desipientia ab eo indicio significatur.

Neque interdiu, neque noctu dormiũt ij qui ex dolore ac labore contenduntur, & item qui incipiãt delirare. Nam id quoque cõmittit insomniã ob temperamenti in cerebro siccitatem.

De deiectionibus. Cap. III

13 Deiectio optima est, si mollis cõstansque est, & eo tempore secreta quo secunda ualetudine assueuit, si copia ex ratione ingesti cibi est. Si enim talis excernitur, inferior uẽter bene ualet.

A consistentia, quantitate, & tempore quo deiectiones excernuntur, dignotionem fecit optimæ deiectionis: non tamen deterrimæ ex his solum, sed adiecit eis indicia à colore atque ab odore, & ad hæc sonitu per secretionem adiuncto. Itaque consistentiam obtinet per naturam, ubi non omnino dura sit quemadmodum lapides, neque extreme humida ut diffluere queat, sed intantum mollis quoad constans permaneat. copia uero proportione respondeat ingesto cibo oportet: ac tempus quo uacuatur, assuetum ægro. Cæterum addendum est ut color & odor naturalis seruetur: quæ quidem ipse Hippocrates non adscripsit, ceu ex ijs quæ sunt prodita præter naturam, hæc quoque intelligere possis. id enim illi esse in consuetudine, sæpenumero docuimus, ut ex contrarijs indicet contraria, prætermissis appellationibus eorum. At uero bene ualere uentrem dixit inferiorem, tanquam conferens eum cum thorace, ut intelligamus uentriculum ipsum, & item ieiunum simul cum intestino omni, per uentrem inferiorem. Non tamen contraria deiectio continuo indicabit habere præter naturã. Id enim nec ipse dixit, nec alioqui uerum est. Itaque contingit bene ualere uẽtrem inferiorem: à iecore uero aut liene aliquid in eum confluẽs uariare non solum colorem per naturam, uerumetiam cõsistentiam atque odorem deiectionis. Porrò quandoque permutabitur copia illius permistione decumbentis humoris, neque seruabitur tempus secretionis assuetum. Ergo simillima naturali deiectio indicat

non

non solum inferiorem bene ualere uentrem, (id quod ipse dixit) sed etiam nihil in eum decumbere ex uisceribus prędictis. Quę uero habet pręter naturam, significat uentrem interdum solum esse affectum, sæpe uero decumbentis aliunde materiæ in eum, indicia habet: atque hæc multiplicia sunt, eo quòd iecur non solũ sua ipsius excrementa saniemq́; & humores præter naturam demittit in uentrem, sed etiam corporis totius: quãdoquidem uenter per id omnibus corporis partibus cõpulatur, ac per illud recipit excrementa earũ: quæ quandoq; decumbunt purgantia omne corpus, aut partem unam, aut duas, aut plures pariter: sæpe uero quæ accidẽtia sint indicantia affectionẽ, aut corporis omnis, aut partis alicuius, aut aliquarum. Sed animaduertamus deinceps sermonem eius de talibus docentem.

14 Deiectio madens, ex usu est, si nec stridet, neq; crebro & paulatim excernitur. frequens enim desidendi labor insomniam facit. At si uniuersim & sæpe deijciatur, periculum defectionis animæ imminet.

Madentem fore deiectionem propterea quòd nõ fuerit ex uẽtriculo diductio ad iecur, uel quia de iecore, aut liene aliquid defluxerit in eum, cuius perspicuum est. Sed fieri potest ut id bonũ sit, quoties expurgetur iecur, aut lien, aut omne corpus per iecur. non bonum uero quoties accidẽtis ratione fiat diductione à finibus cõcidente, aut ijs quę de iecore eunt in uentrem, bonæ affectionis signa nõ habentibus. Hæc interstinguitur si nec stridet. nomen ẽm de sonitu cõfectum est. & item si nec crebro ac pedetentim deijciatur. Quæ ita enim deijciuntur, accidẽtis obtinent rationẽ. Quę uero multo interposito tempore uniuersim, sæpe numero bonæ secretionis indicia erũt, quia natura expellat nocuam qualitate aut quantitate materiam, omne corpus, aut aliquã eius partẽ uacuando purgandóue. Porrò uacuationem appello propriæ materiæ, ubi quãtitate exuperet: purgationẽ uero alienæ per qualitatẽ. At uero sequuntur quædam alia talem deiectionẽ, quorũ mentionem habuit Hippocrates dicens: Frequens enim desidendi labor insomniã facit. Quinetiã sæpe & multũ excernere, ceu uires exoluens, criminatur: atq; admodum raro tales secretiones bonæ sunt. Namq; eis adiuncta est exolutio uirium, quæ nequaquam bona est, quemadmodum decretorio quidem, sed immodico sanguinis fluori.

15 Sed pro copia ingesti cibi deijciat bis aut ter die, noctu semel, oportet, Plurimũ uero subeat prima luce, quemadmodũ homini fuerat consuetum.

Id quoq; supra docuerat, sed rectius erat eũ disseruisse: nunc de secretione decretoria quidẽ, sed uniuersa, quemadmodũ ego proxime feci. Cæterum damno tanq; superuacuum, bis aut ter die, noctu semel, & quicquid aliud postea scripsit. Abunde ẽm fuerat dixisse, quẽadmodũ homini fue-

A rat consuetum. At uero sententiæ finis legitur bifariam: in quibusdã codicibus cum uerbo subeat, in alijs sine tali uerbo, ad hunc modũ: Plurimum uerò luce, quemadmodum homini fuerat consuetum. Sed nihil interest, hoc an illo modo scribatur. nã utrouis modo seruatur optimũ esse quod quammaxime fuerit consuetum.

16 Corpulẽta reddatur deiectio, morbo eunte in iudicationem, oportet.

Corpulenta scilicet redditur, si aquosa ac tenuis, haudquaq; corpulenta duraq; existat. Quocirca sermo est de humida statim inter initia deiectione. Id enim proprium est breuitatis, quam in dicendo maiores seruarunt, potissimum Hipp. ut ex oppositis interdum indicẽtur quædam nequa-
B quam prodita nominatim.

17 Subrufa uero, nec admodum graueolens esto.

Id inter initia dicendũ erat, dum ageretur de deiectionibus ad hũc modũ: Deiectio optima est si mollis constansq; est, & eo tẽpore secreta quo secunda ualetudine assueuit, ac subrufa, nec admodũ graueolẽs: ut (quemadmodũ pauloante dixi) consistentiã eius & quantitatẽ, atq; tempus secretionis, et itẽ utranq; qualitatẽ, tum uisibilem, tum etiam olfactilem definijsset. Cæterum naturalem deiectionem subrufam esse suscipientẽ de iecore bilẽ decumbentẽ in uẽtrem, moderatam quidem qualitate, paucam uero quantitate, clarum est, &
C omnibus medicis conspectum. Si enim syncera, aut multa decumbit bilis, rufam reddit, aut flauã deiectionem. Si uero nullo modo permeat ad intestinum, ut in arquatis, candida deiectio erit.

18 Ac lumbricos quoq; teretes eũte in iudicationem morbo descendere idoneũ est.

Si natura pariter cum cęteris excrementis hos quoq; pellit deorsum, melius est quàm si sursum, & quoties post alia appareant ratione accidentis. Sed de differentia eorum quæ decretorie post adparent, libro De iudicationẽ latius explanatum iam est.

19 At uero in quouis morbo uenter mollis corporatusq́; sit, necesse est.

Mollis opponitur intẽto, aut repleto, corpora-
D tus uero absũpto: ut principio de cõtentis in eo doceat, deinde de ipso uẽtre: quasi dixerit in hũc modũ: At uero in quouis morbo, modice uenter inanis sit et corporatus ex propria substãtia, haudquaquam tenuis, oportet.

20 Si aquosa admodum, aut candida, aut admodum crocea, aut spumans deijciatur, hæc omnia mala sunt.

Aquosa deiectio, cruditatis indiciũ est. Candida uero haudquaq; decumbere croceam de iecore bilem in uentris sedes significat. Porrò admodum chloron, id est uiridis aut crocea (id ẽm utrouis modo uertas licebit) quia gemina significat, ut antea dictũ iã est, in altera significatione, bilis croceæ copiã permistã esse, in altera æruginosæ, signifi-

significabit. Cæterũ spumans deiectio, interdum A spiritum flatuosum humore permistum esse solutu difficili, quãdoque caloris copiã indicat. Ita enim per exteriora corpora fieri cernitur, in mari incursantibus uentis, in lebete agitante copia caloris.

21 Si exigua, glutinosa, candida, Itẽ si subcrocea, leuisque sit, mala est.

Duplicem hoc loco deiectionum formulã docet, ambarum euenientium propter absumptionem, dissidentium uero inquãtum exigua ac glutinosa candidaque deiectio pinguedine absumpta ab igneo calore non tamen uehementer maligno efficitur: subcrocea uero ac læuis absumpta quoque pinguedine consistit, sed aut propter caliditatem uehementiorem, aut quia pinguedo ipsa uetusta ac uelut semiputris existat. Itaque exterior nõ B solum pinguedo, sed etiam sepum mutare spatio temporis priorem colorem, ac perspicue subcroceum reddi perspicitur. Si uero subuiridis sit, de æruginosa bile (id enim ut antea dictum est, secũdum uoculæ chloras, id est, uiridis aut croceæ, significatum est) uehementis consumptionis indicium est. At uero læue redditur quicquid de corpore excernitur, aut quòd habeat æqualem concoctionem, ut nulla eius pars effugerit naturæ alterationem, aut propter uehemẽtem cõsumptionẽ, ut nulla materiæ pars imperpessa supersit. Vt igitur quicquid salubre est, id omne salubrius redditur quoties æquale sit: ita quicquid malum est, id omne euadit deterius si æquale existat. Vtrunque C enim per omnem materiam apparet, quę aut naturæ comptum recepit, aut turpitudinem prauitatis. Cæterum ut glutinosus lentor sæpenumero fiat ubi quædam calefacta admodum sint, perspicuum est. nonnunquam etiam qualitas esculẽtorũ tales reddit humores. Sed hi quoties cõmouentur ad excretionem, haudquaque exigui sunt: deiectio uero sensim secreta, si glutinosa sit, ab his abest, tribuitur uero modicæ consumptioni. Sed interdum uehemens consumptio deiectionẽ reddit uniuersam glutinosam, sed talis admodũ graueolens est. ita interstinguitur ab humore crudo, quippe qui graueolens non est.

22 Exitiosior uero est, si nigra, aut liuida, aut æruginosa, aut opima, aut fœtida est. D

Nigra deiectio, ab atra bile syncera tingitur: liuida uero ubi modica modice permiscetur. Porrò opima deijcitur, quoties pinguedo ab ignito calore consumitur. graueolentia uero, putredinis indicium est.

23 Si uero uersicolor est, diuturnior quidem, sed nihilominus exitialis est. Hæc strigmenta habebit, ac biliosa erit, cruẽta, porracea, nigraque, quæ nonnunquam simul, interdum uicibus excernuntur.

Deiectio uersicolor multas haberi indicat affectiones, & ob eam rem tractu temporis eget ad concoctionem. Si enim multæ existunt affectiones, aliquas earũ diutinas esse uerisimile est. si secus, at omnes sane aduersus naturam, quę tanquã cum multis pugnatura inimicis, multum temporis consumat necesse est.

24 Si flatus sine sonitu crepituque excernitur, optimus est. Melius uero est quoties erumpit cum sonitu, quàm si cõdatur ac reuoluatur. Quod si ita excernitur, indicio est hominem uexari dolore, aut delirare, nisi sponte dimiserit flatum.

Flatum nonnulli cum sonitu, deuorato pudore, excernunt. Alij uero deligerent prius mori quàm aliquid tale committere. Hos igitur quoties audientibus multis dimittũt flatũ, scire oportet è duobus alterum: aut non satis intelligere quæ gerant, aut propter uehementiam doloris agere aliquid contra arbitrium & uoluntatem. In alijs uero qui præsentes paruipendant, nullum malum significare flatum cum sonitu, censendum est. Sed salutarius in his est ubi sine sonitu excernatur. etenim prorsus indicat aut flatuosi copiã spiritus, aut angustiam organorum. At uero quoties spiritus copia non admodũ multa fuerit, & item organa per quæ excernitur, laxiora, tũc sine sonitu in talibus flatus excernatur oportet.

De dolore qui in ilijs affligat. Cap. IIII

25 Dolorem qui in ilijs affligat, ac tuberculũ si recens fuerit, nec cum inflammatione, soluit murmur incidens circa ilia: sed potissimum ubi cum stercore & urina excernatur. si uero non etiam ipsum transierit, prodest, iuuat quoque si ad inferas sedes deuoluatur.

Cyrtoma, id est tuberculũ in ilijs appellauit quẽ antea nominauit œdema. Talis est omnis moles præter naturã. hæc ubi sine inflammatione est, flatuosa existit: potissimũ ubi recentior fuerit. At uero solui dolorẽ ait si murmur accesserit circa ilia. Talis enim sonitus non solum spiritus indiciũ est, sed humore permisti, & corpore solidiore. Quoties igit aut permeet deorsum spiritus ille flatuosus flatus effectus, aut nequaque permeans subdescendat deorsum ad aliquam inferiorem sedẽ, ilia uindicantur utroque accidente, tum dolore, tum etiam œdemate, sed potissimũ si cum urina & stercore uacuetur. Talis enim uacuatio nullum præterea relinquit in ilijs excrementum.

De urina. Cap. V

26 Vrina optima est, si candidũ sedimentum fuerit, læueque & æquale per omne tempus dũ morb. iudicetur. Securitatẽ enim, ac morbum fore breuẽ significat. Si uero intermittit, atque interdum puram emittit urinam, interdum subsidet cãdidum ac læue, morbus diuturnior, ac minus securus est.

Quemadmodum paulo supra diximus ex uolũtarijs functionibus agnosci uim unam, quo pacto & robore & imbecillitate prædita sit quam superioris

perioris originis esse docui, quam alio loco in cerebro domicilium ac sedem habere indicaui: ita nunc alterius facultatis naturalis Hippocrates indicia partim exposuit, partim hoc sermone exponit. Hæc uero facultas de qua dico fieri sermonē, alterans & concoquens appellatur. Igitur facultatis in uentre, indicia agnoscuntur ex ijs quæ quotidie deijciūtur: facultatis uero in iecore ac uenis, ex urina. In his enim indicia clara sunt partim exquisitioris, partim parcioris, partim irritæ in plenum concoctionis: quemadmodū in uentris indicijs: & ad hæc, extrinsecus, quemadmodum illic quædā indicia simul aliarū dispositionū, pari modo hic excernuntur. Exorditur ergo tractatū Hippocrates ab indicijs cōcoctionis, deinde cum eis cætera copulabit. Igitur & nos in primis dicamus B ea quæ ipse principio docuit in præsenti dictione, sedimentū urinæ considerari præcipiens. Si candidum, læue, & æquale semper, nec interdum tale, quandoq; diuersum existat. Id enim sæpissime euenit, ut aliquis emittens urinā secunda die inculpabilem, alteram sequenti nocte culpabilem emittat, deinde rursus inculpabilem tertia die prima luce, postea uespera culpabilē. In tali enim urina alius concoctus deuictusq; à natura conditus in conceptaculis humor, alius incoctus apparet. Si uero incoctus humor nequaquam interponitur concocto, talis urina optima est. Si igitur urina habeat sedimentū: id candidum, æquale, ac læue sit quoad dissoluitur morbus, necesse est. Si uero non habet, prorsus aliquam nubeculam candi- C dam obtinebit. Necessario uero colore erit modice crocea: & conditione media inter tenuem & aquosam ac corpulentam, qualis iumentorum habetur. Cæterum urina nullo pacto sedimentū habet si tenuiter, copiosum uero si largius, exiguum uero si modice uiuitur. Quinetiā in morbis biliosis ad colorem croceum, in ijs uero quos crudi cōmittūt humores, ad candidius tendit. Porrò sedimentum habet copiosum, quoties morbus ex humoribus crudis fatiget. nullo uero modo, aut omnino minimum, quoties ex biliosis fatiget, sed satis erit si habeat sublimamentū. Intelligo sublimamentum id quod corpulentius candidiusq; in urina, neq; in summis eius, neq; in fundo uasis: sed in D media sede sublime, uel exquisite mediū, uel deorsum potius ꝙ sursum existat. Id igitur solitus sum nominare sublimamentū. Sed ab Hippocrate id quoq; nubecula nominatur, eandē obtinens proportionē circa urinā, quam ueræ nubeculæ ad aerem preferunt: etenim hæ humore qui circiter est, corpulētiores: & item illæ, aere sunt. Itaq; sæpenumero (ut dixi) supernatat in urina desuper, quam ego nubeculam proprie soleo nominare. Sed hæc tibi sint in primis cognita atque in animo posita, mox animaduerte ea quæ Hippocrates scripsit. Vrina enim assidue faciens sedimentum quale dixit, securitatem significat, id est morbum esse sine periculo, atq; integre exoluendū, ita ut non sit preterea repetiturus: & item celeriorem fore solutionem, ita ut si prima die aut proxima nocte apparēs, perseueret simile, die secūda aut nocte primæ circuitionis decretoriorū dierū, nō ultra procedet ægrotatio. Porrò hęc dixit scilicet de morbis febriculosis. Quicunq; enim sine febre affligunt, aut in cerebro, aut membranulis, aut in thorace, ac pulmone, ex alijs indicijs agnoscuntur, siue mitiores breuioresq; sint, siue periculosi diutiniq;. Cæterū quam ob rem urinæ sedimentum candidum esse conueniat: dum ageretur de pure, in calce primi uoluminis explanatum iam est.

27 Si urina fuerit subrubra, ac sedimentū subrubrū & læue: diuturnior hic morbus quàm primus, sed admodum salutaris est.

Quoties sanguinis serū pariter cū urina excernitur, colore subrubra apparet. Indicat autem exuperantiā sanguinis non exquisita ratione cōfecti. Igitur quia integerrimi humoris exuperantia est: idcirco sine periculo est. Sed quia humidioris & item serosioris, eget concoctione. Si igitur spatio tēporis concoctio fit, merito talis urina significat ut diuturnior ꝙ primi, morbi solutio futura sit.

28 Si in urina sedimentū speciē referat polentæ crassioris, malum est. Deterius uero si squamularum institutione consistit. Si uero tenue & candidum admodum est, uitiosum est. Furfureum uero deterius est.

Crassior polentæ pars appellatur, quæ effracto inuehitur hordeo tosto grandiuscula, refugiēs scilicet molæ confectionē exquisitiorē. Talis igitur quoties inuehitur urinæ sedimēto, indicium non bonum est. Si enim polēta non effringitur in partes admodum tenuiores, species polentę redditur crassioris. In urina uero, non ciborum pars simul diducta insuper duriuscula permanet. Sed assato sanguine crassiore, uel cōsumptis inæqualiter carnibus, ita contingit. At uero inæqualiter accidit, quoties à calore igneo, quę recens est & nuper cōcreta caro, in saniem resoluatur. duriuscula uero, si ijs quæ frigunt in sartagine subsimilis, exiccata cōstiterit. Prima enim noua ac recens pinguedo consumitur per huiusmodi febres, deinde durior ac uetustior, & ab his deinceps noua ac recens caro, mox dura ac uetusta, postremo solida iam corporis membra: quibus rursus inęqualiter cōsumptis, squamulæ pariter cū urina excernūtur: & ob eam rem talis urina deterior est quàm quę tantummodo speciem polentæ referat crassioris. Cęterum aliud est tenue sedimentum, id est non habens corpulentiam, sed (ut ita dicatur) subsimile spumæ. tale uero continuo album existit, propterea quòd recipiat in se totum circumflui splendorē aeris magis quàm quod crassius est. At uero generatio eius est de spiritu flatuoso permisto tenacius semiconcocto humorum excremento. Propriū enim concocti integre sedimenti est id quod consueuimus nominare æquale. id accidit quoties totū similare existat. Quod enim alij permiscetur corpori, dissidentes obtinet in cōsistentia & colore partes. Inæqualium uero sedimentorum quæ ex par-

tibus tenuioribus habeat inæqualitatem, deteriora sunt quàm quæ ex maioribus. Quæ enim sunt partium maiorum, magnum indicant naturæ robur, tantum, quanta fuerit substantiæ magnitudo exquisita ratione confectæ. Quæ uero tenuiorum sunt, peruinci à materia indicant facultatem, & ueluti pugnam habere in seipsis ęqualem. atq; ea res in omni inæquali sedimento promiscua est. Particulares uero in eo differentiæ pro uirtute concoctæ materiæ, uitioq; non concoctæ, existunt. Porrò ab his tribus sedimentorū differentijs aliā quartam adiecit, furfureum sedimentū: quod inquam deterius q; tertium est. Indicat enim quemadmodum primum ac secundum flāmeam febris caliditatem & consumentem: quod quidem non quartum, sed tertium proditum esse oportebat.

29 Nubecula quæ inuehitur in urina, si candida est, est bona: si nigra, uitiosa est.

Cum de discrimine docuisset sedimentorum, deinceps ad nubeculas se confert, indicans ut sublimamentū appellitet nubeculam, adiectione uerbi inuehitur: è quibus ut nigram merito criminetur, perspicuum est: siquidem nigredo, aut ob uehementem accidit frigiditatem, (qua ratione sanguis quoq; nigrescit congestis globulis: & quæcunq; penitus perfrigerata mortificantur) aut propter exuperantem calorem. etenim sanguis rursus trahit nigrorem si crematur, quemadmodum alia omnia corpora. & qui diutius in sole diuersantur æstiuo, nigri redduntur.

30 Dum urina tenuis fuerit ac rufa, crudā esse significat ægrotationem.

Vrina naturalis modice crocea est, utpote ex humore consistens concocto, qui flauæ bilis parum recepit.. Hæc ubi modum excedat, aut admodum syncera permiscet, urina rufa apparet. Ergo si adeo talis colore est ut etiam tenuis sit, crudā esse significat ægrotationem. oportet enim ut in colore diximus modice croceā esse debere naturalē urinam, ita etiā modice se habere in conditione, nec ita tenuē esse quemadmodū aqua, nec adeo crassam, ut assimiletur urinæ iumentorū. Sed omnia sunt integre de natura urinæ ac differentia prodita libro De iudicatione: inde ea discas licebit, si uerus fueris præsensionis amator. intentio namq; in enarrationibus est illustrare id quod obscurum dictum uidetur. At uero decernere quæ nam uere sint prodita, & quæ secus, & item adijcere demonstrationis fidem utrisq;, ex superabundanti existit.

31 Vbi morbus diutinus fuerit, urina uero talis excernitur, periculum est ne durare æger possit quoad morbus cōcoquatur.

Quoties morbus diutius incoctus permaneat, periculū imminet abolitiōis, nisi facultas morbo resistens quāmaxime ualeat. Cæterū constat ut ad hunc reuocari locū debeat sentētia qua præcipit cōsiderandū esse quātę supersint uires, & quantū morbus cōcoctionis requirat, & utrū ęger durare possit ad consistendi uigorem usq; ægrotationis.

A 32 Exitiosior uero urina est, si aquosa, fœtida, nigra, crassaq; est.

Vrina aquosa, tenuis quidem consistentia, colore uero candida, est summam indicans humorum cruditatem, naturalis uero facultatis debilitatem. At uero de quauis urina fœtida antea est (quemadmodum de nigra quoq;) perscriptum. Hæ igitur iunctim ac seorsum per se exitiosæ sunt. Cæterum crassa utrum per se seorsum exitiosa censenda sit, an copulanda cum prædictis, aut nigra, dignum cōsideratione est. Igitur quæ ipsi nouimus diligenter obseruando, dicemus, ut ex illis orsus, simul scias ueritatē, simulq; meliorem eligas enarrationem. Vrinā nigram quo fuerit crassior, eo deteriorē haberi obseruauimus. At si colorē habeat B naturalē, duplicem habet euentū, interdū ad mortem, interdum ad sanitatem propinquā, quemadmodum alia multa secundum naturā, quippe corpus per illa repurgatur. Cęterū constat ut ab Hippocrate crassa dicat urina, quę per nimiū talis habetur. Quæ enim simpliciter crassior quàm naturalis existit, non admodum exitiosa habetur.

33 In mulieribus & uiris urina nigra, in pueris aquosa, deterrima est.

In omni ætate urina nigra & aquosa, exitiosissima est: sed in ætatis uigore consistentibus inter exitiosas primum habet ordinem nigra, in pueris uero aquosa. Superius enim est ab Hippocrate dictū ut maxime contraria naturæ, exitiosissima habe- C antur. Contraria uero naturæ in pueris non ita nigra perinde ut tenuis est. Per naturā enim in illis est urinam emittere corpulentam, ac sediminis copiam habentem. In ætatis uero uigore consistentibus, tenuissima est, & habet exiguum sedimentū: & ob eam rem in eis urina nigra, exitiosissima est: in pueris uero ob aliam quoq; causam, aquosa pestifera est. In eis enim omnia concoquuntur ocyssime præ robore facultatis alterantis. At cōcoctio crassiorem reddit non solum urinam, sed etiā deiectionem, quoties bene in uentre concoquatur, & item screationem in pulmonia & costali, atq; etiam pituitam per destillationes & grauedines, necnon per lippitudinem, & pus in ulceribus. Si igitur in pueris manere uideas plurimum tempo- D ris urinam aquosam, ita ut nullā habeat mutationem ad corpulentius, indicium exitiale est.

34 Qui tenuem crudamq; diutius urinam mingunt, si cætera ut in cōualituris indicia fuerint, in ijs abscessum ad inferas præcordiorum sedes expectare oportet.

Id quoq; uerissime est ab Hippocrate dictum. Morbus enim concoctu difficilior, ut qui crassiore frigidioreq; humore consistat, per abscessum iudicari assolet: qui uero calidiore tenuioreq;, excretione. Quoties igitur plus maneat temporis urina nequaquam cōcocta, definiendum utrum nequaquam duraturus longitudine ægrotationis æger sit, an iudicandus per abscessum morbus. Definitio uero ex alijs indicijs erit. Exitiosa enim indicāt mortem

mortem, mitiora salutem. At uerò abscessus in ijs qui admodum immorantur, ad inferas erumpunt sedes, ob frigus, crassitudinem̃q; materiæ, ac uirium spatio temporis languentium debilitatem. In acutioribus uero, prope auriculas. Etenim per eos crassi minus humores existunt, & item copia caloris, ac ualētior facultas. At morbi medij, inter hos obtinent abscessus, qui medio genere ambigunt. neq; conuenit, quantum in ipsum agitur tempus, quærere sint'ne sursum potius quàm deorsum erupturi: sed ex alijs definiri signis oportet.

35 Si pingue desuper natans, araneorum speciem referat: damnandum est. Indicat enim consumptionem.

Quale pinguioribus iusculis refrigescentibus supernatat, uocata à multis uetula: tale in urina ex consumptione existit: de qua ipse disputans causam adiecit.

36 Cōsideranda in urina nubecula est, utrum sursum fuerit an deorsum, & item color quem obtinet. Si enim deorsum feratur cum colore qui dictus est, bona cōmendandaq; est. Si sursum cū colore qui dictus est, mala damnandaq; est.

Quod à me libris de Iudicationibus sæpenumero sublimamentum est appellatum, id solere Hippocratē nominare nubeculam, hac quoq; dictione non obscure significauit. Sed alibi ipse sublimamentū geniturę simile dixit, ita ut è duobus alterū sit, aut ut generalioris rei nomen existat sublimamentum, sectionem habentis in nubeculam, & id quod genituræ simile est: aut nunq; nubecula ab eo sublimamentum nominatur. Cæterum ut quicquid inuehitur in urina utile sit, & quāto subsidet deorsum, tanto melius habeatur: antea definitum iam potentia est, ubi diximus tali interdum spiritū permisceri flatuosum. Quod igitur exquisite cōcoctum secretum̃q; est, æquale ac similare, utpote nullum habens flatum, in fundum descendit uasis urinam continentis. Quod uero permistum est aereo quodam & uaporoso flatu, id subductum ab eo quod proportionale sit quantitati subducentis, minusq; & magis sursum fertur.

37 Ne te fallat, si ipsa uesica ægrotans, aliquam talem reddiderit urinam. Non enim totius, sed ipsius per se uesicæ indicium est.

Optime id adscripsit, reuocans in mentem quod nos interdum omisimus definire in ægris. Atq; oportet in uentris deiectione reponere in animum nūc proditam definitionem. etenim promiscuum est utriq; secretioni, totius corporis recipere excrementa, atq; etiam illarum partium per quas excernuntur. At uero per naturā habentibus nobis, excrementa totius corporis repurgantur per urinam: ea uero quæ in uentrem condita sunt, pariter cum stercore excernuntur. Præter naturam uero habentibus, cum urina pariter quædā morborum in renibus ac uesica indicia excernuntur: cum stercore

A core uero, corporis totius. Itaq; non raro per urinam purulentam, quęstio existit unde nam ueniat pus: itidē ubi squamulę excernuntur, ea ipsa quæstio est. & item aspera, fœtida, ac biliosa sæpe redditur urina propter uesicam & renes, non raro uero propter omne corpus, id est concoctricem humorum in toto animali facultatem, quæ (ut indicauimus) ueluti focum ardentem & fontem obtinet iecur. Interdum ea ipsa haudquaq; affecta, per uesicam & renes omne animal expurgatur: aut partium aliquarum in eo excrementa quædam incidentia uenis, purgato sanguine de renibus simul excernuntur, quemadmodū abscessus quoq; consistentes sæpenumero per urinam excernuntur.

De uomitione. Cap. VI

B 38 Vomitio utilissima est si pituita ac bile permista quāmaxime est, si non multa, non crassa est. Syncerior enim deterior est.

Per hanc quoq; dictionem indicauit quidnam appellet syncerū, opponens illi permistum: quamuis etiam nomē ipsum nihilominus suam indicet significationem. Etenim uinū dicimus syncerum, quocum aqua permista non est, aut perquam exigua permista est. necnon quodlibet aliud est & nominatur syncerum, quoties ipsum per se tantummodo, impermistū aliena materia est. Itaq; flauam bilem intueri licet interdum crassam ac summe flauam uomitione reiectam, & item deorsum deiectam, quam sanè nonnulli nominant uitellinam. Sæpe uero liquidiorem, ac minus flauam, quæ magis proprie crocea nominatur, permistum habens

C in se tota pituitosum humorem tenuem, aut aquosum quoddam excrementum. Vult igitur Hippocrates neutrum humorē syncerum apparere, sed eos inter se quodammodo permisceri. Biliosus enim syncerus, caloris copiā: pituitosus indicat frigus. Quinetiā syncerus humor crassior redditur, pituitosus quidem propter frigiditatem quasi cōcretus: biliosus uero, propter exuperantiam caloris euaporatus, & tanq; assatus. Hæ enim duæ causæ contrariæ crassitudinis sunt, calidū admodū ac frigidū. Calidū enim euaporat: frigidū adstringit.

39 Si uero uomitio fuerit porracea, aut liuida, aut nigra: quicūq; ex his fuerit color,

D malum esse censendum est.

De liuido ac nigro colore supra definitum iam est. Porracei uero nūc primū habuit mentionē, nō habentis quidē proprium nomen, sed utētis porri appellatione. nisi aliquis uelit econtrario à colore porraceo dictum esse porrum, non à porro porraceū. In quibusdā enim clara est deductio uocabulorū, ut cognoscaт id quod à grammaticis prototypum nominaт, & quod ab eo deductū est, quēadmodum de lacteo colore. in alijs uero haudquaquam clara est. Dicas enim licebit non à phœnice (talis est fructus palmæ arboris) phœniceum: sed esse à phœniceo phœnica dictū: quemadmodum cyanon (talis est aqua maris) nō à cœruleo magis quàm cœruleum ab illo. Itidem ochra & ochron, id est croceus color in eandem seriem reponūtur.

Ochrã uero dixi, non ultima acuta, quo pacto aliquis dicet ochron, id est croceum adolescentem: & ochram, id est croceã seu pallidã mulierẽ: sed pe nultima acuta. Ochra enim genus quoddã terræ est, cuius potissimũ Attica probatissima est. Hæc igitur nunc semel sint à me perscripta. Assidue enim in animo habeas oportet, studendũ esse nominibus tantũ quantũ ad illustriorẽ significationem eorũ quæ dicimus, ex illis iuuari possis: reliquum uero superuacuũ existimabis, tempus ad studium rerũ meliorũ reponens. At uero gignitur in corpore quemadmodũ crocea bilis per naturã habentibus, ita porracea altera præter naturam. constatq; ut hæc sæpenumero in uentriculo gignatur propter quorundã cruditatẽ esculentorũ, aut olerũ, qualia beta, cepa, brassica sunt: atq; ut etiã interdũ talibus nequaq; ingestis, ratione ægrotationis in uenis gignatur, ac decũbat aut in uentrẽ superiorem, aut in inferiorẽ, calorem in corpore indicans præter naturã, atq; excremẽti proprietatẽ talis tẽperamẽto qualis prædictorum olerum succus est.

40 Si idem homo omnes uomit colores, exitiale admodum est.

Siue de prædictis coloribus, porraceo, liuido, nigro sit proditum uerbum omnes, siue etiã de alijs cum ipsis quicunq; præter naturã habentur colores, utrouis modo exitiosissimũ est, indicantibus in corpore multas haberi difficiles affectiones.

41 Vomitio liuida si graue olet, ocyssimã indicat abolitionem.

Talis enim uomitio putredinẽ indicat cũ extinctione, si quæ supra diximus, in animũ reuocẽtur.

42 Omnis subputris ac fœtidus odor, in omni uomitione malus est.

Constat enim ut cuius affectioni permisceatur putredo, ea ipsa deterior euadat.

De screatione. Cap. VII

43 Screatio, in omni dolore qui affligat circa pulmonem & costas, cito prompteq; screetur, necesse est.

Verbum cito, significat inter initia ægrotationis. prompte uero, pro eo quod est facile ac propẽ se, dictum est: id uero significat cito ac sine dolore uacuari screationem. Fieri enim cito aliquid intelligimus bifariam, tum ut omnis principium morbi, tum etiam ut tempus adiunctum functioni, significetur. Prompta enim screationis uacuatio, id est propensa ac facilis est, quoties nec uehemẽs in thorace dolor infestet (hic enim interpellat sistitq; in medio prius quàm absoluatur, nascentẽ adhuc thoracis functionẽ) nec uires desint. hæ enim accumbũt in media functione, ita ut inchoatum inabsolutumq; officiũ restet. Quinetiã ipsa screatio si uehementer fuerit uiscosa, oblita tenacius membris, excurrensq;, sępenumero subsistit fistulis agglutinata pulmonis: quomodo si fuerit admodũ crassa, difficulter excurrit, ac lõgiore temporis tractu male affici cogit, atq; etiã stipatur in quibusdã itineribus angustis: & ob eam rem nõnullis strangulari cõtingit. Cæterũ ea ipsa materia si admodũ tenuis & aquosa est, uix screat: ut quæ circiter spiritui circumfluat. Hæc enim prima causa uacuationis est, quam etiam cõtinuam nominant. Duplex enim prima causa est, (quẽadmodũ dictũ est cum ageretur de causis) tum materiæ uitiũ, tum etiã id quod initiũ habeat motionis. Itaq; motionis initiũ ex facultate mouente thoracẽ in tussientibus est. Id enim libro De causis accidentiũ definitum iam est. Violenta uero contractio eius facit ut spiritus feratur foras uehementer: huius uero uehemẽtia effert secũ materiã conditam in fistulis pulmonis, quæ quidẽ asperæ arteriæ sunt. Quoties ergo thorax ualide suo fungatur officio, & humor in fistulis pulmõis cõditus, modice crassus sit: facile screatur. Si uero neutrũ existat, difficile, ægreq;. Quòd si ex prædictis causis altera sit, altera desit: uacuatio inter optimã ac deterrimã media accidet. & ut in totũ dicat, prout magis ac minus causę intẽduntur aut exoluunt, eorũ quidã facilius, quidã difficilius expuunt. Quid igit si prõpte excreare, perspicue pariter ac uere perpensum iam est. Si igitur id uerũ est, quemadmodũ est, uerũ quoq; erit ut cito excreetur. Non enim adiunctũ ipsi tussedini tempus, sed primũ morbi tẽpus significat. de quo per sententias dixit: In morbo costali si screatio statim inter initia existit, breuem ægritudinẽ fore ostendit. Nam siquis de tempore functionis intelligat esse cito dictũ (quod quidẽ docui in uerbo prompte contineri) peccabit bifariam: principio ut tempus ab eo sit bis incõsiderate proditũ, tum autem ut quod est libro sententiarũ præscriptum, omittatur, uim alioqui obtinens maximam. Cæterum ut non ob hæc solum, sed etiam propter ea quæ sunt proxime dicenda, ita intelligi cõueniat, dum eam ipsam enarrabimus dictionem, ostendetur.

44 Permista appareat flaua bilis admodum screatione oportet.

Verbum admodum, de permista, non de flaua bile afferẽdum est, uelut si in hunc modũ dictum sit, Appareat flaua bilis permista admodum screatione, oportet. Verbũ admodum, id potest, quod nimium & maxime ualet. Itaque paulo ante dixit: Vomitio utilissima est, si pituita ac bile permista maxime est. Nũc uero in screatione uoculam admodum, adiecit. Cæterum quam recte enarrauerimus, sequentẽ inaudiens dictionẽ discas licebit.

45 Si enim multo post ab initio doloris screat flaua, aut rufa, aut multã inferẽs tussim, aut nõ admodũ permista: deterior est.

In hac pollicitus sum dictione ostendere utrasq; enarrationes antea proditas, ueras esse: tum uerbi cito, tum etiam uerbi admodum, intellectum. Hippocrates enim se ad contraria conferens, quemadmodum cõsueuit, cito opposuit illud: Si enim multo post ab initio doloris screatur. Ei uero quod est admodũ permista, opposuit, non admodũ permista: & item ei quod est prompte excreatur, illud, multã inferens tussim. Quoties enim materia sine dolore citoq; uacuatur, tussi pauca opus est. Antea

tea enim dictum iam est, salubrius esse permisceri materias quæ uacuantur, quodammodo inter se, nec quicquam excerni exquisite syncerū, & item dictū est ut oporteat cito existere in costali screationem, in commentarijs De iudicationibus, atq; etiam libro sententiarum.

46 Screatio enim flaua si syncera est, cum periculo est. candida uero, glutinosa, ac rotunda, inutilis est.

Non aliud nunc dicit quàm quod antea dictum iam est. Si enim screatio nequaquam permista est, syncera est, ac redditur flaua propter flauam scilicet bilem: candida uero, glutinosa, ac rotunda propter assatam pituitam. Sæpe enim demonstratum iam est ut decumbentes membris quibusdam fluxiones inflammationem, sacrum ignem, œdemata, scirrhos, cancrum cōmittentes, pro discrimine exuperantium humorum indulgentiores ac maleficentiores euadant. Sanguineæ enim ac pituitosæ modestiores habentur. Quę uero flaua aut atra bile consistunt ægrotationes, difficiliores censentur. Alterutra enim derodit corpus, idq; cōmune illis est. Proprium uero utriusq;, flauæ quidem bilis, ut acutas accendat febres: atræ uero, ut solutu difficilem cōmittat affectionem. Humor enim, utpote crassus terrenusq;, adeo infarcit membra quibus conditus est, ut difficilius excernatur.

47 Si uiridis & spumans admodum est, mala est.

Sæpenumero dictū iam est ut chloron (id enim uertimus uiride) de croceo dicere solitū sit, & itē de eo quod à nonnullis uocatur æruginosum. Cæterum ut utrumuis horū, si summe fuerit tale, difficile sit, non insuper necesse habeo docere, cum antea de quouis syncero humore tradiderim. Præter enim sanguinē quiuis alius humor si syncerus fuerit, prauam indicat affectionem, flammido calore obtinens generationem. Flauus inquam, ubi serosus humor ipse assatur: quo permisto, croceus apparet. Aeruginosus uero, ubi is uehementer assatur. Niger uero, aut quoties is ipse uehemēter assatur: (quæ sane deterrima & quammaxime derodens atra bilis existit) aut ubi crassus sanguis similiter exiccetur: aut ratione extinctionis & refrigerationis. Sed hæc semper in animo seruanda sunt, neq; existimandum subinde ea ipsa præcepta de eisdem rebus repeti oportere. Cæterum spumans screatio (id enim in calce dictionis est proditum) ex aerea ac pituitosa substantia pariter permista est. Ex his enim quælibet spuma consistit: in mari quidē ex uiolēto uentorū afflatu in multas & exiguas partes attrita aqua: in ijs uero quæ elixantur, pręcopia caliditatis. At uero promiscuū in utrisq; censetur gigni bullulas multas & exiguas solutu difficiles, potissimum quoties ambo concurrant, tum aer turbulētus ac nebulosus, tum etiā humor quodammodo crassus ac glutinosus. nam tenuis humor, qualis exquisita aqua habetur, quoties aerem comprehendit mundum, non diutius continet, sed statim rescissis bullulis, in propriā remea-

A re sedem permittit: & ob eam rem spuma in mari celeriter soluitur. Crassus uero uiscosusq; humor quoties (ut dixi) turbulentam ac nebulosam substantiā intra se clauserit, plurimū detinet tēporis, eo quod nec illa sursum uersus festinet, quemadmodum mūdus aer, & quia ipse difficulter rescinditur. Vt enim gignuntur bullulæ ex humida substantia includente intra se aerē: pari modo soluuntur, propterea quod humida substantia rescindat̄. Facile ergo rescinditur quoties spiritus tenuis sursum uersus feratur. nō rescindit̄ uero quoties neq; tenuis fuerit, neq; sursum uersus feratur. Talis est aer nebulosus, ut qui nec cōuolet in sublime, neq; tenuis, sed perq; humidus sit, ita ut ferre queat humorē sibi circū extentū. Ita fit ut quoties elixatur B aqua, nō difficile soluatur bullula: sed quoties aut crassus aut opimus humor est, ex quo genitus spiritus flatuosus uaporosusq; est, atq; etiam summo tenus in lebete humor oleaceus, pinguis ac uiscosus est. Ita igitur & in corporibus animaliū spuma gignat̄ oportet. non enim uehemētiores flatuum, quemadmodū in mari procellas, existimari cōuenit, sed ignis calorē consumentē pariter ac spiritū efficientē flatuosum, tantū non oculis ipsis in multis licet infirmis intueri. Sed hæc abūde sint nobis prodita. ipse uero seruabis in animo quonāmodo gignat̄ spumās siue screatio, siue deiectio, siue urina. In his eñ interdū fluitat uocata bulla, ne præterea desideres rursus de his ipsis aliquid inaudire.

C 48 Si ita syncera fuerit ut nigra appareat, hæc difficilior q̄ illa est. Malum est etiam, si nihil repurgetur, neq; emittat pulmo, sed plenus ferueat in gutture.

Antea dictum est de omni uacuatione syncera uniuersim, ac de nigra seorsum. quod si nequaquā hęrent in memoria quæ supra definita sunt: rursus ea ipsa reuolue. Rectius eñ est ita efficere, q̄ ut ea ipsa præcepta de eisdē rebus sæpenumero pandā.

De grauedine & sternutamento. Cap. VIII

49 Grauedines & sternutamenta per omnes morbos qui in pulmone fatigent, præire & subsequi, malo est. Sed de alijs morbis exitiosis sternutamenta utilia sunt.

D Humorem qui de naribus secernitur, tenuē & incoctū nominare assolent omnes ueteres medici grauedinē, quemadmodū defluxionē talē qui de palato secernitur. Ac miror quonā modo Hippocrates non defluxionē adiecit grauedini, sed sternutamentū. Itaq; grauedines una ratione nocuæ sunt, ubi per tales existunt morbos: defluxiones duabus. Dictū à nobis antea sæpenumero est, aliqua praua malis adnumerari signis ex accidenti: alia simpliciter id ipsum tantūmodo, esse indicia praua, nullum ipsa cōmittentia malum, indicantia uero difficilem quandam affectionē à qua cōstiterūt. Porrò alia ab his esse indicia utroq; modo praua, tum quia signa, tum quia causæ sunt. Signa quidem, quoties ex difficilioribus fiāt affectionibus. Causæ uero, quoties ipsa rursus alias committant

prauas affectiones. Itaq; eueniunt defluxiones & A item grauedines in morbis qui affligant in pulmone, quia calidos recipiat cerebrũ uapores. Sed pulmo non ab utrisq;, sed à destillatione tantummodo afficit. Materia eñ quæ per grauedines defertur, per nasum foras excernit, & ob eam rem defluxiones deteriores q̃ grauedines habent. Ergo non satis noui quam ob rem eas Hippocrates per hunc omiserit sermonẽ, nisi aliquis uelit ut per grauedines eas quoq; intelligi dederit. ac fortasse ab eo qui inter initia librũ trãscripsit, omissæ sunt. innumera eñ talia etiã nũc fieri cernimus. Itaq; grauedines ac destillationes assiduas, non esse bona indicia censendũ est, præuenientes quidem, eo q̃ malis repleant humoribus pulmonẽ: procedente uero morbo si existunt, quia magnã pulmonis af- B fectionẽ, & ab ea ipsa caput esse affectũ significet. Sternutamentũ sequit grauedines magna ex parte. sane cõcutiens thoracẽ, uitiat quoq; pulmonẽ. At uero sternutamẽtum per alios morbos nunq̃ simul prehendit, nec aliquod aliud accidens: procedente uero morbo si existat, ostẽdit salutẽ, quanquã exitiosus quantũ per alia agitur indicia, morbus habeat. Indicat enim cõcoctionẽ ac robur secretoriæ in cerebro facultatis, de qua cũ in nasum flatuosi spiritus secernant pariter cum aliquo q̃q; humore, nonnunq̃ sensibili & cõspicuo, quãdoq; tenuiore et spectatu difficili sternutamẽtũ cõsistit

50 Screatio flaua non multo permista sanguine in pulmonis morbo, si inter initia ex- C cernitur, salutaris admodum est: si septimo die, pigrius'ue, minus secura est.

Promiscuus hic sermo per omnẽ inflãmationẽ est, iam à nobis sæpenumero proditus, ut decumbentis ad partes inflãmatione laborãtes humoris pars tenuior exudet, quoties cõtinens inflãmationẽ superficies haudquaq̃ densa ex natura quemadmodũ exterior cutis existat: & ob eam rem siue in meatibus nasi, uel oculis, uel ore inflãmatio fatiget, humores tenues similes ulcerũ saniei effluũt. Itidẽ pulmo laborans inflãmatione, excernit humorẽ quendam ad intimas sui ipsius sedes inanes, quæ inquã asperæ arteriæ sunt: qui cum à tussedine sursum ferat, excreat, indiciũ afferẽs efficientis pulmoniã fluxionis. illius enim ceu serum quod- D dam existit. Itaq; erit si biliosa admodũ est, flauus tantũmodo: si sanguinea, rubidus: si ex utroq; permista, rubidus pariter ac flauus. Hi igit humores boni sunt. Paulo uero absistunt ab ijs per quos sanguinẽ integrũ despuunt. forteq; indicium terrebit quempiã, quemadmodũ quoties cõsistente in pulmone ulcere, fatiscit cõceptaculũ. etenim tunc sanguinẽ despuũt. Sed sanguis in pulmonia eueniẽs prorsus exiguus screationi per exilitionẽ à medicis nominatæ similis est. Id accidens fit propterea q̃ sanguis cõsistentia tenuis decumbit ad os cum gingiuæ rariores existant, ita ut ipsum nequaq̃ cõtineant. In faucibus quoq; ob eandẽ causam talis sanguis serosus quandoq; excernitur. Non igitur absurdum est quoties aliquid tale in pulmone generatur, id uero ex cõsistentia sanguinis atq; eius copia facile cognosces. Nam qui ita screatur nequaq̃ crassus, neq; multus est. Cæterum non expectare accidens ad septimũ usq; diẽ oportet, sed potissimũ ante primũ quartũ ut concoctus alteratus sit. si secus, sed omnino ante septimũ expectandũ est. Si uero talis persistat, qualis ab initio erat, perspicuũ est ut plurimũ tẽporis processurã significet ægrotationẽ. nã ubi nondũ septimo die concoqui cœpit, longissimã fore demonstrat integrã cõcoctionem. At longiore temporis serie multa quoq; alia absurda incidere assolent, tũ ægroti culpa, & administratoris, tum etiã uitio aliorũ, quæ inopinata forinsecus accidũt, necnon interdum medici cõmisso. q̃ si nihil ex his accidat, periculum antequam concoquatur morbus, exolutionis uiriũ imminet. & ob eam rem minus securum uideri dixit pluribus diebus talem permanere screationem.

51 Omnis screatio mala est quæ non sedat dolorẽ: pessima autẽ nigra ut descriptũ est. Quæ uero sedat dolorẽ omnis, melior est.

Cõmunis hic quoq; sermo est in omni materia quæ ex corpore secernatur: de qua alijs libris atq; etiã uolumine sentẽtiarũ dixit: ut facilitatẽ potissimũ spectari cõueniat. Sæpe enim ualuit natura prauam uincens affectionẽ, expurgare corpus. & in hoc terrent multi aspicientes uitiũ eius quæ secernitur materiæ, nequaq̃ cognoscẽtes utrum id accidentis fiat ratione, an quia natura prauã materiam foras expellat. Itaq; per sentẽtias tantũmodo facilitatis scripsit appellationem, hoc loco doloris indicauit sedationẽ, ob quam cõmendat screationẽ quæ dolorẽ sedat. Paulo post omnia deinceps indicia docebit in melius proficientiũ ægrotationum: quæ inquã nomine facilitatis cõplexus est. quinetiã postea præcipit dictarũ indictionũ exquisite perpẽdi uires, ut ea inter se cõferẽdo, possis ex magnitudine in deterius aut melius totius corporis scrutari momentũ, quẽadmodũ presenti ipse oratione effecit. Si enim à screatione nequaq̃ desinit dolor, indiciũ bonũ non est, nõ tamẽ sufficiet tibi id unũ cognoscere ad exquisitã future sortis præsensionẽ, sed cõsiderari cõueniet & alia accidentia. id enim demõstrauit, nigræ mentionẽ habens screationis. Igitur cũ indiciũ cõmune sit non desinere dolorẽ: si crocea fuerit screatio aut rubra, minori cum periculo est: si nigra, exitiosissima est. Quocirca cuncta considerans, non solum prædicta, summã unã exquisitæ colliges præsensionis, ac ipse Hippocrates omnia indicia tum bona tum etiã mala percẽsuit, prædictis in animũ reuocatis.

De purulentis. Cap. IX.

52 Quicunq; dolor in his affligit sedibus, non desinens neq; screationis purgatione, neq; uentris subductione, neq; uenæ incisione, ac medicamento & uictus ratione: in suppurationem uerti sciendum est.

Quicunq; dolor circa thoracis ac pulmonis sedes non desinit adhibitis subsidijs, idq; malũ tantummo-

tummodo habet, nec ullum aliud exitiosum indicium adest: eum suppuratum expectabis. hic nanq; quodã modo medius est inter eum qui soluatur celeriter, & eum qui insanabilis existat.

53 Quæcunq; suppurãtur, dum screatio biliosa est, exitiosa admodum sunt, siue uicissim bilis ac pus, siue simul excernantur.

Eorũ quæ in partibus corporis perspicuis suppurantur, si talia in parte pus habeant, parte reliquam materiam, nullum curatu facile est. Si uero ultra quòd nondum habeant pus, adhuc & maleficum quoddam illis adfuerit indiciũ: multo magis praua sunt. Sed ex his multo magis prauum esse censendum est id quod pręcipua sede fatiget. indicatur enim humor quidam ferocissimus. quando quidẽ demonstrãte natura quonã modo præparata sit ad concoquendũ, nihil prorsus illi concessit.

54 Potissimum uero quoties suppuratio excerni ab eiusmodi screatione septima die ægrotationis incepit.

Id quoq; commune est cuiusuis per diem decretoriũ secretionis. Decretorius enim ad iudicationis firmitatem conducit. Vtrum uero bonum, an malum sit, alijs cognoscitur signis. Si enim sudor fiat septimo die, siue deiectio alui, siue sanguinis fluor, meliorem si reddiderit ægrum, indicium bonum: si deteriorem, malũ est: & alterutrũ firmum esse ostenditur, nõ quemadmodum si alio die existat. Sed de his libro De diebus decretorijs, atque etiã uolumine De iudicatione fusius definitũ iam est: in quibus oportet antea exerceri eum cui libeat dicta Hippocratis exquisita consequi ratione.

55 Screantem uero talia, mori quartodecimo die sperari potest, nisi bonũ aliquod illi acciderit.

Horum ueritatẽ re ipsa didicistis me prædicentẽ experti. quocirca animaduertere uos oportet, ea quæ Hippocrates dicit, non existimare potestate haberi, qualia à multis medicis scripta iam sunt: quippe talia quæ usq; ad literas & uerba, uerisimilia sint, uerum in morborũ operibus redarguant. Etenim intentionẽ ab eo proditam, mediam aliorum omnium bonorũ malorumq; considerando poteris prædicere diẽ quo moriturus aliquis est. Subijciamus enim ægrum screare purulenta septima die, non tamẽ per totum diem, sed aut cum eo biliosum aliquid, aut illud tantũmodo sine materia purulenta, atq; in eo esse alia omnia media ab ætate, natura, tempore, terra, ac propria facultate, ita ut nec facultas uehementissima, neq; debilissima habeatur. itidem & temperamentũ ægri, nec optime constans, neq; deterrime. pari modo tempus, terram, cõstitutionem aeris, ætatem ægri inter optimã ac deterrimã esse subijciamus. simili ratiõe in unoquoq; signorũ genere quę media sunt, ægro inesse subijciantur, hunc sperabis quartodecimo die moriturũ, ita ut hic medius mortis terminus censeatur. Accedentibus uero bonis indicijs, plus temporis præcessurũ mortis aduentũ: malis

A uero, citius quã quartodecimo die moriturũ. At uero quænã sint bona aut mala indicia persecutus ipse deinceps, quædã nominatim exposuit, quędã breui summa perstrinxit. Cęterũ ipse nequaq; hęc accipies perinde ut si cũcta æqualia habeant, sed in animo retinẽs ea quæ Hipp. scripsit, quæq; ipsi adiecimus, numerũ ipsum cõsiderabis ac potestatem, dum ipse ait: Salutaris admodũ est, & exitiosus admodum est: primariæ id potestatis alterum in bonis, alterum in malis instituens. Itidẽ dum ait proximã fore mortẽ: aut ubi exitiosissimũ dixit, non simpliciter exitiosum. Quinetiã de signis salutaribus quoties dicit: Magnã uim obtinet ad salutem. & rursus. Securitatẽ enim indicat, ac morbũ fore breuem. uel aliquid tale adiecit. Alij uero simpliciter exitiosi: aut rursus simpliciter salutares
B medij ordinis ambo pro natura propria sunt. Porrò præter hos ambos quoscunq; dixit cõparatiue, aut exitiosiores, aut salubriores, aut adiecit magis ac minus. Si quod enim primi ordinis malum accessit indicium quinto aut septimo die prædictæ exitiosæ screationi, æger ad undecimum diem nequaq; deueniet, magisq; si plura talia, non unum tantummodo existat. Pari ratione si quod admodum salutare existat, ad tertiam usq; septimanam extendetur morbus. Permistis uero inter se exitiosis ac salutaribus signis, aut his magis in utroq; genere, minus illis, aut quouis alio modo: ex plurib. inquam ac fortissimis bonis signis sperari potest ægrum plus temporis duraturum, ex cõtrarijs ue-
C ro minus: nec secus siquis senex, aut debilis uiribus, aut in tẽpore, terra, constitutione aeris praua ac male tẽpertta ægrotet, acceleraturũ mortis aduentũ expectari oportet: maximã rursus uim habere existimans ductam à uiribus intentionem.

56 Bona uero hæc sunt, facile morbũ ferre, bene spirare, dolore uindicatũ esse, sputum facile extussire, corpus æqualiter calidũ uideri ac molle, siti non detineri, urinas, deiectiões, somnos, sudores, singula intelligere bona, uti perscriptũ est, succedere, ita enim omnibus ijs eueniẽtibus, homo haud sanè morietur. Quòd si ex ijs alia adfuerint,
D alia non, utiq; nõ ultra quartum decimũ diẽ uiuens ægrotus perierit. At horũ contraria mala sunt, difficulter tolerare morbũ, spirationẽ magnã esse ac crebrã, dolorẽ nõ sedari, sputũ uix extussire, siti admodũ cõflictari, corpus ab igne inæqualiter haberi, uentrẽ & costas calidas ualde esse, frontẽ aũt & manus ac pedes algidos: urinas, deiectiões, somnos, sudores, mala, sic uti descriptũ est, nosse singula. Nã si horũ quodpiã sputo superueniat, prius sanè q̃ diẽ quartũdecimũ attigerit homo decedet uel nono uel undecimo. Ita nimirum cõiectari oportet, utpo-

te exitium portendente hoc ſputo, nec in quartumdecimũ diem deducẽte. Porrò euenietia bona ac mala expendentẽ, ex his præ dicere antefariq́ꝫ oportet. Ita enim fiet ut ueritatem quis maxime conſequatur.

Hocloco recenſere tum bona, tum etiã mala indicia incipit, de quibus antea definitũ iã eſt. & ob eam rem omittens, ea quæ ſunt deinceps prodita aggrediar. Sicui enim cõualeſcendũ eſt, omnia bona indicia adſint neceſſe eſt. ſi moriendũ, uel unũ adſit malũ ſufficiet. tantũmodo enim indicatur citiusq́ꝫ & ſerius moriturũ ægrum, propterea ꝙ plura pauciora'ue bona aut mala indicia exiſtant.

57 Aliæ ſuppuratiões rũpũtur, plurimæ uiceſimo die, aliæ trigeſimo, aliæ quadrageſimo, aliæ ad ſexageſimũ diem deueniunt.

B

Obſcurũ eſt, quas alias dicat ſuppurationes. Fieri enim poteſt ut de ſuppurationibus quæ in alijs fatigent partibus, ſermonẽ faciat: omittendo thoracem ac pulmonẽ de quibus hactenus perpenſum eſt. Fieri etiã poteſt, ut de ijs agat ſuppurationibus, quæ in ijſdẽ affligant organis, ſed quæ nõ ſimiles ſint prædictis. poſſibile eſt q̃q́ꝫ ut de utriſq́ꝫ etiã agat. Sed quia quæ non ſimiles ſint prædictis dixi, id enarrare oportet. Dico enim nõ de omnibus ſuppurationib. eũ, ſed de ijs (ut ipſe dixit) quę habeant permiſtã bilẽ, hactenus feciſſe doctrinã. nec de his omnibus, ſed quæcunq́ꝫ ſeptimo die rũpuntur. id uero rarũ eſt. Plerunq́ꝫ enim uigeſimo rumpunt̃: quædã diutius immorantur: de quibus nunc agit. Cæterũ differentię duæ omnium cõmunes habentur, ob quas ſpatio temporis euariãt inter ſe, ex affecta ſede, & exuberãte humore. Sedes enim calidior ac mollior, citius ſuppuratur: frigidior uero ac durior, tardius. Itidẽ ex humoribus, calidior citius, frigidior tardius. Hæ quidẽ ſecundum rei ſubſtantiã differentiæ ſunt. Porrò accedunt extrinſecus eæ quæ ab ætate ducunt̃, natura, tẽpore, terra, cõſtitutione aeris, ac uiribus ægri. In omnib. his calidus humor citius, frigidus tardius ſuppuratur. Hęc igit̃ uniuerſim ſcire de omnibus ſuppuratiõibus bene eſt. Sed mihi uidetur nunc quoq́ꝫ docere de ijs quæ in thorace ac pulmone fatigent.

C

58 Cõſiderari oportet ſuppurationis initium fore colligentes à die quo primum homo febricitauit, aut quo rigor eum prehendit: & ſi dixerit pro dolore ſibi ineſſe pondus in loco quo dolore afficiebatur: hæc enim fiunt inter initia ſuppurationis. Ex hoc igitur tẽpore expectare puris fore eruptionem ad prædicta tempora oportet.

D

Cõfeſſum id unum eſt omnibus ferè medicinæ profeſſis: cum etiã perſpicue cõſtet: ut quoties inflãmatio affligens in parte præcipua, haudquaq́ꝫ diſcutiatur adhibitis ſubſidijs, ſed ſuppuratur: rigor tunc, ac febres cõſiſtant. Etenim libro De rigore, perpenſum iam eſt, ut puris acrimonia generati mordẽs ac derodens adiũcta corpora, rigorẽ cõmittat perinde quaſi medicamẽta acriora. quibus ingeſtis interdũ malignis ulceribus, aut cuidã affectioni putredinoſæ rigere & febricitare contingit. At uero febris talem comitatur rigorẽ. Sanè & Hipp. ambo cõmemorauit, ac febrem prius, dicens, à die quo primũ homo febricitauit, nõ illũ definiens diem qui totius ægrotationis extitit primus: ſed quo rigor unà cum febre, uehementiore ſcilicet admodũ ꝙ anterior facta coincidit. Quinetiã ponderis euenit ſenſus tũc ægrotis, cũ humor in multas & exiguas partes diſperſus in partibus inflãmatione laborantibus poſt mutationẽ in pus colligat̃ ad aliquã ſedem inanẽ cõtinuã omni parti quæ inflãmatione laboret. Igitur ex hoc inquit tempore quo primũ hæc extiterunt, expectare oportet & uigeſimo die, & trigeſimo, & quadrageſimo & ſexageſimo rumpi ſuppurationẽ. Quæ uero dixit indicia, tria numero ſunt, põdus, rigor, febris, quæ multo ꝙ anterior uehementius affligat.

59 Si ſuppuratio in altero latere tantummodo fuerit, uertere atq́ꝫ ediſcere conuenit in his utrum in altero habeat latere dolorẽ, & utrum calidius ꝙ alterum ſit: atq́ꝫ eo in incolume latus cubante, requirere oportet num aliquod deſuper onus illi pendere uideatur. Si enim id fuerit, ſuppuratio in altero latere fatigat, utrouis onus exiſtat.

Conſtat ex diſſectionibus, ut membranulæ thoracem interſepiant à pectore peruadentes uſq́ꝫ ad ſpinã, ita ut duo caua ipſę cõficiant. Quocirca nullã ineunt ſocietatẽ, quæ affligũt in altera parte ſuppurationes, cum ijs quæ in altera fatigãt, quemadmodũ in illis quæ intra peritoneũ conſiſtãt. In illo enim circiter omnibus inteſtinis circunfluit pus. in hac uero neque materia dextræ partis thoracis tranſmeare in ſiniſtrã: neq́ꝫ econtrario quæ in ſiniſtra eſt, tranſmeare in dexterã poteſt. Ob eam igit̃ rem cenſet ediſcendũ eſſe num ęger in utraq́ꝫ parte habeat pus, an in altera duntaxat. In pulmonia enim quoties in ſuppurationẽ uertit̃, in utraq́ꝫ potius ꝙ in altera colligit̃ pus: per coſtalẽ uero in altera potius ꝙ in utraq́ꝫ. Cęterũ pars affecta cognoſcit̃ ex differentia caloris: calidior eñ affecta pars eſt: & quia cubãs æger in latus oppoſitũ, onus ſublimiori inſidens parti perſentiſcit. Cõſtat enim ut pus hoc collectum loco, oneris ſenſum importet.

Quibus ſignis cognoſcantur purulenti. Cap. X

60 Omnes agnoſci purulentos indicijs cõuenit: Principio ſi febris nõ dimittit, ſed interdiu tenuior, noctu uehemẽtior eſt. Si copia ſudoris elicitur, & tuſsis, ac tuſſiendi cupiditas eſt. nec quicquã tamen dignum cõmentatione expuunt. Si oculi caui redduntur, maxillæ uero ruborem trahunt, & ungues manuum curuantur, digiti uero potiſsimum ſummi caleſcunt, atq́ꝫ in pedibus

tumores

tumores consistunt, neq; cibum appetunt, ac pustulæ circa corpus erumpunt.

Quicunq; pus obtinent intus in corpore aceruatum, siue contentum ante in parte affecta inflãmatione, siue etiam post eruptionem, nomines tales purulentos licebit. Sed medici adsolent solos, aut potissimum eos qui in thorace ac pulmone talem habeant affectionem, purulentos nominare. Id uero pus post eruptionem inter thoracem pulmonemq; continetur. & nisi cito excreetur, tabidi intereunt febricitantes tenuiter quidem, at calore iugiter quodãmodo in nocte crescente: id accidit omnibus febricitãtibus hectica febre, non ratione affectionis nocte augente illis febrem, sed quodam accidenti, quod inquam tale existit. Per febres hecticas nomine, partes ipsæ corporis solidiores ignitiores euadunt. Ob id igitur assidue febris in seipsa similis manet, calorem obtinens perinde ut calx debilem contingentibus. Itaque quoties esitent ac bibant, simile quiddam accidit quod in calce euenit aqua perfusa: quo fit ut contingentes exterius ęgrum, multo calidiorem persentiant. Ego uero uobis eam rem persæpe ostendi in ęgris aliàs alio tempore alendo ita febricitantes, ut crederetis id illis propter alimentum euenire, non ratione affectionis. Perspicue enim apparet incidere calorẽ febriculosum unà cum tempore alimenti: statimq; adhibito augeri cibo, & quàm maxime uehementem per diductionem illius apparere: sudores uero continui eliciuntur propter uirium debilitatem, eo quod diductum alimentum discutiatur. Quinetiam tussiendi cupiditas, id est uoluntatis contentio est: nec quicquam dignum commentatione expuunt. Si enim excreassent, nequaquam purulenti euasissent. Cæterum causa ob quam nihil expuunt commentatione dignum, triplex est, tum puris ipsius lentor & crassitudo, atq; etiam continentis pulmonem membranulæ condensitas, tum etiam debilitas in ægro facultatis. Sed & oculi (dixit) caui redduntur. Id commune est omnium longarum febrium: sed potissimũ earum quæ perspicue exiccent. Genæ rubent propter calorem in pulmone, & item tussedinem. Hæc enim ambo calefaciunt uultum et totum caput, quia ex defluxione in pulmonem decumbente uapores in ipsum redundant. At uero ungues curuantur, quia firmans eos utrinq; caro consumitur. Itaq; digiti quanquam refrigescentes magna ex parte in morbis diutinis, tamen per oẽs hecticas febres calidi permanent. Siquidẽ hæ solidiores potissimũ corporis partes occuparunt. sanè in summis ipsis perspicue calidiores apparẽt, non in partibus exterioribus, sed interioribus ubi carnulentiores existũt. Causa uero perspicua est, si in memoria hærẽt quæ sunt de cibo ingesto paulò ante perscripta. Vbi enim humor largior inest, dilucidior in his sedibus calor euadit. Procedente uero tempore & pedes eorũ intumescunt totius corporis extinctione inde incipiẽte. Quippe qđ partes ab origine longissime absunt. Tunc iam &

A cibũ fastidiunt scilicet appetendi facultate pariter cum alijs moriente, Pustulę quædã erumpunt derodẽte sanie in corpore collecta. talem enim Hippocrates illarũ esse docuit generationẽ secundo libro De morbis uulgarijs, dum ait: Sanies in cute subnascebatur, ibiq; cõprehensa calefiebat. Hæc enim sanies in reliquã cutem quęcunq; laxior est, se insinuãs, in exteriori eius superficie utpote densiori subsistit. Porrò hãc dirimit, & ab interna absistere facit sede, atq; in ea collecta pustulas gignit.

61 Quæcũq; ergo suppuratio diutius immoratur, hæc habet signa, quibus admodũ credere cõuenit. Quæcunq; uero breuior est, aliq̃ ex his indicatur signis qualia inter B initia existũt, & itẽ si æger difficilius spiret.

Recte dicit credẽdũ esse diuturnioris indicijs suppurationis. Adeo eñ ualida sunt potestate, ut nullã de se relinquant ambiguitatem. Breuiorem uero cognoscendam esse ex indicijs antea prædictis. ea uero sunt, rigor, febris, põdus. Apparet aũt adhuc ex signis inter breuiores suppurationes relatis, hoc esse, & si æger difficilius q̃ antea spiret. id uero accidat necesse est propter angustiam pulmonis, q̃ties pus inanes thoracis prehẽdat sedes.

62 Quæ uero citius ac tardius rumpitur, talibus cognoscatur signis oportet: Si dolor inter initia extitit, & item difficultas spirandi, necnõ tussedo, atq; etiam screatio ha-C bẽs perseueret: uigesimo die expectari, aut etiam antea ruptionem oportet. Si uero sedatior fuerit dolor, & alia omnia fuerint ex ratione, his postea expectari oportet eruptionem: sed accedere necesse est & dolorem, & spirandi difficultatem, & screationem, antequam pus excernatur.

Ex quibus ut ruptionis periculũ immineat suppurationis, ex his ipsis indicijs, ut celerius id accidat, cognoscas licebit. Ea sunt, dolor, difficultas spirãdi, tussedo, & screatio. Si igiť cõtinẽter & uehemẽter infestẽt, celerẽ fore significãt eruptionẽ. Si uero nõ continẽter affligãt nec uehemẽter, diuturniorẽ. Cęterũ necesse est cũ corpus obuoluens D pus derodať ab eius acrimonia, dolorẽ fieri ob idipsum: tussedinẽ uero & screationẽ, quia sanies iã quędã tenuior obductũ penetret corpus: spirãt uero difficulter etiã propter uniuersam morbi cõstitutionẽ, sed præcipue propter accedentẽ dolorẽ.

63 Hi uero potissimum supersunt, quos febris eodẽ dimiserit die post eruptionem: ac cibum citius appetũt: & siti liberati sunt: & uenter exigua ac consistentia deijcit: & pus album, leue concolorq; est, ac uacuans pituita, & absque labore ac ualida tussi expurgatur. Itaque optime quidem sic ac celerrime uindicãtur. sin minus, quibus ad hæc proxime accedũt. Moriuntur uero ij,

quos febris non deserit, aut cum uideatur deserere, denuo recalescẽs innotescit: & sitiunt: nec cibum appetunt: aluus humida est: pus uiride liuidumq; spuunt, uel pituitosum spumosumq;. Pereunt si hæc adsint omnia. at horum quibus alia adueniunt alia non, ij partim intereunt, partim in multo tempore incolumes euadunt. Verum ex indicijs omnibus quæ in ijs existunt, de cæteris quoq; uniuersis coniectandum.

Hic sermo omnis ab hac incipiens dictione, totus perspicuus est, si in animo existunt ea quę sunt antea perscripta. Omittens igitur eum, ad proximam ueniam.

64 Quibus abscessus fiunt ex pulmonia, aut circa aures ac suppurantur, aut ad inferas sedes ac fistulantur, ij supersunt.

Verbum fistulantur tantummodo in hac dictione obscurum est, dictum per translationem. Quæ enim proprie fistulæ nominantur, nempe hæc musicorũ instrumenta, oblonga obtinent caua. Quoties igitur in animalium corporibus similes præter naturã gignuntur, ex eadem appellatione significantur. Itaq; mihi uidetur ut nunc etiam Hippocrates uerbo fistulantur usus sit propter longitudinẽ excursiõis. Sed uniuersa summa de abscessibus est qui ex pulmonia infestẽt, interdũ ad adenas sub auriculis, interdũ ad inferas thoracis sedes

65 Cõsideranda uero & talia sunt in hunc modum. Si febris detinet, & dolor non desinit, & screatio non excernitur ex ratione, neq; biliosæ fuerint alui deiectiones, neq; solutiores ac synceriores, nec urina admodum crassa, ac multũ obtinens sedimẽtum, promittitur uero ab omnibus alijs signis salutaribus superstes futurus: his tales fore abscessus sperandum est.

Abscessus prędictos quonã modo aliquis præsentiat erupturos, docet, in gemina diuidens orationem, ita ut prima pars eius indicet fore abscessum, secunda uero utrum supra thoracẽ ad adenas sub auriculis, an infra præcordia sit futurus. Itaq; exordiamur & nos à prima parte in qua summa est morbum esse concoctu difficilem, non tamen exitiosum. Non enim si concoctu facilis sit, per abscessum, sed aut per excretionẽ, aut sensim soluet concoctus: neq; si exitiosus existat, aliquis abscessus bonus apparebit. Quocirca medius inter indulgentiores sit atq; exitiosos, oportet. Igitur Hippocrates merito ex his indicijs quędam mala quædam bona adscripsit, quæ particulatim iam persequor incipiens à primo, de quo statim inter initia dixit ita: Si febris detinet id est prehẽdit hominẽ, ita ut nunq; intermittat, et dolor non desinit. Nam ubi desinat, nihil amplius opus est abscessu ad solutionẽ, eo quod morbus placidior habeatur. Et screatio, dixit, non excernatur ex ratione. prorsus

A ẽm morbus non requiret abscessum quoties screatione purgetur. Tum deinceps: Neq; biliosæ fuerint alui deiectiones. Antea enim dictum iam est ut per morbos biliosos abscessus nequaq; consistant. Oportet enim crassam haberi ac crudam humorũ materiã ut morbus plus tẽporis eduret: nec per excretionem, sed aut per abscessum, aut solam concoctionem curetur. Quod uero hoc sequitur, quidam ita scribũt, neq; solutiores ac synceriores existant. quemadmodũ dixit, neq; biliosæ alui deiectiones, ita nec solutiores ac synceriores existãt: synceriores ad aliorũ humorũ cuiq; impermistas referẽdo, propterea q; hę non habeant biliosæ materiæ qualitatem: nec solutiores uero ad copiã excretionũ, ut si & biliosæ fuerint & solutiores, per
B excretionem potius quàm per abscessum iudicatio quoq; futura sit. Alij econtrario scribũt dictionem, ita: Neq; biliosæ fuerint alui deiectiones, sed solutiores ac synceriores. solutiores haberi uolentes eas, quæ modice excernantur: synceriores uero, aquosas & impermistas. Superius enim dictũ est ut syncerum de qualitate impermista dicatur. Itaq; pronuncians Hippocrates, inquiunt, biliosas deiectiones de synceris, q; est impermistis, ac ueluti summis per unam qualitatem, constat ut aquosas dixerit quæ incoctæ sunt, & ob eam rem spatio temporis egent ad cõcoctionẽ, quo etiam abscessus consistunt. Acuti enim morbi per excretionem potius iudicari, diutini per abscessum adsolent. Sed de differẽtia in prædictis scripturis,
C rursus in maiori ocio consideres licebit. Hoc loco totius cõpendium sermonis perstringam, ut ex ipso pateat utilitas in operibus artis. Itaq; instituit Hippocrates scrutari de morbis euntibus ad abscessum. Hi uero sint omnino ex crudis crassisq; humoribus oportet, non tamẽ exitiosis. Tales enim ubi diutius immorantur, cõmittunt abscessus, nisi per cõcoctionẽ (ita enim nominare adsolent Hippocratici) eorũ solutio pręueniat. At uero indicia cõcoctionis erunt, si urinæ copia excernatur, quæ multum obtineat sedimentũ. Vbi uero sedimentum multum est, urina quoq; ipsa prorsus crassior est quàm soleat per naturam. Itaq; merito duplex scriptio per dictionẽ habetur: quibusdam scribentibus ita: Nec urina multa & crassa multumq;
D obtinens sedimentum. Alijs uero, Nec urina admodum multa, multumq; obtinens sedimentum.

66 Abscessus cõsistũt, hi in locis infernis, quib. circa ilia phlegma fatiget: illi in supernis, in quibus ilia sine tumore et dolore persistunt. Si uero aliquãdiu spiret difficulter, sine aliqua alia occasione desinet.

Occasiões cõsueuit Hippocrates nominare causas euidentes. Quoties igitur spirationis repẽte eueniens difficultas per prædictas affectiones rursus derepente desistat, habeatq; id ut et eueniat & desinat sine euidenti causa, significat tendere humores ad caput, quemadmodũ ad infernas sedes calor quidam euidens in ilibus. Non enim pituitosum humorẽ existimari cõuenit nunc intelligi ab

eo per dictionē in qua ait, quibus circa ilia phlegma fatiget. Nā multo melius est intelligere de calore preter naturam flāmido, proditum esse phlegma. Is euenit ob ignē sacrum, aut inflāmationem proprie nominatam. q̄ si fuerint ilia ecōtrario sine tumore ac dolore, humores uero tendant sursum uersus, q̄d indicat prædicta spirationis difficultas, abscessum erupturū supernis sedibus expectato.

De abscessibus. *Cap.* XI

67 Abscessus, si in cruribus erūpit in pulmonia uehemēti ac periculosa, omnis utilis est, optimus uero, si ubi screatio iam in mutatione est, fiat. Si enim tumor ac dolor infestet, & screatio pro flaua purulenta existat, ac foras excernatur; ita securissime et homo superarit, & item abscessus ocyssime citra dolorem desistet. At si screatio non recte excernatur, nec urina uideatur bonum habere sedimentum, periculum clauditatis in articulo uel multi negocij imminet.

In pulmonia uehementi, abscessum erumpere in cruribus, prorsus bonū est. Siquidē maxime uera sententia Hippocratis est secūdo libro De morbis uulgarijs perscripta, de bonis abscessibus, ut optimi sint, si maxime deorsum et quā longissime ab ægrotatione absistant; magis uero si cū concoctione pariter erumpant. Etenim id quoq; cōmendauit primo libro De morbis uulgarijs dicēs: Cōcoctio celerē iudicationē, ac securam sanitatē promittit. At uero concoctionē indicat screatiōis mutatio, & itē uacuatio innocua atq; abundans. Hoc enim indicauit dicens, Ac foras excernatur. At si citra morbi concoctionē, abscessus cōsistat in cruribus: uindicabitur quidē & hunc in modū homo à periculo in pulmonia imminente: sed articulus ipse in quē decubuit, difficilius sanitati restituet, ac forsitan quandoq; æger ex eo claudicabit. Rursus hoc loco præscriptū est ei non unū cruditatis indiciū, quemadmodū concoctionis: sed screationibus adiecit ductā quoq; ab urina dinotionē. In ipsis tamen maleficis screationibus nō insuper adiecit incoctionem. atqui id oppositū concoctioni erat. sed abunde ei fuit duntaxat non excerni, idoneum id haberi signum maleficę ęgrotationis existimans, ut screari tantūmodo, aut concoqui tantūmodo, neutrū idoneū existat: eo quod sæpenumero satis screatur quanq̄ morbus incoctus sit: & item quandoq; concoquitur morbus, screatio uero nō satis excernitur, interdum præ debilitate mouētis thoracē facultatis, interdū propter crassitudinem & lentitiam screationis, quandoq; propter amborum cōcursum, tum uirium debilitatis, tum etiam qualitatis puris. Itaq; necesse est & concoctum esse morbū, & excerni recte screationē, per affectionē quæ in sanitatem itura sit. per affectionē uero contrariā, idoneū signum et nō screari tantūmodo est: ex superabūdāti uero in ea ipsa indicium erit malefici morbi, si cū eo quod nō recte excreat, nec uacuatur materia in thorace con-

A dita ac pulmone, etiam adsint indicia quædā cruditatis humoris. Cōstat enim ut difficilior sit affectio, in qua nec excreant, & item cruditas permanet: modestior uero, per quam concoquitur quidem, sed non abunde excreāt, nec integre perpurgantur. Cæterū ut abscessus maxime circa articulos erumpat, id quod & in libro De morbis uulgarijs scripsit, hoc etiam loco indicauit, extra propositum dicens: Periculū clauditatis in articulo imminet. At uero causa talium abscessuū amplitudo articulorū est, imbibens decumbentes fluxiones. Ad id quoq; conducere quicquam potest motio eorum. Omnes enim humores, ad sedem commotam & calefactam facilius permeant.

68 Si abscessus euanescit ac retrocedit, B nequaquam egrediente screatione, ac febre detinente, difficilis morbus est. Periculum enim delirij mortisq; imminet.

Euanescere dicere quendam tumorem præter naturā, nō id quod desistere indicat. Verbū enim desistere, aliquid generalius: euanescere uero, cito desistere ac uelut derepente significat. Id igitur accidit interdū propter humoris tenuitatē, & partis laxitatē, & item ambientis nos aeris caliditatē, atq; adhibiti medicamenti potestatē, ac uiriū ægri firmitatē. Si enim omnia prædicta cōcurrant, moles præter naturam cito discutietur. sed magna ex parte talia euanescere accidit, transmeantibus cōmittentibus ea humoribus, aut in eandem sedem C unde cōmota sunt, (quod proprie nominat Hippocrates retrocedere) aut ad aliquā aliam sedē in profundo corporis positā. Tanq̄ igitur ex causis maxime contrarijs moles euanescat præter naturam, finem habet maxime contrariū, aut citissimā indicans nocuæ materiæ solutionē, aut deterrimā affectionē ea in partes præcipuas remeante. Hæc igitur omniū abscessuum cōmunia censentur. Distinctio uero cōmunis quidem & ipsa euanescentis tumoris est. Considerari uero oportet & alia indicia, potissimū quæ propria affectarū partiū sint. Hoc aūt loco spiritalium organorū propria distinctio ab Hipp. proxima scilicet cōmunibus, perscripta est. Itaq; dixit ita, Si abscessus euanescit, nequaquam egrediente screatione, ac febre detinente, D difficilis morbus est. Cōstat enim ut secesserint in profundum ad sedem pręcipuam. Si enim discussi essent: non insuper febricitarent, ac facile screarēt. Itaq; uerisimile est in pulmonē ijs omnē secessisse fluxionem: & ob eam rem delirare eos ratio est. Si quidem id quoq; unum ex ijs habetur, quæ per tales in pulmone affectiōes eueniāt. At uero ut spirantes difficulter, morituri sint, dicere supersedit. sciens nos eā rem esse ex prædictis intellecturos.

69 Qui purulenti ex pulmonia sunt, si maiores natu fuerint, potius intereunt: per alias uero suppurationes, minores natu potius moriuntur.

Maiores natu non simpliciter senes, sed in collatione uel comparatione seu quouis modo nominare cuiquam libeat, ut ad minores natu intelligi

debet. Nam qui per ætatem nimium iam processerint, ex nullo morbo magis quàm natu minores conualescunt. Sed qui inter hos & ætate uigentes interiacent, utpote semicani, crudiq; senes nomine, conualescere uidere licet interdum magis quam qui sint in ætatis uigore, quemadmodum Hippocrates ipse docuit de inflammationibus quæ in auribus fatigēt, & nunc de purulentis ex pulmonia. In his enim, quia propter excreationem sanatio est uiribus egens ualidioribus: ob id potius minores natu quàm maiores seruantur. In cęteris, minores natu antea moriuntur ex doloribus ac febribus: id quod ipse dixit de auribus. Febres enim ac deliria minus illis accidunt, proindeq; aures antea suppurantur. Porrò minores natu (dixit) antequā aures suppurētur, multi intereunt: quoniā si effluxit pus ex auribus, conualiturum esse ægrum sperari potest. Itaq; & per alias suppurationes, sub ipsum suppurationis tēpus minores natu ex magnitudine febrium ac doloris morte pręoccupantur.

De dolore qui circa lumbos fatiget. Cap. XII

70 Dolores qui cum febre affligant circa lumbos & inferas sedes, si præcordia attigerint, inferas relinquentes sedes: exitiales admodum sunt. Itaq; consideranda alia signa sunt. Nam si quod & horum prauum extiterit, desperandus æger est. Si uero ascendente in præcordia morbo, alia signa non praua extiterint, talem fore purulentū admodum expectabis.

Si præcordia attigerint, quidam de delirio intellexerunt, uelut, si in hunc modum dixisset: Dolores qui cum febre affligant circa lumbos & inferas sedes, si ascendentes cōmittant delirium, difficiles sunt. Alij melius quàm hi præcordia partem corporis dictam uolunt, quod septū quoq; transuersum nominatur. Suffragatur ueritati oratiōis, illud quod est in calce sermonis perscriptum, ubi dixit. Hunc fore purulentum sperari admodum potest. Vult enim ascendente in thoracem morbo, é duobus alterū, aut derepēte interire ægrum: aut si secum optime agatur, prorsus fore purulentum. Porrò hæc intersting untur alijs indicijs. Si enim nō praua sint, purulentus euadet. Si prauum aliquod fuerit, prorsus moriturus est.

De inflammatione quæ in uesica fatiget. Cap. XIII

71 Si uesica dura est, ac dolore uexatur, difficilis omnis & exitialis est. Exitiosissima uero est quæcunq; cum febre continua affligit. Qui enim ex ipsa uesica fatigat dolor, interimere hominem sufficit: & aluus in talibus nihil nisi durum ac pro necessitate excernit.

Sæpenumero dictum mihi est ut phlegmones id est inflammationis uocabulum, Hippocrates de phlogosi, id est inflammatiōe afferat, sermone indicans quam Erasistratus & eo posteriores nominant singulari appellatione phlegmonē: quem

A admodum sanè & nunc dixit: Vesica dura ac dolens. At uero, quamobrem talem dixit esse difficilem affectionē, maximeq; quoties febris infestet acuta, perspicue ipse indicauit, magnitudinē causando doloris, & deiectionis suppressionem. Supprimitur uero propter angustiam porrecti intestini, atq; uesicæ dolorem. Desinunt enim ægri tali fungi officio, quoties statim si cœperunt, dolor infestet. Idq; commune omnis doloris est. At uero dolor affligit interdum quia fungentia officio organa, inflammatione laborāt: interdum quia proxima ipsis membra afficiuntur. Ita respirantes, dolore infestantur ex inflammatione lienis, aut uentriculi, aut iecoris, aut in ilijs musculorum: & ob eam rem spirare difficulter coguntur illo genere

B spirationis difficultatis quo spiratio parua ac crebra fit. Sed huius spiratiōis difficultatis atq; etiam aliarum cuiuslibet causa, libro De spirationis difficultate primo dicta est.

72 Si urina mingitur purulenta, candidum ac læue obtinens sedimentum: solutio accidit ægrotationis.

Quoties uesicæ inflammatio concocta sit, confluunt in sedem eius interiorem concocti humores, ac pariter scilicet cum urina excernuntur, indicium habentes bonæ in sedimento concoctionis.

73 Si uero neq; concedat urina, neque uesica mollescat, ac febris continua sit: primis circuitionibus morbi interire eum qui

C dolore afficitur, expectandum est.

Neq; mollescere uesicam, ac febrem continuam esse, perspicuū est. Vrinam uero nequaquam concedere, obscurū inexplanatumq; est. Etenim nomen de affectibus & accidētibus ferre assolet: quemadmodū omnes alij posterioris æui concedere inflāmationem, molem, duritiem, tentionē, dolorem dixerunt: non tamen aliquis concedere urinam dixit: Itaq; forsitan de prędictis Hippocrates appellationē transtulit ad urinam, ut mutationem eius in melius, ita intelligamus. quod quidē si cōcedatur: uacuationē quoq; ex suppressione, proditā ab eo inaudiamus licebit: ut intelligamus per inflammationem uesicæ, supprimi urinam. id enim quoq; interdum accidere solet, quoties per-

D quam exitiosus & morbus est: ac rarenter ex eo cōualescunt. Igitur ad hunc modū legitur in alijs quibusdam, & item in codicibus Artemidori & Dioscoridis. in alijs uero dictio ita habet. Si uero nec ulla fuerit urina, neq; dolor cōcedat: ac talis lectio nullam habet quæstionē aut ambiguitatem.

74 Hæc formula potissimū attingit pueros, à septimo ad quartumdecimū annum.

Propter importunū atq; exuperantē cibum, copia plurima colligit humoris crudi uocati in corporib. puerorū. Is igit per renes expurgatus quotidie, atq; etiā per urinarios meatus in uesicā collectus, interdū calculos in ea gignit, sæpe etiā inflāmationem, quoties uesica ab humoribus talibus subinde traijcientibus, uehementer afficiatur.

GALENI IN PROGNOSTICA HIPPOCRATIS COMMENTARIVS III

De febribus. Cap. I



EBRIVM iudicationes fiunt ijsdē numero diebus, & ex quibus ſuperſunt homines, & ex quibus intereunt.

Duo habetis uolumina (uobis em̄ id dico ſodalibus, quicunq; coegiſtis me quod nequaquā inſtitueram ſcribere, enarrationes commentariorum Hippocratis) in quibus omnia præcepta de diebus decretorijs, ac iudicationibus perpenſa ſunt. Porrò ſcitis ut eas quoq; non tanquam edendas in uulgus, ſed tanquam uobis tantūmodo legendas ſcripſerim. Accidit aūt ut exciderint, & in manibus multorum ſint, quēadmodū & alia multa à nobis perſcripta: & ob eam rē nullum in cōmentarijs mihi libuit enarrare uolumen Hippocratis. Quæcunq; enim arti utilia ab eo didiciſſe oportuit, ea ſunt in multis à me uoluminibus pariter cum proprijs enarrationibus comprehenſa. Sed quoniam et quędam dictiones obſcurius dictæ prauā nactæ ſunt enarrationē, ita ut nullus uobis placeat ex ijs qui cōmentationes ſcripſerunt: melius uero ꝙ hi ſcrutari ſententiam Hippocratis uiſus ego ſum uobis: idcirco me ſcripta relinquere uoluiſtis uobis, quæcunq; ſermocinando coràm audiuiſtis. At uero id ipſum ego quoq; uobis prędixi, ut neceſſe ſit enarrationes fore inæquales, non omnibus æqualiter dictionibus enarratis, ſed integrius illis quarum nuſquam in cōmentarijs meis habui mentionem: ſummatim uero ijs de quibus in eis iam cumulatiſſime docui: ne ſæpenumero eadē præcepta ſcribere cogamur. Ergo quia omnē de diebus decretorijs ſermonem, pariter ac de iudicationibus, in quibuſdam perſecutus ſum libris: hoc loco ſummam rerum duntaxat earū quæ ibi proditæ ſunt, in animum reuocabo, petito inde initio. Iudicatio enim per morbos, de foro translatitia appellatione dicta eſt, ſignificans præcipitem in morbo mutationē: quę quadrifariā exiſtit. aut em̄ ſtatim uindicantur à morbis, aut magnam obtinent in melius mutationem, aut ſtatim moriuntur, aut multo deteriores euadunt. Itaq; duas primas iudicationes, ſimpliciter nomināt iudicationes, proximas duas magna ex parte cum adiectione malam iudicationem, aut prauam iudicationem, aut aliquid tale uerbo iudicationis adijcientes, quandoq; uero & ſine adiectione ſimpliciter. Didiciſtis præterea ut omnis iudicatio cum quadam euidenti fiat uacuatione, aut abſceſſu. Raro enim pueruli tantummodo per ſomnum altiorem ac longiorem celeres in melius fecerunt mutationes: quas nōnulli uolūt etiam nominari iudicationes, alij nequaquam comprobāt. At uero dies nominant decretorios, in quibus tales firmæ pariter ac plurimæ fiunt mutationes: per alios dies neq; firmas cernimus neq; multas fieri iudicationes. Cæterū cognouit

A uit non primus ſolum, ſed etiā maxime, admirandus Hippocrates decretoriorū dierum naturam: atq; etiam indicauit cauſam generationis eorum, quam nos quoq; libro De diebus decretorijs docuimus, ualidiorē indicantes eſſe circuitionē decretoriorum dierum ſeptenariā. Secundam uero poteſtatē quaternariā, eo quod ſeptenarius bipartito ſecetur. Porrò denunciari futurā iudicationē ſeptenarię circuitionis à quaternaria. Quartus em̄ dies ſeptimi, undecimus uero quartidecimi index eſt: quos Hipp. indices et cōtēplabiles nominat. Sane tali modo numerari uult ſeptenarios. Duo deinceps primi à ſeinuicē diducuntur, ſequens uero tertius copulatur. Itaq; diducuntur quoties in aliū diē deſinente primo ſeptenario, mox ſequēs
B ab altero incipit. Copulāt uero, quoties unus dies utriſq; ſeptenarijs cōmunis eſt, deſinēte in eū primo ſeptenario, proximo uero ab eo ipſo incipiente. & ob eam rem uigeſimū diem, tertij ſeptenarij nouiſſimū eſſe perhibuit. ꝙ ſi hic quoq; ex diductione numeratus eſſet, primū et uigeſimū, non uigeſimū ualidiorē eſſe oportebat. Sed cōſtat ut nō ita eueniat. Vigeſimus enim & ſępenumero & ualide iudicationē efficere cernitur. Igiť cum tres ſeptenarij uiginti impleant dies, tum aūt quartus ſeptenarius primo & uigeſimo inchoetur, ex ſeptenarijs deinceps tribus uiginti cōpletis diebus, merito Hippocrates quadrageſimū diē, non quadra-
C geſimū ſecundū decretoriū eſſe dixit. Itidē & ſexageſimū & octogeſimū, non ſexageſimūtertium, neq; octogeſimū quartū. Hæc igitur circuitionū per ſeptenarios digeſtio eſt. Numeratio uero per quaternarios huic ſubſequens eſt. Diducto enim ꝗs ſeptenario in duos in eo quaternarios, quartus ab initio morbi dies, finis erit primi quaternarij, initiū uero ſecundi. Tum aūt quaternarius deinceps tertius, ab octauo inchoabiť die, quia ſecūdus ſeptenarius ab eo ipſo incipit. Ita fit ut undecimus dies, finis ſit tertij quaternarij, initium uero quarti. Porrò quintus quaternarius, à quartodecimo inchoabitur die, eo ꝗd & tertius ſeptenarius. Igitur ad ſeptimūdecimū finis eius perueniet: qui rurſus duobus quaternarijs, quinto ac ſexto communis eſt, in ꝗs tertius ſeptenarius diductus eſt. Itaq; uigeſimus dies ægrotationis, finis triū ſepte-
D nariorū, & quaternariorū ſex habeť. Hi igitur per circuitionē decretorij ſunt. Alij uero intercidunt per morbos acutos: qui quamobrē intercidant, libro De diebus decretorijs perpenſum eſt. Ii ſunt tertius, quintus, ac nonus. Intercidit quandoq; & ſextus, qui male iudicat, propterea ꝙ cum accidētibus difficilioribus interdū faciat iudicationē, atque ad hypercriſin nominatā, hoc eſt acerbiorē iudicationē excidat. & uero etiā ꝙ non integre diſcutiat morbū, ſed imperfecte: & ſiquādo integre diſcutiat, prorſus efficiat recidiuā. Hęc & alia multa ſunt à nobis libro De diebus decretorijs prodita: quæ omnia ferè Hippocrates ſcripſit alia alijs uoluminibus, ſed à me ſunt uno libro comprehen-

ſa, cui titulus De diebus decretorijs eſt, ſimul defi nitis ijs quæ minus definita erant, atq; etiam integre explanatis ijs quę ab Hippocrate uidebantur negligentius prodita. Cui uero libeat exquiſita ratione præſentire futura, reuoluendæ ſunt duæ cõmentationes illæ, è quibus altera De diebus decretorijs, altera de iudicationibus eſt. Nunc uero inſtituimus duntaxat enarrare dictionem Hippocratis propoſito libro. Ex quibus ſuperſunt homines, & ex quibus intereunt. Verbum ex quibus, aut iudicatiõibus, aut diebus dicit. Sed rectius eſt nõ diebus intelligere, ſed iudicationibus. Si enim & quãmaxime poteſt uerbũ ex quibus, & de diebus dici: tamẽ primaria ratione in iudicationibus, & ob illas etiam in diebus exiſtit. Cæterum ex his ſuper eſſe hominem aut interire, indicat appellari ab eo iudicationem in quauis celeri cõuerſione, non ſolum ea quæ ad ſalutem exiſtit.

2. 3 Simpliciſsimæ em̃ febres, ac ſignis firmatæ ſecuriſsimis, quarto die, aut citius deſinũt. Deterrimæ uero, ac ſignis affligentes difficillimis, quarto die aut citius interimũt

Simplices dicuntur homines, etiam malefici in quadam diminutione, quemadmodum & Simia callias à pulchritudine, cũ ſit deformis. Porrò dicuntur etiã ij qui ſint probis imbuti moribus. Sed enim primi frequẽs uſus apud autores, ſecundi uero rarior eſt. Itaq; dicunt interdum & ita, non ſolũ ſimplicem, ſed etiam ſimplicitatem de affectione bonis moribus prędita. Dinarchus igiť in oratione ad Daonem ita dixit: Gubernãs rem ipſius Cephalion adoleſcentis, & natura probus erat ac ſimplex. Demoſthenes aduerſus Aeſchinem cum iudicibus diſputãs ait: Nunc uero ob ueſtram ſimplicitatem & indulgentiã pœnas dat, & hæc quoties libet. Plato libro De republica tertio: Igitur rectus ſermo, cõuenientia, honeſtas, concinnitas ac ſimplicitas comitatur. non inſcitiã intelligens per diminutionẽ uocatam ſimplicitatẽ, ſed re uera rectum ac bonis moribus paratum intellectum. Itidem in Euthydemo ſimplicem dixit eum qui ſimplices habeat mores & honeſtos: & ut demiratus eſt, hic eſt adoleſcẽs, ac ſimplex. Sed hæc abunde ſint exempli gratia prodita ad cognoſcendam autorum conſuetudinẽ in uerbo ſimplicitatis ac ſimplicis, ſecundũ duas ſignificationes factam. Nunc Hippocrates in altera earum, febres dixit ſimpliciſſimas, tanq; dixerit placidiſſimas ac mitiſſimas, haudquaq; maleficas. & quoties ſecuritatis indicia extiterunt, ultra primum quaternariũ nequaq; procedet, ſed aut quarto die, aut citius deſinet. Pari modo maleficę quoq; febres & cum indicijs exitioſis factæ, quarto die aut citius interimunt. Itaq; cõſtat ut & tertium diem adnumeret decretorijs, dum ait, Quarto die aut citius deſinunt. Itidem libro De uulgarijs morbis primo uoluit, primũ inter dies decretorios ſcribens tertium. At uero ſecuriſſima dicit indicia ea quæ particulatim ab eo magnopere commendantur, quorum & nomina tim paulopoſt habet gratia exempli mentionem.

4 Itaq; primus impetus hunc in modum finitur, ſecundus uero ad ſeptimum producitur, tertius ad undecimũ, quartus ad quartumdecimum, quintus ad decimumſeptimum, ſextus ad uigeſimũ. Hi ergo ex morbis acutiſsimis per quatuor ad uiginti ex additione terminantur.

Sæpenumero offendes ab autoribus proditum impetum hoſtium aut latronũ: ex quo nunc Hippocrates ſic tranſtulit appellationem ad circuitionem decretoriorum dierum. Cæterum quæ ſunt deinceps ſcripta, per ſe patet, potiſſimum quibus in animo hærent ea quæ paulo ante docuimus.

De circuitionibus morborum, & quo pacto non integris numerentur diebus. Cap. II

5 Fieri uero non poteſt ut horum ullum integris diebus eximie numeretur. Non enim annus ac menſes integris numerari diebus natura apti ſunt.

Cum tres in diem uigeſimum ſeptenarios adduxiſſet, ob id ait, nõ poſſunt talia diebus integris numerari: neq; enim annum, neq; mẽſes integris numerari diebus. & uere ſanè talia dixit. Annus em̃ non trecentorum & ſexagintaquinq; dierum tantummodo eſt, ſed etiam quartę partis diei, & item ad hæc partis cuiuſdam propè quodammodo centeſimæ. Vnuſquiſq; uero menſis minor eſt triginta diebus, maior uero nouem & uiginti. Nominatusq; eſt ab antiquis menſis, ut etiam nunc in multis ciuitatibus, tẽpus inter duas Lunæ ac Solis coitiones intercidens. Et cui libeat tẽpus id exquiſite ediſcere, ſimul cum idoneis demonſtrationibus quantum ſit, integrũ habet uolumen ab Hipparcho factũ, quemadmodũ & De tempore annuo cõmentarium noſtrum. Ita ergo etiam Hippocrates ſeptenariũ dicit, necnon uidelicet & quaternarium nõ eſſe integrorũ dierũ, ſed partẽ quandã de eſſe, tantã, ut tres ſeptenarij uiginti circũſcribanť diebus. Sed quænã ſit cauſa horũ, ipſi tentauimus docere libro De diebus decretorijs tertio, cum tamen nemo antea uel dicere aggreſſus ſit.

6 Poſtea uero eodem modo & ea ipſa adiectione, prima circuitio quatuor & triginta dierum, altera quadraginta dierum, tertia ſexaginta dierum eſt.

Non id nunc dicit Hippocrates quòd poſt diẽ uigeſimum, ad quartũ & trigeſimum uſq; nullus intercidat decretorius. Sibi enim ita pugnaret, medios quoſdã dies decretorios libro De morbis uulgarijs cõmemorans. & quæ apparent in ægris, talem coarguunt ſermonem. Sed quia trium ſeptenariorũ ad uigeſimum uſq; diem inter ſe deinceps numeratorum, nõ eadem fuit compoſitio: (ſecundus enim à primo ſeiunctus eſt: proindeq; quarto decimo die finiť, tertius uero huic copulatus eſt: & ob eam rem uigeſimũ habet limitẽ) idcirco & ſequentes tres ſeptenarios pariter procedere uolens: ut ex duobus ſeiunctis, tertio uero copulato

uiginti impleantur dies, quadragesimum nouissimum statuit terminũ sequentium trium septenariorum, in ipsis uero duobus terminum circunscripsit tricesimum quartum: & ob eam rem fecit huius ante quadragesimum mentionem. Pari ratione mox ab his tres septenarij in sexagesimum deducuntur. & uero octogesimum decretorium perhibuit, nõ octogesimum quartũ, libro qui est De morbis uulgarijs. Ita tres septenarij uiginti dierũ numerum absoluũt. idq; euenit propterea q duo primi seorsum numerantur, ita ut quartodecimo desinant die, tertius uero iunctim cum secundo, ita ut hic quoq; uigesimo die contineatur.

7 Inter initia horum difficilius est præsentire ea quæ parte maxima temporis iudicãda sunt. similima enim eorũ initia sunt: sed à primo die animaduertendum est, considerandũq; singulis additis quaternarijs: nec latebit quonam uertetur morbus.

Rursus hoc etiã loco uerbum iudicãda, translatitium est, tum in bonã, tum etiam in malã mutationem. ac dicit inter initia morborũ qui breui iudicandi sunt, facillime cognosci quonam desituri sint: quemadmodũ paulo ante dixit de ijs qui primo quaternario iudicãdi sunt. Etenim febris ipsa si curãda est, placidissima: si interẽptura est ægrũ, maleficentissima est. & quæcũq; in utraq; indicia sunt, in priore quidẽ omnia saluberrima: in sequẽti uero deterrima sunt. Ita fit ut neutra quartũ trãsmeet diem. quãdoquidẽ didicimus ut semper fiat iudicatio, uel natura superãte morbum, aut uicta ab eo. Itaq; placidissimas natura ægrotationes ocyssime superat, à difficilimis uero celerrime uincitur. Ita efficitur ut maxime contrarij sint inter se morbi qui celeriter iudicant, similes uero qui per multũ temporis ad solutionẽ requirant. Vt enim per morbos breues magnus excessus quãdoq; naturæ est, quandoq; ægrotationis, ita quoties neutrum magnopere exuperet alterum, sed ceu pariter quidã hostes pugnent, plus etiã temporis ad alterius uictoriam desideratur. Itidem luctãtes quicunq; palæstrices peritiores habẽtur, internoscũt ubi magnũ uiderint excessum, statim alterum per uicturũ. Si uero neuter magnopere exuperet, profecto plus temporis pugnaturos pronunciabunt: nondum cognoscentes uter eorũ uicturus sit: sed processu temporis id quoq; prius q cæteri cognoscẽt: quippe qui uel excessum exiguũ exquisitius animaduertant. Artifex enim maxime dissidet ab eo qui artis expers est: ut uel exigua rerũ discrimina præsentiscat. Sed quia aliqua nullo pacto sentiri queũt, præ exiguitate, talia neq; etiã artifex cognoscit. Itaq; quã primũ sentiri possunt, tũc cognoscuntur: ob eam igitur rem præcepit Hippocrates per singulos quaternarios cõsiderari mutationẽ. Non enim latebit quonã uertetur, id est utrũ in sanitatẽ salutemq; ægri exuperante natura, an exuperata, ad interitũ. atq; hæc rerum summa est. Sed quonã modo eã rẽ potissimũ agas, libro De iudicationibus à me perscripto optime discas licebit.

8 Quartanæ quoque conditio, ex eodem cosmo seu ordine est.

Id quoq; plerisq; incognitum est: et ob eam rem mirabundi sæpenumero uaticiniũ quoddã nostrũ præsagiũ credunt, q febre detentus quartana, nõ uindicabitur post diẽ (si ita fors tulerit) quintũdecimũ. Atqui per tertianã non demirant præsagiũ. Sed in utrisq; ratio cõmunis est. Vt em per febres continuas numeramus oẽs deinceps dies in præsensionẽ futurę iudicationis: ita per intermittẽtes, adnotatiões: ut quod per cõtinuas septimus dies ualet, id per intermittentes septima circuitio præstet. Ob id igitur exquisita tertiana septem circuitionibus, non diebus septem iudicari natura solet. Quinetiã quod quartus dies à principio numerãti aduersus septimũ est, id quarta circuitio aduersus septimã circuitionẽ. Quartus enim dies, septimi index est: et itẽ quarta circuitio, septimę index est. Sed de his omnibus libro De iudicationibus perpensum est. Quocirca nũc id unũ intellexisse sufficiet, q & quartanę febris iudicationes ex numero circuitionũ accidãt, nõ dierum: ex eodẽ cosmo, id est ordine est. Cosmon, id est ordinẽ appellauit decretoriũ ordinẽ dierũ. Vt enim acosmias, id est inordinatiõis, propriũ ex ataxia, id est inordinatio: ita cosmu, id est ordinatiõis, taxis id est ordinatio. Et ob eã rem appellarũt mortales uniuersum hoc, cosmon, argumẽto ordinationis, quandoquidẽ in eo cũcta recte disposita sunt. In medio enim eorũ terra posita est, extra mare circumit, id ambit aer, illũ æther, demũ his omnibus cœlũ circũ obtenditur. Quinetiã motus inenarrabiliũ stellarum, quid opus est dicere q ordine eant, ut quæ assiduæ similiter habeãt: errantiũ uero motus, quanq; non singulis diebus pares existant, attamen ordinem paribus temporis circuitionibus seruant, ipsis assidue easdem signiferi partes perreptantibus.

9. 10 Si quis minima temporis parte iudicandus est, præsentiri propẽsius potest. maxime em ab initio dissidet. Qui em conualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit, & alia signa securissima habet. qui uero moriturus est, spirat difficulter, cõflictat, uigilat, et alia signa deterrima habet.

Verbũ propensius, ut antea est proditũ, promptius faciliusq; significat. Propẽsiora enim appellitat faciliora, & ad cognoscendũ prõptiora. Itaq; paulo ante dixit. Simplicissimę enim febres, ac signis firmatę securissimis, quarto die aut citius desinunt. Sed nunc recensuit id, ut per exempla planius indicetur quęnã signa saluberrima signa sint. Igitur ipse inferẽs dicit: Qui enim cõualiturus est: facilius spirat, sine dolore agit, noctu dormit. Qui uero moriturus est: spirat difficulter, conflictat, uigilat. Deinde utriq; sermoni adiecit: priori quidẽ, Et alia signa securissima habet. secũdo uero, Et alia signa deterrima habet. clare indicans ut exemplorum causa fecerit mentionem trium ex utroq; gene

genere signorũ. Porrò id etiam merito adiecit sermoni: Maxime eñ ab initio dissidet: id q̃d antea quoq; dictũ mihi est: cũ insigne sit diuortiũ inter se morborũ, qui minimo tẽporis tractu discessuri sint aut in sanitatẽ, aut in mortẽ: quõ eorũ q̃ plus tẽporis extẽdant, cõsimiles notę in principio existunt. Cęterũ uerbũ ἀλλοφάσσοντες (nã dictũ quoq; id nomẽ est in dictione non admodũ consuetum Græcis) aut delirare, aut inquietos agere: q̃d uerbum ἀσσομένους, id est cõflictari, significat. Sed rectius, quantũ ex ipsa uoce cõijcio prius significatũ est, ut nomẽ sit factũ hoc ἀλλοφάσσοντες, ἐκ τοῦ ἄλλοτε φάσκειν ἄλλα, id est propterea q alias loquatur aliud. nõnulli, quia mutet aliàs in aliam figurã τὰ φάη, id est oculos, extitisse dicunt appellationem.

11 His igitur ita euenietibus, cõsiderari cõueniet per temporis spatia & adiectiões singulas meantibus morbis in iudicationem.

Vt antea quęcunq; dixit de primo quaternario inter initia repetiuit, adijciẽdo & exẽpla: pari modo rursus per hanc dictionem persequitur ea quæ sunt p illã tradita, in qua ait: Sed à primo animaduertendum est, considerandumq; singulis additis quaternarijs, nec latebit quonã uertetur morbus.

Quo pacto in mulieribus à die quo pepererint, iudicationes existant. Cap. III

12 Pari modo in mulieribus iudicationes fiunt à partu.

Principiũ numerationis tibi fiat nõ quo die cœperint febricitare, sed quo pepererint. In quibusdã igitur circa secundũ aut tertiũ incipiunt diem à partu: ex quo multi numerant futurã iudicationẽ. Sed res nõ ita se habet, sed ex quo pepererint, numerationẽ fieri oportet dierũ. Cæterũ cũ hæc omnia summatim de dieb. decretorijs docuerit Hippocrates, libet ut in animũ reuocet id q̃d à me sæpenumero dictũ est, id est quasdã quæstiões haud quicq; cõducere ad artis ministeria, logicã habentes cõsideratiõnẽ. Vsus eñ prædictionis est agnoscere diẽ quo morbus iudicãdus est. Sed utrũ talis sit acutus appellãdus, an peracutus, an longus, an acutus adauctus, an acutus ex cõuersione, de nominibus quærere est potius q̃ de rebus. Quòd si cui placeat uel talẽ quæstionẽ esse de rebus: tamẽ nõ de ijs rebus est ex quibus orsus quispiã aut præsentiat futura, aut recte medeat. Itaq; subijciat nobis uere præcognitũ esse uigesimo die fore morbi solutionẽ: tũ re ita eueniẽte queadmodũ expectabatur, quendã dicere acutũ morbũ extitisse, quendã nõ acutum permittere nominari ipsum, finem eñ esse morborum acutorum quartumdecimum diẽ: deinde eos inter se rursus dissidere: & alter appellet perspicue longũ, ꝓpterea q exciderit ex acutorum limite morborũ. quippe nullã esse existimandũ per morbos aliã tertiã differentiã de quantitate tẽporis: alter uocet acutũ ex cõuersione talẽ morbũ: alius acutũ adauctũ nominet: alius non simpliciter ita dicat, sed appellet acutũ paulo adauctiorẽ. Si quis igitur primũ audiat ea ex quibus singuli discrepãtes uerisimilibus cõmuniunt opinionem, deinde decernat quisnã eorũ melius peiús ue sentiat: multũ conteret tẽporis, nec aliquid in arte iuuabit. Pari modo si quis nouit præsentire uigesimoseptimo solutũ iri morbũ, nec possit definire utrũ acutus, an acutus ex cõuersione sit, nequaq; in artis officio offendet. Optimũ enim est per differentias in morbis abs tẽpore ductas, tantum earũ existimare esse numerũ, quãta decretoriorum circuitio habet: ut breuissimus quidẽ primo circunscribat quaternario, postea uero is qui secũdo, tũ qui tertio, deinde qui quarto, mox qui quinto, ac demũ qui sexto, qui quaternarius in diẽ uigesimũ deuenit: postea uero aboleri quaternarios, fieriq; per septenarios iudicationes, deinde etiã hos aboleri procedente tẽpore: ita ut per uicenos dies morborũ efficiant solutiones: postea ad mensiũ numerũ deuenire. Duæ eñ sunt temporũ præfinitiões in morbis: ut aut acuti, aut diutini nominent. Sed gratia illustrioris disciplinę sæpenumero ita nominamus: mox ab ipsis ducti rebus cogimur alios inter eos rursus ponere acutos ex cõuersione: & oẽs differentias tres facere: ẽ quibus rursus singulas partimur: uelut in primis nempe acutis, hic simpliciter acutus, ille peracutus ab ipso Hippocrate nominat. Peracutus si septimũ nõ transmeet diem, sed aut in eo aut etiã maturius iudicetur. acutus, si usq; ad quartũdecimũ extendat. tũ aũt huic quoq; paulũ quid adijci cernẽtes ambigimus propriã nõ habentes deferre appellationẽ morbo qui septimodecimo iudicetur: quõ nec ei qui uigesimo finiatur, ita ut appareat hac in re ambiguitas aceruus nominata, uideaturq; interdum nobis uerisimile non esse quartũdecimũ limitem acutorũ morborum, sed uigesimũ diem. At uero rursus & alia nõ parua ambiguitas super ea ipsa re est. Etenim morbus acutus cũ magnitudine quadã ac febre cõtinua intelligit. Si eñ nõ ita sit, quãquã circa quartum decimũ soluat diem, aut etiã citius, eiusdem appellatiõis nequaq; censemus. Igit hę sunt & tot acutorũ differẽtię pręscripti tẽporis morborũ: aliæ uero eorũ qui ad ampliorẽ latitudinẽ post diẽ uigesimũ extendãtur. & uero illorũ cõsonum ratiõi uidetur, ut qui usq; ad quadragesimum prorogentur diem, quadã propria differentia collocentur, qui autẽ ab his ad septimũ mẽsem extendunt, alia differẽtia: quomodo & qui annui sunt, rursus alia cõprehenduntur: & ad hęc qui habent nõ mẽsium, sed annorum numerationẽ. Q̃d igitur assidue moneo, talia prætermittẽda sunt, dãda uero opera est ut idoneus sis pręsentire quonã tempore cõualiturus sit æger. Itaq; cõstat ut Hippocrates in uno morbi genere quã solet nominare suppurationẽ, interdum uigesimum diẽ statuat terminũ eruptiõis, interdum trigesimũ, aut quadragesimum, aut sexagesimum. Quocirca permittẽs deferre appellationes ijs qui circa talia peritiores existunt, ipse stude pręsentire in quẽ de relatis terminum ruptio perreptura sit. Id cõperies duobus uelut instrumẽtis, experimẽto, ac ratione. Experimento quidẽ, unã & item alterã docente suppurationẽ eruptã, alterutrã proprio seorsum temporis

poris spatio. Ratione uero, cognoscente materiæ suppurationis substantiam, & item causam efficientem eius, & ea quæ cum illa cooperātur. Simul enim aliquis uidit primā suppurationē quadragesimo si ita contingat erupisse die, quam idem fecit humor, uerbi gratia modice frigidus, ac tempore similiter modice frigido, & ętate & regione, & natura totius morbi, atque etiā affectæ partis: & rursus simul uidit alteram erupisse sexagesimo die omnibus prędictis frigidioribus, tū autē uigesimo si ita fors tulerit, calidioribus: ex his orsus, poterit alias scrutari suppurationes, intentionibus utens empirice perspectis, cōferens uero cū illis ea quæ nunc accidunt per caliditatē & frigiditatē ipsorū humorum euariantiū, & item alterantis eos causæ efficientis, quæ calor natiuus est: & quæcunque alia huic cooperātur ex terra, tempore, aeris cōstitutione. Porrò causæ ipsius efficientis magnitudinē ab ætate conijciens, & item propria ipsius natura, atque etiā parte in qua accidit fieri suppurationē, & alijs indicijs quęcunque robur atque imbecillitatē indicāt in arterijs ac uenis facultatis: (qui eñ nihil ex his agnouit, sed expectat ex obseruatione cunctas discere suppuratiōes, huic mille tēpus annorū ad eā rem nequaque sufficiet: queadmodū rursus qui ad natiuū respiciens calorē quantus sit, cumque eo cōfert cōcoquendorū naturam humorū, uiam habet inueniendæ eius rei quā uestigat) Is igitur est qui potest ex ijs quæ nouit, ea etiā quæ non nouit, artificij ratione peruestigare. Hic unus dicet ut circa uigesimū diem talis suppuraturus sit, circa trigesimū talis, & in alijs similiter, nihil insuper necesse habens addere utrū oporteat nominari acutū, an longū, an acutū ex cōuersione morbū. Hæc enim interstingere, officiū est nō medicorū mediusfidius ministerijs artis studētiū, sed sophistarū sermonibus uacantiū: & ob eam rem de eiusmodi quæstionibus in excelso insidētes solio, scite admodū plerique sermonibus perfundūt auditores: quid uero sit ægris euenturū, magis latet eos, quam maris congij. Alij ecōtrario idonei sunt ad cognoscendum morbos, ac præsentiendum futura, sed nihil habēt quo logicas diluant questiones: & ob hāc causam alij existimant medici ab hominibus: alij sophistę ac medici uerbotenus. eos enim ita appellāt: & si quos uiderint librum aliquem legētes, & ratione utentes ad utilium medicaminum interpretationem, tales medicos uerbotenus esse suspicantur.

De affectibus qui in capite et ore et faucibus affligāt. Ca. IIII.

13 Capitis dolor uehemēs & cōtinuus cū febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, letalis admodū est. Si uero sine talibus indicijs fatigās dolor uigesimū trāseat diē, & febris detineat: expectari oportet sanguinis è naribus eruptionē, aut alium quempiā abscessū ad inferas sedes. Sed et quoad dolor fuerit recēs, expectari oportet sanguinis eruptionē è naribus: aut suppurationē, si dolor alioqui circa tempora ac frontē affligat.

Ordine cōfusiore loquitur rem quæ ad præsentiendum maxime conducit: sed recto ordine texitur hunc in modum: Capitis dolor uehemens & continuus cum febre, si quod ex indicijs extiterit exitiosis, integre letalis est. Si uero ex ijs quæ didicisti: de ægro tanquam conualituro quidquā speres: à principio quidem ad septimum diem sanguinis è naribus fluorem expectato. procedente uero tempore id etiā eueniet. pus uero erumpet è naribus aut auribus, in salutē ægri. Si uero ad uigesimū extendatur diem doloris accidēs in capite, tunc etiā sanguinis fluorem expectabis rarius: magis uero suppurationē, aut abscessum ad inferas sedes expectato. Sed per illud tempus quo sanguinis fluorem expectabis, augebit tibi expectationem, si in temporibus ac fronte dolor uehemens infestet.

14 Magis expectari sanguinis oportet eruptionem in minoribus natu quintum et trigesimū annum agentibus: in maioribus uero natu suppurationem.

Finitio ducta ab ætate est, quò magis expectes sanguinis è naribus fluorē. Causa uero perspicua est, ac sępenumero prodita, ut ætas ad quintum & trigesimū annum plurimū gignat sanguinis. Accedit ad hoc, ut sanguis per hanc ætatē calidior ac biliosior habeatur. At (ut antea definitū iam est) id quoque ad sanguinis fluorem à natura fientē idoneū est, in natu uero grandioribus ultra trigesimū quintū annum expectanda magis suppuratio est.

15 Aurium dolor acutus cum febre continua ac uehementi, difficilis est. Periculum eñ delirij mortis imminet. Quia igitur fallax hic locus est, cito etiam animaduertere omnia alia indicia à primo die necesse est.

Nunquam uehemens dolor in his euidentib. auriculis infestat: neque si infestet, periculū comitabit: propterea quod neque pars ipsa pręcipua est, neque parti cuiquā præcipuę cōtinuetur. sed cōsueuerunt nominare dolorē auriū, quoties in profundo ex auditorio meatu doloris sensus affligat. tunc enim ipse afficit auditorius nominatus neruus, nō ex lōgo interuallo cerebro copulatus. Itaque merito multi interimunt per dolores auriū uehementes, in consensum perducto cerebro. Quocirca nōnulli ægri delirant, necnō aliqui derepente moriuntur, quē in modum attoniti, quoties in cerebrū decumbat uniuersum aurium dolorem cōmittens fluxio.

16 Natu minores, septimo die aut citius ab hoc morbo interimūtur. Natu uero maiores, multo tardius. Febris enim ac deliriū minus eos infestant: & aures eis ob id antea suppurantur. Sed per has ætates recidiuæ euenientes morborum, plurimos interimunt. minores uero natu prius quam suppurentur aures, interimuntur. Si enim ex auribus pus effluat candidum, expectari potest natu minorem cōualiturum, si quod

aliud bonum in eo indicium existit.

In minoribus natu febris & delirium potius accidunt ob calidum ac biliosum temperamentum. Itaque merito interimuntur antequam aures suppurentur. Maiores natu, quantum in his situm est, minus periclitantur. sed recidiuæ ipsis eueniunt affectionũ, quia non integre cõcoquitur dolorẽ committens humor, ob temperamenti frigiditatẽ. Cæterum residuum dictionis satis perspicuum est.

17 Fauces exulceratæ cum febre, difficiles sunt. Sed si aliud quoque signum ex prædictis fuerit prauum, prædicẽdum ut cum periculo morbus sit.

Fauces exulceratæ labem indicant derodentis humoris. Causa uero difficultatis non paruæ est, quia cum dolore deglutiunt. Itaque considerari conueniet & alia indicia, ut exquisitius futura cognoscantur. Commune uero in cunctis erit tibi præceptum, potissimum uero in ijs qui nec exquisite optimi affectus, neque deterrimi habeantur: in quibus & ipse Hippocrates censere assolet alia quoque indicia esse consideranda.

De angina. Cap. V

18 Angina grauissima est, ac celerrime interimit, quæcunque nec in ceruice, nec in faucibus cõspicuum aliquid efficit. Plurimum uero doloris infert, ac spirationis difficultatem quæ non nisi erecta ceruice trahatur. Hæc enim & eodem die & secundo & tertio & quarto strangulat.

Quòd fauces præiacentem gulæ & gutturi sedem appellet, perspicuũ est etiã ex ijs quæ hoc loco scripsit, illã anginam dicens esse grauissimam, quæcunque nec in ceruice nec in faucibus dispositionem aliquã indicet præter naturam, ex colore, calore, mole. ceruicem enim intelligit collum: fauces uero aperiendo os, ac linguam comprimendo deorsum, euidentem amplitudinem, in qua gemina ostiola uisuntur tum gulæ, tum etiam gutturis. Quoties igitur in neutro horum appareat aliquid præter naturam, existimandum est intra gutturis corpora lacessere inflãmationem, ex qua strangulantur. At cum animę iter angustũ natura sit, strangulentur necesse est eo integre cluso ob ambientium corporũ inflãmationem. Itaque coguntur dirigendo collum spirare, quo dispescãt paululũ meatũ. Supinus enĩ iacẽtis habitus eũ extreme cludit, priore corpore magis coincidẽte in ceruicis uertebras. Igitur ob eã rem, & quia inflãmatione uexantur musculi in gutture, merito dolore afficiuntur.

19 Quæcunque uero dolorem alioqui similem infert, attollitur uero, ac ruborẽ in faucibus efficit: admodũ exitiosa, sed paulo lõgior quàm superior est, si rubor fuerit magnus.

Secundam nominat anginæ differentiam, in qua attollitur quidem locus in ceruice, & fauces rubent: dolore uero æque quàm prædicti afficiuntur: non tamen subrecti spirant, id est non spirant admodũ difficulter: quia nec musculi in gutture admodum uexantur inflammatione. Merito igitur eam exitialem haberi dixit, non tamen perinde ut prædictam celerrime interimere.

20 Si quibus fauces rubẽt & ceruix, hæc diuturnior est. maxime uero ex ea seruantur, si ceruix ac pectus traxit ruborem, nec sacer ignis intro recurrat.

Tertiam hanc cõmemorat anginam, quam alij per s literam nominant synanchen, non per c literam cynãchen. Vbi enim uehemẽter strãgulant, ac dolore uexantur, nec inflãmatio aut sacer ignis apparet, aut in ceruice, aut in faucibus: cynãchen per c literam talem nominãt affectionẽ. Sed quod assidue moneo, uidet & Hippocrates facere: nec ita uocabulis parce utitur, sed ut libuerit appellat. Sanè & in quibusdam codicibus antiquis legitur initium dictionis per s literam: synanche, id est angina. Ita cõstat ut nihil iuuet de c & s literis dissentire, quemadmodum medici recentiores agunt. Vbi enim confessa res est, obscœnum est de nominibus litigare. at confessa res est ijs qui ministeria artis agnoscunt. Si enim uehementer strangulantur & cogantur resurgere, deterrime exigunt, dolore uehementer affecti, nullum uero aut in ceruice habentes aut in faucibus accidens. Ab his uero deinceps existunt ij qui nõ spirent difficulter, sed dolore admodum uexentur, ac pariter tumescat ceruix, & fauces rubicundiores euadãt. Tertio loco disponuntur ij de quibus Hippocrates præsenti sermone persequitur: qui nec uehementer affligantur dolore, nec spirent difficulter, gutture quidem nequaquam patiente: sed aut in fauces fluxione, aut in ceruicem, aut in hæc utraque decumbẽte. At uero fluxio hęc magna ex parte biliosior est, ita ut perspicue sacrum ignem, aut inflammationem sacro igni similiorem committat: unde & ipse dixit, Nec sacer ignis intro recurrat. Quòd si pituitosus interdum tumor infestet, celerrime discutitur: nec ullo pacto acutus talis morbus est. Cæterum reliqua dictio perspicua est.

21 Si uero nec dieb. decretorijs deleatur rubor, neque tuberculo conuerso in sedem exteriorem pus non facile excreet, ac uideatur sine dolore agere: mortem indicat, aut recidiuam ruboris.

Sine tuberculo, aut excreatiõe facile euacuata deleri aut sacrũ ignẽ, aut ruborẽ, (utroque enim modo legit) prauũ fore perspicuũ est. Sed illud, Nec diebus decretorijs, perpensione dignũ est utrũ ita inaudiendũ sit, ut si diebus deleat decretorijs nullum malũ signum futurũ ei sit, an secus, (ita enim nõnulli exposuerunt) an copulare oporteat id cũ ijs quæ deinceps sunt prodita, ut etiã uelit Hippocrates illa diebus decretorijs euenire gratia fidei firmioris: quod sanè uerius est. Si enĩ materia diebus transmeat decretorijs in pulmonẽ, recurratque introrsus sacer ignis, nequaquam per halitũ digestus

in

in exteriore superficie: non solum non bonum id est, sed etiam malum maximum: propterea quod ex diei fide firmiore assumat prauitatem. At si pariter tuberculo foras tendente, ac facili excreatione deleatur sacer ignis, aut rubor, tunc non interiturum ægrum expectare oportet.

22 Securissimũ uero est, si & tumor, & rubor quãmaxime foras uertatur. Si uero in pulmonem conuersio fiat, demẽtiam parit: fiuntq; ex ijs magna ex parte purulenti.

Hæc & item alia quæ deinceps perscripta sunt, clara sunt quibus prædicta in animo hærent.

De gurgulione. Cap. VI

23 Gurgulio cum periculo secatur, & scarificatur quoad rubidus magnusq; fuerit. Inflãmatio enim fatigat, & sanguinis fluor: sed hũc oportet alijs moliminibus extenuare eniti per illud tempus. Vbi uero secretũ fuerit omne id quod uuam appellant, sitq; pars gurgulionis summa maior ac orbiculata, superior uero tenuior, per illud tempus admoliri manus tutum est. Sed præstat, simul aluũ subduxeris, uti chirurgia, si liceat per tempus, nec æger strangulẽtur.

Prognostico theorematí permistũ est exiguum quoddam curationis præceptũ: quo sine nequaq; fieri poterat ut integre præsagium cognosceretur. Gurgulionem si inflammatione laborantem præcidas aut scarifices: sanguinis fluor & inflammatio comitabitur. Sed quoties secretũ fuerit quod uuã appellant, sitq; pars summa gurgulionis maior & orbiculata, superior uero tenuior: tãtisper admoliri manus tutũ est, potissimũ aluo antea abũde subducta, siue sponte, siue etiã prouidẽtia medicorũ.

Signa & accidentia affecto loco nequaquam definito. Cap. X

24 Si quibus febris desinit, non cum indicijs solutionis, neq; in diebus decretorijs, recidiuam expectare oportet.

Quoties neutrum existat ex ijs quæ dixit, tunc expectare oportet recidiuam, non ubi alterũ adsit, alterum desit. Quæ enim non ex ratione leuãt, recidiuam facere consueuerunt: quanq; in diebus accidat decretorijs. At uero constat ut hęc non ex ratione leuent, quæcunq; neq; cum indicijs solutionis, neq; in diebus desinant decretorijs.

25 Si qua febris prorogatur, salue affecto homine, nec dolore detinente, aut ob inflãmationem, aut ob aliquam causam euidentem: expectari oportet abscessum cũ tumore ac dolore, qui in aliquem articulum, maximeq; inferiorem decumbat.

Quæ antea dixit particulatim, primũ de abscessibus circa ilia, deinde circa thoracẽ, ac pulmonem: ea nunc repetens pronunciat in uniuersum. Cum enim triplex sit causa prorogationis febrium, aut propter aliquam partem affectam curatu difficilem, aut propter humores crudos & crassos incoctosq;, aut propter aliquod cõmissum: si nec affecta fuerit pars, aut nulla alia causa, aut ægri errorẽ cõmittẽtis, aut curantiũ eum, aut propter exteriorem causam, uerbi gratia tempus, terram, aeris cõstitutionẽ, domiciliũ prauũ, conflictationẽ, solicitudinẽ, angorẽ: restat ut humoribus crudis ac concoctu difficilioribus prorogetur. Hos igitur assolet natura in partẽ quandã ignobiliorẽ deponere, quoties per excretionẽ pellere extra corpus non queat. Sępe enim dictũ iam est ut humores corporis calidiores tenuioresq; paratissimi sint ad excretionẽ: crudis uero & crassis, aut per abscessum, aut per cõcoctionẽ natura medeaẽ. Porrò idipsum ut per cõcoctionẽ medeaẽ, excretio quædã est, quæ ex urina magna ex parte, raro per aluũ efficiatur.

26 Talis abscessus magis ac minori tempore euenit natu minoribus quàm trigesimum annum agentes.

Sæpenumero dictũ est ut morbi quos humores cõmittunt calidiores, cum ægri uiribus ualentioribus per excretionẽ iudicentur. His contrariæ sunt affectiones in quibus facultas debilis est, & humor frigidus, quæ nec excretione, nec abscessu iudicãtur, sed aut corrumpũt ægrũ, aut perq; lõgo tẽporis spatio uix cõcoquunẽ. Porrò inter has mediæ intercidunt, quæ per abscessum finiunẽ: in quibus ex duabus dictis oppositionibus, alterũ ex altera, alterũ ex reliqua est. Duę enim oppositiones existunt è quibus altera secundũ naturã humorũ, altera secundũ uires habetur: atq; in alterutra earum duo inter se opponunẽ, ex humoribus quidẽ calidi frigidis: ex uiribus uero fortes debilioribus. Si igitur humores calidi sint, non oportet facultatem ualidam haberi si abscessus quispiam futurus est: Si uero frigidi, facultate opus est ualida ad abscessum. Cæterum dignotio uirium hæc est, maxime quidem propria in earum singulis antea dicta est ab actionibus. Ab ætate uero ducũtur indicia, pro iuuentute ac senectute, de qua nunc Hippocrates agit: dicitq; magis accidere ac citius talem abscessum ijs qui minores natu sunt trigesimum agentibus annum: maioribus uero natu, nondum tamẽ senibus, minus ueniunt, ac tempore longiore. senibus uero minime accidunt: in animum reiecto omni eo sermone quem Hippocrates inter initia habuit: Siqua febris prorogeẽ, salue affecto homine, nec dolore detinente, aut propter inflammationẽ, aut propter aliquam aliam causam euidentem. Hęc itaq; nobis reuocans in mentem, dixit talem potius fore in minoribus natu abscessum.

27 Cõsiderãdũ uero statim de abscessu est, si uigesimũ diẽ detinẽs febris transcendat.

Cum antea & iam de morbis diutinis dissereret, mentionem habuit uigesimi diei, propterea quod ad hunc usq; diem extentus morbus nondũ diutinus existat. Porrò antea quoq; est proditũ quamobrẽ non cõueniat unum poni limitẽ firmũ acutorum morborum. Quocirca nequaquam mirum

uideri debet quartodecimo die eum dicere iudica A ri morbos acutos, & rursus uigesimum cõmemorare. Etenim in sententijs quoque ubi quartumdecimum diem finẽ fecit summũ iudicationis acutorũ morborũ: cõmemorauit etiam septimumdecimũ. Est autẽ initium illius sentẽtiæ: Acuti morbi quartodecimo die iudicantur. Finis uero est: Rursus uero decimus septimus cõsiderandus est. is ẽm quartus à quartodecimo, et septimus ab undecimo est.

28 Natu uero maioribus per febres longiores minus accidunt.

Merito: quia in morbis iudicandis per abscessum, facultatem habere firmitatem quandam, nec prorsus ad extremam concidisse infirmitatẽ oportet: & ob eam rem inquantum processerint per æ- B tatem, abscessus minus fieri accidit. Senibus uero non minus, sed minime accidunt. Nunc uero non senes dixit simplici ratione, sed cum ijs qui trigesimum agant annum, conferens. natu maiores nominauit eos qui prouectiores quàm hi per ętatem existant. Cæterum ut ita utatur maioris natu appellatione, & antea definitũ est, & item deinceps nihilominus indicabitur.

29 Oportet talẽ expectari abscessum per febrem continuam, in quartanam uero discessuram, quoties intermittat prehendatque errabilem modum, atque ita agendo autumno propinquet.

Dictum est & in libris De differentia febriũ, ut C quartana atribilario humore consistat. & item est proditum de generatione huius humoris, quæ duplex est, tum ex sanguine crassiore qui respõdeat proportione in uenis subsidenti in dolio uini fæculæ, tum etiam flaua bile uehementer assata. Hęc igitur atra bilis alioqui malefica est, ac derodit partes in quibus abunde collecta est. altera uero atra mitior quàm hæc est: sed potissimũ quoties nondum traxit in animali morã, aut cum aliquo calore abundanti & præter naturã cõmercium habuerit. His igitur ita habentibus, quoties febris continua fuerit, quod est non desinẽs ad integritatem, ad eiusmodi abscessus uertitur, diutius immanẽs. At si intermittit, atque idipsum potissimum euenit per æstatis finem, uerti morbum ad circuitionem D quartanã ratio est. Quantũ enim humorũ ferbuit æstiuo tempore per febres continuas, ac desiuit in atram bilem, quodãmodo restinctũ est: proindeque calore febrifico æger uindicatur, maximeque quoties sudores eliciunt. Sed si nõ antea natura quodammodo excernat ueluti cinerem uehementer assatorũ humorum: hic rursus permanens in corpore & calescens, putrẽ quandã recipit affectionem: idque quoties ei accidit, feruendo excitat febrem: à qua rursus eueniente sudore, pariter cum eo quod ferbuit atræ bilis euanuit: tum rursus aliæ reliquiæ feruentes, rursus alteram excitant febrẽ. Ceu igitur nondũ unam habeat omne corpus affectionẽ, sed atra bilis in quibusdã partibus insuper moueatur, in quibusdam immota maneat, in alijs putreat, aut feruere incipiat, inordinatas fieri febres necesse est. At uero quoties in cunctis uenis eadem fiat affectio, exuperante atra bile, quartana consistit febris, maximeque quoties æstatis conuersio in autumnũ, ab extrorsum delatione ac spiratione prohibet humores, introrsumque auocet in profundũ: quam hyems affectionẽ excipiens, utpote intẽdens præ frigore delationẽ introrsum humorũ, rursus ad alterã usque mutationẽ in habitum calidiorẽ, in quo morbus cœpit, adseruat corpus.

30 Quemadmodum in minoribus natu quàm trigesimũ agentes annũ, abscessus cõsistũt: ita quartanæ potius annum agentibus trigesimum, aut etiam senioribus accidunt.

De mutatione per ætatẽ, alio loco fusius dictum est. Nũc uero summatim decurrere tractatũ sufficiet. Pueruli plurimũ sanguinis habẽt humorem: eumque tantũmodo haberẽt, quantũ in ipsum agit ætatis temperamentũ: at quia cibi copiã ingerunt atque inordinatã, succi aliquid, qui crudus nomine dicitur subit. Porrò quoties ad ętatẽ deueniũt adolescentiũ, quidã iam recte uiuunt, meliorẽ uitæ nacti tenorẽ: & ita sanguis in illis exuperat dũtaxat: Quidã uero adolescentes multo deterius quàm parui pueruli. Itaque tales ægrotant subinde pariter ac uehementer copiã crudæ materiæ colligentes: ijs autem qui deinceps ab hac sunt ætate, potissimum si praue uiuant, amarulentus subit humor: ita ut in his exuperet nõ sanguis solum, sed etiam illa quæ pallida ac flaua bilis appellat. idque accidit nonnullis usque ad trigesimum annum, alijs ad trigesimum quintũ. Primus enim terminus cõuersionis ad habitũ frigidiorẽ, trigesimus est: nouissimus uero trigesimusquintus. Multis uero propter naturã quã traxerunt ab initio, & quæcũque secundũ casus, aut consuetudinis & arbitrij differentias permutant: in medio, uigoris ætas circumscripta est. Ob id igitur & Hippocrates quandoque trigesimũ cõmemorat, quemadmodũ nunc: sæpe etiam trigesimum quintum. Quia enim aliæ alijs accidant mutationes, fieri non potest ut una mensura firma ac cunctis promiscua finiat. Sed id assidue in animo seruabis, antea quoque libro De diebus decretorijs tertio perscriptũ. Nam si id in animo seruabis, prædictisque adijcies: non difficile inuenias causam eorũ quæ Hippocrates per hanc dictionem scripsit. Vt enim per tempora calefactos æstate admodũ humores, & ut ita dicatur, bullientes, necesse est gignere atribilariũ humorẽ: quẽ excipiẽs collectũ in corpore autumnus, utpote frigidus nequaquam patitur similiter extrorsum difflari, neque facile uacuari, ita per ætates ætas inclinans efficit. Nam quantum in ætatis uigore ferbuit humorũ atque in atram mutatũ est bilem, id hæc difficulter discutiens, febres potius quartanas cõmittit, opusque est tẽpore longiore per hanc ætatẽ ut corpus tali repurgetur bile. ita fit ut adusque senectutẽ in medio atribilarij oẽs morbi in alijs magis exuperẽt, in alijs minus, elephas, cãcer, lepra, melãcholia, febris quartana.

31 Sciẽdũ ut abscessus hyeme potius accidant

dãt, ac tardius desinãt, & minus retrocedãt.

Tria de abscessibus Hippocrates in præsenti oratione pronunciauit: principio ut hyeme potius accidant: deinde ut tardius desinant: demũ ut minus retrocedant. Cæterũ abscessus per hyemẽ potius euenire, exuperãs in ea humor ostẽdit. Etenim antea dictũ iam est, per excretionem calidos, per abscessum frigidos iudicari humores. Porrò ut & tardius desinãt, causanda est humoris natura, atq; etiã circũeuntis aeris frigus. discutiatur enim omnino oportet decũbens humor, ut abscessus curetur. at humores crassi frigidiq; ægrius discutiunt̃, potissimum quoties obductus aer frigidus fuerit. Ob eiusmodi uero causas & minus retrocedunt, quãdoquidẽ repetẽtibus motionẽ quandã adesse necesse est. At frigidi moueri difficilius possunt.

De uomitione spontina. Cap. VII

32 Siquis per febrẽ non exitiosam dixerit caput dolere, aut etiã tenebricosum aliquid ob oculos obuersari, aut si ostioli uentriculi dolor in eo extiterit, biliosa uomitio aderit. sin algor quoq; prehendit, & inferiores iliũ partes frigidæ fuerint, adhuc citius uomitio aderit. Siquid uero bibat esitetq; sub hoc tempus, perquam cito deuomet.

De uomitione spontina eueniente ratione iudicationis, hoc loco Hippocrates docet. Prima autẽ finitio ei est ut morbus haudquaquã exitiosus habeatur. Appellauit autẽ iam hunc morbũ sæpenumero salubrẽ. Secunda uero, ut ægro dolenti caput, obuersetur quiddã ob oculos tenebricosum, quod utiq; significat atrũ ex flauæ bilis syncerę exhalatione cõfectũ. Hęc enim plenius calefacta &, ut ita dicatur, uehementer assata, atrã exhalationẽ ceu fuliginẽ quandã ad caput remittit, ob quã capitis dolor infestat. Quantum uero eius ad oculos permeat, turbulẽtiorẽ reddit in eis humorẽ splendidũ ex natura ac purũ, ita ut fiat constitutio quædam similis ei quæ circa purissimũ ac lucidissimũ aerem euenit, recipientẽ statim in se aut fumidum quendã aut fuliginosum nigrorẽ. Hanc igit̃ exhalationẽ sentiẽs à cerebro permeãs ad oculos uisorius spiritus, quemadmodum per suffusiones, uisa (ut ait) tenebricosa efficit. At uero cũ talis exhalatio aliquando de sedibus quoq; subeat pulmonis, eã interstinguimus ab illa quę de uẽtriculi ostiolo redundat cordis dolore. Tales eñ humores latent pulmonẽ, ut qui uel omnino non sentiat, aut difficulter sentiat. Vẽtriculi uero ostiolũ (appellat̃ id, ut cõstat, etiã cor) propter magnitudinẽ neruorũ quos habet sentientiũ, nihil latet quod in eo infestet. ita fit ut mordẽs biliosus humor, cordis id est ostioli uentriculi dolorẽ cõmittat: & ob eam rem biliosa uomitio accidit. Tale enim etiã Thucydides indicauit dum ait: Et cũ in cor inhæsit, subuertit id, ac purgationes bilis, quæ à medicis sunt appellatæ, subierunt. Verbum enim subuertit, de impetu dixit in uomitionẽ, statim etiã nominãs cor, uentriculi ostiolum. & ob eam rem morsum eius,

A cordis dolorẽ appellitant. Alibi uero Hipp. scripsit ut infernũ labrũ idipsum indicet, haudquaq; quiescens, sed quodãmodo intremiscens, propterea ꝙ si bilis mordeat internã ostioli uentriculi tuniculã, ita cõmouet labrum. Didicimus enim ex dissectione, unã esse omnẽ hanc tunicã perpetuã per omnia sibi & omnis uentriculi, & gulæ, & linguæ, & palati, & omnis oris. Hęc igit̃ est quę & labra cõcutit, quoties ab acriore bile collecta in ore uẽtriculi mordet̃. Talis eñ humor prę leuitate fluitare natura assolet: & ob eã rẽ ad ostiolũ redũdat, relinquẽs uẽtriculi fundũ, ac facile uomit̃. Quòd si rigor quoq; prehẽdat tũc hominẽ, magis etiam uomitio non solũ citius, sed etiã bilis erit copiosioris: cũ soleat rigor magna ex parte bilis efficere uo-
B mitionẽ, quemadmodum cum de ipso ageret̃, est demonstratum. Quinetiam siquid bibat aut esitet per illud tẽpus homo, adhuc citius deuomet: quia pariter cũ bile ingesta cibaria in uẽtriculo uitiant̃.

33 Si quibus horũ cœpit dolor primo die, quarto ac quinto premũtur magis, septimo uindicantur. Pleriq; eorũ incipiunt dolore uexari tertio die, quinto fluctuant magis, deinde uindicantur nono aut undecimo. Quòd si quinto die incipiãt dolore uexari, & alia quoq; secundũ rationẽ ipsis ex prioribus accidãt: quartodecimo morbus finiet̃.

Tres dixit differentias ex tẽpore ductas doloris
C capitis: & item tres terminos iudicationis earum. Itaq; prima differentia est, si prima die ægrotationis, capitis incipiat dolor. altera, si tertio die. tertia si quinto. Sed omnibus his commune est septimo quodãmodo die à quo incepit, desinere. Si igitur incipiat primo die, septimum habet decretorium. Si tertio, quantum in ipsum agit̃ septenarij numerum, decimum. Sed quia hic nequaq; decretorius est, ad nonum aut undecimum deuenit iudicatio: quę citior aut tardior quàm septenarius terminus uno die est. Atq; in animum rursus reuocabis ut & nonum diem hoc loco cõmemorauerit tanquã decretoriũ, quemadmodum, & (ut antea docui) tertium, non per quaternariam aut septenariam circuitionem habentes indicationem: sed ea ratio-
D ne ꝙ intercidant, quemadmodum libro De iudicationibus definitum est. Quinetiam tertia differẽtia doloris capitis, quinto incipit die, & ad quartumdecimum prorogat̃. propterea ꝙ non admodum calidus sit, neq; festinet, iudicio est ꝙ incipiat quinto die, et quia adiecto septenario primis quinque diebus omnes fiant duodecim. Duodecimus uero non sit decretorius, neq; etiam fieri possit, ut unum anticipet diem. Ostẽsum enim iam est eum esse limitẽ acutissimorum morborum proprium. Itaq; merito in quartumdecimum excidit.

34 Hæc accidunt uiris & mulieribus potissimum in tertianis. Minoribus natu accidunt etiã in illis, magis uero & in febribus continuis, & in ueris tertianis.

In

In hominibus iam perfectis, de quibus assolet ferre uirorum ac mulierũ appellationem, in omni febre tertiana talia accidunt, propterea ꝙ ætas biliosissima existat. In minoribus uero natu quàm ij, nõ in omnibus, sed solummodo in ueris tertianis, quæ sanè biliosissimæ sunt. Porrò accidunt & per morbos acutissimos. nam hi q̃q; biliosissimi sunt: constatq; ut & perfectis multo magis eueniant. Id enim prædictis consequens Hippocrates nequaquam adscripsit: quasi uel à nobis intelligi possit.

35 Quibus per talem febrem dolet caput, & pro tenebris ob oculos offusis hebetudines subeunt oculorum, ac splendor obuertitur, & pro ostioli uentriculi dolore circa ilia aut læua parte, aut dextra aliquid cõtenditur neq; cum dolore, neq; cum inflammatione: sanguinẽ de naribus in his fluere, pro uomitione expectãdum est: magis uero & hic in adolescentibus sanguinis fluorem expectari oportet. Agentibus uero trigesimũ annum, aut etiam adultioribus, minus: sed uomitionem talibus expectari oportet.

Talem dixit febrem, qualem inter initia sermonis per hanc indicauit dictionem: Siquis in febre non exitiosa dixerit caput dolere: Id igitur cõmune in utraq; seruans febre, promiscuũ quoq; fore dicit, ut finiantur per excretionẽ. proprium uero utriq; adiecit in excretionis specie in priore quidẽ biliosam uomitionem: in sequenti uero sanguinis fluorem. At uero signa id indicantia in priore quidem uisa tenebricosa ac ostioli uentriculi dolorẽ: in sequenti uero hebetudines oculorum & splendorem: & item intenta ilia citra dolorẽ & inflammationẽ: indicia maxima sursum uersus tendentis humoris. Porrò supra q̃q; dixerat sanguinis fluorẽ comitari decretorie inflammationibus quę in ilijs fatigent: magisq; in minoribus natu, in quibus sanguis exuperat: & rursus idipsum nunc adscripsit: & item ut biliosæ accidant uomitiones in ætate uigentibus. Cæterum libro De morbis uulgarijs primo etiam lachrymari præter uolũtatem dixit eos quibus sanguis è naribus erupturus est. Hæc igit̃ cuncta componens, atq; adijciens eis quæcunq; aliubi docuit, nunq; non præsenties futurum sanguinis fluorem, potissimum si clare ex pulsu cognoueris indicium excretionis: quod usquequaq; anteuertit decretorium sanguinis fluorem.

De conuulsione. Cap. VIII

36 Pueris conuulsio accidit, si febris acuta fuerit, nec aluus deijciat, ac uigilent, paueant, lugeant, colorẽ mutent, & uiridem, aut liuidum, aut rubidum trahant. Hæc igitur nuperrime editis pueris, prõptius accidũt ad septimum usq; annum. Adultiores uero pueri uiriq; non in febre prehẽduntur conuulsione, nisi aliquod indicium extitit uali-

A dissimum ac deterrimum, qualia per phrenitidem accidunt.

De conuulsione hoc loco disputat, quæ non in parte una corporis, sed in omni eo infestet: quæ in pueris prõptissime euenit, sed magis lactentibus, non minime uero & propter usum lactis, magisq; quoties fuerit crassum: & quia plurimo alimento & inopportuno utuntur, nihil aliud agnoscentes uiuẽdo præter esitandi cõmoditatem. omne enim neruosum genus in illis debile est. Cum enim tres uires genere existant, ex quibus gubernatur corpus: duabus quidem pueri quàm cæteri fortiores existunt: una uero debiliores, quæ in neruis innexa est, & ob eam rem promptissime cõuelluntur: & rursus ad habitũ naturę facillime remeant. Per-
B fectis uero nec facile consistit, neq; desistit cõuulsionis affectus, propter ualentiam in neruis facultatis. Itaq; conuulsio accidit etiam sine febre in forti admodum frigore, & copia humoris crudi crassiq;. & item inflammatione in neruis ac tendonibus, quoties originẽ ad cõsensum agant. Sed hoc loco de conuulsione docet quæ per febrem consistat, quemadmodum inter initia subiecit persequi præsensiones in morbis acutis, & in alijs quicunq; ex illis decidentibus consistunt. Itaq; cõuulsiones per tales morbos in auctioribus illa significabunt indicia, quæ maxime per phrenitides difficiliores existunt: sed potissimum si partes in uultu peruertuntur, aut dentes stridẽt, aut oculi crebro mouentur, aut peruertuntur. In pueris uero uel sufficiet
C si uigilent tantummodo, interdum si metuant admodum: quod sanè pauere nominauit. Si lugeant cum intensione uehementiore, & aluus haudquaquam deijciat. Hæc igitur ceu causæ sunt: indicia uero conuulsionis: ad tales causas, colores præter naturam habentur indicantes humorum prauitatem, ex quibus conuelli assolent. Viridis enim aut liuidus prauum qualitate significat humorem: rubidus uero, sanguinis copiam indicat.

37 Conualituros moriturosq; pueros, & alios scrutari conuenit omnibus signis, prout in singulis singula relata sunt.

Id etiã antea dixit: & nunc quoq; cõmemorat: & rursus post paulũ dicet: propterea ꝙ utilissimũ
D sit: attamen non id intelligunt pleriq; medicorũ: sed interdum aliquod prauũ uidentes indiciũ, ex quibus cõtingit uiuere hominẽ, criminantur ceu mendacẽ: quemadmodũ rursus bonis apparentibus interempto ægro, falsum esse Hippocratẽ dicunt: nondum cernẽtes ut interdũ à multis bonis indicijs unũ malũ uehemẽs peruincat: et rursus e cõtrario à multis malis unũ bonũ, si uehemens sit.

38 Hæc intelligo de morbis acutis & alijs quicunq; ex his consistunt.

Id quoq; scripsit Hippocrates, quomodo ante dictũ etiã præceptũ, uaticinatus negligentiã pariter & audaciam eorũ qui sint eius uolumina lecturi, & itẽ quæsituri quo pacto cõmemoret quadragesimũ diem atq; sexagesimũ, suppurationẽq;, &

aquam

aquam inter cutem: nec non febrem quartanam. Cum enim uel eo clare scribente, quòd nõ solum agat de acutis, sed etiã de ijs qui ex horũ decidentia in longam tẽporis seriẽ extenduntur, attamen talia quęrant, quidnam agerent, si nõ id effecisset?

39 Oportet eum qui sit recte præsensurus sanitatem ac mortem, & in quibus morbus pluribus diebus fatigaturus est, & in quibus paucioribus: indicia ediscendo omnia interstinguere, æstimando uires eorum inter se: quemadmodum scriptum est: tum de alijs, tum de urinis & screationibus, ubi pariter pus bilemq; excreet.

B Omnia assidue oportere spectari indicia, nec uni credere, etiã antea dixit. Sed nũc adiecit quod sermonis est utilissimum: id uero esse dico, uires æstimare indiciorũ, neq; simpliciter has, sed cõferendo eas inter se. Sunt enim quædam indicia & ipsa per se praua, magisq; & minus: quorum uires mẽsurari oportet uocabulis: ut antea quoq; explanauit, aut exitiosum dicẽdo, aut exitiosius, aut admodum exitiosum: & item adijciendo uerbũ iam. Nec secus in bonis indicijs rursus, aut salutare, aut salubre simpliciter, aut magnam obtinẽs uim, aut etiam cum uerbo admodum. Plus est enim si dicatur, admodũ magnam uim obtinere ad salutem: q̃ si nudum ac solum, magnam uim obtinere. Sed nunc conferri oportere dicit uires indiciorum inter se, non modo similium, uerbi gratia bonorum cum bonis, ac malorum cum malis, sed etiam bonorum cum malis. nanq; per hanc cõparationem, ea quoq; quæ fiunt præter rationem, innuit. In primis enim agnosces quidnam præter rationẽ eueniat, tum autẽ haudquaq; terreberis, & demũ considerabis quamobrẽ existat, aut quidnam indicare natũ sit. Sed hæc omnia in nostris cõmentarijs definita sunt, maximeq; libro De iudicationibus: nec uero ab re erit nunc quoq; gratia exempli reuocare in animũ quædã, à cõmuni initio incipientes omnis pręsentiendi facultatis. Cõsideres enim conueniet in primis, utrum præcipue pars una in corpore affecta sit, an morbus sit humoris in conceptaculis cõditi: deinde per quam potissimum facultatẽ periculum ęgro immineat (etenim supradictum est triplicem esse facultatẽ) tum deinceps facultatis illius mala ac bona indicia. Fingamus enim facultatẽ de cerebro manantẽ, imperpessam haberi, atq; etiam corporis partes, imperpessas, totius uero argumentũ morbi hoc est febrilis ex putrescentibus solis habẽtes humoribus: deinde his ita habentibus, ab initio cuncta apparere in urina bona indicia. hunc hominẽ mori impossibile est. Quocirca quanq; aliquod existat indiciũ terrificum, non solũ non terreberis (quemadmodũ pleriq; medicorũ) sed etiã id iudicationẽ præmõstrare existimabis. etenim dolent caput, ac delirant, & intuentur tenebricosa quædã ac flaua, & hebetudines subeunt oculorũ, atq; etiã ostioli uentriculi dolor: & item spirant difficulter: & ilia cõtendun-

A tur ratione iudicationis: & rursus deiectiones malignæ, & screationes, atq; etiam uomitiones quædam: & item partes nigrescentes putrescẽtesq; & intermorientes hominẽ exhibent per omnia meliorẽ. Sæpe enim ex talibus secretionibus ægri facilius spirant, melius appetunt, melius dormiunt, dolore leuantur, ac resurgendo leuiores, & in totum faciliores euadunt: perspicue indicantibus ijs quæ euacuantur, expurgari corpus, natura præter spem superiorem conflictum repellente. Sed hæc omnia potestate sunt prodita, atq; hoc uolumine definita: præcepta de pulsibus tantũmodo addenda sunt: quæ nos omnia in cõmentarijs De pulsibus clare perscripsimus, prorsus silentio dissimulantes sphingis ænigmata, qualia innumera scripserunt Archigenis sectatores. Itaque hæc omnia

B prompta animo obseruando inspice, conferendo ea inter se. ex his enim poteris inuenire ea quæ ab infirmis omittuntur: interdum etiã necessarijs ipsis haudquaq; exquisite perspecta: quemadmodũ sæpenumero me uidistis in ijs qui strideant dentibus, ex natura in illis haberi accidens pronũciare, ita ut existimarẽt familiares audiẽtes non ex medendi facultate, sed ex arte uaticinandi talem extitisse prædictionẽ: interdũ etiam in dormientibus inconniuentibus oculis: ut id quoq; in eis ex natura existat. & quodã in uentrẽ cubãte id ipsi quoq; natura necessariũ. Porrò mulieris cuiusdã aliquando uisus est adeuntibus nobis dexter oculus alterũ insigniter superare: de qua dixi talẽ ante mor-

C bum extitisse excessum. & item in alio caua admodum tẽpora, tũc primũ etiã ab illo perspecta, dixi per naturã haberi affectionẽ. Itidẽ aliorũ cruentos oculos esse ex natura: cõuulsam uero in alio super cilij partẽ, aut oculorũ, aut labrorũ: & itẽ nõnulla ante morbũ ex quadã causa fuisse exteriore. Quin etiã intermittentẽ pulsum, atq; etiam pulsus uarietatem, & alia generis eiusdẽ ex natura in quibusdã habere dixi, uel ipsis ægris haudquaq; perspecta. Quæ quandoq; etiã simul atq; conualuerunt, restare uisa sunt. uoces itẽ asperas, raucas, clangoris æmulas, in hoc ex natura, in illo ab ægrotatione effici. De quibus cũ libro De præsagiendo latius docuerim, nihil insuper necesse habeo hoc loco recensere: sed sufficiet summam talium electionis

D dicendo sistere orationem. Quoties enim ex omnibus alijs sine periculo uideat morbus, tale accidens terrificum, ex natura adesse sciẽdum est: aut prorsus ante ægrotationẽ fuisse propter aliquam causam euidentem. Quocirca mihi & Hippocrati credentes, cõsiderabitis (quemadmodũ dictũ est) uires indiciorũ æstimantes, quemadmodũ ipse inquam prædixit. Exempli enim habuit mentionẽ, quoties pariter pus bilemq; excreet: idq; ab eo dictũ est per dictionẽ illã quæ ita incipit: Quęcunq; suppurantur dum screatio biliosa est, exitiosa admodum sunt, siue uicissim bilis ac pus, siue pariter excernant. Iuxta hanc enim dictionẽ censuit cõsiderãda esse exquisita ratione omnia quæ in ægris existũt. atq; nõnulla quidẽ exposuit eorũ à bonis ita exorsus: Bona hęc sũt, facile ferre morbũ, facile

ſpirare, dolorē ſedari, ſputum facile excreari. Tum deinceps ubi ea omnia recenſuit, à malis rurſus exorſus: Mala uero, inquit, his aduerſa habētur, difficulter ferre morbum, ſpirationem magnam & crebram eſſe, dolorem non ſedari, ſputum uix excreari, ſitire admodū, corpus ab igne inæqualiter detineri. Sed hoc tibi & prauorum ſignorum initium doctrinæ eſt ab eo antea proditæ ex prædicta materia quam de excreatione conſcripſit. Vt igitur inquit in his dixi, ita in cunctis agas, nihil omittendo, ſed ſeorſum æſtimando ſingulorum uires indiciorum, deinde ea inter ſe conferendo.

40 Oportet quoq; impetum ſe inuulgantium morborum cito conſiderare, necnon tenere temporis conditionem.

Ad prænoſcenda futura in ægris accidentia, maxime cōducit ſe inuulgantium quoq; morborum cognitio, qui iam præſentes, & itē futuri ſint: diſſeruit autem ipſe breui ſumma in ſententijs qui ſingulis increbreſcant temporibus, quiq; & præſentem & anteactam ſequantur aeris cōſtitutionem. Vere enim (ait) atræ biles, furores, & alij deinde quos enumerauit: qui ueris & aliorū temporum proprij ſunt, quoties ſcilicet proprias ſeruent naturas, Si minus ſeruent, graſſaturos alios ait morbos anteactæ conditioni cōgruentes: atq; docuit quinam ex ijs poſtea futuri ſint, qui uero ſtatim cum prima conditione. De ijs igitur qui poſtea futuri ſint, ita docuit: Si hyems ſqualida et aquilonia fuerit, uer uero pluuiū auſtraleq;: & alia quęcunq; deinceps dicit. De ijs uero quæ in ipſis præſentibus accidant cōditionibus, dum ait: Cōditionum anni ſqualores ſalubriores (quod in totum dixerim) ꝙ imbres, & alia quęcunq; deinceps exiſtūt. Itaq; in ſententijs ſummatim De morbis uulgarijs ſeu uulgariter graſſantib. docuit. In libris uero De morbis uulgarijs ad particularia deuenit. Quanta uero & horum utilitas habeatur, quanq; uideanẽ cōprehendi ſermonibus uniuerſalibus explicabitur in cōmentarijs De morbis uulgarijs ab his ordine perſcribendis. Nunc uero ſummā totius dicā præſenſionis, de qua ſermonē in præſenti dictione Hippocrates fecit. Indicijs enim proditis hoc uolumine Prognoſtico, morborū ipſorū proprijs cenſet adijcienda eſſe ea quæ ex aeris conditione ducūtur. Finge enim aliqua uiſa eſſe indicia ex ratione morbi ſanguinis fluoris, eſſe uero et tempus uernū: adhuc magis ſperabis fore ſanguinis fluorem. ꝙ ſi præſens quoq; cōditio calida & humida fuerit, multo ſanè magis. & item præteritorū duorum uel triū temporū aeris conſtitutio ſi ſanguinē gignat, adhuc etiā magis ſperabis fore ſanguinis fluorē. Vt igitur ſermo de ſanguinis fluore, ita & de omnibus alijs eſt. Sed abunde erit dicere ſingulare exemplū futuri ſudoris: Per æſtus ſqualētes febres ꝓpe dixerim ſine ſudore eueniūt: per imbres cū ſudore magis infeſtāt. Itaq; cōſtat ut præter alia ſigna quęcūq; ægrotationis ꝓpria habētur futurū demōſtrātia ſudorē, ambientis pręterea aeris cōditio accedēs ſpē futuri ſudoris firmiorē ſubſcribat.

A De ſignis & indicijs quonam modo differant inter ſe: & item aliqua de temperie regionum. Cap. IX

41 Probe uero peritū eſſe oportet de indicijs certis ac ſignis alijs, ſciendūq; ut quouis anno & quouis tempore mala malum, bona bonum denunciant.

Non apud medicos ſolum, ſed etiā apud rhetores quęri agitariq; ſolet quonam diſcrepet à ſigno indiciū certū ꝗd Gręci τεκμήριον uocant: quęſtione non in uerbis ſolū habēte locū, quemadmodū aliubi, ſed etiā res ipſas attingēte. Oportet eñ duplicē quandā inueniri naturā rerū ex quibus medici præſentiunt: rhetores demōſtrant aut ſuadēt. In ijs igiẽ quę ſumunẽ in demonſtrationes, ſiue ſcien-
B tiarias, ſiue ueriſimiles, differētia una eſt neceſſaria, & aſſidue habens alterū alteri ſubſequens, ex quibus propoſitio cōficitur. alia uero non neceſſario, nec aſſidue, ſed magna ex parte dūtaxat. Quin etiā ex alia differentia, hęc ex obſeruatione empirica, illa ex rationali ſequela eſt: quod ſanè eſt demonſtratio. Hæc igitur rerū differētia habetur: nominibus uero in eis non omnes ęqualiter uſi ſunt: ſed elegantiores (prætereo enim ſponte alios) in prima ſectione de eo ꝗd perpetuū eſt, unūquodlibet indicans, cenſent utendū indicij certi appellatione: ſignū uero nominant alterū. in ſecūda uero ſectione, quod ex obſeruatione eſt, ſignum: quod uero ex demonſtratione eſt, indiciū certū dicunt. Cæterū ut autores ita nominibus utanẽ, nō medi-
C cis ſolum ſcire utile eſt: ſed etiam illis quibus arte cōgruit græcizare. At uero ut ad demōſtrationes ac præſenſiones prædictā rerū differentiā cognoſci, utiliſſimū ſit, perſpicuum cuiuis eſſe exiſtimo. Sed utrū ambo ſuā aſſidue ſeruent uim, quęcunq; bonū denunciant, & quæcunq; malū: dignū conſideratione eſt. Ipſe igiẽ in ſentētijs dixit: Per morbos minus ij periclitanẽ quorū naturæ morbus cōuenit, & ætati, & habitui, & tēpori, ꝙ quibus non cōuenit aliqua ex his ratione. Hoc igiẽ non diſcrepat ab eo quod nunc eſt proditū. Malū enim aliquod ſignificare dixit aſſidue mala indicia: non tamen ut ſimiliter, aut ut nō ſimiliter inſuper adſcripſit prædicta ſententia: neutrū aūt transfert in cōtrariam naturā: ſed hoc in ipſis magis minuſq; exi-
D ſtere dicit pro natura, ætate, & alijs quæcunq; enumerauit. quocirca ex hoc nequaquā ab Hippocrate contraria dicētur. Illud uero magis pugnare uidetur, dum ait: Iis quæ non ex ratione leuant, confidendum non eſt: nec metuenda admodū ea quæ præter rationem incidunt mala. Hęc enim magna ex parte infirma ſunt, nec perſeuerare aut immorari diutius ſolēt. An idipſum eſt propter quod etiā adſcripſit nunc nobis propoſitā dictionem? Accidentia enim quędam de prauis in bona, atq; etiam de bonis in praua mutantur: ſigna uero nequaquā uerti natura in contrarium ſolent: ſed magis ac minus aut malum aliquod ſignificare, aut bonū: non tamen nunc bonū, rurſus uero malum: aut malum nunc, rurſus uero bonum. Igitur quæcunq; in urina docuit eſſe mala ſigna, hęc haud unquam bona

euadent

euadent:quemadmodum neq; bonum ullum,malum. Itidem quæcunq; de screationibus uel deiectionibus tanq; bonis aut malis dixit,nullũ in cõtrariũ uertitur. Pari modo nec quæcũq; circa uultũ fieri docuit signa aut ex colore,aut mole,aut figura,atq; etiã decubitu,deq; liuidis aut nigris partibus,aut alia quauis tali affectione. Omnia enim uim retinent propriã,non secundũ scilicet magnitudinẽ(antea enim dictum est ut recipiat maioris minorisq; discrimẽ)sed secũdũ genus, propterea quod nullum bonũ ad genus euariat malorũ, nec ullum ex illis ad genus bonorũ,quoties scilicet cũ proprijs finitionibus considerantur. Non tamẽ in accidentibus ita res habet. Quidam enim spirant difficulter,atq; etiã delirant, & ilia conuelluntur, ac splendorẽ intueri credunt,& obuersari tenebricosa quædã ratione iudicationis. Quinetiã ostiolum uentriculi dolore afficitur, & infernũ labrum intremiscit:& abscessus secundũ auriculas, aut aliquo alio loco erũpit. Constat enim ut hæc omnia quãdoq; eueniant(ut diximus)ratiõe iudicatiõis: quandoq; uero grandescentibus morbis comitẽtur. Ita fit ut illud sit ab eo merito proditũ: Decretoria haudquaq; decernẽtia partim inferent mortem,partim difficilẽ iudicationẽ. Sed de huiusmodi omnibus tum alio loco,tum etiã lib. De iudicationibus perpẽsum est:ita ut nihil insuper ad præsensionem desideref. & ob eam rem quod assidue moneo,nunc quoq; persequi nõ dubitabo. In primis quidẽ maximeq; studendũ præcipio, discere quæcunq; medicinalis artis officia sunt: alia uero quæcunq; partim in uoce ac significatiõe quæstionem habẽt,partim rationalẽ comitanf contẽplationẽ:post,& in maiori ocio aggredi,quemadmodum & nunc de significationib. uerbi indiciũ, certum ac signũ. Cum ẽm quod ad artis officia utile est,dictũ mihi sit, adjiciã aliquid consequẽs & de horũ enarratione,aliud ab ijs quæ ante dixit:id uero tale est: De accidẽtib. decretorijs afferri uerbũ signũ cõuenit,indiciũ uero nequaq; conuenit. Sola ẽm illa signa simul & indicia nominanf, ex quibus licet certo cõijcere aliquid de salute et internitione ægri. quæ cõprehendẽs uno capite dicet aliquis esse notas uiriũ gubernantiũ corpus,quo pacto robore ualeant aut deficiãt: in quibus scilicet cruditatis etiã aut cõcoctionis signa cõtinentur: ex accidentib,uero decretorijs nullum talem habet naturã,sed indicant fore iudicationẽ,ut per excretionẽ,aut abscessum:& ad hæc,per quã excretionẽ,aut abscessum, uerbi gratia, sanguinis fluorem,aut uomitionẽ,aut abscessum qui propter articulos erũpat. Sed utrũ bona iudicatio futura sit, an mala:per hæc signa nequaquã colligere licet. Constat ẽm ut omnes tales iudicationes nihilominus in bonum q; in malũ finiantur:docuitq; nos finitionẽ earũ firmissimã,nõ ex quibusdã accidentibus ductã,sed ex quibusdã signis certisq; indicijs. Concoctio ẽm(dicit)celerẽ iudicationẽ, securam sanitatẽ significat. Cruditas uero aut incoctio, & cõuersio malũ abscessum,aut non fore iudicationẽ, aut tẽporis longitudinẽ,aut dolorem,aut mor-

A tem,aut horũ ipsorũ recidiuas ostendit. Quocirca fore iudicationẽ,ex accidẽtibus decretorijs (quæ etiã signa decretoria nominari cõuenit) præsentire possibile est. Sed utrũ in bonum an in malũ iudicatio sit abitura, per concoctionẽ cognitio est: quæ rursus haudquaq; fore iudicationẽ præmonstrat,sed cõualiturum hominem aut moriturum. Cæterũ & hęc tibi erit ad eas quę proditæ sunt,appellationũ alia enarratio una cum rebus utiliorib. ad artem prodita. Itaq; memineris, ut signa quoq; decretoria accidentia genere existant indicãtia futuras excretiões aut abscessus: hæ uero causæ sunt ut morbus soluaf, aut ut exoluaf facultas, primaria ratiõe:sed ex accidẽti signa quoq; existunt.

B 42 Constat ut in Libya, in Delo, in Scythia hæc prædicta signa uera sint.

Non secundũ solitã sibi breuitatem de terris habuit sermonem. etenim prælatæ dictioni duabus adiectis syllabis, nihil insuper hac dictione opus fuit. Igitur adijciens ego eas, ostendã qualisnã sermo fuisset:Probe uero peritũ esse oportet de indicijs certis ac signis alijs, sciendũq; ut quouis anno & quouis tẽpore & terra,mala malũ, bona bonũ denũcient. In hac dictione uerbũ terra adijciens, indicaui tibi superuacuã esse nunc proditã dictionem. Nihil ẽm aliud per eam ostẽditur, q; ut signa tum bona, tum etiã mala sibijpsis idem alterutra denunciẽt quouis tẽpore, siue calidũ, siue frigidũ, siue tẽperatũ sit. Libyã enim tanq; calidã: Scythiã C tanq; frigidã, Delum tanq; temperatã mediamq; inter utranq;, gratia exempli commemorauit.

Quo pacto præsensiones medicorũ in morbis ratæ sint. Cap. 10

43 Sanè itaq; sciendum est ut in his ipsis terris multo plura cõsequi nequaquã difficile sit, siquis ediscendo ea iudicare & recte colligere sciat.

Quod nos antea diximus ex usu oratiõis, id hoc loco Hipp. scripsit: ut si recte ediscas uires indiciorum, quanquã non assidue exquisita ratione præsentias futura, tamẽ ratæ præsensiones multo plures erunt irritis præsensionibus. Qua in re & alter altero peritior est in cuiuslibet rei præsensione. Nunq; enim allucinari, supra captũ hominis est: D sed quamminime oberrare, solius artificis est. Sed cũ magna uel ea in re diuersitas habeaf, qui uicies præsentiendo oberrat semel, multo melior est q; qui decies prædicendo, oberrat semel: ipso uero hoc rursus melior is est qui centies præsentiendo oberrat semel: queadmodum rursus q; is ipse melior est qui ducenties præsentiẽdo oberrat semel. Igitur nõ recte nos interrogãt Empirici, utrũ theoremata quæ magna ex parte eueniant, adiectione rationis certa ac perpetua faciamus. Deinde non ualentes demonstrare, existimant coarguisse tanquam ex superabundanti rationem adijcientes. Nam si non perpetuo, certe sæpius q; illi, finem artis cõsequimur, quemadmodum præsentiendo futura in ægris, ita etiam illis medendo.

44 Expetere uero oportet nullius no-

men morbi: si non hoc loco perscriptũ sit. Omnes enim qui temporibus prædictis iudicentur, his ipsis agnoscas signis licebit.

Id mihi uidet adiecisse in calce oratiõis, quia de morbis acutis & alijs quicũq; ex his fiunt, hoc loco præceptũ esse commonuit. Itaq; memor quòd permulta signa à se prodita, tũ bona, tum etiã mala, simpliciter dicta de cũctis in commune morbis sunt, pauca uero de quibusdã definitis: hoc in animũ etiã nobis reuocauit, adijciẽs nihil esse per sermonem omissum: quod forsitan nos falsum existimauissemus, quoniã quorundã habuit mentionẽ nominatim, aliorũ nõ: id enim ipse indicat nõ temere à se factũ, nec sine aliqua causa. Sed quoniã præter alios quidã morbi præceptis egebãt proprijs, ob eam rem eorũ mentionẽ habuit seorsum: omnes alij omissi, sub cõmunib. signis collocãtur. In primis ab eo perscriptũ quem appellãt uultum exitiosum in omni morbo acuto, exitiosum esse, uere dictũ est. Pari ratione quæcunq; de accubitu scripsit, aut spiratiõe, aut somno, aut insomnia, aut alijs quæcũq; cõmunia sunt omniũ qui prædictis tẽporibus iudicant. Non enim de diutinis cõmentarium est, sed (ut ipse dixit) acutis & alijs qui ex illis consistãt: quorum tẽpus ipse etiã indicauit, in quibusdam uigesimũ diem, in quibusdã quadrasimum aut sexagesimum terminum ponens.

CL. GALENI DE DINOTIONE EX INSOMNIIS LIBELLVS.

Iano Cornario Medico interprete.



INSOMNIVM indicat nobis corporis affectionẽ. Etenim si quis uideat per insomnium Incendium, à flaua bile uexatur. Si uero fumũ, aut caliginẽ, aut profundas tenebras, ab atra bile. Imber autẽ frigidam humiditatem redũdare indicat. Nix & glacies, & grando, pituitam frigidam. Oportet autem attendere etiã temporis occasioni, & accepto alimẽto. Qui eñ niue impeti sibi uidet, si in exacerbatiõis accessione, cũ rigore, aut horrore, aut perfrigeratione fiente, hoc fuerit imaginatus, maiorẽ partẽ temporis occasioni, nõ corporis affectioni attribuere cõuenit. Qui uero circa declinationẽ huiusmodi insomniũ uidit, firmiorẽ nobis indicationẽ præbuerit humorũ prædominantiũ frigiditatis: Atq; hoc magis si nõ pituitosa aliqua edulia ederit, quibus in uentriculo cõtentis, fieri potest ut huiusmodi aliqua imaginatio cõtingat, & quidẽ quũ in toto corpore nõ sit similis affectio. Quandoquidẽ uero in somno, non ex corporis solũ affectionib. anima imaginat: sed etiam ex his quæ à nobis quotidie cõsueto more peragunt: Aliquãdo uero ex his quæ curauimus ac cogitauimus: Et sanè quædã ab anima ipsa uatidice præmonstrant: Nã & huic rei experiẽtia ipsa testimoniũ præbet: difficilis sit dinotio insomniorũ quę ex corpore proficiscũt. Si quidẽ cũ ab his quæ quotidie peragunt, aut q̃ curamus ac cogitamus, ipsa solũ discernere oporteret, nihil esset difficultatis, quę neq; peracta sunt, neq; cogitata, ea ex corpore proficisci putare. Quãdo uero etiã uatidica quædã esse cõcedimus: quõ hæc ab illis quæ à corpore proficiscunt discernãtur, haud facile dictu est. Vidit itaq; quidã per insomniũ, alterũ crus sibi lapideũ factũ esse, et plerič; circa eiusmodi iudicãda excellentes, hoc insomniũ ad seruos pertinere iudicarũt. Verũ resolutus factus est is homo eo crure, nemine nostrũ hoc expectante. Luctatorem equidẽ qui sibi uisus fuit in sanguinis solio stare, & uix supereminere, multo sanguine abũdare cõiectamus, & euacuatione opus habere. Porrò quidã quũ sudor iudicatorius ipsis affuturus esset, in calidarũ aquarum solijs lauari ac natare sibi uisi sunt. Et sic adeo bibẽdi imaginatio citra repletionẽ, ualde sitientibus cõtingit: queadmodũ etiam inexplebiliter edẽdi, famelicis: & uenerẽ exercẽdi, semine repletis. Verisimile est enim quòd anima in somnis ad corporis profunditatem ingressa, & ab externis sensibilibus digressa, affectionem in corpore sentiat, & omnium quæ id appetit, eorum uelut iam præsentium imaginationem capiat. Et si quidem hæc sic se habent, nihil miri fuerit, quum animalis facultas ab humorũ multitudine grauata uexat, aliquos uix mouere se posse, per insomnium imaginari, et grauia quędam onera gestare. Et uice uersa quũ leuis fuerit, & excremẽtorũ exors corporis affectio, eos qui sic affecti sunt, aut uolare aut uelocissime currere, per insomniũ sibi uideri: ita ut animæ imaginatiões corporis affectionib. semper assimilent, usq; quo ad graueolẽtia aut odorata peruenire se putẽt. Nã qui in stercore & cœno uersari seipsos imaginant, aut uitiosos & graueolentes ac putrefactos humores in se habent: aut stercoris copiam in intestinis contenti. At uero eos qui contrario his modo afficiũtur, & in odoratis locis uersari sibi uidentur, contrariã habere in corpore affectionẽ putandum est. Proinde quæ in insomnijs uident ægroti, & quæ se facere putant, ea plerunq; inopias, & redundantias, ac qualitates humorum nobis indicant.

ARGVMENTA CAPITVM QVATVORDECIM LIBRI GALENI DE PRAECOGnitione, ut Leonardi Iachini translationi inserta sunt.


Cap. I. Deflet suorum temporũ conditiõnẽ, quũ ob inscitiã & molliciẽ animi, legitimis artibus præteritis, adulatoriæ in honore habebãtur. II. Quantũ in præcognitione eorũ, quæ Eudemo euentura erant, & curatione reliquos medicos superauerit. III. Qua uia crisim Eudemo affore præcognouerit. IIII. Medicorũ, qui Romæ clari habebant, mores & uitæ rationẽ omnẽ, Galenum Eudemus docet. V. Breuis summa eorum quibus

A quibus per dissectiones demõstratis perperã de uoce & respiratione sentiẽtes redarguit. VI. Quod in deprehendendo mulieris amore, Erasistratum quoq; deuicerit: deq; Oeconomo, quem ex timore cõtabescere coniecit. VII. De Boethi filio, qui sæpius in morbum reciderat, q̃ solerter, id ex cibis plus iusto ingestis, illi euenisse coniecerit. VIII. De Boethi uxore, quæ muliebri profluuio laborabat, quæq; in eius curatiõe sint peracta. IX. Galeni in patriam reditus, & rursus Imperatorũ iussu remigratio. X. Crisim sexto prædicit, tum modum, tum horam, tum recidiuam. XI. Quantum in deprehendendo ex pulsu accessionis principio exercitatus foret in Marco Imperatore monstrauit.

XII. Agnoscit ex pulsu phlegmone uexari Commodum: & Diatriti legẽ irridens, ante suspectas horas, ad uictum quo sanus utebatur, traducit. XIII. Ex Hippocratis disciplina præuidit fluxurum sanguinem, & ex utra nare. XIIII. Quod in Oeconomo pulsum per naturam intermittere nouerit: & quæ sit huius inuestigandi ratio.

CL. GALENI DE PRAENOTIONE LIBER.

Iano Cornario Medico Physico interprete.



VULGUS equidem medicorũ, chare Epigenes, fieri posse negat, ut ægrotis futura in singulis morbis prænoscamus. Ex quo enim hi qui uideri magis q̃ esse studio habent, non in medicina solũ, sed etiã in alijs artibus, inualuerũt, neglectæ sunt optimæ artes, & hominũ studia huc conuersa sunt, ut tũ dicentes, tũ facientes omnia ad delectandũ, uulgi existimationẽ omnes uenent. Nimirum blande adulantes, quotidie salutantes, diuites & potentes in urbibus deducentes, domũ redeuntes eosdẽ comitantes, satellites ac scurras inter cœnandũ agentes. Quidã uero non per hæc solum, sed uestiũ etiã ac annulorũ sumptu, & comitũ frequentia, & uasorũ argenteorũ apparatu, idiotis persuadẽt, se admiratiõe dignissimos esse. Per hæc igitur omnia partim delectantes, partim homines imperitos cõsternãtes, qui uidelicet recto rerum iudicio carent, multa bona uelut ipsi putãt consequunt. Verũ mea sententia, quũ uera bona sint alia, ipsi falsa suspiciũt. Quũ uero tales sint, etiã alia præter legẽ delinquere non cessant, & breuissimo tẽporis spatio artes se docturos esse, pfitẽtes, multos discipulos cõtrahunt: Ex quibus etiã ipsis potentia in urbibus, in quib. degũt, accedit. Atq; hæc quidẽ in cõmuni omniũ artiũ infelicitas est nostro hoc seculo. At medicinæ calamitas multifaria est. Verũ unam quandã in ipsa proferre statui, ad me uel maxime pertinentẽ. Etenim ubi quis medicus legitime institutus in arte, aut delyriũ futurũ in ægroto, aut rigorẽ, aut in somnũ delationẽ: aut sanguinis eruptionem, aut iuxta aures abscessum, aut quauis alia parte, aut uomitũ, aut sudores, aut aluũ exturbãdã, aut syncopã, aut tale quippiã prædixit, peregrinũ hoc & monstrosum uulgo nõ audire adsueto uidetur. Et tantũ abest ut is qui talia prædixit, in admiratiõe apud ipsos sit, ut bene secũ actũ putare debeat, si nõ pro præstigiatore habeat. Cæterum pauci quidã ex his nõ damnãt quidẽ talem speculationẽ, uelut quæ fieri non possit. Verũ statim interrogant, & ipsum qui predixit, & alios medicos, Num etiã priorib. tale quid inuentũ fuerit, aut solũ ipsius qui predixit sit inuentũ. Huic igitur necessario sequit, medicos quidẽ suam ignorantiã occultantes, fortassis autẽ quosdã etiã reuera ignorantes, pronũciare nihil tale ulli priorũ proditum B esse, & præstigiatorẽ esse qui talem prædictionem ostẽtat: Ipsum uero illum qui prædixit neq; dicere audere, q̃ multi priores, & maxime Hipp. omniũ bonorum nobis autor, de his scripserunt, ob reuerentiã pręsentiũ medicorũ, et odij suspicionẽ, neq; quod ipse inuentor sit, Nam hoc mentiret, & magis ab ipsis odio haberetur. Inexplicabili itaq; hic quæstione irretitus, cũctando insuper ac meditando auget præstigiarũ suspicionẽ. Demũ uero inuidiam in seipsum cõcitat, ut insidiæ ipsi ab illis struant. Et primæ quidẽ insidiæ per uenena fiunt. Secundæ sunt illæ quibus Quintus præstantissimus suæ ætatis pressus est. Eiectus est eñ ex ciuitate uelut qui ægrotos occideret. Quare ex duobus alterum pati necesse est eũ qui philosophico animo & C pro Asclepiadarũ dignitate artẽ exercet, aut ut fugatus uelut Quintus splendida prænotionis præmia reportet: aut ut palã calũnijs expositus, si quidem minus audax fuerit, partim se excusando, partim formidãdo, leporis uitã uiuat, ita ut semper tremat, et se quid passurũ esse expectet, supra id quod etiã præstigiarũ suspicionẽ auget. Si uero constantior fuerit, & illis se opponit, & solus aduersus multos uersutos homines, & multis improbis modis exercitatos pugnat, ipse eruditione ac disciplinis cõfisus, & talium malorũ inexpertus: duorũ alterũ rursus cõtinget, aut ut dominio ipsorũ pressus, de cætero inter illos sit in quęcunq; uelint usum paratus: aut siquidẽ diutius restiterit, & bona fortuna usus cõcertauerit, ut perpetuo belligeretur, & bel-D lo urgeat omniũ pessimo, intestino appellato. Proinde in multis ita institutis, itemq; alijs qui ueritatem sinceriter colunt, non externi alicuius gratia, sed ipsam propter seipsam, necesse est contingere, ut quũ semel experti fuerint tẽporũ suorũ improbitatẽ, manifesteq; cognouerint suam apud homines inutilitatẽ, subducãt se ex turba, & uelut in magna tẽpestate ac uentorũ procella, seipsos saltẽ seruare satagãt. Atq; hi uulgo quidem ignoti sunt, uerum noti maxime amiciq; sunt primũ omniũ dijs, deinde optimis quibusq; hominibus, in quiete uitam degentes, ac improbis illis apud uulgus hominum ut in honore sint permittẽtes. At uero horum omniũ causa sunt hominib. diuitũ ac potentũ in urbibus deliciæ, qui uoluptatẽ præ uirtute colentes, nullã rationẽ habent eorũ qui aliquid boni

nouerunt, alijsq; exponere possunt. Verũ toti dediti sunt his qui uoluptates suppeditant, & hos ditant, ac admirantur, & in altũ euehunt, adeò ut saltatorũ & aurigarũ imagines prope deorũ statuas collocent. At uiros doctos in tantũ colunt, quantũ ipsis opus habẽt. Quod em̃ in unoquoq; bonũ est nõ cõsiderant, neq; ea quæ uere admirãda sunt admittunt. Sed geometria ac numerorũ scientia, ad sumptus supputãdos, & domos extruẽdas utunt. Astronomia uero ac uaticinatiõe, ut præsciãt q̃rũ hæredes futuri sint. Queadmodum etiã musica, ad auriũ uoluptatẽ. Verũ demõstratiuæ speculatiõis philosophiã, quæ omniũ horũ dominiũ habet, nihil curãt: preterq; q̃ rhetores quosdã necessitas adducit, ut improbitatis instrumento, sophistica appellata speculatione utant. Nã philosophiã ipsam nõ audiunt, sed omniũ disciplinarũ inutilissimam putãt, & tale quiddã quale est miliũ perforare. Hi itaq; sunt qui etiã medicinæ necessariũ saltẽ usum sperãt, & neq; hunc recte, uerũ sicut Plato dicit. Si cõtingat ut apud pueros, aut homines imprudentes, medicus & coquus iudicium subeant, coquus non paulo plus suffragiorum ferat.

11 Hęc igit cũ ego ignorarẽ in priore mea Romã profectiõe, nihil suspectũ habens ostẽdi nõ nudis solũ uerbis, sed etiã ipsis operibus, futurorũ & prę notionẽ, & curationẽ, donec tale quid accideret, uelut nosti tu, qui maxime præsens per totũ morbum, ab initio ad finẽ usq;, Eudemo peripatetico philosopho ægrotãte fuisti. Incepit em̃ die quadã post balneũ, inæqualitas quædã ipsi, & horror ab hora octaua, ob quẽ coactus à cibo abstinere, cum postridie inculpatè degeret, opinatus est tutius esse ut horã octauã transmitteret. Vbi uero circa ipsam nihil graue ingrueret, & usq; ad nonã & ultra à cibo abstinuisset, nulla mutatio apparebat. Itaq; & lauit, & parũ cibi assumpsit, ac tertia die pro more nos accessit. Verũ securitatis ergò uisum est ipsi & in illa die horas suspectas trãsmittere. Lauit igit post nonã, & quãtũ bene ferre posset nutritus, cõfidebat nihil mali grauioris sibi fore. Quarta uerò die nobiscũ cõgressus, cũ ad balneũ se pararet, ridẽs simul ac respiciẽs ad te, utrũ inquit, & quarta hac die securius est octauã horam trãsmittere, aut balneo iã utẽdũ est? Tu itaq; uelut nullo malo imminẽte, lotũ abire iussisti, uelut etiã alij oẽs pręsentes. ego uerò solus tacebã. Percunctãti uero ipsi de silẽtio respõdi, nõ esse mihi perfectè à suspiciõe liberũ eum diẽ. Nam prima die quãdo me pulsum tangere iussisti, principiũ quartanarij circuitus factum fuit. Cum aũt nunq; antea pulsum tuũ naturalẽ nouerim, qualis tandẽ sit, (sine q̃ fieri non potest, ut quis modicas ipsius ad præternaturalẽ statum mutatiões clarè cognoscat) nihil pronũciaui, sicut neq; nunc quicq; amplius habeo quod dicã, præter suspicionem tũc mihi obortã. Lauit igitur ut bene ferret, & nutritus est moderate. Deinde circa uesperã ubi me accersiuisset, & rursus pulsum ipsius tãgere iussisset, eandẽ sententiã ex me audiuit, quã & ante balneũ, & adhuc magis cõfidenter q̃ tunc. Propter hoc igit uisum est ut septimũ deinceps futurũ ab initio diẽ, quartũ uero ab illa diligẽtius obseruaret. Itaq; domi diuersans, & lauit, & cibos assumpsit, pluribus uelut nosti perfecte ipsum à febre liberũ esse asserẽtibus. Ego igit interrogãti tibi suspicionẽ meã, nam & huius omino meminisse potes, nunc dixi q̃ longissimi cuiusdã quartanarij circuitus præludiũ ipsi accidisse scias. atq; ita secessi, quũ uisitandũ haberẽ ægrotũ quendã circa uesperã, non prope habitantẽ. At lotus Eudemus, statim quidẽ cibũ accepit, nõ lõgè uero postea calorẽ sensit per totũ corpus, quẽ ob potũ assumptũ factum esse ratus (Vinũ em̃ uetus biberat) postri die hoc ipsum familiaribus medicis narrauit. Qui quũ & ipsi in uinũ culpã prompte reijcerent, nihil amplius mali fore arbitratus, quarta die post factũ calorẽ lauit, & cõsueto more cibũ accepit. At palã iã febrire auspicatus, quartanæ circuitũ esse credidit: laudabat aũt hinc solum me, uelut qui exactã tangendi pulsus rationẽ tenerẽ. Nam antea in philosophia tantum memorabile quid posse me crediderat, uerũ in medicina obiter uersatũ esse. Etem̃ & patri ad philosophiã me adducẽti per manifesta somnia pręceptũ fuisse audiuerat, ut me ad medicinã ediscendã adhiberet, nõ uelut ad disciplinã obiter attingẽdã. Et ad hoc accidit tũc ex fortuna quadam, uelut nosti, ut homo quidã in principio autumni ex morbo acuto laboraret, & deinde circa refectionẽ uiriũ ad quintã horã febrire inciperet, ad quẽ uisitandũ accersitus te præsente pronunciaui, manifestissimũ quartanarij circuitus impetũ esse. Quum em̃ iuxta proportionẽ per quartã febris in ipso rediret, & prædictionẽ illã à me factã ex te Eudemus audiuisset, adhuc magis persuasus est ad fidem mihi habendã. Quare quũ exacerbatio iuxta circuitũ in magnitudinẽ progredere, conuocatis optimis in urbe medicis, rogauit ipsos ut de morbi curatiõe cõsiderarẽt. Ego uero ultro relictus sum, quũ uerbis cum ipsis cõtendere nollem. Vbi uero prætãtissimis ex ipsis uisum esset, ut ipse theriacã mane biberet, illa die qua quartanæ futuræ exacerbatio expectare, digressis ipsis ut scis, te præsente interrogauit me, quã spẽ de pharmaci usu haberẽ. Nosti igitur quõ ipsi nihil ambigẽs responderim, q̃ non solũ nihil ꝓfuturũ esset pharmacũ, sed etiã duplã quartanã effecturũ. Et quærẽti ipsi huius responsi mei causam, inconcoctũ adhuc morbũ esse dixi, & medicamentũ hoc crudos uitiatos humores, & maxime hyemis principio, ad turbationem quidẽ adducere posse, nõ tamẽ aut cõcoquere, aut discutere perfectè. Hæc igitur ego Eudemo respõdi. Postridie uero mane aderãt apud ipsum illi, & nobis nondũ pręsentibus, pharmacum dederũt ipsi uerenti exponere ea q̃ ex me audierat, simulq; uidẽti ipsorũ instantiã, omnib. nimirũ præsentibus medicis, pharmaci assumptionẽ non parũ profuturam esse promittẽtibus. Quũ autẽ exacerbatio fieret eadẽ hora, aliquãdo ita contingere dixerunt in prima potione, ut moueat & cõcutiat morbus, fore aũt ubi iterũ biberet, perfecte ut liberet, si similiter in die qua quartanæ exacerbatio expecter, mane ipsum assumeret. Atq; illi his ipsis dictis bona spe

ſpe diſceſſerāt. At quartana nō expectato ſequēte circuitu, ex improuiſo irruit octaua hora, fortior ꝙ pridie fuerat. Mane igiť illis reuerſis uelut noſti, ſecundo pharmacū exhibendū eſſe uiſum fuit. Et ſane dato ipſo in die æquali, ad proportionē, uelut in priore exacerbatione, diſceſſerūt. Itaq; & æqualis proportiōe priori exacerbationi contigit, & poſt hanc rurſus alia exacerbatio. Quare ad ueſperā interrogauit me, quā haberē futurorū expectationē. Ego uero ut ſcis, explorato arteriarū ipſius motu, Nunc quidem inquam, fieri non poteſt ut certi aliquid tibi ad interrogationē reſpondeā, mane uero fortaſſis quod dicā habebo, ubi uidero omnia tibi per noctē mingenda. Mane igiť accedēs, & cōſpicatus ipſa, & ſi quid rurſus interim mingeret adſeruare iubēs, me circa quartā horā rediturū eſſe dixi. Et ſanè reuerſus, ut uidi urinas, inſuperq; pulſus exploraui, tertiā quartanæ exacerbationē ferè circa eandē horā ipſi affore ꝓnunciaui. Ego itaq; diſceſſi. Paulo uero poſtea Eudemū uiſitaturi acceſſerūt Sergius & Paulus, qui nō longe poſtea prætor urbis factus eſt, & Flauius ipſe quoq; iā cōſularis, & ſtudioſus philoſophiæ Ariſtotelicæ, uelut etiā Paulus. Quibus quū ōmia de me Eudemus receſuiſſet, reſtare inquit, prædictionē hodie futurā de futura exacerbatione, ut ipſam obſeruet quō ſit euentura. contingēte uero & illa circa eandem horam uelut prioribus, Eudemus mirabať, & uiſitantib. ipſum omnibus prædictiones meas recenſebat. Erant autem hi omnes ferè qui & dignitate & eruditiōe in urbe Romana præſtabant. Boethus igitur quū ad ſummū circa ſecādi corpora artē me progreſſum feciſſe audiuiſſet, rogabat me ut oſtenderē ipſi quippiam de uoce ac reſpiratiōe, quō fieret, & per quæ inſtrumenta. Vt igitur cognouit nomen meum, & hoc ipſum Paulo narrauit, poſt factum experimentum, rogauit & ipſe Paulus me, ut oſtenderem ipſi quoq; aliquid. Nam & ſe omnino auere aliquid uidere ex his quæ in corporū reſectionibus apparēt. Similiter & Barbarus Imperatoris in Meſopotamia Lucij auūculus rogabat aliquid diſcere, uelut etiā Paulus. Poſtea uero etiam Seuerus & cōſul, & philoſophiæ peripateticę ſtudioſus. Quomodo igitur res circa corporū reſectiones tranſacta ſit, paucis cōmemorare tibi opus fuerit, ſed paulò poſtea, quū ōmia ꝓbe memoria teneas. Ad Eudemū nūc redeo. Hic afflictus à tribus quartanis febribus, à medicis iam ꝓ deſperato habebať, media hyeme inſtante. Ego uero & uelut pręceptori, ſed & ob uicinā ipſi habitationē, quū prope domū haberē, neceſſe habui ut uocanti ipſi bis in die adeſſem. Hoc uero tempore deridebat me Antigenes, unus ex Quinti diſcipulis, & qui cum Marino quoq; couerſatus fuerat, & primas inter medicos tenere credebatur, omniūq; multū potentiū medicus erat. Hic haud ſcio qua de me opinione cōcepta, ad laudantes me per riſum dixit, paulò poſtea ipſos cognituros eſſe quem laudarent, ubi efferri Eudemum uiderint. atq; hæc dicens modo ad idiotas præſentes ſermonē cōuertebat, modo ad medicos reſpiciēs dicebat, Eudemū ſexageſimū tertiū annū agētem tres quartanas febres in media hyeme habentē, cu-

A raturum ſe polliceť Galenus? Tu igitur chariſſime Epigenes, & poſtea de ipſo prædictiones, & curationē, ſcio quō prædicare nō deſtiteris. At mihi tūc inuidiæ principiū emerſit, & ob uitę integritatē, & propter artis opera, in admiratione cōſtituta. Nam ex tribus quartanis eam quæ prima incepit, in hac die deſituram eſſe præfatus, in admiratione eram. Quū autē & ſecundæ ſolutionis præfinitū tempus uere prædicerem, omnes conſternati ſunt. In tertia itaq; dijs uota fecerūt ne mihi ſuccederet. Vbi uero & illa deſiiſſet in prędicta à me die, nō modo ob prædictiones, ſed etiā propter curationē, gloriā & exiſtimationē adeptus ſum nō paruā. Itaq; Antigenes tantū nō ſub terrā ſe occultabat, propter maledicta in me petulanter effuſa. Similiter ipſi & Martianus, qui & ipſe illo tēpore, & antea ꝗq;, uelut artis ſecandi corpora peritiſſimus, magnam apud iuuenes medicos gloriam adeptus erat. Habebātur autem in manibus duo libri reſectionū ab ipſo cōſcriptarū. Aegre autem ferebat & ipſe ea quæ Eudemus dicebat, ꝙ non ſolū laudādus, ſed ab omnibus mirifice uenerandus eſſem: non eñ ex medicina prædictiones eas eſſe, ſed ex uaticinatione fieri ipſas à me calumniabať. Et quū quidā interrogarēt quam nam uaticinationē diceret, quandoq; augurīū, quandoq; extiſpiciū produxit. aliquādo etiam cōiecturalem aut mathematicā. Poſtremū uero tale quid apud Eudemū contigit, ueræ quartanæ die inſtante, in qua perfectā liberationē ipſi fore prædixerā. acceſſit Martianus ad Eudemū hora nona, & quū paulo uehementiorē, ſed multo priore exacerbatione maiorē, eam quæ nunc adeſſet exacerbationē eſſe dixiſſet, ſtatim abijt, hilari frōte oſtendens ſe palam gaudere, uelut non ſuccedente mihi prædictione.

B

C

III At Eudemus ſentiens aduerſam morbi tolerantiā, qualem nunꝗ antea ſenſerat, & cōfidens tamen de me, quē minime decipi poſſe ſperabat, alterius quoq; cuiuſdā medici aduentum expectabat. Adueniente uero nō uno ſolū, ſed duobus ac tribus, omnes eñ obſeruabant prædictionis euentū, optantes uel in tertia quartanæ & prædictionis, & curationis meæ ſucceſſum falli, Eudemus etiā illos rogauit ut pronunciarēt: quō res ipſius ipſis habere uiderentur. Quū autē eandem reſponſionē quā Martianus fecerat audiuiſſet, animaduertiſſetq; ſimiliter et illos uelut Martianū, hilariores redditos, iam tum intellexit etiā ipſe gaudere eos, uelut de prædictione ac curatione nō ſuccedēte. Poſtꝗ uero ego præter morē diutius cunctarer, in uiſitatiōe cuiuſdā occupatus, miſit ad me frequenter prope uelut dixi habitantē, uolens & à me iudicari morbi aduerſam illā tolerantiā quā habebat. Me igiť præſentē neq; cōſedere permiſit, ſed ſtatim manū extendens, pulſus tāgere iuſſit. quos ubi tetigiſſem ſeriò percūctatus eſt quid promitterē. Et ego ridens quid aliud inquā, ꝙ bona. Qualia hæc inquit, ſpeciatim mihi declara. Ego uero non ſatis eſt tibi inquā, ſummā aceruatim audire, & de futuris gaudere. Nequaꝗ inquit, cupio etiā audire particulatim. Audi igiť, liberaberis hac nocte ab omni morboſā affectiōe in totū: quo facto, etiam futurorū omniū

D

ad hanc symptomatũ solutio cõsequetur. Atq; hoc inquã, iã mihi per pulsus declarauit gubernãs corpus tuũ natura, quæ excitata est ac cõmota, ut omnes uitiatos in corpore tuo humores ex corpore eijciat. Quomodo igit, inquit ille, à natura tibi hoc declaratũ esse dicis? non enĩ loquuta hæc dixit. responde mihi, nã omnino nosti me magis q̃ omnes illos miseros medicos, rationes tuas assequi. Quoniã, inquã, arteriarũ motũ amplius in altitudinẽ euexit, in distentiõe in utrãq; partẽ, id quod semper facere solet, ubi id quod affligit è corpore excernere molit. His dictis Eudemus subiecit, At quoniã multæ excretionis uiæ naturæ paratæ sunt: nam & uomitus, & aluus erũpens, fortassis autẽ & urinarũ copia, multorũq; sudorũ excretiones, & sanguinis eruptio, et hęmorrhois cõsueta adaperta, aceruatam euacuationẽ operat: tuæ artis minus ꝓpriũ fuerit, ut euacuationis speciem mihi declares. Sanguinis igit eruptionẽ, inquã, talia & talia signa præcedunt: queadmodũ & alia sudores. addidi etiam in sermone ea quæ uomitus præcedunt. At euacuatiõis aceruatæ indicatoriæ per infernã aluũ, nullũ habemus propriũ ac præcipuũ signũ. Verũ ex eo quod nullũ aliorũ signorũ adest, reliquũ est ut speremus hanc tibi affuturã esse. Dialecticè, inquit ille, collegisti futurorũ inuentionẽ. Atq; hæc sub uesperã inter nos colloquuti sumus. Mane uero ubi ipse accessisses summã prædictionis audiuisti, nõ sustinente iam philosopho ut moderate, uelut solebat, loqueret, sed ad omẽs nos ingressos ad ipsum amicos uociferante, quòd Pythius Apollo per Galeni os uaticinari ægrotis uoluerit, simulq; ipsos curare, ac in prædicta die perfectè liberare. factam itaq; inquit, morbi solutionẽ (credo enĩ me iam penitus sanũ esse) longè antea denunciauit, & curationis, ac prædictionis successum habuit. Liberauit autem me à tribus quartanis, in quas ex intẽpestiuo theriacæ potu incidi, illis dum eius dandæ tempus esset nihil loquentibus, hoc uero tũ dante, ac me liberante, etiamsi ab ipsis derideretur, quòd putaret senem hyemis tempore, ex tribus quartanis laborãtẽ, se curaturũ esse. Atq; ignari quidẽ artis medicæ audientes hæc, cõmune bonum me urbi Romanæ fore sperantes, omnes gaudebant.

IIII Cæterum non solũ medicus, sed etiã amicus mihi testatus Martianus, ubi audiuisset pronũciatã à me sententiã in illa die, de arteriarum motu quẽ illi turbulentũ putantes, nõ iudicatoriũ fore timuerũt, inuenissetq; Eudemũ exactè secundũ naturã habere, ne uno quidẽ uerbo me collaudare dignatus est. Digressus aũt ad Sandalariũ uicũ fortuito mihi obuiã uenit, statim autẽ ne salute quidẽ dicta, uelut aliàs solebat, interrogauit utrũ secũdum librũ prædictionũ Hipp. legissem, aut omnino id scripti mihi ignotũ esset. Et deinde ubi audijsset q; legissem, & q; mihi uiderentur aliqui medici rectè pronunciare, genuinũ illum Hipp. librũ non esse. Omnino itaq; inquit, quę scripta sunt in ipso nosti. Ego uero talia quidẽ non uaticinor, uerũ ad quid inquã, nunc hoc à te dictũ est. At ille recẽs inquit, ab Eudemo digressus sum, admirante de eo q; heri uesperi post pulsus tactum dixeris, excretionẽ ipsi

A per infernũ uentrem futurã esse, à qua nõ amplius febri tentetur. Hæc ubi ille dixisset, solo hoc respõso dato, ex Eudemo hęc audiuisti, nõ ex me, statim abij: & progressus ad Eudemũ, factũ hoc ipsi retuli, admiratusq; sum malignitatẽ medicorũ in urbe Romana magnã existimationẽ adeptorũ. At is ex ratiõe me hoc perpessum esse dixit, assimilãs medicis in patria eos qui hic essent, iuxta multas causas, ad summã improbitatẽ progrediẽtes, & cõsequenter omnes recẽsuit hoc modo. Ne putes bonos uiros in hac urbe fieri malos. Sed qui iam antea mali sunt, materiã hic exercẽdæ improbitatis inueniũt, & lucra multò maiora q̃ in alijs ciuitatibus faciũt, quũ multos sui similes ditatos uidẽtes, facta ipsorũ multifaria imitant, quæ uarias causas habent, atq;
B sic ad extremã improbitatẽ deueniunt. Referã aũt tibi aliquas ipsarũ, uelut multo iam tẽpore expertus. Non enim natura solũ, neq; lucrosorũ factorũ materia, improbitatẽ auget in his qui natura mali sunt, sed & disciplina uiarũ improbitatis sequitur, quas à sui similibus quotidie fieri uident, quæ deinde multorũ imitatione tritæ euadunt. Et si forte in scelere aliquo deprehensi fuerint, hoc iam cõstitutum habere, ut ad alios quibus ipsi ignoti sunt trãsgrediantur, cũ quibus ex prima experiẽtia eorũ in quibus male se gerẽtes deprehẽsi sunt, securius cõuersentur, hoc ipsum sanè nõ paruã uim habet ad hoc ut nunq̃ scelerati esse desinant. At qui in paruis urbib. degũt, quũ neq; lucri magnitudine inescent, queadmodũ qui in hac urbe uiuũt, et à ciuib.
C facile cognoscant, etiãsi parũ quid delinquãt, exercẽdæ imꝓbitatis occasionẽ nõ habẽt. Verũ hic eo q̃d nõ cognoscant ab omnibus ea quę uersute semper perpetrãt, hoc ipsum maliciã naturæ ipsorũ auget. Insidiant enim eis qui ipsos nõ noscunt, & ex improuiso aggrediunt, maxime ubi hi ob mentis simplicitatẽ ipsos remordere non possunt, queadmodũ ipsi seipsos uicissim mordent, si uel exiguũ quid iniustè perpetrarint. Queadmodũ igit latrones apud nos, mutua inter se auxilia ferũt ad aliorũ perniciẽ, sibijpsis autẽ parcunt: Eodem sanè modo Medici in hac urbe, conspirationes contra nos faciunt, hoc solo à latronibus differentes, q; in urbe, & nõ in montibus scelera perpetrãt. At meum inquã ego, propositũ iam sæpe audiuisti, q; ubi sedi-
D tio in patria mea quieuerit, statim me ex hac urbe discedere uidebis, & breui adhuc tẽpore hic morã traham, quo citius à scelestorũ hominũ improbitate liber euadã. At non sciunt hoc tibi propositũ esse inquit Eudemus, & si cognouerunt, queadmodum ipsi mentiuntur, omnes te similiter ipsis mentiri putant. Et queadmodũ ipsi quia inopes sunt & indocti, in patrijs suis uiuere non possunt, eo q; noti sint, improbitatũ quas recẽsui addiscendarũ gratia, in hanc urbem se contulerunt: Sic etiã alios putant eadẽ de causa huc accessisse, & prius q̃ argentum collegerint, discedere nõ uelle. Et si à ciuibus audierint genus tuũ ac possessiones, q; non ex egenis sis, omnia à te subornata esse dicẽt, quo audientes hæc decipiantur. Quæ enim ipsi fecerunt, ea de omnibus suspicant. Hæc & huiusmodi alia quum Eudemus dixisset, addidissetq; fore ut si non ueriu

tijs suis me lædere possent, ad ueneni insidias deuenturi essent: recensuit insuper de adolescente quodã, qui ante decenniũ in urbẽ uenerat, atq; artis cognitionẽ per opera ipsa similiter ut ego ostenderat, qua de causa cũ duobus famulis, qui ipsum huc comitati fuerant, ueneno sublatus esset. Quare ego gratiã inquã, me tibi debere agnosco charissime præceptor, qui mihi omnẽ ipsorũ improbitatẽ recensuisti. Ego enim in tuto meipsum adseruabo, ubi cũ ipsis cõgressus fuero, & ubi imperitiã ipsorum manifestã fecero, ex magna hac & populosa urbe discedã, in paruã et nõ populosam, in qua omnes uicissim inter nos noti sumus, quod ad parẽtes attinet, institutionẽq; ac doctrinã, opes item & mores, ac uitã. Ad hoc igitur me conuertẽs, imperitiã ac improbitatẽ ipsorũ detegere non studio habui. Sed prædictũ adolescentẽ, quem statim prima die accessi, cuiq; exacerbationis febris quartanæ insultum factũ esse dixi, assumptũ curaui, præfinito solutionis morbi tempore, uelut in Eudemo, prædicto. Et à te rogatus hominẽ quẽdã, ex familia cubicularij, siue stipatoris corporis Imperatorij, Charilampis appellati, neruis sauciatũ curaui, nullo in aula medico hoc facere potente. Et post ipsum in Sandalario uico Rhetoris Diomedis familiarẽ, cuius itidem clarissimi ex aula nõ potuerũt inuenire morbi affectionẽ, sed per contraria q̃ cõueniebat fieri, curationem faciebant, ita ut ego intra paucos dies diuturnũ morbum perfectè persanarẽ. Quin & æstate iam instante in primatibus urbis Romæ, & prædictiones, & curationes magna laude dignas feci. Et multa erat existimatio apud om̃es uelut nosti, & magnũ nomen Galeni, augescebatq; simul cũ gloria inuidia, ex his qui & ipsi se aliquid esse putabant, ut qui in omni artis parte à me superarentur: Atq; hi sanè discurrẽtes per urbem, alius aliud quid calũniantes proferebant, Hic φ per fortunam illum sanassem, modo curatiõis omnia tentante usus, Ille quòd prædictiones ex diuinatione, non ex medica speculatione à me fierent.

V His accessit & quęstio illa quã aduersus Stoicos ac Peripateticos institui, conuocante ipso Boetho. Et post hæc Iusti uxor, quæ quum contabesceret, citra hoc ut aliqua parte affecta esse cõpareret, comperi ipsam nõ modo amantẽ, sed & quẽ amabat, & unde hoc cõperi, paulò post referetur. Verũ certamẽ aduersus Stoicos & Peripateticos, præsentibus etiã alijs quibusdã tum medicis, tum philosophis, prius tibi in memoriam reuocabo, unde initiũ sumpsit enarraturus, quo si & tu alicui nõ indigno hac cognitione, hos sermones impertiri uelis, hunc librũ habeas qui omnẽ ex ordine rerũ gestarum historiam cõtinet, & nõ semper occupatus sis in recensendo ea quæ & per artis medicę opera, & per corporũ resectiones, & per assumptas pro ipsis, aduersus inuidos medicos ac philosophos, disputatiões à me facta sunt. Equidem prius ab ipsis lacessitus ad hoc deueni, ab Homero edoctus,

Quiq; prior læsit, dignus est uindice dextra.

Huiusmodi igitur fuit initiũ congressus. Flauius Boethus uir consularis, quõ quidem fuerit & honestatis, & bonorũ studiorũ amans, etiã ipse nosti.

A Præceptore autẽ utebatur peripateticorũ dogmatum Alexandro Damasceno, qui & in Platonicis uersatus erat, sed Aristotelicis magis inhærebat. Quũ igitur rogasset me Boethus, ut per resectiões docerẽ, quõ respiratio & uox fieret, præparauit & hœdos, & porcos multos, nã simijs nihil opus esse ad anatomen dixerã. Quũ eñ nõ solũ hæc animalia, sed etiã pedestria fermè omnia, cõsimilẽ corporũ structurã habeant, quæ uocẽ magnã habent, ea magis idonea sũt q̃ quæ paruã edũt ad assumptiones demõstratorias exhibẽdas, quibus rei propositæ fidẽ faciamus. Aderant aũt futuræ mõstrationi, tum alij quidã, tum Adrianus Rhetor, nondũ publice docens, sed cũ Boetho cõuersans: & Demetrius Alexãdrinus sodalis Phauorini, qui quotidie
B publice de singulis ꝓpositis dicebat, dictionis Phauorini formã sequẽs. At uero ante sectionẽ quũ dixissem, me quidẽ ipsũ ostendere uelle, ea quę ex sectiõe apparẽt, quæ uero ex ipsis perficiunt, ea me sperare præceptorẽ Alexandrũ, non solũ me, sed om̃ibus alijs quoq; melius colligere posse: alij quidem om̃es uerba hæc uelut initia exceperãt, honorem Alexandro deferẽtes, ac simul exhortãtes, ut tota res citra contentionẽ transigeret. Nosti enim quõ ex hoc uitio Alexander omnibus notus esset, quẽadmodũ etiã tunc palàm declarauit. Quũ eñ ꝓmitterẽ me ostẽsurũ esse neruulos tenuissimos, ut capilliformis quædã sit coniugatio, ex faucium musculis enascens, partim è dextris partibus, partim è sinistris: quibus laqueo interceptis ac cõpres-
C sis, aut incisis, cõtingat animal uoce priuari, quum neq; in uitã, neq; in actionẽ alioqui lædat: Alexander anteq̃ ostenderẽ subinferẽs, hoc primũ inquit tibi concessum fuerit, nos his quæ per sensus apparent fidẽ habere oportere. Quibus ego auditis, relictis ipsis discessi, id solũ loquutus, me deceptũ esse, qui nõ putarim me ad agrestes pyrrhonios uẽturum esse, alioqui nõ uenisse. Me uero digresso, tum alij Alexandrũ damnarũt, tum Adrianus & Demetrius, semper ipsi ob cõtentiõis studiũ infensi, ꝓbabilem occasionẽ habebãt, uehemẽter ipsum obiurgandi. Quãdoquidẽ uero & omnibus eruditis, qui in urbe Romanorũ erant, hoc innotuit, & Seuero, & Paulo, & Barbaro, factũ est ut omnes uehementer ipsum increparent, & seipsis præsentibus rese-
D ctiones fieri uolebãt, cõgregatis ad hoc alijs omnibus qui in medicina ac philosophia clari essent. Trãsacta igit̃ pluriũ dierũ cõsuetudine ac cõgressu, quũ ostendissem inspirationẽ quidẽ fieri dũ distendit̃ thorax, exspirationẽ uero dum cõtrahit̃: monstrassemq; musculos à quibus distendit̃: & ad hoc neruos in ipsos insertos, ex spinali medulla exortũ habẽtes: & q̃d inuiolẽta quidẽ spiritus foras latio, exspirationem sine strepitu efficit: uiolẽta uero sit altera quæ cũ strepitu fit, quã efflationẽ nominamus: ostendissem itẽ præterea, φ talis sola in trãsitu per fauces, dũ à chartilaginib. uerberat̃, uocẽ efficit: & φ, hęc à musculis mouent̃: & φ nerui hos mouẽtes afflicti, uocis interceptionem efficiãt: & quũ oẽs qui dum hæc ostenderẽ aliquid in mediũ attulissent, redarguissem: Boethus rogauit me ut horũ à me cõmentarios acciperet. accersitisq; cele

riter scribẽdo exercitatis pronũciaui omĩa mõstrata & à me dicta, nõ premeditãs an ea multis impertitur⁹ esset. Et pfecto in hũc usq; diẽ, nemo ipsis cõtradicere ausus fuit, annis iã XV interpositis, etiãsi multi cõsiliũ inierint de mihi cõtradicẽdo, q̃ id solũ de ipsis dicat, ꝙ cõtradixerint, nõ tñ ausi fuerint scripta sua eruditorũ hominũ iudicio subijcere.

VI Quod igit ex promissis à me restat, deinceps tibi narrabo, q̃d sane dicere ac apponere ad presentem sermonẽ oportet, maxime quoniã & ex sophistis medicis aliqui, narrãtes qua ratiõe Erasistratus amorẽ Pallaces patris in adolescẽte quodã deprehendit, scripserũt ipsum cõperisse pulsus arteriarũ adolescẽtis amatorio modo pulsantium: nõ etiã id insuper audentes dicere, ꝙ amorẽ eius erga patris Pallacen ex pulsibus deprehẽderit. Ego uero quõ quidẽ Erasistratus hoc cognouerit, nõ habeo q̃d dicã. Quõ uero ego cognouerim, iã tibi referã. Accersitus quidẽ sum ad uisitandã mulierẽ uelut noctibus uigilantẽ, & seipsam alias in aliã decubitus formã trãsferentẽ. Quũ aũt reperissẽ ipsam sine febre interrogabã de singulis quæ ipsi particulariter accidissent, ex quibus uigilias cõsequi scimus. Ipsa uero uix aut omino nõ respõdebat, ut se frustra interrogari ostẽderet. Et tandẽ auersa, ubi iniectis uestimentis toti corpori seipsam ex toto intexisset, aliudq; paruũ linteũ capiti induxisset, uelut somnũ captãs decũbebat. Ego itaq; digressus, ex duob. alterũ ipsam perpeti cogitaui, aut atrabiliario modo tristem esse, aut ex re aliqua afflictã cõfiteri nolle. Quare postridie de ipsis diligẽtius cõsiderare destinaui. Et ubi accessissem, primũ quidẽ ex famula apud ipsam permanẽte audiui, q̃d fieri nõ posset ut ipsam nũc uiderẽ. Et iterũ reuersus idem ipsum rursus audiui, & rursus tertio accessi. Quũ aũt famula mihi diceret ut discederẽ, nõ eñ uelle interturbari herã, & cognouissẽ ipsam me discedente lotã fuisse, & cõsuetos cibos ingessisse, postridie accessi, & solus cũ ancilla colloquutus uarijs modis, manifeste cognoui ex tristitia quadã ipsam laborare, quã ex fortuna deprehẽdi, qualẽ Erasistrato quoq; obtigisse arbitror. Nã quũ antea cognitũ mihi esset, nullã esse circa corpus affectionem, sed ad animali quadã tristitia mulierẽ uexari, cõtigit sub idẽ tempus quo ipsam uisitabã, suspicionẽ meã cõfirmari, aduenĩẽte nimirũ quodã ex theatro, ac Pyladẽ saltantem se uidisse dicente. Nam & uisus ipsius immutatus est, et faciei color, quo ego conspecto manu in mulieris carpũ iniecta, pulsum comperi inæqualẽ multiformiter derepẽte factũ, qui sane indicat animã cõturbatã esse. Idẽ etiã pulsus solicitis de re aliqua accidit. Postridie igit ubi comiti cuidam meo dixissem, ubi uisitaturus mulierẽ adiero, paulò post accede, & annũcia mihi, Morphum hodie saltasse. hoc ut is nũciasset, non mutatũ pulsum cõperi. Similiter uero & sequẽti die, de tertio saltatore mihi nunciari iussi, & quũ hic quoq; similiter pulsus nõ mutaret, quarta die rem exacte explorauí. sub noctẽ eñ quãdo annunciatũ fuit ꝙ Pylades saltaret, pulsum multiformiter turbatũ cõperi, atq; sic mulierẽ amare Pyladẽ deprehendi. atq; hoc in sequẽtib. diebus diligẽter obseruatũ, cõstanter cõ-

A pertũ est. Queadmodũ etiã alterius cuiusdã diuitis seruus domus dispẽsator, similiter ægrotãs à me cognitus est. Nam quũ ob reddendã rationẽ rerũ administratarũ tristaret, ut qui nõ paruã argenti summã deesse nosset, præ cura uigilabat, & tristitia afflictus cõsumebatur. Vbi aũt dño ipsius prædixissem, nullũ esse corporalẽ affectũ, cõsului ipsi ut cõsideraret ꝙ timeret de exigẽda ratiõe eorũ quæ illi in manus tradidisset, & ꝓpterea anxius esset, quũ nosset nõ paruã summã illis deesse. Postq; uero hic dixisset, probe se hoc cõiectare, hoc amplius ei firmę cognitiõis gratia cõsului, ut diceret ipsi, se quãtũ haberet argẽti præsentis hoc petere ne forte eo derepẽte mortuo intercideret, administratione in aliũ seruũ translata, in quo experientiã nondũ fecisset. ab illo eñ rationes exigere nõ cõuenire. Vt B uero dominus hæc ipsi retulit, persuasus se rationẽ redditurũ nõ esse, & ꝓpterea tristitia liberatus, tertia die naturalẽ corporis habitũ recuperauit. Quid igit priores medicos latuit, qui & prædictã mulierẽ, & prædictũ seruũ uisitauerũt? Ex cõmunib. eñ ratiocinatiõibus talia reperiunt, etiãsi exiguã quis medicæ speculationis scientiã habeat. Ego quidẽ arbitror ꝙ nullã habẽt dinotionẽ, ꝙ corpus ꝓpter animi affectus pati solet. Fortassis aũt neq; sciũt ꝙ propter solicitudines ac timores derepẽte animũ turbãtes, pulsus mutant. Cuius rei Erasistrat⁹ gnarus, quũ in eadẽ domo cũ ægrotãte adolescẽte mulier esset, facilius amorẽ cõperit, utpote potẽte ipso adolescẽte frequẽtius Pallacen intueri, nõ pluribus interpositis diebus, queadmodũ Pylades, qui C neq; tunc cõparebat, sed quũ nominari audiretur, mulierẽ cõturbabat. Nugę igit sunt, pulsus amatorio modo moueri, eorũ qui nõ sciunt nullum pulsum amorẽ indicare, uerũ turbata anima ob rem aliquam pulsus alterari, ita ut neq; æqualitatẽ secundum naturã, neq; ordinem conseruent.

VII Vnũ igit ubi adhuc addidero, ex quo Boeth⁹ statim quidẽ obstupuit, sed ubi audiuisset quõ cõpertũ esset, se admirari nõ amplius dixit, uerum dãnare uelut imperitos, eos qui hãc speculationẽ ignorẽt: ad aliud quoddã trãsibo. Aegrotãte altero ipsius filio, quũ hic cõualuisset, & deinde morbus redijsset, et postea rursus quieuisset, et deinde puer rursus febrijsset, dixi ego illũ occulte cibũ capere, D qui eñ aperte exhiberent ipsi cibi, eos ad hoc q̃d qualitatib. idonei essent, etiã quãtitate moderatos esse. Matrẽ itaq; pueri promittentẽ diligẽter se illũ custoditurã esse, custodẽ cõstituit, q̃ assideret ipsi per totũ diẽ, ꝓhiberetq; ingredi uolẽtes, ita ut etiã ipse dormiret in ea domo diligẽter ab ipsa cõclusa. Postq; uero quatuor dieb. ita asseruatus, incaluisset per noctẽ, Boethus indignatus assumptũ me in domũ ad puerũ perduxit. Comitabant aũt ipsum & qui in uia obuiã uenerãt, inter q̃s eras & tu. Deprehendebã itaq; puerũ ex cubiculo cũ matre ad aliã domũ ꝓgressũ, in qua et lectus erat, in q̃ pueri mater sedebat. Adiũctus erat huic lectulus paulò infra mediũ ipsius, in q̃ reclinatũ puerũ custodiebat, ut nemo ipsũ accederet. Erat autẽ sella eius lectuli una, qualẽ fermè ad ceruicẽ tales lectuli in seipsis habere solẽt. ex aduerso uero lectuli eius, ad supre-

mum

mum lecti materni fine, duo sedilia posita erãt: in quib. ut Boethus nos collocasset, ipse iuxta uxorẽ cõsidẽs, adduxi, inquit; hũc Galenũ, q̃ audiat ex te de diligẽti pueri custodia, his dieb. circa ipsum adhibita, & ꝙ nihil circa uictus rationem sit delictũ: & ut uideat an reuera febrierit per noctẽ, aut tu decepta fueris, quæ retulisti ipsum calidiorem factum fuisse, ut præ timore putaris calorem, ob aliã fortassis causam factũ, febrẽ esse: q̃ quomodo habeat manifeste nobis declaret, simulq; omnia ad uictus pueri rationem pertinẽtia edoceat. Hic cũ ego arteriam pueri iuxta carpum manus tetigissem, à febre liberũ quidem ipsum esse dixi, uerum exhibere me illudendi occasionẽ his qui me uatem nominãt. Boethus igitur subijciẽs dixit, Et ego te, uelut nosti, cum illis comparatũ, uatem appellare soleo, cum tale quid dicis, quale æmuli tui fieri posse negant, ut per me medicinæ præcepta cognoscant. Atqui hactenus, inquam, omnia talia ostendi tibi ex medica speculatiõe reperiri, & medicos quosdã de his scripsisse. Itaq; omes iã me uaticiniũ dicere iubebatis. & ego cum rogassem ut adhuc semel pulsum pueri tangere permittere tis, ubi hoc fecissem testimoniũ dabis, inquã, Boethe, neminem accedẽti mihi huc tecum, ac per totam uiam colloquenti, hoc quod dicturus sum uaticinium significasse. Ipso igit testimoniũ se dicturum asserente, nosti quomodo ego in risum effusus, uos attendere ac audire iussi, talem quandam uatis uaticinationẽ esse dicẽs. Cyrillo huic in hac domo occultatũ esse aliquid cibi, quo ubi ad balneum mater progrediens clauserit domum, ac deinde securitatis gratia clauẽ in loculos immittens significationem hanc de se præbuerit (hoc enim semper ipsam facere audio) filius quod occultatũ est tollens ita ingerat. His auditis Boethus statim ad puerũ progressus, ipsum tollit, & in cubile matris eo translato, lectulũ eius sterni iubet, statim si quid occultatum esset reperiendum esse sperans: postq; uero & instrata & substrata omnia excussa sunt, cõsequenter tomentũ excussit. Deinde sella eleuata uidebat, an sub ipsa quid cælatũ esset. Ut uero neq; sic quicq; comparuit, de cubili in lectulum puero trãslato, ipsum totum cubile excussit, ac rursus sterni iussit: & risu oborto, quid, inquit, uates dicit. Ego autẽ admirãs ꝙ nihil reperiret, in locis quibus occultum putarat, quod solum excussum nõ fuerat, utpote nemine suspiciente in ipso contineri quod quærebat, sublatũ excussi. Erat autẽ hoc omnino paruum matris linteum in sella iacens. Eo autem concusso frustum panis in ipso contentũ in terrã cecidit. Et uos omnes magnum clamorem mouistis, ridentes cum Boetho, ac uaticinationem laudantes. Cæterum Boethus præ omnib. ridẽs admirabatur, quomodo pulsus etiã si quid ibi occultatũ sit, indicare posset, imò quomodo id quod puer, interim dũ lauaret mater, facturus esset significaret. Et ego ad ipsum, solertissime Boethe, dixi, nõ pulsib. indicantib. hoc Galenus cõiectauit. Conclusis em̃ diligenter foribus, per multũ ociũ, citra timorem, panis esum puero

A cõtingere potuisse, nõ difficile erat cõiectare. sed & quod occultatũ quid esset, & ꝙ id quod occultatum esset, cibus esset, pulsus mihi nõ denunciauit. Verũ conturbatũ ipsum uidens, cogitaui uelut in amante muliere, & timente seruo, turbationẽ ob animi aliquẽ affectũ esse obortã, cum puer penitus à febre liber esset. Interrogabis igitur fortassis unde coniectarim cibũ esse id quod occultatum esset, audi itaq; & de hoc animi perturbationem. Cum neq; causam acturus esset puer, neq; luctaturus, aut pancratium decertaturus, aut omnino aliquod corporis uel animi insigne facinus mõstraturus, neq; etiam omnino accusatus esset, quidnam amplius ipsum tenere poterat; Hęc ubi Boethus audiuisset, per deos se mirari testat⁹ est.

B Et si ita inquit, nouisti hominũ negotia, nemo me dicorũ nouit. Manifestũ est em̃ ꝙ neq; ipsi unq̃ tale opus ostẽderũt, & te om̃i poti⁹ modo q̃ ex medica arte, hæc facere dicũt. Vident aũt, inquit, nõ solũ ignorare qualis sit solicitorũ pulsus, sed neq; (si sane quis ex ipsis illũ nouit) ea quæ tu ratiocinando cõperisti, simili modo colligere ratiocinãdo posse, eo ꝙ neq; natura prudẽtes sint, neq; disciplinis rationẽ exercitatã habeãt. Verũ in malignitatis operib. exercitati ac sapientes existant.

VIII Horũ igit chare Epigenes teipsum testẽ habeo, multorum uero aliorũ alios, quæ peracta sunt à me in prima profectione. Audiuisti aũt hęc ab illis ipsis qui à me curati sunt. Unũ igit reuera admirandũ à me peractũ est, quod nõ modo mira

C dicẽtẽ (uelut antea multi medici me nominabãt) sed etiam mira facientẽ me appellari fecit. Boethi uxor in fluxũ muliebrẽ collapsa, primũ quidẽ memorabiles medicos, quorũ unus & ego iã omnib. esse putabar, reuerita, familiarib. obstetricib. in urbe præstantissimis seipsam cõmittebat. Cum aũt nihil proficeret, Boethus omnib. nobis cõuocatis, quid facere oporteret cõsiderare iubebat. Ut aũt consensum esset, iuxta præscriptã ab Hipp. & alijs post ipsum optimis medicis curationẽ, om̃ia faciẽda esse: uoluit ipse Boethus me assidue adesse ministrantib. ipsi mulieribus, & materias auxiliorũ particulatim inspicere, ita ut ad uniuersalẽ scopũ respicerẽ, cuius caput erat, resiccare nõ solũ uteri locos, sed etiã totũ corpus: & adhibere e-

D tiã muliebrib. locis astringẽtia unguẽta. Atq; hæc sane ita faciebã. Postq; uero hæc me faciẽte, affectio deterior fieri uidebat, merito oẽs nos ad consilij inopiã redacti sumus, & cũ aliũ medicationis ductũ quæreremus, ad quẽ trãsiremus, neq; ex ratiocinãdo quispiã inuenit, neq; ex experiẽtia melius quicq; ulli in mentẽ ueniebat ea curatione, in quã oẽs medici ab initio consenserãt. Interim & tumor quidã circa uentrẽ conspectus est, cõsimilis ei qui fit in prægnãtibus. Ex q̃ aliquæ ministrãtes ipsi mulieres reuera ipsam imprægnatã esse putabãt. Non tamẽ aliquis medicorũ hoc ipsum credebat. Nam signa muliebris fluxus quæ excernebant quotidie, opinioni illi refragabant. Cum igit ea quæ ipsam custodiebat, quam optimã esse credebat, tũ alia faceret uelut in prægnãte, tũ quo

tidie lauaret, cõtigit ut in prima balnei domo, uehemẽtissimo dolore oborto, quales parientib. accidere solẽt, aquosus humor euacuarẽt tantus, ut mulier in animi deliquiũ collapsa ex balneo portarẽt. Clamantib. aũt & uociferantib. famulis, nulla uero neq; pedes, neq; manus, neq; os uẽtris, q̃d etiã stomachũ cõsueto more nominant, cõfricante: ego ex fortuna extra præ forib. balnei stãs, audito clamore insilui, & perfrigeratã ipsam cõspicatus, sumpto in manus unguẽto nardino, stomachũ ex eo confricui, & præsentes mulierculas nõ ita stare frustra uociferãtes, sed alias pedes calefacere, alias manus, alias odoramẽta narib. admouere iussi. Atq; tunc quidẽ breui ipsam refocillauimus. Vehemẽter aũt uerecundia afficiebatẽ obstetrix, uẽtre ob euacuationẽ cõtracto, nõ tã q̃ decepta esset ex partus expectatiõe, q̃ q̃ fidẽ ipsi non habẽtibus nobis, in faciẽdis imperatis cõtradixisset, uelut quæ sciẽtificè rei gnara esset. Cum uero singuli quid facere oporteret dubitarẽt, & neq; secundũ priorẽ scopũ mulierẽ curare auderẽt, neq; ad aliũ transire: noctu mihi de ea re cogitanti, tale quid in mentẽ uenit. dũ in animi deliquiũ mulier, uelut dixi, collapsa fuisset, quãdo etiã mulieres nihil opis attulisse dixi, sed uociferãtes cõstitisse, & meipsum accepto in manus unguẽto nardino, & os uẽtris, & præcordiũ cõfricuisse, in memoriã reuocaui me tantã reperisse in his locis musculorũ præcordiorũ mollitudinẽ, ut cũ in principio uiolẽtius ipsa cõfricare statuissem, ex timore ne premẽdo carnẽ, aliquã partẽ liuidã efficerẽ, à uiolentia destiterim. Nam si exactè assimilare uelit quis, omẽs circa præcordiũ partes, lacti q̃d ad caseũ faciendũ coagulatẽ, similes erãt, nõ tamen ut iã coagulatũ sit lac ipsum. Proinde in resiccando immodicam humiditatẽ, cum affectio aquosa esset, omnino persistendũ esse statui. Inueniendum aũt modum curationis, nõ modo materiæ resiccãtis, sed etiã calefacientis, ita ut nõ colliquesceret corpus, quod immodicè frigidi temperamẽti esset, & maxime quia æstatis hora eo tẽpore nos contrarium feceramus, qui in marina arena calida ipsam reclinaueramus. Reputabã mecum etiã aliud quoddã peccatũ, quod circa plurimas affectiões frequenter à medicis cõmitti solet, qui quod superfluũ est euacuant quidẽ, ut uero ne simile quid euacuato
D generetẽ omittunt. His ita mecum expensis, cogitaui uictus rationẽ instituere, per potum q̃ minimũ, & totius corporis frictionẽ, unguẽto parato nõ ex pice & resina, sed ex melle solo, diutius quidem cocto, uerum in tantũ perfrigerato, ut aquæ fontanæ æstatis tempore simile esset. Quẽadmodum aũt per cutẽ discutere superfluã humiditatẽ melius esse duxi, eodem modo etiã eandẽ ad uesicam deducere, per urinam cientia medicamenta, itemq; per infernã aluũ subducere decreui. Hæc meditatus per dies septẽ à coaceruata facta excretione cõsecutos, per quos Boethus omnes nos & priuatim, & in cõmuni rogabat, ut cogitaremus de aliquo curationis modo: abducto à præsentibus amicis ac famulis Boetho, sic ipsum in ædib.

A eius allocutus sum. Cum usq; in hunc diẽ, inquã, in nulla re ad opera medica pertinẽte, deceptum me noris, cõsidera tecũ an permittere uelis ut per totos decẽ dies circa uxorẽ tuam prout uoluero transigã. & si quotidie melius habere apparuerit, postea alios decem mihi permittes, ad agendum circa ipsam quod ex re eius fuerit. sin minus, discedã & ego tunc penitus ab ipsa. Promptè uerò concedente hoc ipso, primũ quidẽ aquiduco medicamento per infernam aluũ ipsam euacuaui: postea uero aquã bibendã dedi, asaro ac apio in ipsa cocto. Postq̃ aũt primis duobus dieb. his fientibus, nihil fluxus comparuit, tertio rursus dedi nõ multum, de eo quod per infernã uentrẽ euacuat medicamento. Nimirũ id quod antea in uterũ cõflue
B bat, nõ modo per urinas, sed etiam per infernam aluũ deriuare uolẽs. & postea inunxi ipsam melle quotidie, confricuiq; corpus primũ linteis mollissimis, deinde durissimis. Exhibebam aũt edendas carnes uolucrũ montanarum, ac piscium petras amantium. Cum autẽ curatio per hæc ad dies quindecim fieret, & nullum omnino affectionis signum compareret, cognoscẽs Boethus me ultra promissum pręstitisse, rogabat ut affectionem perfectè persanarẽ, & docerẽ ut in posterũ nõ amplius similiter rediret. Postq̃ uerò transacto mense & bene colorata esset, ut nihil iam naturali habitui deesset, & nihil fluxionis compareret: quadringentos aureos ad me misit, inuidiamq; generosorum illorum medicorum auxit, inter quos
C me laudibus extollebat.

IX Et sanè etiã ipse paratus erat, queadmodũ & Seuerus, ut de me M. Aurelio Antonino imperatori, qui tũ in urbe Romana erat, indicaret. Nã Lucius ab urbe discesserat, belli Parthici gratia à Vologeso illati. Itaq; ego cũ uoluntatẽ ipsorũ erga me uiderẽ, & timerẽ ne si faciendo aliquid me præuerterẽt, à reditu in Asiam prohiberer, rogaui ipsos ut se ad breue tẽpus cõtinerẽt. Rogo ẽm inquã, referã uobis tẽpus, quando hoc mihi à uobis fieri uoluero. Proinde cum seditionẽ in patria mea sedatã esse audiuissem, statim ex urbe Roma exiui, uelut in Campaniã abiturus, uno relicto famulo, qui asseruaret ea quæ essent in domo. Cui imperaui ut obseruata naue in Asiã exeunte, die una aliquẽ ex impostoribus illis in Suburra assumeret, uẽderetq; ea quæ essent in domo, ac statim exiret, ac conscensa naue, cursu secundũ Siciliã facto, ad patriam perueniret. Atq; hæc quidẽ paulo post facta sunt. Ego uero cum Capuę essem, illinc ad Brundusiũ festinaui, q̃ ubi peruenissem, statui cum prima ex portu exeunte naui, siue ad Dirrachiũ, siue in Græciã abiret, traijcere: timẽs ne quis ex multũ potentib. illis uiris, aut etiã ipse imperator, cognito meo uelut fugitiui discessu, me misso milite Romã reuerti iuberet. Ego itaq; ita una die interposita ad Cassiopẽ nauigaui. Quærentes aũt me amici Romæ, & à relicto famulo percunctantes ubinã essem, & audiẽtes me in Campania uersari, primũ quidẽ id quod res erat suspicabantẽ: progresso uero tẽpore, ubi nec famulũ meũ Ro-

mæ

A mæ uideret, cognouerũt fecisse me quę ab initio dixerã. Et tunc uix crediderũt oẽs, qui prius fidẽ nõ habebãt reuera mihi relinquẽdi Romã propositũ esse, ꝙ nõ falso, sed uerè hoc dixissem. At tempore nõ multo interiecto ubi redijsset Lucius, & belli alterius aduersus Germanos gesti ipsis initium instaret: sermone oborto de his qui ipsis operibus, nõ uerbis, & medicinã & philosophiã monstrarẽt, nõ pauci ex familiarib. ipsorũ nominabãt me talẽ esse. Progressi igiť iã ex urbe uelut ad bellum, ubi decreuissent hyemẽ in Aquileia transigere, instructo ac cõgregato exercitu, nunciũ ad me mittunt iubẽtes ut ad ipsos uenirẽ. Cęterũ Lucio media hyeme ad diuos translato, frater ipsius deportato Romã corpore, & iustis ritè peractis, profectionẽ aduersus Germanos suscepit, iubẽs B sequi etiã me. Cum aũt bonus & benignus esset, potui ipsum persuadere uelut nosti, ut me Romæ relinqueret, nimirũ cum breui rediturus esset. Toto igiť profectionis ipsius tẽpore, memor cõsuetæ medicorũ ac philosophorũ in urbe malignitatis, statui mecũ aliquãdo ab ipsa discedere ad aliũ locũ, in q̃ filius ipsius Cõmodus educabať à Pitholao, qui ab ipso imperatore Antonino cõmissum habebat, ut uocaret me ad pueri curationẽ si quãdo ægrotaret. At ipso imperatore præter expectationẽ in Germanico bello morã trahẽte, toto hoc tẽpore multas tractationes cõscripsi in medicina ac philosophia, quas reuerso rege Romã amicis petẽtibus dedi, apud solos illos ipsas fore sperãs. Nam si sciuissem edẽdos fore indignis, ne illis qui C dem dedissem. Indignos aũt uoco eos qui improbo animo, nõ discẽdi gratia, ad lectionẽ ueniunt, sed ut calumniari aliqua ex ipsis possint. In his igitur libris tota ea speculatio conscripta est, quæ de pulsuũ præsagatione, & alijs prænotionis signis pertractat. Quã igiť prænotionẽ in altero Quintilij filio feci, si ex teipso discere uolueris, ex qua speculatione facta sit, facilis erit ac lucida tibi, ubi de iudicationibus tractationẽ legeris, utpote ratiocinando à puero in geometria ac dialectica exercitatus. At uulgarib. istis medicis, qui ab exercitatione in operib. discesserunt, & ad improbitatẽ cõuersi, artẽ in ipsa exercuerunt, neq; cognosci quicquã scriptorum illorum potest, neq; audiri.

X Sextus itaq; in morbum incidit acutissimũ, D ut septimũ diem transgredi nõ posset citra iudicationẽ: quæ uerò in hoc ipso prænotio sit, in libris De iudicatiõe scriptũ est, in quibus etiam id indicatum est, ꝙ iudicatio sæpe antea erumpit, nõ expectãs diẽ fideliter iudicantẽ. Quòd aũt hoc Sexto cõtingere posset, cognoui in quarta die, ut interroganti Pitholao cubiculario, quid de futuris uaticinarer (sic enim interrogabat, prætentans uidelicet me qui multa, quæ etiã sapiẽtissimis medicis impossibilia esse uidenť, antea predixeram) tum statim prædixerim. Respondi itaq; ipsi ridẽs, morbum ultra septimũ diem progredi nõ posse, uerum iudicatũ iri omnino aut sexto aut septimo, & siquidẽ sexto die iudicareť, ipsum reuersurum esse: si uerò septimo, firmam iudicationẽ habiturum. Necessariò uerò iudicationẽ futurã esse per sudorẽ. Quandoquidem uerò sexto die ita iudicatus fuit, Sextus qui extremè cõtẽtiosus esset, quo me non contingente recidiua redarguere posset, quotidie lauabať, uerum neq; uinũ bibebat, neq; quicq; ingerebat præter ptisanæ succũ, aut ipsam per se, aut cum mica panis. Sæpe uerò & pane in aqua madefacto solo cõtẽtus erat. Atq; hæc cum ad duodecimũ usq; diem fecisset, gloriabať in ipso ꝙ uicisset meam prædictionẽ. Bibebat aũt die decimatertia parũ quiddam uini aquosi, unà cum hoc ꝙ totam uictus rationem paulo pleniorẽ priore faceret, sed tamen adhuc tenuem seruaret. At sequenti die à primo decubitu decimaquarta, exorsus febrire, prohibuit ut nemo mihi id indicaret, putans neq; uehementẽ fore febrem, neq; ultra unam diem extendendam. Postquam autem progrediente die semper magis augesceret, Claudius Seuerus ad domum suã in propinquo sitam, reuertẽs, ubi audiuit ipsum febrire, comperitq; uehementer iam febrientẽ, primum quidẽ interrogauit, quã sententiam ego de principio febris nũc factæ habere uiderer. Vbi uero audiuisset ex ipso, id quod uerum erat, ꝙ contentionis studio nõ indicasset, ut quis me accerseret, misit ad me ut ad uisitandum Sextũ accederẽ, & postea ad ipsum uenirem. His factis interrogabat quid mihi uidereť de morbi recidiua. respõdi itaq; ipsi quod & Sexto antea prædixerã: post tres dies hunc insultum quieturũ esse, febre per ipsas satis calida fiente, deinde iudicationẽ adeptura, decimaseptima ab initio die. Sextus igiť libenter audiens solutionẽ breui futuram, promptè credidit. Quod enim quisq; uult, hoc etiã futurũ esse sperat. At Seuerus ꝙ minime fallerer de salute futura Sexti, fidẽ mihi habuit. Verum de die in qua penitus à morbo liber futurus esset, nõ credidit, difficile esse existimans citra hoc ut uel sequẽs dies expecteť, pronũciare certi aliquid de his quæ quarta die futura essent. Sic igiť secum sentiens, summo mane ad domum Sexti quendam misit, qui me isthic expectaret, & ad ipsum duceret post factam uisitationẽ. Vt igiť uisitato Sexto ueni ad ipsum, contradices inquit, his quæ heri dixisti, aut perseuerabis in eadẽ sententia? Vbi uerò dixissem nũc magis q̃ heri eadẽ à me pronũciari: post prandiũ rursus me uocatum iterũ interrogauit, an constanter essem persuasus de futura Sexto iudicatione: audiuit igitur ex me nunc magis q̃ heri habere me quod affirmẽ. Sed & sequẽti die cum interrogaret me, utrũ eandem sententiã de prædictis obtinerẽ, aut aliquid ex dictis transmutarem, audiuit nihil quidem illorum me mutare, uerum habere quod dictis adijciã. Et ubi interrogasset quid hoc esset, audiuit ex me, ꝙ ubi uenerit decimaseptima dies, incepturus sit sudor circa secũdam horã noctis. Num igiť, inquit, & Pitholao hæc dixisti? dixi inquã, & persuasum illi esse scio, quòd falli non possim neq; in prædictione, neq; in curatione. Omnino igitur, inquit, & imperatori Pitholaus indicauit. Fortassis, inq̃. At ego gloriam ex talibus non curo. Non eñ ob-

ambulo prædicans meas prænotiones ac curationes, quo medici & philosophi magis me odio habeant, & præstigiatorem ac uatem me esse diuulgent, aliaq; huiusmodi in me deblaterent. Vobis uerò amicis, qui medicam artem ob horum imperitiam cõtemnitis, ostendo artem quidẽ dignam esse Apolline & Aesculapio, uerum hos medicos ipsam iniuria afficere: uelut etiam philosophiam illos philosophos, qui cum nullo idiota melius uiuant, seipsos tamen præclaro philosophiæ nomine uenditãt. Atq; hæc quidem ad Seuerũ dixi. Tu uerò Epigenes probè nosti malignitatem medicorũ fermè omniũ, qui palàm ne mihi res succederet uota fecerũt, & per totã diem exploratores miserunt, qui ipsis quicquid fieret denunciarent. Non enim me Seuero & Pitholao prædixisse nouerãt, uesperi uisuros ipsos esse futurũ iudicatiõis initiũ. Nam ubi circa septimã horam Sextum à febre exacerbatũ esse audissent, ridentes & palàm de frustrato successu gaudentes, ad omnes obuiã uenientes, cõuitiantes dicebant, Admiranda illa Galeni diuinatio contrariũ euentũ sortita est. facta tamen iudicatiõe uelut prædixeram in priore die, ipsi uicissim posteriorem proferebant, & omnes pudore confusi euertebãtur: atq; hoc cum ipsa prædictio admirandi nihil haberet, uelut tum per commentarios in primum morborũ popularium Hippocratis scriptos, tum per tractationem de iudicationibus tibi ostendi. Hi tamen medici nõ solum ignorant ueterum scripta, sed neq; dies amplius numerare nouerunt, post septimũ diem, præsertim si æger à febre liberatus, rursus ex recidiua febriat: & quidem cum apud Hippocratem in popularium morborum libris, omnes dies scripti sint in singulis ægrotis, ad extremam usq; solutionem, non solum decimaquarta die, sed etiam sexagesima aut octogesima, si fortè ita cõtigit factam. Hæc igitur prædictio etiamsi uulgaribus illis medicis admiranda uisa fuit uelut dixi, tamen talis reuera non erat: quemadmodum neq; curatio ea ipsius pueri Commodi, cũ præsentiũ cognitiõe, quæ in profectiõe ipsius imperatoris fiebat.

XI Cæterum reuera admirãda est ea quæ nũc in ipso rege contigit, cum & ipse, & medici circa ipsum, qui cum ipso in profectione fuerant, febrilem quãdam exacerbationẽ incepisse putassent, & omnes decepti essent etiam secunda die mane & circa octauam horã. Acceperat autẽ priore die de medicamento ex aloe amaro hora prima. Deinde theriacam, uelut ipsi quotidie assumere mos erat, etiam tunc assumpserat circiter horã sextam. Deinde lotus erat circa solis occasum, & parum nutritus. Cum igit̃ per totam noctẽ tormina succederet, unà cum inferni uentris euacuatione, & propterea ipse febricitasset, & medici ipsi⁹ ipsum uidissent, ac quiescere iussissent, deinde hora nona sorbitione nutriuissent, ego uero postea uocatus essem, quò & ipse in palatio dormirem, uenit quidam uocans nos facibus iam accensis, utpote ab imperatore missus. Cum autem tres essent qui mane & sub auroram ipsum uisitarant, & pulsus

A tetigerant, & omnibus his principiũ quoddã accessionis febrilis esse uideret̃, & ego tacens starẽ, intuitus me primũ interrogabat, cur cum alij pulsum tetigissent, ego solus non attigissem. Respondi igitur ipsi tunc, cum hi bis iam tetigerint, & fortassis etiam in facta ab ipsis tecũ profectione, proprietas pulsuum tuorum per experientiam ab ipsis cognita sit, spero ipsos magis dinoscere instantem iam affectionem. His dictis à me, & ipso pulsum me tangere iubẽte, ubi apparuisset mihi pulsus, circa cõmunem mensuram & ætatis totius, & naturæ ab eo qui febrilis accessionis principium indicat abesse, pronũciaui insultũ quidem febris nullum esse, uerũ stomachum ipsius ex accepto cibo premi, qui ante excretionem in pituitã commutatus est.

B Ille uero dinotionis laudem quãdam ostendens hac ipsa dictione, ter consequẽter profatus, hoc ipsum est, hoc ipsum quod dixisti est, sentio enim me à frigidiore cibo grauari, interrogabat quid facere oporteat. Ego uero respondi quæ sanè noui, ac ad ipsum dixi. Si quis alius esset ita affectus, dedissem sanè ipsi uelut soleo, uinum insperso pipere bibendum. At in uobis regibus, cum securissimis auxilijs medici uti cõsueuerint, lanæ hapsum nardino unguẽto calido imbutum, ori uẽtris imponere sufficit. Ille uero cum & alioqui sibi morem esse dixisset, ubi de stomacho conquereret̃, imbutum purpuræ lana unguentũ nardinum imponere calidum, & Pitholaũ hoc facere, & nos dimittere iussit. Imposito uero ipso, &

C pedibus calefactis, à confricantibus ipsos calidis manibus, petiuit uinum Sabinũ, & insperso pipere bibit. & postq; bibisset, ad Pitholaũ q; medicũ haberet unũ, eumq; ualde liberum dicebat, & de me semper dicẽs perseuerabat, quẽadmodum nosti tu quoq;, inter medicos me primũ esse, philosophũ uero solũ. Expertus ẽm iam fuerat multos nõ solum pecuniæ, sed etiã cõtentionis ac gloriæ studiosos, inuidos item ac malignos. Quod igit̃ dixi, hac cõsideratione nullam aliam magis admirandam mihi contigisse arbitror. Cum ẽm quæsitum sit ab omnibus qui artem pulsuum optimè exercuerũt, quorum unus etiã Archigenes fuit, quod febrilis accessionis proprium sit signũ, & quidam ex ipsis in principio contractionẽ arteriæ reperiri asseruerint, quidam uerò omnino nõ sensui ex-

D positam esse contractionẽ dixerint, ego profectò bona fortuna usus, (quid enim aliud dicere quis possit tactum, uel minimas in pulsibus differentias subtilissimo spiritu percipiẽtẽ) peccãtes usq; adeò medicos quosdam deprehendi, ut incipientes iam aliquos febrilẽ accessionẽ habere, ad balneum miserint, aut nutriri iusserint, quos ego ab illis faciẽdis prohibui. Quapropter cum semper meipsum diligenter expertus fuerim, ut qui exacerbatiõis principium cognoscam, immodestius fortassis, sed tamen ausus fui cum rege disceptans dicere, mox ubi primum pulsus tetigi, cõtrariam sententiam ei quam & ipse apud se conceperat, & ex medicis audiuerat.

XII At uero quod circa Commodum cõtigit, habere

habere quidẽ dicunt magnã admirationẽ, uerum reuera multum ab hoc abest. Cum enim ex palæstra discessisset ante horã sextam, irruit in ipsum febris satis calida. ubi uero ego tetigissem pulsus, pars quædam inflammata esse mihi uidebatur: quo audito mirari se Pitholaus dicebat, si tonsillarum inflãmatio pulsum pueri mutasset. Nulla em̃ alia, inquit, pars ipsi inflãmata est, atq; interim aperto ipsius ore intueri me iubet. Cum aũt aspere & ualde rubicundæ tonsillæ apparerẽt, nõ tamẽ magnã molẽ inflãmatio haberet, interrogabam quis confricuisset medicamẽto stomatico, hoc est oris affectionib. destinato, quod uehementiorem q̃ puero cõueniret adstrictionẽ haberet. Illo aũt seipsum esse, qui medicamento ex melle ac rhoe cõposito confricuisset, asserẽte: ad aquã mulsam, B in qua rosæ incoctæ essent transire iussi, & hac sola uti, per noctẽ ac sequẽtem diem totã sæpe, unà cum sequenti ipsam nocte. At uero tertia die mane postq; inflãmatio sedata esset perfectè, & ferme sine febre puer esset, persuasi Pitholao ut puero in balneũ nõ procul à cubiculo inducto, nõ lõgè postea aqua in solio uteref̃, ita ut omnes quidem aliæ partes permadescerẽt, solũ aũt caput largè perfunderef̃. Itaq; ubi nutritus esset circa tertiã horã, Ania Faustina quæ imperatori proximè cognata erat, accessit, excusans se q; per biduum ipsum nõ uisitasset. Heri em̃, inquit, à prandio de febre facta cognoui. & ad hæc insuper addebat, clarũ esse nos transmittere debuisse horã sextam, in C qua exacerbatio irruit. Ridens igitur Pitholaus, quomodo uero, inquit, non debuissemus etiam Thessali diatriton, usq; in tertium diem cibũ differentem, trãsmittere: Verum hic Galenus cum uidisset mane ipsum, neq; febrire dixit, imò etiã rursus uesperi ipsum lauari iussit: ac cœnã exhibere qualẽ sanus sumere solet. His auditis ad modicũ tempus Faustina istic morata, manu me arreptũ, secum eduxit, medico cuidã Methodico ex asseclis suis ita illudens. Galenum hunc, inquit, nosti non uerbis sed factis, uos methodicos oppugnare. Sępe em̃ iam multos febrire incipiẽtes lauit, ipsisq; uinum bibendũ dedit. Aliquos uero etiã prima die, aliquos tertia, ad consuetas actiones dimisit. At omnes uos primis duob. diebus inediã per D ferre iubentes, decumbentes asseruatis ut suspectas horas transmittãt. Et nunc sanè inquit, scientiæ suæ firmitatẽ ostẽdit, regio puero, patre absente, in primis duob. dieb. uehemẽter febriẽte, uelut & uos heri audiuistis: utpote qui in tertia die non sustinuit sextã horã, uelut uos decernitis, trãsmittere, sed iã lauit ac cibũ dedit. Et Pitholaus ipsius alũnus ac educator, diligẽtissimus circa talia existẽs, ut diligẽtia eius timiditas appellari possit, eo q; artẽ uiri expertus est, fidẽ ipsi habuit, ut & lauerit illũ, & nutriuerit ante horã suspectã. Atq; hæc quidẽ talia dicebat progrediẽs usq; ad uehiculũ. Ego uero ascẽsura iã ipsa discedẽs dicebã, Fecisti ut multo iã magis à medicis odio habear. Digressus aũt & hęc Pitholao narraui, & insuper q̃d propter tales medicos nuper tres tractatiões scripserim, unã de differẽtijs febriũ, alterã de dieb. iudicatorijs, & tertiã de iudicatiõibus, ostendẽs ab Hipp. scriptã esse speculationẽ, ex qua circa ægrotos futura prænoscere quis possit. Hi uero adeò ex natura inepti sunt, ut neq; expositionis meę auxilio illa discere possint. Tu em̃ ipse charissime Epigenes, nosti ea quę à me scripta sunt de omnibus his quæ me prædicere uidisti, ab Hipp. dicta esse, me cõmonstrasse, ita ut ad ipsa solã pulsuũ speculationẽ addiderim, quam etiã solam ille nõ elaborauit. Queadmodũ posteriores medici alius aliud quiddam ad ipsam addẽs, usq; ad nostra tẽpora eã exornarũt. Etem̃ corporis affectionum cognitio, ex speculationis medicæ ratione cõtingit. Ex cognitione uero exacta futurorum prænotio.

XIII Et quod te præsente factũ est, quãdo de uenæ sectione quidã ex præcipuis in urbe Romana disceptabant, per commentarios à me scriptos ostendit, perfectissimè ab Hipp. cõmonstratũ esse. Quintũ em̃ morbi diẽ adolescẽs agebat. Videbaf̃ aũt relictũ esse uenæ sectionis auxiliũ, quod in ipso affectionis principio adhibuisse oportuerat, circa secundã aut tertiã aut omninò quartam diẽ. Deinde quia neq; anni tẽpus, neq; ægri ætas, neq; uitalis facultatis debilitas, neq; prægressa uictus ratio, contra q̃ morbus indicaret: & omĩa inter se cõsentirẽt uenæ sectionẽ indicãtia, medici uenã secandam esse rectè in hoc sentiẽtes consuluerunt. Ego uero diligẽter cõsideratis omnibus apparentibus signis, ab Hipp. de his quibus sanguis erupturus est relatis, rectè quidem ipsos sanguinis detractionẽ decernere dixi. Verũ ad hoc uenire ipsam naturã festinãtẽ excernere id quod ipsam grauat. Atq; hoc ualde breui futurũ esse, etiamsi nos nõ faciamus. Et medici quidẽ ubi hæc audiuissent admirabanf̃ sanè, ego uero exurgẽte in lecto uelut prosilire uellet, ac interrogato, qua de causa prosilire uoluisset, cum nihil adesset: & illo respondente, rubicundum serpentẽ de fornice prorepentẽ se uidisse, ac timuisse ne si aberrasset, super ipsum delaberef̃, & propterea locũ in quo decumbebat fugisse: illis quidẽ nihil hoc cõferre uidebaf̃ ad futurã sanguinis eruptionẽ. Mihi uero qui & alia omĩa cõsiderassem, & in dextra parte nasi usq; ad malã, obscurũ hactenus ruborẽ, uidissem nunc manifestiorẽ factum esse, expectanda quantũ nunq; antea, sanguinis eruptio ex dextra nare palàm uidebaf̃. Et ubi cum quodã ex pręsentib. ægri famulis secretò essem collocutus, ut uas ad excipiendũ sanguinẽ idoneũ, sub ueste paratum haberet, audiẽtibus omnib. medicis dixi, si breuissimũ tempus expectẽt, uisuros ipsos hominem è dextra nare sanguinẽ fundentẽ. At cum illi risissent propterea q; in pędictione adiectũ esset, è dextra nare. Atqui, dixi, aut utrunq; fieri oportet, aut circa utrunq; me falli. Nam ex medica speculatione utrunq; prænotionem habet: ut & sanguis ægro erumpat, & ex dextra nare. Ego uero cum uiderẽ ægrotum indicẽ digitum in dextram narẽ uelut scalpturum immittere, ex hoc sumpta coniectura, eũ qui uas occultabat animaduertere

ad id quod fieret iussi, quod ubi sanguinē è nare fundi uideret, accurrens uas supponat: & simul ut hæc dixissem, digitum ille cruētatum è nare extraxit, & famulus accurrens uas ei subdidit: unde cū maximus, uelut nosti, obortus esset clamor, medici omnes aufugerunt. Ego uero percunctanti tibi prænotionis speculationē, declaraui tibi quod totam ipsam ex Hippocratis scriptis didicissem. Quin & hoc insuper addidi, uehementē fore sanguinis eruptionē expectādum esse. Nam & impetus naturæ fortis est, & morbus crudus, quæ causæ sunt ut immodicæ euacuationes fiant. Quapropter & aliquandiu apud ægrū permanere melius esse duxi, & puerum me comitantē, ad afferendā magnā cucurbitā, ita ut non multis innotesceret misi. At cum breui multū sanguinis in uase collectū esset, altero petito, sanguinem accepi & ad stateram expensum, quatuor & dimidiæ librarum reperi. Et ægro sursum uersus erecto collocato, & poscam frigidam nare attrahere iusso, & spongia ex aqua mulsa frigida madefacta fronti imposita, & artubus deligatis, ubi hęc nihil proficerent, cucurbita sub dextrum præcordium subdita, statim sanguinis eruptionē compescui. Atque quod etiā hoc ipsum ex arte Hipp. esset tibi declaraui. & propterea & hæc, & alia omnia quæ per opera comprobaui, à me scripta sunt. Nam & rigorē futurum quomodo prænoscere oporteat scripsi, & uentris profluuium, & uomitū, & urinæ immodicę copiam, aut suppressionem, sudores item ac parotidas iuxta aures abscessus, & humorum ex loco ad locū impetuosos illapsus futuros, & delirium, & mentis emotionē, aliaque omnia symptomata. At uero qui hæc prædidicerit, quædam, uelut etiam antea dixi, ex seipso excogitabit, quemadmodū ego in filio Boethi ratiocinando collegi, & in muliere amante, & in seruo domus dispensatore, ex timore cōtristato. Nuper etiam cum ego tale quid, uelut nosti, prædixissem, prænotio multos cōsternauit.


XIIII Nam quidam domus dispensator, domini res omnes rectè administrans, & propterea in dignatione constitutus, cum alij medici ipsum curarent, septima quidem die per sudorē iudicatus est. Postridie uero pulsum intermittentē in ipso comperientes, malignam in corpore affectionem latere putarūt, magnopere decepti. Deinde adolescēte eo unà cū domino ex domo egresso, fortuitò ambo mihi obuiam uenerūt, expositisque prægressis ac præsentibus symptomatis, quidnā significaret id quod circa pulsum præter rationē factū esset, discere cupiebāt. Et ego audiēs in propinquo esse domū, in qua decubuerat, ingressus sum cū ipsis, & pulsum adolescentis tetigi. Sæpe uero dixi tibi, quod circa ipsam sentiendi affectionē, nō parū etiā pręclari aliqui medici fallūt, magnū putantes pulsum, qui magnus nō est, uelut etiam aliquando uelocē, qui uelox non est, aut tardus. Similiter uero & circa languidorū ac uehemētiū, & durorū ac molliū pulsuū dinotionē fallunt. & magis adhuc circa inordinatos ac ordinatos, æquales que ac inæquales, tū circa plures, tū circa unā distētionē dinoscēdos. quorū sanè gratia et ego quatuor De pulsuū dinotione libros scripsi, qui alios quatuor præcedūt De pulsuum causis inscriptos. Nam utrisque his tractationibus opus habet præsagatio de pulsibus. quā etiam ipsam in quatuor libris perscripsi, & ob quā etiam prædictæ duæ utilissimæ existunt. Cum igitur inæqualitas in uno pulsu sit, uelut cōmonstratum est, & multa exercitatione opus habeat ad dinotionem, utpote quæ multas differētias habet: quando pulsus & in una actiōe, & in pluribus cōsequēter, nihil habet pręter naturā aliud præter hoc solū quod ex intermissione fit, nosse operæpretiū est tale symptoma ex natiuitate esse. Est aūt hoc cognitu difficillimū, imò impossibile, citra hoc ut quis omnes circa pulsus differentias exactè sensu percipiat. Vbi itaque hominē hoc modo habere cognoui, medicis consului ut ipsum refectoria uiriū uictus ratione, uelut securè iudicatū refocillarent. Deinde ubi iam progrederet, & consuetas uitæ functiones obiret, ut tum quoque pulsus ipsius tangerēt: reperturos eñ ipsos intermittentes illos esse etiā tunc dixi. Hoc eñ ex natura ipsi accidisse, nō ex morbosa aliqua causa. In præsens igit res hæc apud ipsos fidē non reperiebat. Sequēti uero toto tēpore unū ictum intermittentes pulsum inuenientes, aliàs iuxta alium numerum, postea aliquando me accesserūt, & ex me audire uoluerūt, per quod signū cognouissem, talem esse adolescentis naturam. Respondi igitur ipsis id quod Isocratē rhetorē quandoque cuidam sodali de triū annorū exercitatione interroganti, respōdisse audiui: nimirum an si tanto tempore se exercuisset, de singulis propositis dicere posset, ueluti iam Isocratē dicere uideret. Dicunt eñ uirum adulescēti respōdisse. Tibi quidem mi fili optarim, ut in una die id quod quæris discere possis. Verum uereor ut tu propter mentis tuæ ineptitudinē, etiam multorū annorū exercitio, ad hoc peruenias. Cognituros aūt ipsos fuisse, dixi, quæ sint præter naturā pulsus differētiæ, si hunc librum legissent. Erat autē primus de omnibus pulsuū differentijs dinoscendis. Totā uero huius exercitationis uiam in quatuor libris à me conscriptā esse dixi, quos uobis in manus sumere licet, cum ex ore meo descriptas in eo libro differentias expetitis. Hoc igitur chare Epigenes, memorabile illud medicæ prænotiōis opus est, quē admodum etiam id quod in imperatore febrilis exacerbationis insultus esse ipsi uidebatur. At reliqua quæ uulgus medicorum admiratur, ne prope quidem his assimilari possunt. Admiranda enim esse uidentur, propter uulgi ignorantiā, non propter seipsa, cum his qui legitimè in arte exercitati sunt, nulla horum prænotio difficilis existat.

FINIS TOMI QVARTI

Monitus sit lector, in hoc tomo relictum esse erratum pag. 107 in litera D. ubi per parenthesim legendum, Græci glottida uocant.

SERIES CHARTARVM.
abcdefghiklmnopqrstuxyz.
ABCDEFGHIKLM.
Omnes terniones, præter M quaternionem.

BASILEAE APVD HIERONYMVM FROBENIVM ET NICOLAVM EPISCOPIVM. MENSE MARTIO. ANNO M D XLIX.


FRO
BEN.